



GRAMMATICÆ HEBRAICÆ ET CHALDAICÆ,

EX OPTIMIS, QUÆ HACTENUS prodierunt, nova facilique methodo concinnatæ,

TOMUS II.

COMPLECTENS

SYNTAXIM FIGURATAM, ſive Rhetoricam ſacram,

GRAMMATICÆ CHALDAICÆ COMPENDIUM,

NECNON

VARIA AD LITERATURAM HEBRAICAM SPECTANTIA:

CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

Auctore Domno PETRO GUARIN, *Preſbytero & Monacho Ordinis Sancti Benedicti, è Congregatione S. Mauri.*







LUTETIÆ PARISIORUM,
Typis JACOBI COLLOMBAT, Regis Chriſtianiſſimi Typographi ordinarii, &c. viâ Jacobæâ, ſub ſigno Pelicani.

M. DCC. XXVI.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.



PRÆFATIO,

IN QUA PUNCTORUM VOCALIUM, quod ad eorum significandi potestatem attinet, antiquitas simul & auctoritas vindicantur.


PRODIT in lucem alter operis hujus grammatici tomus. Qua benignitate ab æquis peritisque rerum illarum æstimatoribus acceptus est primus: eadem & hic futurum ab iis ut excipiatur arbitror. Hoc ut mihi ipse polliceri audeam, facit haud mediocris eorum, quæ complectitur, grata cum varietate conjuncta utilitas. Is enim, præter *Syntaxim figuratam*, sive *Rhetoricam sacram*, in qua non pauciora, quam in Syntaxi simplici, explicantur Scripturæ loca; continet Grammaticæ Chaldaïcæ compendium, & alia bene multa cum ad Grammaticam, tum ad literaturam Hebraïcam spectantia. Ea inter locum habitura erat dudum à nobis elaborata confutatio principiorum, quibus innititur *Grammatica Hebraïca à punctis aliisque inventis Massorethicis libera*, quam vir eruditus D. *Masclefius*, Canonicus Ambianensis, ante annos decem in orbem literatum emisit. Verum cum in majorem opinione nostra molem, dum prelo committeretur, id voluminis excreverit: hancce confutationem ut in epitomen contractam ea in præfatione collocaremus impulit nos & sumtus typographici, & voluminis ipsius minuendi cupiditas.

a ij

Sed antequam operi manum admoveamus, quæ res in quæstione versetur, clare & distincte operæ pretium est definire. Id eò magis necessarium esse arbitror, quod ne ipse quidem D. Masclefius hoc intellexisse videatur in sua ad D*** antiquum Academiæ Parisiensis Rectorem epistola, quam tamen ab erudito Canonico, licet nomen ejus præ se ferat, qualis anno proxime elapso Parisiis edita est, ut scriptam existimem animum vix induco meum. Enim vero exploratior mihi est religiosi hujus viri pietas, eruditio, gravitas, modestia, bona fides, atque urbanitas, quam ut illum integræ hujus scriptiunculæ, quæ omnibus politioris literaturæ viris stomachum movit, auctorem arbitrer. Eam quoque ut ab erudito Canonico maxima ex parte abjudicem facit, quam ad unum è nostris anno superiori ineunte scripsit epistolam, in qua me, meumque opus aliquo in pretio à se haberi his verbis ei significavit. * *Felicem faustumque annum adprecor etiam R. Patri Guarino adversario meo, quem ex animo diligo, quique nomen meum posteritati commendabit. Ad eum propediem nomine meo deferentur streniolæ adeo leves, ut his graviores quotidie ventus auferat. Est brevissima epistola, quam ut typis mandarem in quædam libri ejus loca, dum meliora proferam, auctores mihi fuere nonnulli. Is non dubitat quin eo me adegerit, ut culpa liberare me non immerito enitar. Id equidem modestior ignaviorque faciebam: at vicinorum meorum unus, vir strenuus, quique, ut fert nominis ejus etymon, magno strepitu, & nitro sale, magis quam ego, delectatur; locis, in quibus R. P. Guarinus me appetit, cum iis, quæ respondenda animo mihi ipse proposueram, collatis, vocem nonnihil attollere me coegit. Quid, inquit, adversarius tuus*

* Je souhaitte aussi une heureuse année au R. P. Guarin, l'adversaire que j'aime de tout mon cœur, & qui rendra mon nom illustre. On doit lui presenter ces jours-ci de ma part une petite étrenne, si legere, que le vent en emporte tous les jours de plus pesantes. C'est une lettre très-courte que l'on m'a conseillé de faire imprimer contre quelques endroits de son livre, en attendant mieux. Il m'a mis dans le cas où il ne doute pas que je n'aye quelque droit d'essayer de me disculper. Je le faisois d'une maniere plus humble & plus poltronne; mais un de mes amis, homme de cœur, & qui, comme son nom le porte, * aime plus le grand bruit & le salpêtre que moy, ayant comparé les endroits où le R. P. Guarin me met en jeu, avec ce que j'avois projetté de répondre, me fit hausser de quelque note. *Comment*, dit-il, *vôtre adversaire vous traitte en belitre, & vous lui répondez en niais? Puisque vous avez raison au fond, ne gâtez pas vôtre cause en la defendant languissamment. Jettez sur vôtre ouvrage un peu de sel, si vous voulez qu'on vous lise.* Cela m'a determiné à ajoûter quelques petits mots pour montrer seulement que je ne suis pas insensible à des accusations graves, & sans blesser le profond respect que j'ay pour son sçavoir, & la veneration que je dois à sa vertu. Je vous assure que notre querelle n'alterera en rien la haute estime que j'ay toujours faitte de la Congregation. Si j'avois été sur les lieux, j'aurois vraisemblablement, en corrigeant les épreuves, fait quelque petit retranchement. Il y en a même un de deux mots que j'ay ordonné de faire, parce qu'au fond j'ay trouvé d'excellentes choses dans le livre du P. Guarin, & dont je me propose très-fort de profiter. Je ne sçay si mon ordre sera venu assez à tems pour être éxécuté.

A Amiens ce 3. Janvier 1725.

* *M. C.*

balatronis loco te habet, (hoc est à veritate alienum, aut vocis Gallicæ *belitre* potestatem ignoro) *& tu insulse illi respondes ? Cum revera stet à te ratio, causam tuam languide propugnatam ne deteras. Si legi vis, operi tuo paululum salis adspergito* (plena manu adspergit interpolator, sed non Atticum). *His excitatus voculas aliquot addidi, quibus me gravi accusatione nonnihil commoveri duntaxat ostenderem; idque salva mea in ejus eruditionem virtutemque summa reverentia. Ceterum hac nostra disputatione magnam, quam de Congregatione semper habui opinionem nihil imminutum iri pro certo habeas velim. Si isthic adfuissem, pauca quædam in emendandis speciminibus, uti verosimile est, resecuissem. Imo verba duo deleri jussi; revera enim optima in R. P. Guarini libro reperi, quæ, ut apud me ratum fixumque est, lucro apponam. Sed utrum mandata mea sat cito pervenerint conficienda, nescio.* Sat cito pervenerunt; sed non solum duo illa verba non resecuit editor, quisquis ille fuerit: verum etiam plura de suo, ut videtur, addidit.

Quis, lecta hac epistola, editam, qualis vulgata est, totam à Domino Masclefio profectam existimet? Ego certe non credo. Quare diu multumque dubitavi, utrum judicio, quod de illa tulerunt viri Hebraïce docti, eam non permitterem. Verum cum omnibus debitores simus, relictis interpolatori vagis suis declamationibus, insulsis jocis, magnificis & gloriosis ostentationibus, &c. si quid præterea in hoc libello fuerit, quod confutatione indigere videatur, id in convellendis prædictæ Grammaticæ fundamentis strictim & pro data occasione attingemus. His præmissis, ad statum quæstionis venio. Is autem, quo facilius intelligatur, res est paulo altius repetenda.

ARTICULUS I.

Verus quæstionis status, nostra & D. Masclefii de punctorum Massorethicorum auctoritate sententia, & nova eruditi Canonici Hebraïce legendi ratio exponitur.

HEBRÆI codices, ut diximus in tom. I. trium duntaxat aut quatuor vocalium subsidio quondam scribebantur legebanturque. *Pagg. 16. 17. in not.* Hæ vocales erant א, ה, ו, & י, quæ *matres lectionis* appellabantur, quod eam parerent. Nec male; consonantes enim literæ sic vocantur, quod sonent cum vocalibus, seu vocalium ope, & sine illis plane sileant, sive nullum edant sonum. At præterquam quod veterum illarum

a iij

vocalium certus ac definitus non erat sonus, illæ in vocibus quamplurimis desiderabantur. Eodem ubique modo prolatas illas non fuisse certum est; nam I. א erat A in voce ראש rásch *pauper*, 2. Reg. 12. v. 1. E in ראשית reschíth *principium*, I in ראשון rischón *primus*, O in ראש rósch *caput*, U in נאם neúm *dictum, pronuntiatum*, &c. II. ה sonabat A in צדקה tsedhaqá *justitia*, E in מקנה miqné *possessio*, O in עשה asó *facere.* III. ו modo erat O, ut גדול gadhól *magnus*, modo U sive OU, ut עצום atsoúm *fortis, robustus.* IV. Denique (י) interdum efferebatur I, ut צדיק tsaddíq *justus*, interdum E, ut היכל hechál *palatium.* Antiquas illas vocales in vocibus prope innumeris defuisse & etiamnum deficere, Hebraïce peritum fugit neminem. His carent v. g. דבר davár *verbum*, משל maschál *parabola*, כרם kérem *vinea*, &c.

Porro quandiu lingua Hebraïca usi sunt Judæi, vel in eodem loco constitêre, quo quæque ex antiquis illis vocalibus cum aderant, efferenda esset sono, vel quænam ex illis, cum deerant, supplenda; usu quotidiano, aut avita traditione, quam filii à parentibus, discipuli à magistris edocebantur, facile noverunt. At postquam varia in exsilia pulsi sunt, & à se invicem distracti; quis veteribus illis vocalibus sonus esset affingendus, vel quænam ex illis supplenda; qui hac in lingua minus exercitati erant, ignorare cœperunt. Ex quo factum est, ut non raro adulteratus fuerit genuinus Scripturæ sensus. Commutato enim veterum illarum vocalium sono διακριτικῷ sive *distinctivo*, & commutatis invicem supplendis vocalibus, immutetur etiam necesse est vocum significatio. Nam v. g. dictio ראש in diversis Scripturæ locis & *caput* & *pauperem* significat. Si legatur *ROSCH*, h. e. si א proferatur *o*, est *caput*; si legatur *RASCH*, id est, si א pronuntietur *a*, est *pauper.* Ita in voce דבר, quæ nullas habet vocales, si suppleveris duplex *a*, & legeris *DAVAR*, erit *verbum*; si duplex *e*, erit *pestis*; si *o* & *e*, erit *loquens, ductus, mos, caula, ovile*; si *e* & *i*, erit *adytum, oraculum*, &c. Judæus igitur, qui genuinæ lectionis ignarus legebat *rósch* ubi legendum erat *rásch*, & vice versa; vel qui pro *davár* legebat *déver*, & contra; is Scripturam corrumpebat, vel in Scriptura interpretanda hallucinabatur.

Huic malo latius in dies grassanti ut mederentur Judæi Tiberienses, vel quivis alii, sexto circiter ineunte sæculo vocales novas excogitarunt, quibus & veterum distinctivus in qualibet voce definiretur sonus, & inter legendum suppleri solitæ exprimerentur. Itaque ubi vox ראש legenda erat *rósch*, vocalem novam *o*, quam puncto expressere, inter ר & א supra scripserunt, sic: רֹאשׁ rósch *caput.* Ubi vero vox

eadem proferenda erat *rásch*, vocalem novam *a*, quæ τοῦ Græco hodie fere similis est, primæ literæ ר hoc modo supposuerunt : רָאשׁ rásch *pauper*. Sic ubi tres illæ literæ דבר vocalibus antiquis destitutæ *verbum* significabant, infra duas priores novam vocalem *a* scripserunt, sic : דָּבָר *davár* ; ubi vero *pestem*, *e* geminatum iisdem literis supposuerunt hoc modo : דֶּבֶר *déver*. Novæ illæ vocales appellantur à Grammaticis *puncta vocalia*, quod fere omnes constent punctis, & antiquarum vocalium, si adsint, sonum distinguant ; si vero desiderentur, vicem suppleant, easque repræsentent. Qui autem recentes illas vocales excogitarunt & Hebræo textui adjecerunt, dicuntur *Massorethæ*, à verbo Hebræo מָסַר masár *tradidit*, quod in illis excogitandis inscribendisque traditionem πατροπαράδοτον sequuti sint, non vero aniles fabulas, ut arbitratur D. Masclefius.

Jam vero quæritur utrum, quod in Scriptura nobis superest linguæ Hebraïcæ & Chaldaïcæ, id à Judæorum saniori nobiliorique parte satis excultum fuerit, ut certa & constanti traditione ad Massorethas usque pervenerit ejus notitia. Sive utrum Judæi illi hanc utramque linguam satis calluerint, ut antiquis vocalibus, ubi adsunt, sonos suos ad significandum distinctivos assignare ; ubi vero desiderantur, eas punctis à se excogitatis certo supplere potuerint : adeo ut voces Hebraïcæ punctis illis instructæ idem prorsus hodie significent, quod Mosis aut Davidis temporibus, cum inter eas legendas antiquæ vocales, si adessent, certo ac distincto ad significandum sono proferebantur ; si vero abessent, supplebantur. Verbo dicam, quæritur utrum hodiernæ vocales, quod ad significandi potestatem attinet, eædem plane sint ac veteres vel expressæ, vel inter legendum suppleri solitæ. Dico : quod ad sensum attinet, non vero quod spectat ad sonum ipsissimum ; Massorethis enim animus non fuit antiquos vocalium sonos, sive easdem, quibus illæ antiquitus proferebantur, vocis inflexiones ; sed earum naturam, &, ut ita loquar, substantiam exprimere. Rem exemplum illustrabit. Ubi *v. g.* veteres antiquam vocalem א, legebant *a*, ibi Massorethæ τῷ א, vel literæ præcedenti, novam suam vocalem *a* supposuere. Sic in vocum syllabis, in quibus eadem vocalis *a* inter legendum supplebatur, in his & figuram suæ vocalis *a* literæ consonanti, quacum syllabam efficere debet, subscripserunt. Jam vero utrum nova illa Massoretharum vocalis *a* antiquæ non substantiam modo, verum etiam eundem omnino sonum repræsentet : sive utrum eadem plane vocis inflexione proferatur, qua veteres *a* his in syllabis pronuntiabant, clarum puta, an obscurum, &c. absurdum est quærere : cum id

Status quæstionis.

& ad sensum nihil conferat, & ejusmodi prolatio etiam antiquitus pro variis temporibus, locis, ac personis, ut verosimile est, variarit. Ut igitur sartatecta sit Massorethica punctatio, satis est ut antiquæ pronuntiationis Hebraïcæ substantiam, nempe vocalium naturam exprimat; minime vero ejus accidentia, videlicet easdem, quæ in proferendis illis vocalibus olim adhibebantur, vocis inflexiones.

Epist. p. 3. Is est controversiæ status, quem à se non intellectum probat D. Masclefius cum ait in ea quoque me esse sententia antiquam Hebræi pronuntiandi rationem interiisse, eo quod in tomi I. præfatione scripserim haud ægre me concessurum *antiquam & genuinam linguæ Hebraïcæ prolationem hodie ignorari, si antiquæ pronuntiationis nomine intelligat* (D. Masclefius) *eosdem plane sonos, easdemque vocis inflexiones, quibus non solum vocales, verum etiam consonantes literæ, Mosis aut Davidis temporibus efferebantur..... At si vocalium naturam, earumque cum literis compositionem ad certum sensum in qualibet Hebræi textus voce efficiendum intelligat, ut revera debet intelligere, si ipse sibi consentiat* (h. e. si quid adversus puncta Massorethica conficere velit), *quam longe opinione fallitur! puncta enim vocalia hoc modo considerata, literis posteriora non sunt, sed earum æqualia, licet figura illorum & inscriptio à Massorethis inventa sit, atque excogitata.* Nullus, opinor, ex his verbis non videt quam aliter de antiqua pronuntiatione Hebraïca sentiam, atque D. Masclefius. Is eam, tum quod spectat ad vocalium naturam, tum quod ad earum prolationem attinet, plane interiisse arbitratur; ego vero concedo duntaxat illam excidere potuisse, aut etiam excidisse, quod pertinet ad vocis inflexiones, quibus olim non solum vocales, verum etiam consonantes literæ proferebantur: at vocales ipsas, quod spectat ad earum naturam sive substantiam, & cum literis consonantibus ad significandum compositionem, haud secus ac consonantes, ad Massorethas, imo ad nos usque, perpetua & constanti traditione servatas existimo. Quod satis est ut firma sit atque inconcussa Massoretharum punctatio. Discrimen igitur, quod in verbis supra laudatis vocalium naturam inter & earum prolationem assignavi, & in quo maxime positus est controversiæ status, odoratus non est emunctæ naris Canonicus.

(Margin: Pag. xiij.)

D.R.E.D.D. Rem acu non tetigisse D. Masclefium animadvertit etiam vir in omni literaturæ genere, maxime vero in Orientalibus linguis exercitatissimus, ac Reipublicæ literariæ notissimus. Is in epistola, quam ad unum ex amicis suis scripsit, & cujus facta est mihi copia, præmisso honorificentissimo de primo operis nostri volumine judicio, hæc subjungit:

jungit: * *Cum posteriores literas tuas accepi, nondum videram, quam ad me misisti, D. Masclefii scriptiunculam. In ea postmodum legenda hunc auctorem vel seipsum, vel quem aggreditur, satis non intelligere judicavi. Quod Ludovico Cappello de Critica ejus sacra dicebat Grotius :* Contentus esto magnis potius, quam multis laudatoribus, *id ego R. Patri Guarino ferme dixerim.* Sed his diutius non immorabor, ut, quid ego & D. Masclefius de punctorum Massorethicorum auctoritate sentiamus, aperiam.

Puncta Massorethica, si figuram eorum & Hebræis vocibus adjectionem spectes, à recentioribus Judæis, quos vocant Massorethas, sexto circiter ineunte sæculo excogitata fuisse, aut saltem excogitari cœpta existimo. At si eorum una cum literis significandi potestatem attendas, ea literarum & coæva, & ejusdem esse auctoritatis arbitror. Illa siquidem nihil aliud sunt, quam vocales antiquæ cum sono suo ad significandum distinctivo, ubi comparent, repræsentatæ; ubi vero desiderantur, à viris in Scriptura & Hebraïca lingua exercitatissimis expressæ. Nostra de punctorũ vocalium antiquitate auctoritateque sententia.

Eidem sententiæ adstipulatur Elias Levita, qui licet punctorum figuras recens Massoretharum inventum esse contendat, censet tamen formam & potestatem hujus punctationis, seu rationem legendi secundum hodiernam punctationem, veram esse & genuinam secundum Mosis, prophetarum, & aliorum scriptorum θεοπνεύστων mentem expressam: adeo ut hodierna lectio, quam ista punctatio Massorethica repræsentat, nulla plane ratione sit in dubium vocanda, aut suggillanda, quasi Massorethæ pro lubitu suo proprio textum sacrum punctis vocalibus animarint; eo quod vera legendi ratio per continuam traditionem ad illos pervenerit. Sic Eliæ sententiam explicat Cl. Buxtorfius. *Massor. Hammass. Præfat. iij.* *De punct. antiq. & orig. p. 4.*

Ita sentiunt Judæi omnes per universum orbem dispersi, quorum idcirco nonnulli cum Christianis quibusdam, puncta ipsi Adamo, alii Moysi, alii, & quidem majori numero, Esdræ accepta referunt. Imo ab hac sententia non longe abest Ludovicus Cappellus, alter cum Morino D. Masclefii auctor. *Una cum Elia*, inquit, *ejusque popularibus dicimus, quod forma & potestas istius punctationis, seu ratio legendi secundum hodiernam punctationem, sit ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον vera & genuina juxta mentem Mosis, Prophetarum, & reliquorum scriptorum sacrorum expressa; quia raro alia potest afferri punctatio, quæ meliorem, veriorem, & convenientiorem sensum fundat..... Quod autem censor* (D. Buxtorfius) *in ista* *Præfat. in Vindic. Arcã. punct. p. 803. edit. Amstal. 1689.*

* Je n'avois point vû, quand vous m'écrivîtes vôtre derniere, le petit écrit de M. Masclef, que vous m'avez envoyé. J'ay jugé, en le lisant depuis, que cet Autheur ou ne s'entend pas trop bien lui-même, ou n'entend pas celui qu'il attaque. Je dirois volontiers au R. P. Guarin ce que Grotius disoit à L. Cappelle sur sa Critique sacrée : *Contentus esto magnis potius, quam multis laudatoribus*.

sententiæ Eliæ explicatione, Massorethicam punctationem non esse in dubium vocandam, addit: quasi ipsi (*Massorethæ*) pro lubitu suo proprio textum sacrum punctis vocalibus animarint, *id pro more suo facit, ut invidiam mihi creet, & odium omnium conflet; quasi ego vellem Massorethas pro animi libidine & cæco impetu, vel maligne puncta passim addidisse, ut insanam Judæorum superstitionem & infidelitatem adversus Christianam fidem adstruerent. Si Genebrardus & alii cum eo nonnulli id voluerunt, ego me illis non accenseo.* Idem professor Salmuriensis alibi rotunde & sine exceptione sic loquitur: *Sane non negamus Esdram docuisse sacrorum librorum lectionem, eamque inter Judæos servatam & observatam fuisse ad Massorethas usque per institutionem & traditionem πατροπαράδοτον, qui eam, prout acceperant, excogitatis à se punctulis & notulis expresserunt.* Itaque, secundum Cappellum, Massoretharum lectio eadem est atque illa quam Esdras docuit. Esdras autem, cum esset propheta, lectionem diversam ab ea, quæ Mosis, prophetarum, & aliorum sacrorum scriptorum temporibus obtinebat, docere non potuit. Ergo, secundum Cappellum, lectio Massorethica, sive puncta vocalia, quibus maxima ex parte hæc lectio innititur, ejusdem sunt antiquitatis auctoritatisque, quod ad eorum significandi vim attinet, cujus sunt literæ ipsæ consonantes.

Vindic. Arcan. punct. pag. 809.

D. Mascleſii de punctorum vocalium auctoritate sententia, ejusque nova Hebraïce legendi ratio.

In sententiam à nostra longe diversam abit D. Masclefius. Is arbitratur Massorethas in excogitandis inscribendisque Hebræo textui punctis suis vocalibus, nequaquam certa & constanti traditione, sed *uno tantummodo Hebraïco textu, ac anilibus & falsis hinc inde conquisitis rumusculis ac commentis adjutos fuisse;* eosque præterea sequutos esse *præconceptas suas opiniones, quæ tantum abest ut Christianæ veritati consentiant, ut sæpissime ipsi è diametro adversentur.* Hac opinione imbutus, aut potius, ut ipse satis innuit, negotio, quod primo aut altero mense linguæ S. tyronibus, qui bonis grammaticis vel præceptoribus non utuntur, facessere solet punctorum illorum mutatio, deterritus eruditus Canonicus, ea omnia rejicit, substitutis in eorum locum aliis vocalibus, quas *auxiliares* appellat, & quarum ope literas consonantes suo modo pronuntiat. Vocalis autem auxiliaris, secundum D. Masclefium, ea est, *quæ consonantem proxime sequitur, & cum ea sonat in illius denominatione artificiali; seu cujus auxilio consonantis nomen artificiale pronuntiatur. Denominatio artificialis seu nomen artificiale consonantis* ב *est* Beth. ג *est* Ghimel. ד *est* Daleth, &c. *Dicitur nomen* artificiale, *quoniam ab artis grammaticæ magistris fuit impositum. Vocalis autem quæ sequitur* ב *in illius denominatione artificiali est* e. *Igitur* e *est vocalis auxiliaris* ב, *& sic de ceteris.*

Proleg. p. 6.

Ibid. p. 36.

Ibid. pagg. 60. 61.

Gram. pagg. 117. 118.

Explicata vocalis suæ auxiliaris natura, hanc unicam de lectione Hebraïca regulam tradit D. Masclefius: *Quotiescunque consonans consonantem immediate sequitur in eadem voce, inter utramque supplenda est ea vocalis, quæ sonat cum priore consonante in illius denominatione artificiali. Hæc una sufficit regula, ut intra horam currente lingua legatur quivis textus Hebraïcus non punctatus.* *Ibid. p.* 219.

Vocales autem auxiliares non adhibet eruditus Canonicus, nisi in vocibus duntaxat, in quibus nulla reperitur antiquarum vocalium אהוי, quibus adjungit ח & ע. Agnoscit itaque sex vocales, quarum unicuique perpetuum affingit sonum, quanvis multiplicem quondam obtinuerit, ut diximus supra; & ut fatetur ipse D. Masclefius. Ipsi ergo א est *a* breve, ה *e* itidem breve, ו *ou*, & est semper vocalis, (י) *i*, semper vocalis, ח *e* longum, seu fortiter aspiratum, ע denique *a* longum, sive, ut præcedens, fortiter aspiratum. Quasi aspiratio, etiam densissima, syllabarum quantitati quidquam adjiceret. Has inter vocales non comparet *o*; qua de causa, nos forte olim docebit eruditus Canonicus. Si conjecturæ locus est, suspicor hanc ab eo sublatam, quod cum exprimenda fuisset per ו, quod antiquitus *o* & *u* sonabat, nec certas regulas, quibus duplex ille sonus distingueretur, tradere facile potuisset; vocalem hanc in medio relinquere maluerit, quam unicam suam de lectione Hebraïca regulam aliqua exceptione gravare. *Ibid. p.* 196. *& seqq.*

Ut autem nova isthæc Hebraïce legendi ratio facilius intelligatur, illius exempla quædam, novitatis amatorum gratia, hîc ponere juvat. אֱלֹהִים Massorethæ Elohim, D. Masclefius Aleim, *Deus.* וְחֹשֶׁךְ Massor. vehhoschech, D. Masc. ouessic, *& tenebræ.* וַיַּרְא Massor. vaiiar, D. Masc. ouira, *& vidit.* וַיַּבְדֵּל Massor. vaiiavdel, D. Masc. ouibedal, *& divisit.* הַמָּיִם Massor. hammaiim, D. Masc. emim, *aquæ.* וַיִּקְרָא Massor. vaiiiqra, D. Masc. ouikoura, *& vocavit.* הָאוֹר Massor. haor, D. Masc. eaour, *lux.* לַיְלָה Massor. laila, D. Masc. lile, *nox.* אַבְרָהָם Massor. Avraham, D. Masc. Aberem, *Abraham.* יִשְׂרָאֵל Massor. Iisraël, D. Masc. Issiral, *Israël.* דָּוִד vel דָּוִיד Massor. David, D. Masc. Doud & Douid; *David.* שְׁלֹמֹה Massor. Schelomo, D. Masc. Sslame, *Salomon*, & sic de omnibus fere Hebræis vocibus, quæ nova hac legendi ratione ita deformantur, ut Judæis & Christianis Hebraïce doctis Algunquinicæ vel Huronicæ, aut potius nullius linguæ esse videantur. Ea tamen methodo intra horam, currente lingua, quemvis textum Hebraïcum non punctatum legi existimat D. Masclefius. Sed putatne Hebræa legere se ac sonare? Si putat, quanto in errore versetur demonstrabit vel exemplum unicum ex lingua Græca petitum. Removeantur vocales omnes

ex primò Geneseos versiculo in Græca Lxx. interpretum versione, & quæ supersunt consonantes vocalium auxiliarium ope legantur; pro ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, en arche epoiesen o theos ton ouranon kai ten gen, *in principio fecit Deus cælum & terram*; supererunt solæ consonantes *ν ρχ πον θς τν ρνν κ τν γν*, quæ per vocales suas auxiliares lectæ hos sonos efficient:. *Nu rhoch pisin thes taun rhonun ka taun gan.* Num, erudite Canonice, soni illi maxima ex parte Græci sunt? Non magis Hebræi sunt tui. At, inquies, ex hoc Græco versiculo vocales omnes detrahis, cum in vocibus Hebræis non raro antiquæ reperiantur, quas ego retineo. Fateor; sed cum genuinam vocalium illarum prolationem ignorare te fatearis; vetus enim ac genuina, te judice, interiit linguæ Hebraïcæ pronuntiatio: cumque earum unicuique unum eundemque sonum, licet olim diversus fuerit, attribuas; lectis tuo modo antiquis illis vocalibus, non magis Hebræa legis, quam si unis vocalibus, quas auxiliares appellas, uterere.

Sed te diutius non morabor ob novam tuam Hebraïce legendi rationem, quam ultro concedis *falsam esse, & à veterum Hebræorum pronuntiatione discrepantem.* Agnoscis enim *veteres non semper subintellexisse vocales post consonantem quamlibet, nec eas subintellexisse, quas subintelligendas* doces. Attamen priusquam dimittam te, doceas me, quæso, cur hanc pronuntiationem, quæ, ut fateris, minime Hebraïca est, excogitaveris. *Ut characteres*, ais, *sonum aliquem edant, ac legi possint.* Sed quæ est, amabo te, soni hujus ac lectionis utilitas? Nam concedis *eos, qui novam* (tuam) *legendi rationem sequi voluerint, non intellecturos eos, qui linguam Hebraïcam juxta Massoretharum regulas pronuntiabunt, nec vicissim ab eis esse intelligendos.* Omnes autem cum Judæi, tum Christiani Hebraïce periti linguam Hebraïcam juxta Massoretharum regulas pronuntiant. Ergo nec eos intelligis, nec te vicissim intelligunt. Id non inficiaris. At saltem, dices, intelligent seinvicem discipuli mei. Hoc tibi polliceris. *Si non displicet*, inquis, *nova methodus, habebunt brevi, qui ea utentur, quos Hebraïce loquentes intelligere, & à quibus intelligi possint.* At præterquam quod decenni & amplius experimento constat eos non modo non seinvicem, sed nec seipsos intelligere; aliter fieri non posse docet ipsa lectionis tuæ ratio. Etenim idcirco loquentes alios intelligimus, quod voces, quas proferunt, aliquid ex institutione hominum significent. At soni, quos edunt, qui pronuntiationem tuam sequuntur, nihil significant; vocum enim prolatarum sensus pendet à vocalibus. Atqui vocales tuæ nullum sensum efficiunt. Ergo voces, quas discipuli tui proferunt, nihil significant. Ergo sesein-

Proleg. pag. 69. 70. — *Ibid. p. 53.* — *Ibid. p. 77. 78.* — *Ibid. p. 59.*

vicem intelligere nequeunt. Porro vocales tuas ſenſu vacare tute aſſeris cum ais : *Puncta Maſſorethica per ſe & ex inſtituto vim habent ſignificandi aliquid. Reſtringunt ſignificationes vocum, quibus inſunt..... At puncta, quæ eorum loco in nova Grammatica ſubſtituuntur, nihil omnino ſignificant, verborumque ſenſum nullatenus attingunt.* Quid ſunt ergo ſoni à tuis Hebraïce ſuo modo legentibus prolati, niſi, ut vulgo loquuntur, *verba & voces, prætereaque nihil?* Sive, ut Tullii verbis utar, *verborum ſonitus inanis, nulla ſubjecta nec ſententia, nec ſcientia.*

Ibid. p. 52.

Lib. 1. de Orat. num. 51.

Fruſtra te cum Carteſio, & diſcipulos tuos cum hujus Philoſophi diſcipulis, non in uno Prolegomenωn tuorum loco comparas; quanvis enim hi philoſophi principia ab aliorum philoſophorum principiis diverſa ſtatuant, ad ea tamen probanda, & concluſiones ex iis eliciendas, uſitatis vocibus & ſenſuum fecundis utuntur; proindeque, etiamſi alios philoſophos forte non intelligant, nec ab iis intelligantur, ſeinvicem ſaltem poſſunt intelligere. At longe aliter ſe habent diſcipuli tui, cum ſoni ſive voces, quas proferunt, nihil omnino ſignificent, verborumque ſenſum nullo modo attingant. At, inquies, nonne ſolis characteribus, barbare licet ac ſuo modo pronuntiatis, ſenſus, de quibus inter eos conveniat, poſſunt illigare. Poſſunt, fateor, ſed nihilomagis ſeſe intelligent; cum enim unus idemque ſonus ab iis prolatus diverſa, ut plurimum, ſignificet; quantumvis ejus, qui loquitur, verborum ſint aucupes, quid is dicere velit, intelligere nequeunt. Ponamus v. g. in hujuſmodi ſermone reperiri verbum דבר, quod diſcipuli tui ſono perpetuo efferunt *daber;* cum verbum illud ſignificet *loquutus eſt, loquens, loqui, loquere, verbum, cauſa, peſtis, oraculum, perdidit,* &c. quomodo, qui alterum audit verbum illud proferentem, quo ſenſu illud proferat intelligere poteſt, cum verba citiſſime volent, eaque ſecum invicem conferre non ſinat prolationis celeritas? At etiamſi verba ſingula conferre liceret, ſi quæ præcedunt, & ſequuntur, æque ſunt ambigua, ut in nova tua legendi pronuntiandique ratione fere ſemper contingat neceſſe eſt, quomodo loquentis mentem intelliget?

Proleg. pag. 70. 79 &c.

Fruſtra etiam cum falſarum poſitionum aut ſuppoſitionum regulis novam tuam Hebraïce legendi rationem confers; ex falſo enim vel poſito, vel ſuppoſito, interdum ſequitur verum: at ex tua lectione nihil ſequitur, quod ad veram ac genuinam vocum Hebraïcarum ſignificationem eruendam conducat; ea ſiquidem *verborum ſenſum nullatenus attingit, & textum in ambiguo conſervat.* At eo ipſo, inquies, ad germanos ſcriptorum θεοπνεύστων ſenſus inveſtigandos mirum in modum confert nova mea legendi ratio. Cum enim literæ conſonantes ſine

Sup. & pag. 127.

vocalibus consideratæ multiplicis intellectus sint capaces: longe facilius certiusque est in verum Spiritus Sancti sensum inquirere, cum solæ sunt, quam cum vocalibus, quæ illas ad peculiarem significandi rationem determinant, conjunguntur. Sed primum quæro à te, erudite Masclefi, quo fundamento hanc potius quam illam Hebræo alicui vocabulo potestatem affingas. Quia melius, inquies, cum antecedentibus & sequentibus cohærere mihi videtur. Sed quo modo id tibi videtur, cum sæpius voces antecedentes & consequentes æque sint ambiguæ? Deinde si textus ambiguitas ad verum ejus sensum inveniendum tantum confert, quantum existimas; num, qui Massorethice legunt, amotis punctis vocalibus, textum in ambiguo etiam conservare nequeunt? Sane, qui in Massorethارum punctatione & eorum grammatica exercitati sunt, cum quot & quibus modis vox aliqua punctari, proindeque significare possit, longe melius intelligant quam tu, tuique discipuli, quibus unica duntaxat nota est illius punctandæ ratio, eaque, ut plurimum, sensus expers; multo etiam facilius possunt & varios ejusdem sensus rimari, & genuinum eruere. Denique quod spectat ad similitudinem ex Cartesio ejusque discipulis, & falsis aut positionibus, aut suppositionibus arreptam, ei sufficiat isthæc brevissima responsio: eodem modo judicandum non est de linguis ac de philosophia, aliisque scientiis, quæ ratiocinatione nituntur; in his enim valet plurimum, quam homini cuilibet natura aut potius Deus indidit, ratiocinandi facultas: in illis vero solus usus, *quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*

Horat. de Art. Poët. v. 72.

Satis superque, ni fallor, demonstrata est novæ tuæ pronuntiationis inutilitas. Jam principia, quibus innititur tua Grammatica, exponenda sunt simul & confutanda. Cum autem argumenta tua per angustiores præfationis limites integra describere non liceat, ea, verbis tuis, quoad ejus fieri poterit, usurpatis sic contraham, ut quidquam de illorum robore decessisse, merito non sis, opinor, conquesturus.

ARTICULUS II.

Principiorum, quibus innititur D. Masclefii Grammatica, expositio simul & confutatio.

I. PRINCIPIUM.

Proleg. pagg. 1. 2.

PUNCTA vocalia seu Massorethica inventa non sunt, nisi mille annis circiter, ex quo lingua Hebraica desiit esse vernacula.

Ea enim prodierunt, juxta nonnullos, sub finem V. sæculi: juxta « alios, quos putamus rectius sentire, non ante sæculum nonum. Verum demus inventa esse seculo quinto, semper erit consequens inventa non esse, nisi mille annis circiter, ex quo lingua Hebraïca desiit esse vernacula; cum vernacula esse desierit aut in captivitate Babylonica, aut saltem paulo post. «

II. PRINCIPIUM.

GRAMMATICA Massorethica serius adhuc inventa est. Non « enim inventa est, nec inveniri potuit, nisi post inventa puncta « vocalia, quibus tota innititur. Adde quod habeantur nomina ac « ætates eorum, qui primi de rebus Grammaticis scripserunt apud Ju- « dæos. Eorum antiquissimus Saadias Gaon scribebat circa annum 930. «

Ibid. p. 3.

III. PRINCIPIUM.

QUI puncta textui Hebraïco inscripserunt, ignorarunt quomodo « pronuntiaretur lingua Hebraïca, cum erat vernacula. Si enim « ignoramus hodie quomodo lingua sive Græca, sive Latina pronuntiaretur antequam exstingueretur, desineretque esse vulgaris: à fortiori « latet nos pronuntiatio linguæ Hebraïcæ, cum longe citius vulgaris « esse desierit. «

Ibid. & seq.

Massorethæ, qui puncta illa excogitarunt, & Hebræo textui adjecerunt, quæ esset linguæ Hebraïcæ pronuntiatio discere non potuerunt, nisi aut inspiratione Divina, aut studio, suaque industria, aut « saltem traditione. Primum asserere, superstitio esset mere Judaïca; « cum post Christum natum nulla amplius apud Judæos remanserit « inspiratio, nulla prophetia. Alterum dici non potest, si enim recentiores critici, licet acri ingenio, instructique insuper quamplurimis « auxiliis, innumeris v. g. veteribus monumentis, librisque integris de « rebus grammaticis ab optimis auctoribus, dum lingua Græca & Latina vigeret, conscriptis; quæ fuerit tamen linguarum illarum genuina pronuntiatio expiscari non potuerunt: quantominus Massorethæ, qui rudes omnino erant, nulla antiquitatis cognitione, nullis « veteribus libris, sed uno tantummodo Hebraïco textu, ac anilibus « & falsis hinc inde conquisitis rumusculis, ac commentis adjuti linguam Hebraïcam primævæ suæ pronuntiationi restituere potuerunt. « Superest ut sola traditione duce, quomodo pronuntianda foret lingua Hebraïca didicerint Massorethæ; quod contendunt punctorum «

» vocalium patroni. Fuerunt enim, inquiunt, quovis sæculo apud Ju-
» dæos Rabbini multi, qui libros sacros diurna nocturnaque manu
» versarunt, suisque discipulis versandos tradiderunt. Solemne insuper
» fuit toti genti, ubicunque terrarum degerit, per omne sabbathum in
» singulis Synagogis legere Moysen & prophetas, Psalmosque linguæ
» Hebraïca decantare. Verum ista non sufficiunt, ut credatur serva-
» tam fuisse veterem & genuinam linguæ Hebraïcæ pronuntiationem.
» Nam 1°. his aliisque majoribus subsidiis conservata non fuit antiqua
» linguæ Græcæ & Latinæ pronuntiatio, quæ ita deperdita est, ut à
» sapientioribus existimetur nullam superesse spem illius restituendæ.
» 2°. Varia admodum & inconstans fuit illa traditio. Constat enim Lxx.
» interpretes, Josephum, Origenem, Hieronymum, aliosque inter-
» pretes textum Hebræum pronuntiasse, quomodo tunc vigens tradi-
» tio pronuntiandum dictabat. Illi autem à Massorethica punctatione
» & à seinvicem immane discrepant. Ergo variis temporibus ac locis
» varia fuit textus sacri apud Hebræos pronuntiatio; proindeque non
» satis sibi constans super ea re traditio.
» Frustra contenderent punctorum vocalium assertores sibi conce-
» dendum saltem pronuntiationem Massorethicam esse omnium opti-
» mam, ac primævæ præ ceteris conformem. Nam suppetunt argu-
» menta, eaque positiva, quibus evincimus pronuntiationem Massore-
» thicam non modo non esse optimam, sed fortasse aliis omnibus esse
» deteriorem. Posito enim, ut jam probatum est, quod pronuntiatio
» linguæ Hebraïcæ pro diversis sæculis locisve diversa fuerit, Massore-
» thæque aliter pronuntiaverint quam Hieronymus, Lxx. interpretes
» & alii; clare sequitur Massoretharum pronuntiationem ceteris lon-
» gius distare ab illa veteri ac genuina, de qua inquiritur. In iis enim,
» quæ mutationi obnoxia sunt, ac veluti in perpetuo fluxu, illud pro-
» pius vero, quod antiquius. Quo autem à fonte magis disceditur, eo
» etiam major à vero aberratio ac distantia. Fatemur non illibenter
» Lxx. interpretum temporibus jam cœpisse ignorari quæ esset genuina
» & vetus linguæ Hebraïcæ pronuntiandæ ratio, eorumque posteros
» minus adhuc arcanum istud penetrasse. At eadem ratione fatendum
» erit Massorethas, utpote ab origine magis remotos & omnium po-
» stremos, pessime omnium aberrasse, istudque arcanum præ ceteris
» ignorasse. Sed rem accuratius & per partes evolvamus.
» In duobus sita est pronuntiatio Massorethica. 1°. In valore seu
» sono, quem singulis alphabethi literis tribuit. 2°. In vocalibus quas
» subintelligit in syllabis, quæ vocalibus destitutæ sunt. Atqui quoad
utramque

utramque partem, à veteri norma non parum recedit punctatio seu pronuntiatio Massorethica. Nam 1°. quod spectat literas, aiunt Massorethæ omnes viginti duas esse consonantes, nullam vocalem. At quis credat? Literæ enim ad varios oris sonos exprimendos inventæ sunt. Atqui huic fini consequendo magis aptæ ac necessariæ sunt vocales quam consonantes, quæ per se nihil sonant. Ergo cum constet inventas esse consonantes, constare pariter debet inventas simul fuisse & vocales. Antiqui omnes literas alphabethi diviserunt in consonantes & vocales, & in vocalium numerum non tantum אהוי, sed & ח & ע reposuerunt. Quod si in primo pronuntiationis principio tam fœde errarunt Massorethæ, quid in ceteris factum putabimus? Non minus errarunt circa consonantes quasdam. Docent veteres literam פ non ut *p*, sed ut *ph*. pronuntiari. Nulla apud eos mentio duplicis ש. Nullibi aiunt literas בגד כפת duplici modo efferri. Tria argumenta quibus evincitur Massorethicam pronuntiationem à veteri & genuina non parum deflexisse. 2°. Quod pertinet ad vocales subintelligendas æque aberrant Massorethæ. Discrepant enim à veteribus tam circa loca in quibus subintelligendæ sunt vocales, quam circa vocales ipsas subintelligendas. Id apertissime colligitur ex modo, quo nomina propria pronuntiant. Legunt *Nebucadnetsar*, *Rechabeham*, *Pinchas*, *Chiskia*, *Jirmeia*, *Jechezchel*, *Achaschaveros*, *Dariavesch*, &c. Septuaginta vero, Josephus, Origenes, Hieronymus, & alii, *Nabuchodonosor*, *Roboam*, *Phinees*, *Ezechias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Assuerus*, *Darius*, &c. Atqui si à veteri pronuntiatione ita discordant in nominibus, quorum pronuntiatio facilius potuit conservari, cum ore omnium trita fuerint; quid existimandum contigisse in vocibus, quæ (utpote rarius in quotidiano sermone occurrentibus) promptius potuerunt ad aliam pronuntiationem detorqueri? Frustra dicent adversarii nomina propria à Septuaginta senioribus emollita fuisse, quo Græcis auribus minus barbara apparerent. Quantumvis enim emollita dicantur, fieri non potest ut à pronuntiatione Massorethica tam discrepent, si eodem modo & Septuaginta & Massorethæ ea in fontibus Hebraïcis legerunt. Potuerunt quidem inflecti posteriores syllabæ, ut istis nominibus daretur Græca terminatio; at quid causæ fuit cur priores & intermediæ syllabæ tam turpiter deformarentur? Denique si Massorethæ scivissent quæ *Epist. p. 5.* vocales & quibus in locis supplendæ essent, nomina illa eodem modo prolata fuissent & exscripta. In his repertus fuisset idem ubique syllabarum numerus, eædem repertæ fuissent vocales, & iisdem in locis.

» Non in solis nominibus propriis, sed & in aliis diversitas illa conspicitur. Habemus aliquot fragmenta Hexaplorum, in quibus textum Hebraïcum literis Græcis descripserat Origenes ad eam normam, qua tunc temporis à Judæis pronuntiabatur. Scimus similiter quomodo quamplurima loca ejusdem textus legerit ac pronuntiarit Hieronymus. Si conferantur ea loca cum Massorethica pronuntiatione, nec raro, nec parum à veteri videbitur Massorethica discrepare. Eo usque sæpissime pertingit ista discrepantia, ut locorum sensum omnino immutet. Quod apud veteres singulare est, quod masculinum, quod in prima persona, quod activum, quod futurum, quod ab una radice descendens; illud apud Massorethas reperitur in plurali, in genere feminino, in secunda persona, in passiva voce, in tempore præterito, denique ab alia eaque prorsus diversa radice formatum. Id autem eam ob causam contigit, ut nunc est in confesso apud omnes, quod Massorethæ aliter legerint, quam Lxx. Hieronymus, & alii; punctaque subrogarint pro suo arbitratu, quibus voces ad certas quasdam modificationes determinantur, ad quas, si sola literarum habeatur ratio, sunt indifferentes. Concedimus quidem sensum Massorethicum interdum aliorum sensui præstare: at sæpissime deterior est, ut clarissimi interpretes bene multi demonstrarunt.

» Non solum autem Massorethæ à Lxx. Philone, Josepho, Aquila, Origene, Hieronymo, & aliis discrepant: sed etiam ab ipsis, à quibus ortum ducunt, Thalmudicis doctoribus. Ostendit Morinus loca quædam Scripturæ uno modo à Massorethis punctata reperiri, & alio à Thalmudistis. Si ergo in exigua illa temporis intercapedine tanta facta est in pronuntiatione quarumdam vocum immutatio: quamnam à captivitate Babylonica ad Massorethas contigisse autumandum est?

» Præterea punctatio ac pronuntiatio Massorethica à Massorethatum diebus ad nostros aliquatenus variavit. Observant enim viri doctissimi punctum *Camets*, v. g. quod per *a* efferunt recentiores, à Massorethis fuisse per *o* pronuntiatum.

» Denique experientia constat his temporibus Judæos circa pronuntiationem Hebraïcam sibi non constare. Aliter pronuntiant Judæi Orientales, aliter Occidentales. Inter Europæos, aliter Lusitani, aliter Germani. Hic legit v. g. *Abravanel, Cozri, Gheon*, &c. ille *Abarbinel, Cuzari, Gaon*, &c.

» Qui Hebraïce sciunt Christiani non minus scinduntur in varias

loquelas circa potestatem seu pronuntiationem, quam literis alphabethi, ac punctis vocalibus tribuunt, ut patet vel ex ipso grammaticarum quarumdam limine. Quod discrimen tantum est, ut non raro qui diversarum provinciarum aut urbium scholas frequentarunt, imo qui diversis præceptoribus aut rudimentis usi sunt, vix sese intelligant. Adeo verum est sciri nunc non posse, nec à Massorethis sciri potuisse, quæ fuerit primæva linguæ Hebraïcæ pronuntiatio.

His argumentis accedunt & alia à celeberrimorum Rabbinorum, imo & Thalmudistarum confessione petita. Hi autem per decem & amplius sæcula obliteratam prope fuisse apud Judæos linguæ Hebraïcæ notitiam ingenue confitentur.

David Kimhhi præfat. in Dictionarium suum scribit linguam Hebraïcam imminutam fuisse apud suos propter captivitatis longitudinem, eosque linguam de lingua didicisse. Ex quo factum est ut nescirent, quid significarent voces וטאטאתיה במטאטא השמד, Isai. 14. v. 23. quid יהבך, Psal. 54. Heb. 55. v. 23. quid יובל, & quod esset etymon טטפת, antequam forte fortuna didicissent ab ancilla cujusdam Rabbini טאטא *scopare*, & מטאטא *scopas* significare. Acceperunt ab Arabe mercatore יהבך esse *onus tuum*. R. Akiba per Arabiam ambulans didicit יובל *arietem* exprimere. Denique cognoverunt vocem טטפת compositam esse ex lingua Ægyptiaca, in qua טט *duo*, & Africana, in qua פת *duo* etiam significat. Hinc quatuor cellulas quæ sunt in Thephillin eruerunt.

Idem Rabbinus clarius adhuc loquitur præfat. in Michlol. *Ab eo die*, inquit, *quo patres nostri in terram alienam exterasque gentes abducti sunt, didicerunt linguam earum, & obliti sunt linguam sanctam, ita ut assuefecerint se filii & nepotes eorum loqui linguam externam, labiumque alienum, unusquisque juxta linguam terræ & loci captivitatis suæ, inter Saracenos & Christianos & quoslibet alios populos. Non reperiuntur alii libri in manibus nostris, præter eos qui nobis relicti sunt, viginti quatuor libros & paucas dictiones, quæ reperiuntur in Mischnæ sermonibus. Quapropter necesse est nos mentem advertere ad id, quod est in manibus nostris, de lingua sancta, eamque juxta formam & consuetudinem ejus exinde instituere, ut non intereat, eamque non invenuste loquamur. Jam certe præcesserunt nos, & ad eam attenderunt, docueruntque vias & regulas ejus sapientes qui vixerunt ante nos. Caput autem & dux doctorum & instauratorum linguæ fuit sapiens Juda Pasi, cognominatus Chiug, in cujus tempore perversa erat in ore hominum, corruptaque admodum.* Scribebat is Juda circa annum 1030.

» Abraham Levita in fine historiæ Cabbalæ, de eodem Juda sic
» loquitur : *Rabbi Juda filius David Pasi dictus Chiug, qui linguam sanctam in puritate sua constituit, postquam in universa captivitate oblivioni data fuerat : & Rabbi Marinus filius Ganah iste perfecit, quod incœperat Juda.*

» Auctor Grammaticæ, cui nomen פתח דברי, sic in præfatione scribit
» de grammaticorum labore & vigiliis verba faciens : *Aperuerunt abscondita legis, & res, quæ in ea tractantur, & tota in solidum luce penetrata est, introspicientibus illis rerum absconditarum puritatem. Nam paululum abfuerat quin obliteraretur lingua, disrumperenturque septa ejus, & destruerentur arces ejus. Eo usque corroboraverunt linguam suam adversus barbare & ridicule loquentes, ut facerent in canticis suis juxta voluntatem suam. Illi vero magno zelo zelati sunt, lapidesque de viis ejus removerunt, asperaque ejus & perversa direxerunt, animumque suum appulerunt ad linguam juxta sententiam suam subtiliter examinandam.*

Tract. Rosch haschschana, cap. 3. p. 26.

« Thalmudistæ fatentur magistros suos nescivisse quid significarent
« duodecim voces, quas referunt, quasque ex parte enumerat Kimhhi
« loco supra laudato, & quarum sensum ab ancilla, à mercatore, &c.
« didicerunt. Ignorant pariter iidem Thalmudistæ, quid significent
« vocabula, quibus designantur pleraque animalia, etiam à quibus ab-
» stinere jubentur, lapides pretiosi, plantæ, mensuræ, ornamenta mu-
» liebria, & cetera id genus bene multa. Quod ultro fatentur etiam
» Aben-Esra in c. 28. Exod. & in c. 11. Levit. Rabbi Salomon in Levit.
» 11. v. 21. &c.

» Constat etiam celeberrimos ac doctissimos Judæorum, qui à Salva-
» toris nostri diebus ad Mischnam usque floruerunt, ut Philo, imo &
» ex gente Sacerdotali, ut Josephus, aut nescivisse, aut parum admo-
» dum scivisse Hebraïce.

» Addendum Judæos in captivitate, quæ sub Vespasiano incœpit;
» pene consumtos, atque ad tam exiguum numerum redactos, ut vix
» populus esse censerentur; tot insuper ac tantis postea calamitatibus
» fuisse vexatos, ut nihil eis prope residui fuerit, quam ut tristi servi-
» tute, vilibusque ministeriis victum vitamque redimerent. Hinc est
» quod qui Magistri nomen iis temporibus apud illos sortiti sunt, suto-
» res, cerdones, vespillones, ac id genus artifices & fabri, quibus lin-
» guæ dudum demortuæ cognitio parum cordi est, fuisse vel in ipso
» Thalmude memorentur. Erat ergo prope obliterata apud Judæos
» linguæ Hebraïcæ notitia, antequam eam restaurare aggrederentur
» Massorethæ, aut eorum præceptores.

Denique Joannes Drusius, vir in rebus Hebraïcis magni nominis, « Massorethicam pronuntiationem vocat *barbaram, horridam, & insuavem*, eique longe anteponit S. Hieronymi pronuntiationem. « Lib. 3. quæst. Heb. quæst. 83.

Idem invehitur in sciolos quosdam, qui pro *Meschphat*, Gen. 14. « v. 6. scribunt *Mischphat* aut *Mischpat*, quanvis Hieronymus & veteres « omnes legerint *Meschphat*, ut patet ex Hieron. codd. mss. super « Isaiam, qui sinceriores hac quidem in parte multo sunt, quam typis « editi. « Miscel. Cent. 2. c. 62.

Denique lib. 7. observ. c. 14. sic loquitur: *Mihi certum est Judæos* « *antiqui moris, si non plane expertes, parum certe gnaros scientesque esse.*

Ea omnia D. Masclefii argumenta, quo magis robur eorum cerneretur, uno tenore retulimus, quæ particulatim in sequenti confutatione repetentur.

CONFUTATIO.

TRIA hæc prima D. Masclefii principia conjunximus, quod secundum ex primo, & ex utroque tertium fluere asserat eruditus Canonicus. Proleg. p. 3.

Ad primum quod attinet, puncta vocalia sæculo quinto exeunte, vel ineunte sexto, à Massorethis excogitata, & Hebræo textui adjecta, cum Elia Levita existimamus. At etiamsi trecentis annis, & amplius, posteriora essent, quod verosimilius putat D. Masclefius, nihil inde periclitaretur eorum auctoritas, modo ad id usque temporis, imo ad nostram usque ætatem, linguam Hebraïcam, saltem à Judæorum proceribus, diligenter excultam fuisse pro certo haberetur. Rem ita esse invictis, opinor, argumentis deinceps ostendemus.

Quod spectat ad secundum, non solum concedimus Grammaticam Massorethicam nonnisi post inventa puncta inveniri potuisse; verum etiam quàmlibet aliam, nisi imperfectissimam, sine punctis vocalibus, quibus maxime orationis partes, & vocum accidentia distinguuntur, adornari non posse contendimus. Luculento rei hujus exemplo est, cujus principia oppugnamus, nova grammatica.

Ad tertium D. Masclefii principium quod pertinet, distinctione opus est. Qui puncta textui Hebraïco inscripserunt, ignorarunt quomodo pronuntiaretur lingua Hebraïca, cum erat vernacula, si ratio habeatur ejusdem omnino soni sive vocis inflexionis, qua non solum vocales, verum etiam consonantes literæ Mosis aut Davidis temporibus efferebantur, id ultro concedimus; hujusmodi enim sonos pro locorum, temporum, ac personarum diversitate etiam antiquitus va-

riasse non solum probabile, verum etiam certum esse autumamus. Quare supervacanea sunt argumenta omnia, quæ congerit D. Masclefius, ut genuinam & antiquam linguæ Hebraïcæ pronuntiationem eo sensu excidisse probet; nullus enim, opinor, id ei negaverit. At si spectetur antiquarum vocalium, cum adsunt, sonus in significando distinctivus; cum vero desiderantur, earum supplendarum notitia: negamus Massorethas genuinam & antiquam linguæ Hebraïcæ pronuntiationem ignorasse; ea siquidem, quo intelligimus sensu, nihil aliud est, quam vocalium cum literis consonantibus ad significandum compositionis scientia, quam viros illos Tiberienses non latuisse arbitramur, quanvis & literarum & vocalium quarumdam sonos antiquos ignoraverint. Quemadmodum enim, ut in ipsum D. Masclefium regeram, quod adversus Massorethas sæpius repetit argumentum, licet antiqua linguæ Græcæ & Latinæ pronuntiatio nos fugiat, cognita tamen literarum & vocalium secuminvicem ad significandum compositione, Græcarum & Latinarum vocum sensum intelligimus: sic Massorethæ, licet veterem linguæ Hebraïcæ pronuntiationem ignoraverint, cognitis tamen perpetua & constanti traditione veterum vocalium, ubi comparent, sono distinctivo; ubi vero deficiunt, supplendarum natura; quid voces Hebraïcæ significent exploratum habuerunt, idque punctis suis vocalibus nobis transmisere. Ut igitur aliquid adversus puncta illa moliatur D. Masclefius, vocabulorum Hebræorum sensum ad Massorethas usque pervenire non potuisse ostendat necesse est. Conatur id quidem; at cum punctorum illorum modo sonum, quem illi, præter distinctivum, permittimus; modo eorum naturam sive in significando potestatem oppugnet: ut ordo aliquis in tertii hujus principii confutatione servetur, ostendemus 1°. Massorethas vocum Hebræarum significationem tenere potuisse, imo tenuisse. 2°. Pronuntiationem Massorethicam, prout ab eruditis cum Judæis, tum Christianis usurpatur, tantum fortasse à veteri, quantum putat eruditus Canonicus, non discrepare ἐκ παντὸς demonstrabimus; aut saltem argumenta, quæ ad contrarium evincendum profert, ἀναντίῤῥητα non esse probabimus.

§. I.

Genuinam vocum Hebraïcarum significationem perspectam habuerunt Massorethæ.

UT evidenter probetur isthæc propositio, satis est, quod linguam Hebraïcam in captivitate Babylonica, aut paulo post, plane

non interiisse; sed eam à Judæorum, si non majori, saltem nobiliori parte, ita cultam fuisse, ut ad Massorethas usque pervenerit ejus notitia, ostendamus. Id autem cum ex Scriptura ipsa, tum ex historicis Judæorum monumentis liquet.

Nehem. sive 2. Esd. cap. 8. vers. 2. *Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque, qui poterant intelligere* (per ætatem), *in die prima mensis septimi.* Vers. 3. *Et legit in eo* (libro) *aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum, & mulierum, & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum.* Vers. 8. *Et legerunt in libro Legis Dei distincte & aperte ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur.* Non me fugit Rabbinos quosdam cum Christianis nonnullis existimare Legem Hebraïce quidem ab Esdra & aliis Sacerdotibus lectam fuisse, sed Chaldaïce expositam. At verba textus id præ se minime ferunt; neque voces: *interpretantes*, v. 9. *ut interpretaretur*, v. 13. quas urgent, nihil aliud his in locis significant, nisi quod Esdras & alii Sacerdotes sensum Legis in ea legenda populo exponerent; sicque illa verba intelligenda esse opinantur Vatablus, aliique interpretes doctissimi. At etiamsi in exsilio Babylonico, aut sequutis post temporibus, linguam Hebraïcam fortasse ignoraverit infima plebs Judaïca: eam saltem callebant Prophetæ, Sacerdotes, Levitæ, Doctores, aliique Judæorum proceres. In ipsa enim captivitate prophetiam suam partim Hebraïce scripsit Daniel. Soluta captivitate, Esdras (si caput quintum integrum, & versus aliquot capitum 4. 6. 7. exceperis), Nehemias, Aggæus, Zacharias, & Malachias Hebraïce scripserunt.

Ab his temporibus & deinceps, singulis sabbathis Lex Mosaïca in synagogis, saltem Palæstinæ, Hebraïce lecta est. *Moyses enim*, inquit S. Jacobus, *à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbathum legitur.* Antiochus Epiphanes anno circiter 169. ante Christum natum, sub pœna capitis hac lectione Judæis interdixit, qui in ejus locum sectiones quasdam propheticas Legalibus utcunque respondentes substituerunt. Mortuo Antiocho, lectio Mosaïca repetita est cum prophetica; quod etiamnum in synagogis Judæorum perseverat. In eorumdem scholis eadem etiam Lex Hebraïce lecta est & exposita. Eam patres filios, magistri discipulos suos hac lingua legendam docuerunt.

Act. 15. v. 21.

Vide Eliam in Thisbi, ad vocem פטר.

Anno circiter 260. post solutam captivitatem Babylonicam, & ante Æram Christianam 277. versio Græca, quæ LXX. interpretum nomine insignitur, adornata est.

Vide annal. Usser. p. 266. & seqq. edit. Paris. 1673.

Christus Judæos non arguit, quod grammaticum Scripturæ sensum non intelligerent; sed quod eum pravis suis interpretationibus adulterarent. Imo jubet eos *scrutari Scripturas*. Eas itaque Hebraïca lingua scriptas intelligebant; Judæos enim saltem Hierosolymitanos ibi Servator alloquitur, nec Paraphrases Chaldaïcas tunc temporis exstitisse constat apud omnes eruditos, maxime Cappellum & Morinum, quorum [a] ille Onqelosi paraphrasin confert in annum Christi 70. aut 72. [b] hic vero eam cum reliquis paraphrasibus V. duntaxat aut VI. Christi sæculo scriptam existimat.

Joan. 5. v. 39.

a *Critic. l. 5. cap. 1. p. 324.*
b *Lib. 2. Exerc. Bibl. p. 321.*

Secundo Christi sæculo, nempe Adriani Imperatoris anno 16. secundum Chronic. Alexandrinum, Christi vero 132. Aquila Scripturam ex Hebræo in Græcum transtulit.

Pag. 255. edit. Paris. 1688.

Eodem sæculo exeunte prodiit Theodotionis Pontici, vel, secundum alios, Ephesii, versio Græca, quam in Commodi annum 6. hoc est, Christi 186. confert idem Chronicon Alexandrinum.

Ibid. p. 263.

Anno Christi 202. nempe Severi 9. ex eodem Chronico Alexandrino, Symmachus versionem suam itidem Græcam in lucem emisit.

Ibid. p. 166.

Tres insuper alias versiones Græcas reperit Origenes, quæ V. VI. & VII. editiones appellatæ sunt, quod ignoti essent earum auctores. Forte etiam exstiterunt & aliæ, quæ ad Origenis notitiam nequaquam pervenerunt. Ex quo patet hoc ævo multos fuisse, qui Hebræis codicibus Græce vertendis adlaborarint; proindeque à pluribus viris doctis cultam fuisse linguam Hebraïcam.

Ab anno Christi circiter 391. ad 405. S. Hieronymus Latinorum omnium primus Hebræa volumina Latine reddidit. Annis circiter 85. post S. hujus Doctoris mortem exstiterunt Massorethæ, qui perpetua, ut liquet, traditione linguam Hebraïcam edocti, puncta vocalia excogitarunt simul & Hebræo textui inscripserunt.

Jam vero si Judæorum [a] Chronica consulamus, Academias apud eos ab Esdra ad Massorethas usque & ulterius continuatas inveniemus, quarum hi sunt rectores præcipui.

Esdræ & viris Synagogæ magnæ successit *Simeon justus*, qui, ut volunt nonnulli, [b] Josephi *Jaddus* est, & Alexandrum Magnum Jerosolymam venientem excepit. Tanta erat his temporibus Judæorum sapientia, ut, testibus [c] Josepho & [d] Eusebio, Aristoteles apud Clearchum eos propaginem Sophorum Indorum existimaverit.

Simeonem excepit *Antigonus Sochæus*, cui successere quinque paria

a *R. Abraham ben-Dior in Qabbala. R. Gedalias in Schalschelesh haqqabbala. R. Abraham ben R. Samuel Zacut in Juhhasin. R. David Ganz in Tsemahh David, &c.*

b *Lib. 11. Antiq. c. 8. pag. 385. edit. Genev. 1611.* c *Contra Appion. lib. 1. p. 1047. ejusd. edit.* d *Præpar. Evang. l. 9. c. 5. p. 409. edit. Paris. 1628.*

virorum

virorum maximæ apud suos auctoritatis. I. par fuit *Joses*, Joëseris filius; & alter *Joses*, Joannis filius. II. *Josue*, Perachiæ filius; & *Nittaus* Arbelita. III. *Juda* Tabbeus, & *Simeon* Setachi filius. IV. *Semaias* & *Abtalion*. V. *Hillel* & *Schammai*.

Patri suo Hilleli successit *Simeon* I. qui, secundum nonnullos, Christum in ulnis suis excepit.

Simeoni subrogatus est filius ejus *Gamaliel* I. sive senior, Pauli Apostoli, ut volunt, præceptor.

Gamalieli I. successit *Simeon* II. ejus filius, qui in clade Jerosolymitana occisus est.

Post urbem eversam *Joannes Zacchæus* à Tito impetravit, ut Academia Jerosolymitana in urbem *Javne* transferretur. Ei præfuit annos quinque, ac successorem habuit *Gamalielem* II. filium Simeonis II. & Gamalielis I. nepotem.

Gamalielem II. excepit *Aqiba* sive *Akiba*, cui 24000. discipulos tribuunt.

Akibæ successit *Simeon* III. Gamalielis II. filius.

Simeoni III. subrogatus est R. *Juda* cognomine *Sanctus*, qui circa annum Christi 190. serius, secundum alios, Mischnam composuit.

Sub eadem tempora floruerunt & aliæ Academiæ in terra Israëlis; maxime in urbibus Tsephoria, Cæsarea, Tiberiade, & Bitterris; qua in ultima urbe, cum ab Imperatore Adriano eversa est, si fides Thalmudistis, erant quadringenta collegia, quorum singula habebant quadringentos præceptores, & singuli præceptores quadringentos discipulos. Hyperbole Rabbinica, sed quæ saltem his in locis ac temporibus magnam Judæorum multitudinem arguit. *Gittin fol. 58. p. 1.*

Inter præcipuos R. Judæ discipulos numeratur R. *Johhanan*, sive *Joannes*, R. Eliezeris filius, qui Synagogæ in terra Israëlis annos 80. præfuit, quique anno Christi 230. secundum clariss. Buxtorfium, Gemaram Jerosolymitanam composuit. *Recens. operis Thalmud. p. 200.*

Mortuo R. Juda Sancto, aut paulo ante ejus obitum, duo ex ejus discipulis, videlicet R. *Rav* & R. *Samuel*, Academias è Judæa in Babyloniam transtulerunt, hoc est, Academias in Babylonia jam inde à tempore, quo illuc captivus abductus est populus, institutas adeo illustrarunt, ut eas, quæ in Judæa erant, obscurarint. Porro Babylonicæ tres Academiæ recensentur, *Pumbedithana*, cui tunc temporis præerat R. Sila; *Nahardeensis*, cui præfectus est R. Samuel; & *Sorana*, quam annos 24. rexit R. Rav.

Circa annum Christi 367. R. *Asche* Academiæ Soranæ rector, ad-

jutus R. *Avina* Gemaram Babylonicam inchoavit, quam post annos 133. h. e. anno Christi 500. absolvit R. *Jose* scholæ Pumbedithanæ præfectus. Has porro Academias Babylonicas ad annum Christi 1037. continuat historia Judaïca; proindeque ducentis saltem annis post excogitata puncta vocalia, si in nonum sæculum conferatur eorum inventio.

Quod pertinet ad terræ Israëlis Academias, illæ, ut diximus, à Babylonicis duntaxat obscuratæ sunt, minime vero exstinctæ; nam post R. Judæ Sancti obitum memorantur in Thalmude RR. *Amme* & *Asse*, qui anno Christi 300. floruerunt. Celebratur anno 340. R. *Hillel* philosophus & astronomus, qui novam annorum computandorum rationem, quam hodierni Judæi sequuntur, instituit. Eo mortuo cessavit magistrorum promotio. Neque tamen idcirco defuerunt viri apud Judæos doctissimi. Nam S. Hieronymus epist. ad Rusticum Monachum scribit se, *cum esset juvenis, cuidam fratri, qui ex Judæis crediderat, in disciplinam dedisse*. Idem in epist. ad Pammachium & Oceanum: *Putabant me homines finem fecisse discendi. Veni rursum Jerosolymam & Bethleem. Quo labore, quo pretio Bar-aninam nocturnum habui præceptorem! Timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Idem libros Paralipomenon translaturus, aut potius ex Hebræo emendaturus, *de Tiberiade Legis quondam* (alii *quemdam*) *doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumsit.* Tertio præceptore Judæo usus est S. Doctor, sed à quo, cum multum in Hebræis profecisset, vix aliquid novi doctum se profitetur. *Memini*, inquit, *me ob intelligentiam hujus voluminis* (Jobi), *Lyddæum quemdam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis, cujus doctrina an aliquid profecerim, nescio*, &c. Quartum videtur adhibuisse, ut linguam Chaldaïcam disceret. *Adhortante me quodam Hebræo*, inquit, *& illud mihi crebrius in sua lingua ingerente:* Labor omnia vincit improbus: *qui mihi videbar sciolus inter eos, cœpi rursum discipulus esse Chaldaïcus.*

Ex his, ni fallor, patet Linguæ Sanctæ notitiam, saltem apud Judæorum proceres, satis superque servatam fuisse, ut ad Massorethas usque pervenerit grammaticus verborum Hebræorum sensus. Ad id autem sola traditione opus fuit, minime vero instinctu afflatuque Divino, quem Massorethis nunquam tribui, ut falso mihi affingit interpolator, qui non solum hunc mihi errorem impingit, verum etiam Theologiam, Orthodoxiamque in dubium ridicule vocat meam. Quo fundamento? Nullo sane alio, quam detractione meorum aut potius Divi Augustini verborum, ex quibus in Hebraïcæ veritatis assertionem consequutiones necessarias, quæ ipsi blasphemiam redolere videntur,

Sanhed. c. 1. in fine.

Tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 774.

Ibid. col. 342.

Præfat. ad Domn. & Rogat. tom. 1. nov. edit. coll. 1417. 1418.

Præfat. in Job. tom. 1. nov. edit. coll. 795. 796.

Præfat. in Dan. tom. 1. nov. edit. coll. 989. 990.

Virg. Georg. l. 1. v. 145.

Epist. pagg. 11. 12.

elicio. Id ut cuique planum fiat, mea & Augustini verba hîc exscribam; quæ vero substitutis in eorum locum punctulis resecuit interpolator, ea uncinis inclusa repræsentabo. *Denique argumenta, quæ pro Hebræi textûs integritate probanda, ex singulari Dei providentia ducuntur, punctorum etiam vocalium auctoritatem adstruunt. Judæis enim, ex Apostolo,* ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, credita sunt eloquia Dei. *Si autem Deus solas literas consonantes sine vocalibus Judæis credidit, quid illis credidit nisi nasum cereum, corpus expers animæ, & oracula Pythiis Dodonæisque longe obscuriora? [Sic sunt enim, ut jam monuimus, in qualibet lingua literæ consonantes, ut vocalibus expressis aut subintellectis destitutæ, nihil sonent, significent nihil.] Si ergo vocales una cum literis populo Judaïco creditæ non fuerunt, jam textus Hebræus nullus est; aut si judicio arbitrioque suo illas Judæi addere potuerunt, is nullius est auctoritatis, [cum pro earum varietate alius atque alius exoriatur sensus. Frustra* per omnes fere terras gentesque, unius veri Dei providentia, dispersi sunt (*Judæi*), ut de codicibus eorum probetur, quod cum legeretur in nostris, à nobis putaretur esse confictum.] *Sed irritum factum esse Dei consilium cave existimes; non enim frustra Judæi* capsarii librariique nostri *sunt, ut eos vocat idem Augustinus, quandoquidem sacros codices puros integrosque nobis conservant, non solum literas quod attinet, verum etiam vocales; adeo ut verborum Grammaticam potestatem teneant, licet in iis, quæ ad Christum pertinent, pravos & alienos sensus eis conentur affingere.* [Quid enim est aliud hodie gens ipsa, *inquit iterum Augustinus*, nisi quædam scrinaria Christianorum, bajulans Legem & prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per literam.] *Ergo Scripturæ literam, eo, quo diximus, sensu intelligit Judæus. Aut si illam ignorat, quod certum est, si quæ vocales cum literis consonantibus conjungendæ sint, nesciat; jam Christianæ religionis Sacramenta incerto, proindeque ruinoso nituntur fundamento.* [*Jam frustra* codicem portat Judæus, unde credat Christianus, *cum illum nec Judæus, nec Christianus queat intelligere.*]

Præfat. tom. I. p. xij.

Rom. 3. v. 2.

Aug. lib. 4. de Civit. Dei, c. 34.

Enarrat. in Psal. 40. & 56.

Lib. 12 contra Faustum.

Aug. Enarrat. in Psal. 56.

Nullus, opinor, ratiocinandi facultate præditus non videt quam aptissime cum principiis suis cohæreant, quæ ex Apostoli & Augustini verbis elicio consectaria? Unus interpolator non videt. An propterea in culpa ego sum? Id fortasse intelliget, si propius extrema primis admoveantur. Videamus.

Ex Apostolo, Judæis credita sunt eloquia Dei; ergo cum literis consonantibus creditæ sunt illis & vocales; commentum enim est D. Masclefii ab omnibus cum Judæis, tum Christianis Hebraïce revera doctis

explosum, & deinceps pluribus explodendum, in solis literis consonantibus sitam esse significandi vim; illæ siquidem vocalibus aut expressis aut subintellectis destitutæ, ut nihil sonant, ita significant nihil. Vel, ut diximus, nihil aliud sunt, quam nasus cereus, corpus expers animæ, &c. sive, ut loquitur Morinus, *exsuccum corpus & inanime, truncus exsanguis, aridus, iners, informis, cui vitæ spiraculum sunt vocales, & quarum ope fit in animam viventem.* Ergo vocales, sive puncta Massorethica, quæ illas repræsentant, quod spectat ad eorum una cum literis significandi potestatem, ejusdem sunt & antiquitatis & auctoritatis, cujus sunt literæ ipsæ consonantes.

Bib. 2. Exerc. 18. c. 3. p. 158. col. 1.

Secundum Augustinum, unius veri Dei providentia per universum fere orbem dispersi sunt Judæi, ut, quæ codices nostri continent, ea nequaquam à nobis esse conficta, libris suis testificentur. Id autem testimonii dare nequeunt, nisi libros suos grammatice intelligant. Neque enim sufficit ut mulorum Marianorum instar eos tantummodo bajulent: sed illos etiam interpretentur necesse est. Enim vero, uter eos interpretabitur, Christianusne an Judæus? Si Christianus, num fidem ei habebit, qui ad illos provocatur, incredulus? Si Judæus, ergo debet eos intelligere. Quomodo autem eos intelligere poterit, si potiorem vocum partem, nempe vocales, ignoret? Ergo singulari Dei providentia, saltem apud Judæorum proceres, perpetua & constanti traditione servatæ sunt vocales ad Massorethas usque Tiberienses, qui excogitatis à se punctis unicuique veterum vocalium, ubi scribuntur, distinctivum suum in significando sonum tribuerunt; ubi vero deficiunt, eas supplevere. Voces *singulari Dei providentia* interpolatoris aures graviter offendunt; neque per eum stat, quominus Judæus, imo & plusquam Judæus audiam. Verum id si Judaïsmum redolet, gentis hujus proselytum etiam faciat necesse est L. Cappellum, qui Massorethis adhuc plura, quam ego, tribuit. *Etsi*, inquit, *prophetæ proprie θεόπνευστοι non fuerint* (Massorethæ); *tamen in singulari ejusmodi opere singulariter etiam & extra communem providentiæ ordinem à Deo adjuti fuisse videntur.* Sed revertamur ad Augustinum. Judaïca gens nihil aliud est S. Doctori, nisi quædam scrinaria Christianorum, quæ bajulat Legem & prophetas in testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, hoc est, sensum spiritualem, quod nuntiat illa per literam, id est, sensum grammaticum. Ergo Judæi callent grammaticum Scripturæ sensum, quo tanquam fundamento spiritualis innititur. Vel si nutat illud fundamentum, hoc est, si Judæus grammaticum illum Scripturæ sensum ignorat; totum spiritualis sensus ædificium, quo & ipsa fundatur

Vindic. p. 814. col. 2.

Religio Christiana, corruat necesse est. Præterea, si ex eodem Augustino, codicem portat Judæus, unde credat Christianus, h. e. Christianæ religionis profitendæ cupidus; Judæo hunc codicem non intelligente, credere non potest Christianus candidatus. Metuo tibi plurimum, Augustine, ne te quoque Judæis, aut etiam plusquam Judæis annumeret interpolator. Hæc, ni fallor, sufficiunt, ut ostendatur & mala ejus fides, & vulgaris ac pervagatæ declamationis ejus futilitas, quæ doctis risum movit, nedum mihi odium eorum atque invidiam, uti sperabat, conflaverit. Et sane respondendum erat, non declamandum, aut potius debacchandum; neque verba mihi affingenda, quæ nunquam ego protuli. Quod tamen, ut hîc obiter moneam, facit iste declamator, qui me in D. Masclefii epistola sic loquentem inducit: *Vocales Græcæ in Sacro Textu non sunt vocalibus Hebræis certiores; nam si Græcas retinuit scriptura, Hebraïcas conservavit usus.* Posteriora verba: *Nam si Græcas*, &c. mea sunt; priora vero minime; quanvis in hac epistola diverso charactere, quem vocant *Italicum*, excusa sint. Dixi equidem vocales Græcas generatim sumtas, & in quovis libro Græco exstantes, certiores non esse Hebraïcis; at ne unum quidem verbum feci de *Sacro Textu*; neque *scriptura*, ut liquet tum ex litera minuscula *s*, à qua vox illa incipit, tum ex vocabulo *usus*, cui opponitur, Scripturam sacram, sed *scriptionem* ibi significat. Nullus, opinor, præter declamatorem, aliter hæc verba intellexerit, cum *scriptura* & *scriptione* eodem sensu promiscue utatur Tullius. Sed his missis, videamus jam quid superius allatæ traditioni opponat D. Masclefius, & quibus argumentis vocum Hebraïcarum significationem à Massorethis ignoratam fuisse conetur evincere. Hæc ad quatuor sequentia revocari possunt.

Epist. pagg. 10. 11. 12.

Pag. 9.

Tom. I. Præfat. p. xiv.

I. ARGUMENTUM.

« VOCES quamplurimæ punctis Massorethicis instructæ sensum pariunt diversum ab eo, quem illis tribuerunt LXX. aliique interpretes Græci, ac S. Hieronymus; eaque diversitas à vocalibus diversis non raro proficiscitur. Ergo constans & perpetua non fuit earum supplendarum traditio. »

Proleg. pagg. 16. 17.

CONFUTATIO.

FATEOR Massorethas non raro puncta vocalia substituisse diversa à vocalibus, quas LXX. Aquila, Symmachus, Theodotio, & S. Hieronymus suppleverunt; sed nego quidquam inde colligi posse,

quod Massorethicam punctationem labefactet. Nam ut à Lxx. Senibus, interpretum omnium antiquissimis, ducamus exordium, si versio, quæ illorum nomine circumfertur, auctores haberet, à quibus elaboratam narrat Aristeas, & qualis ab interpretibus illis profecta est, sincera ad nos usque pervenisset: sane maximi esset ponderis, quod ex ea ducitur adversus Massoretharum punctationem argumentum. At præterquam quod eruditis non paucis fabula videtur Aristeæ narratio, & omnes Veteris Testamenti libri non ab unis, sed à diversis interpretibus, ut vel ex ipsa varia interpretandi ratione manifestum est, Græce sunt redditi: versio illa, à quibusvis adornata fuerit, si quæ ad fidem & mores pertinent exceperis, ita vitiata est sive amanuensium oscitantia, sive effrænata correctorum, aut potius corruptorum audacia; ut adversus punctationem Massorethicam nihil ex ea jure concludi posse videatur. Hinc S. Hieronymus in sexcentis operum suorum locis, Judæorum interpretationem Septuaginta versioni anteponere nihil dubitat. Imo *contentiosos* appellat, qui relicta veritate Hebraïca, ut loquitur, interpretum illorum lectionem pertinaciter sequebantur. *Quærimus*, inquit, *quare Lxx. pro* fumario, *quod Theodotion transtulit* καπνοδόχην, locustas *interpretati sint? Apud Hebræos* locusta *&* fumarium *iisdem scribuntur literis, ALEPH, RES, BETH, HE; quod si legatur ARBE*, locusta *dicitur;* si *OROBBA* (mendum librariorum, pro *ARUBBA*) fumarium; *pro quo Aquila* καταῤῥάκτην, *Symmachus* foramen *interpretati sunt. Si quis autem contentiosus, & nolens recipere Hebraïcam veritatem* (quæ, ut legunt Massorethæ, habet *fumarium*), locustæ *sensum quæsiverit*, &c. Nec mirum Lxx. versionem Hebræo textui à sancto Hieronymo fuisse postpositam, cum, teste Drusio, quem impense laudat D. Masclefius, ea non sit genuinus interpretum illorum fœtus. *Translatio*, inquit, *ea, quæ vulgo apud Græcos habetur, quin Lxx. interpretum non sit, nemini hodie dubium esse arbitror. Nam si nihil aliud, innumeri in ea loci sunt, qui arguunt magnam imperitiam sermonis Hebraïci: sed & negligentiam singularem in legendo, & oscitantiam tantis viris indignam, qui in ea editione non videt, nihil videt.* Is tamen in fine hujusce capitis sententiam suam paulo durius prolatam sic mitigat: *Quod aio*, inquit, *editionem Græcam, qua vulgo utimur, Lxx. interpretum non esse, benigne intelligendum. Nam non nego veteres habuisse versionem Lxx. sed eam, quæ ad nos pervenit, corruptam esse dico, sic adeo ut viris illis, sine maxima ipsorum infamia, tribui non possit.* Sed quid opus est eruditorum testimonia congerere, quibus hanc versionem puram atque integram ad nos minime pervenisse ostendatur, cum id evincant varia, quæ

Vide præfat. tom. I. pagg. xvij. & xviij.

Comment. in Ose. 13. v. 3. tom. 3. nov. edit. col. 1325.

Proleg. pagg. 27. 28.

Lib. 6. observ. c. 9.

circumferuntur, ejus exemplaria? Ut codices manu descriptos omittam, discrepant à seinvicem, quæ diversis temporibus, & ad diversos codices adornatæ sunt editiones. Aldina differt à Complutensi, utraque à Vaticana, & ab his tribus codex mss. Alexandrinus.

Alii interpretes Græci, Aquila, Symmachus, Theodotio, &c. cum linguam Hebraïcam à Judæis didicerint, potuerunt eorum magistri, qui forte inter suos peritissimi non erant, genuinam vocum quarumdam lectionem ignorare. Potuerunt & ipsi interpretes, licet à præceptoribus suis veram lectionem edocti fuerint, eam tamen vel memoriæ lapsu, vel quod ea in lingua satis exercitati non essent, interpretando negligere. Ex quo patet quantum à ratione æquitateque sit alienum ex privatorum horumce hominum lectione carpere Massorethicam, quæ apud omnes Judæos, etiam Qaraïtas omnium fere traditionum osores, semper obtinuit, ut liquet ex unanimi consensu, quo ab omnibus recepta est, cum à doctoribus illis Tiberiensibus, vel quibusvis aliis, evulgari cœpit. Præterea si Massoretharum vocales eo nomine rejiciendæ sint, quod interpretes illi necnon Lxx. alias inter legendum non raro suppleverint; rejiciendæ quoque sunt Hebræi textus hodierni literæ ipsæ consonantes; hi enim interpretes, maxime Lxx. sæpe non minus in consonantibus, quam in vocalibus, à Massorethis discrepant, ut in sexcentis operis hujus grammatici locis ostendimus. Quæro jam ab erudito Masclefio, cujus sint auctoritatis Hebræa volumina, & quæ sit novæ ejus grammaticæ utilitas.

Nicolao de Lyra tanta visa est Hieronymi cum Massorethis convenientia, ut sancti hujus Doctoris versionem *post excogitatam à Judæis punctationem factam esse* crediderit. Hinc etiam Sixtus Senensis his, qui Judæos hodierna punctatione codices depravasse putant, assentiri non potest, *eo quod D. Hieronymi translatio in præcipuis locis Divinæ Scripturæ, quibus fundamenta fidei Christianæ, ac veritas nostrorum dogmatum potissimum comprobantur, & de quibus præsertim inter Judæos & nos controversia est, semper fere cum hac punctuaria Hebræorum expositione consentiat; tametsi in rebus levissimi momenti, & quæ pluribus sensibus, absque ullo veritatis præjudicio exponi possunt, sæpe dissentiat.* Longe aberat vir ille Hebraïce doctissimus, ut punctationem Massorethicam *Christianæ veritati sæpissime è diametro adversari* cum D. Masclefio existimaret. Cum igitur à lectione, quam postea tradiderunt Massorethæ, quæque illius ætate vigebat apud Hebræos, recedit S. Hieronymus; id facit, vel quia in rebus levissimi momenti, & quæ pluribus sensibus, salva veritate, exponi possunt, ut loquitur Sixtus Senensis, alium à Masso-

Comment. in Ose. 9. v. 12.

Biblioth. l. 3. pag. 161. edit. Colon. 1577.

Proleg. p. 36.

rethis sensum exhibere voluit, quod à præceptoribus suis didicisset *septuaginta esse facies Legis*, hoc est, plurimos ejus explicandæ modos. Vel quia nonnihil largiri voluit LXX. interpretibus, quorum versionem, quoad ejus fieri potuit, retinere conatus est, ne obtrectatorum in se odium atque invidiam magis magisque concitaret. Vel quia ex parte mixta est cum Hieronymiana vetus Itala ad Græcum LXX. primis Ecclesiæ temporibus adornata. Vel quia loca, quæ aliter ac Massorethæ interpretatur S. Doctor, partim librariorum oscitantia, partim sciolorum imperitia depravari potuerunt. Mitto alias varietatis hujus causas, quas facile divinare possunt eruditi.

Vide R. Azar. in Meor enaiim, c. 59. &c.

At urget D. Masclefius, & ait eo usque sæpissime pertingere istam discrepantiam, ut locorum sensum omnino immutet. *Quod apud veteres*, inquit, *singulare est, quod masculinum, quod in prima persona, quod activum, quod futurum, quod ab una radice descendens: illud apud Massorethas reperitur in plurali, in genere feminino, in secunda persona, in passiva voce, in tempore præterito, denique ab alia, eaque prorsus diversa radice formatum.* Aliud proculdubio agebat eruditus Canonicus cum hæc scripsit; non enim est nescius interpreti licere singularem numerum pro plurali, activum verbum pro passivo, &c. interdum ponere. Qui in Scripturæ, maximeque prophetarum stylo, nonnihil exercitati sunt, norunt frequentes esse temporum ac personarum commutationes, quæ ab interpretibus quandoque negligi possunt, imo & debent; cum Hebræis illæ peculiares sint, Græcis vero ac Latinis prorsus inusitatæ. Denique, qui Grammaticam Hebraïcam vel mediocriter callent, sciunt radices sibi invicem literarum affinitate conjunctas, maxime vero verba imperfecta, non solum formas, verum etiam significationes suas non raro commutare. Ceterum si his aliisque discrepantiis sensum omnino immutari contingat, ut asserit D. Masclefius, *ei potius linguæ credendum, unde est in aliam per interpretes facta translatio.*

Proleg. p. 16.

Aug. lib. 15. de Civit. Dei, c. 13. tom. 7. nov. edit. col. 394.

II. ARGUMENTUM.

Proleg. p. 17.

» MASSORETHÆ in quarumdam vocum lectione ac sensu dis-
» crepant ab ipsis, à quibus ortum ducunt, Thalmudicis doc-
» toribus. Ergo certa & constans non fuit, ad sensum etiam quod atti-
» net, Hebræa legendi ratio.

CONFUTATIO.

SECUNDUM istud D. Masclefii argumentum petitur ex Morino; qui *ostendit loca quædam Scripturæ uno modo à Massorethis punctata, & alio*

Ibid.

alio à Thalmudistis, inquit eruditus Canonicus, qui pergratum nobis fecisset, si, quo in loco id ostendat Morinus, nobis indicasset. Evolventi mihi scriptoris hujus Exercitationes Biblicas, occurrit is unus Isaïæ locus: *Parvulus natus est nobis*, &c. in quo vocem ויקרא à Thalmudistis punctatam seu lectam fuisse in passivo sensu וַיִּקָּרֵא *& vocabitur*, Morinus existimat, dum Massorethæ illam active וַיִּקְרָא *& vocabit*, punctaverunt, ut manifestum illud Christi Divinitatis argumentum nobis eriperent. At satis superque, ni fallor, in tomi I. præfatione Massorethas aliter hanc vocem non legisse, quam Thalmudistas, neque alios aliis esse contrarios ostendi. Ne igitur actum agere videar, adeat, quæso, hanc præfationem lector ad ferendum hac de re judicium idoneus.

Cap. 9. v. 6. *Lib. 2. Exerc. xj. c. 2. num. 11. pag. 390. col. 2.* *Pagg. xj. xij.*

Sed hîc malam alteram interpolatoris fidem dissimulare nequeo. Is, quo pravus Massoretharum in vocis hujus punctatione animus ostendatur, argumentum sibi à me suppeditatum dicit, quod in loco præfationis laudato hæc scripserim: *Scio equidem contextum illum à RR. Davide Qimhhi & Salomone Jarhhi, necnon ab omnibus fere Judæis recentioribus exponi parvo illo, qui Massorethis affingitur, sensu:* hîc subsistit interpolator, quanvis, ut cuique patet, sensus non sit completus; & prudens omittit sequentia, quibus Rabbini illi cum eorum sequacibus solide satis, ut ego quidem arbitror, confutantur. Sic igitur prosequor: *at præterquam quod casus diversos comminiscuntur, alios nominandi, alios accusandi, quorum tamen in Hebræo nulla est distinctio; recedunt à veterum Judæorum, maxime Thalmudistarum, sententia*, &c. Si Grammatica Hebraïca leviter tinctus fuisset interpolator, vim argumenti hujus facile intellexisset. Enimvero, cum vulgaris casus accusandi nota אֶת, vel particulæ sive præpositiones בְּ, אֶל־, עַל, quibuscum verbum קָרָא sæpe construitur, deficiant ante voces שַׂר־שָׁלוֹם, quæro à Rabbinis illis cur priorem שַׂר per accusativum, posteriorem vero שָׁלוֹם per genitivum, sic: *principem pacis*, interpretentur; ceteras vero, *admirabilis*, *consiliarius*, &c. totidem verbi hujus nominativos efficiant. Dicent fortasse particulas illas cum verbo isto sæpe desiderari, proindeque mirum videri non debere eas ante prædictas voces expressas non fuisse. Esto: sed cur eas ad hæc ultima duo vocabula referunt potius, quam ad præcedentia, aut saltem præcedentium aliqua? Cur, & qua grammatices regula hæ voces: שַׂר־שָׁלוֹם *princeps pacis*, à verbo isto regentur potius, quam illæ: יוֹעֵץ *consiliarius*, אֵל *Deus*, גִּבּוֹר *fortis*; & cur eodem, imo longe potiori jure, majorique analogia istud hemistichium sic interpretari mihi non licebit: *& vocabit nomen ejus Admira-*

Epist. p. 16.

bilis: consiliarium, Deum, fortem, patrem futuri sæculi, principem pacis? Argumentum ex veteribus Judæis, maxime vero Thalmudistis, elicitum sic in memorata præfatione evolvitur, ut fusiori, opinor, explicatione non indigeat.

At interpolatorem nostrum sic declamantem audire mihi videor. Num, amabo te, RR. Qimhhi & Salomon ignorarunt prima linguæ S. idiomata (non elementa *elemens*, ut perperam vertit interpolator) à quibus non intellectis profectum esse, quod Massorethis impingitur, crimen asseris? Non ignorarunt certe, sed punctis, quæ bona fide voci ויקרא supposuerunt Massorethæ, dolose malitioseque abusi sunt, ut Christianis minus Hebraïce peritis fucum facerent. Quod non semel ab hujusmodi hominibus factum haud inficiabitur D. Masclefius. Ceterum objectiunculam hanc præoccupavi, quod forte etiam ab alio, quam ab interpolatore nostro fingi possit: at declamationem, quæ paginas 15. & 16. epistolæ occupat, ac vices momentorum supplet, integram ipsi derelinquo, utpote quæ neminem in punctatione Massorethica, & linguæ S. idiomatis versatum movere queat, maxime si præfationis locum, ex quo materiam sibi sumsit declamator, cum ipsa declamatione contulerit. Is tamen hac sua declamatione ita contentus est, sibique de ea, quasi demonstrationem attulisset, ita gratulatur, ut D. Masclefii personam induens antiquum ejus Rectorem sic compellet: *Judices, Domine, utrum, quod Massorethis objiciebam, id calumniæ loco haberi debuerit, & utrum P. Guarini criminationibus inurbane vel quasi tirunculus respondeam.* Egregia sane, facilis, atque expedita adversarii confutandi ratio.

Epist. p. 14. | Præfat. tom. I. pag. x. | Epist. p. 17.

At cum argumenta, quæ ipsi, ut putat, subministro, tam avidus rapiat interpolator: volo & aliud ipsi gratificari, quod Massorethas à Thalmudistis circa vocum quarumdam lectionem dissentire, superiori efficacius probare videatur. Sunt quædam Thalmudis & Medraschim loca, in quibus legere est: *Ne legas sic*, ut Massorethæ legunt; *sed sic*, aliter quam legunt Massorethæ. Ita Isai. 54. v. 13. *Et* (ponam) *universos filios tuos doctos à Domino, & multiplicabitur pax* בָּנָיִךְ *filiorum tuorum*; in tract. Berachoth versus finem scribitur: *Ne legas* בָּנָיִךְ *filiorum tuorum*, ut legunt Massorethæ, sed בּוֹנָיִךְ *ædificatorum tuorum.* Alia exempla videsis in tract. [a] Sota, [b] Moed qaton, &c. Verum argumento huic respondent Rabbini, aiuntque perperam inde colligi Thalmudistas Massorethis esse contrarios, sed priores sic loquutos fuisse, quod literali ac genuinæ vocis explicationi voluerint aliam adjungere, non ad verum vocis sensum tradendum, sed ad alium allegoricum quemdam eliciendum

[a] Fol. 5. p. 2. [b] Fol. 5. p. 1.

דרך אסמכתא *per modum diſputandi opinabilem*, quæ, ut in tom. I. diximus, communis eſt Rabbinorum conſuetudo. Reſponſionis hujus ſoliditas patet ex eo quod iidem Thalmudiſtæ & interpretes allegorici, ut myſticos ſuos ſenſus inveniant, literas etiam addere, detrahere, tranſponere & commutare non dubitent; quod varias lectiones eſſe nullus, opinor, præter Morinum dixerit. Sic Deut. 10. v. 12. *Et nunc, Iſraël,* מה *quid Dominus Deus tuus petit à te?* &c. in tract. Menahhoth, fol. 43. pag. 2. Thalmudiſtæ legendum docent מאה, addito א, *centum*, pro מה *quid*, ut inde probent hominem teneri unoquoque die centum precationes recitare. Ita in Erouvin fol. 54. p. 2. שימה *pone illud* (mandatum) Deut. 31. v. 19. mutatur in סימנה *ſignum ejus*. In tract. Sabbath. fol. 89. pag. 1. בשש *tardans*, Exod. 32. v. 1. convertitur in באו שש *venerunt ſex*. In Echa Rabbathi, ſive commentario prolixiori in Threnos Jeremiæ, pro כוכב *ſtella*, Num. 24. v. 17. legendum traditur כוזב *mendacium*. R. Eliezer in capitulis ſuis, cap. 37. pro וישקהו *& oſculatus eſt eum*, Gen. 33. v. 4. legendum monet וישכהו *& momordit eum*; fabulantur enim Rabbini quidam Eſavo animum non fuiſſe oſculari Jacobum fratrem ſuum, ſed eum mordere; quare Jacobi collum factum eſt marmoreum, vel, ſecundum alios, eburneum; Eſavi vero dentes obſtupuerunt. Unde ſequitur: *& fleverunt;* Jacobus ob collum obduratum, Eſavus propter dentes hebetatos. Alia exempla vide apud Morinum loco citato. Porro quis adeo cœcus eſt, ut non videat ſic puncta & literas à myſticis illis commentatoribus nulla alia de cauſa permutari, quam ut allegoricos ſuos ſenſus inde eliciant; maxime cum in dubium nunquam vocatæ fuerint literæ conſonantes, & poſt inventa puncta, quæ, fatentibus Judæis omnibus, verum ac germanum Scripturæ ſenſum exhibent, ad novum aliquod commentum approbandum iiſdem argumentis Rabbini argutiores utantur. Ceterum ſi hoc quoque argumentum quaſi ſibi à me ſuppeditatum aliquando mihi reddere voluerit interpolator, ejus etiam confutationem mihi, aut potius doctiſſimo Buxtorfio, à quo illam mutuatus ſum, ut reddat eum obſecro.

Pag. 18. c. 1.

Lib. 2. Exerc. 22. c. 4. pag. 581.

Comment. Maſſor. cap. 9. pagg. 84. 85. edit. Baſil. 1620.

III. ARGUMENTUM.

PER decem ſæcula, & amplius, obliterata prope fuit apud Judæos linguæ Hebraïcæ notitia, antequam Maſſorethæ aut eorum præceptores eam reſtaurare aggrederentur. Hinc Rabbinorum doctiſſimi majores ſuos ignoraſſe, ſeque etiamnum ignorare, quid voces plurimæ ſignificent, ingenue confitentur. Denique Judæorum cele-

Proleg. p. 19. & ſeqq.

c ij

» berrimi, ut Philo; imo & ex gente Sacerdotali, ut Josephus, aut
» nulla, aut parva admodum imbuti fuere linguæ Hebraïcæ notitia.
» Quanto minus eam callere potuerunt Massorethæ, qui longo post
» tempore exstiterunt, fueruntque rudes omnino, & nulla bonarum
» disciplinarum, nulla antiquitatis cognitione, &c. adjuti.

CONFUTATIO.

QUOD adversus Massorethas hic objicit, ut probet eruditus Canonicus, cum auctoritatibus, tum exemplis abutitur. Præcipua auctoritas desumitur ex præfatione, quam Grammaticæ suæ dictæ *Michlol*, præfixit R. David Qimhhi Hebræorum Grammaticorum facile princeps. Verum si celeberrimi hujus inter Judæos scriptoris verba
Pag. xix. superius laudata paulo attentius perpendisset D. Masclesius, ea causæ suæ non solum non favere, verum etiam è diametro adversari facile animadvertisset. Is enim Grammaticus in hoc præloquio nihil aliud dicit, quam in variis Judæorum exsiliis oblivioni traditam esse linguam Hebraïcam, præter id, quod ex ea superest in viginti quatuor Sacræ Scripturæ libris, & paucas dictiones, quæ reperiuntur in Mischna. *Non reperiuntur*, inquit, *alii libri in manibus nostris præter eos, qui nobis relicti sunt, viginti quatuor libros, & paucas dictiones, quæ reperiuntur in Mischnæ sermonibus. Quapropter necesse est nos mentem advertere ad id, quod est in manibus nostris de lingua sancta, eamque juxta formam & consuetudinem ejus exinde instituere, ut non intereat, eamque non invenuste loquamur.* Dicitne hoc in loco Qimhhi, quod ab eo dictum vult eruditus Canonicus; nempe quod in sacris voluminibus superest nobis linguæ Hebraïcæ, id pene oblivioni traditum antequam Massorethæ aut eorum præceptores illud instaurare aggrederentur? Nonne contra diserte asserit ejus, quod his in libris superat, ad sua usque tempora, multo magis ad Massoretharum, eorumque præceptorum ætatem, servatam fuisse intelligentiam; illudque juxta formam & consuetudinem ejus, hoc est, secundum accuratam Grammatices analogiam instituendum esse, ne & ipsum, sicuti reliqua lingua, intereat? Ergo tempore hujus Grammatici, notitia ejus, quod est in manibus nostris de lingua sancta, nondum interierat. Aut si interierat, quomodo illud secundum formam & consuetudinem ejus instituere aggressus est, cum illud non intelligeret?

D. Masclesii causæ nihilo magis patrocinantur alii duo Grammatici
Supra p. xx. post Morinum ab eo laudati. Hi enim quid circa linguam Hebraïcam

præstitisse memorantur? *Corroboraverunt eam adversus barbare & ridicule loquentes; eamque in puritate sua constituerunt, postquam in universa captivitate oblivioni data fuerat*, à quibus? ab infima fortasse plebe Judaïca. Si enim ab omnibus ignorabatur, quomodo hi Grammatici eam adversus barbare ac ridicule loquentes corroborare, ac pristinæ suæ puritati restituere potuerunt? Eandem fortasse viam institêre, quam D. Masclefius, qui linguæ Hebraïcæ erat omnino rudis antequam Grammatica sua uti, proindeque illam scribere, cœpisset. *Sciunt*, inquit de se ipse loquens, *quibus notus est, testabunturque illum, cum primum nova hac Grammatica* (de sua loquitur) *usus est, lingua Hebraïca fuisse omnino rudem; imo etiam nunc, cum hæc scribit, ignota illi esse, quæcunque de punctorum usu ac mutatione dicuntur, ipsam etiam ignotam punctorum quorumdam figuram ac pronuntiationem*. Ex his judicet lector cordatus, quanti momenti esse debeant, quæ adversus Massoretharum puncta objicit eruditus Canonicus, qui eorum usum, imo & nonnullorum figuram ignorare se, adhibitis etiam, quod necessarium non erat, testibus, profitetur. Sed ad Massorethas eorumque præceptores revertamur. *Proleg. p. 68.*

Si verum est, quod asserit D. Masclefius, pene obliteratam fuisse linguæ Hebraïcæ notitiam, antequam Massorethæ aut eorum præceptores eam instaurare aggrederentur; quæro ab illo quibus auxiliis adjuti eam instaurarint; ab his enim, aut ab aliis, quicunque illi fuerint, instaurata sit necesse est; alioquin eam adhuc ignoramus. Linguam de lingua didicerunt, inquiet cum Qimhhio, hoc est, linguarum Hebraïcæ affinium, puta Chaldaïcæ, Syriacæ & Arabicæ subsidio eam è tumulo excitarunt. Audio. At Massorethæ illi, judice D. Masclesio, *rudes omnino erant, nulla bonarum disciplinarum, nulla antiquitatis cognitione adjuti;* neque argumenta suppetunt, quibus præceptores eorum doctiores fuisse demonstrentur. Qua igitur ratione hujuscemodi homines has linguas discere, secum invicem conferre, & ex illis, quasi ex fodinis, Hebraïcam eruere potuerunt? Sed esto linguas illas discere potuerint, imo didicerint, & ex eis Hebraïcam pro virili exsculpere conati sint; quæ ad nos pervenisse censenda est ejus notitia? Ponamus fere deperditam esse linguam Latinam, eamque non solum à viris rudibus, nulla bonarum disciplinarum, nulla antiquitatis cognitione adjutis; sed ab hominibus ingeniosissimis, & in bonis disciplinis, antiquitateque versatissimis, ex linguis Italica, Hispanica & Gallica, quæ ex ea, majorem sui partem, derivantur, instauratam: qualis haberetur ejus ab idiomatis illis sic emendicatæ cognitio, & cujus esset auctoritatis Gallica interpretatio ad linguam illam sic intellectam concinna- *Proleg. p. 27.* *Proleg. p. 6.*

ta? Vide jam, erudite Canonice, quæ ex principiis tuis supersit Vulgatæ Latinæ ad Hebræum sic restitutum adornatæ αὐθεντία. Nam Massoretharum præceptores, & præceptorum ipsorum institutores, quibus usus est S. Hieronymus, majoribus auxiliis, si tamen ea omnia præsto illis fuere, non sunt adjuti.

At, inquies, Qimhhius ipse majores suos sic linguam de lingua didicisse testatur. Scio; verum Grammatici hujus verba perpendas, & eum de vocibus semel aut raro in Scriptura occurrentibus loqui intelliges. *Præfat. in lib. Radic.* *Incipiam*, inquit, *in hac secunda libri parte, quæ spectat res ipsas, explicare omnem dictionem difficilem, quæ reperitur in Lege, Prophetis, & Hagiographis expressa. Ad illius etiam explicationem, CUI IN SCRIPTURA NON INVENIAM SOCIAM, adducam exempla ex Mischna, ex Gemara, & ex lingua Græca & Arabica. Omnes enim super linguam Hebræam instituta sunt, eo quod ipsa prima est & perfecta. Verum imminuta est apud nos propter captivitatis nostræ longitudinem. Sic etiam deprehendimus magistros nostros linguam de lingua didicisse, cum dicunt in Thalmude: nesciebant magistri nostri quid esset*, &c. Hæ sunt voces Hebraïcæ, quarum sensus à linguis ex Hebraïca derivatis mutuati sunt Rabbini veteres; quæ nimirum semel, bisve, aut raro in Scriptura leguntur, sive, ut loquitur Qimhhi, *quibus non sunt sociæ*. Hanc esse grammatici hujus mentem, quæ affert exempla, satis declarant. Vide supra pag. xix.

Sed si in tanta rerum Hebraïcarum ignoratione, quanta videtur erudito Canonico, versati sunt Massorethæ eorumque præceptores; quænam Hebræo textui, quod ad ipsas etiam consonantes attinet, superest auctoritas? Quot quantaque menda in eo exscribendo illis excidêre, cum plures literæ fere similes sint, & alteram pro altera non possit non ponere amanuensis Hebraïce imperitus? Præterea in Hebræis codicibus, sicut in Græcis & Latinis, voces omnes tenore uno, & sine ulla distinctione olim scribebantur; Massorethæ autem, vel eorum præceptores, illas à se invicem, ut ex eis distincta vocabula constituerent, separarunt. Porro si in illis separandis imperite se gesserunt, quod aliter fieri non potuit, in causa sunt, cur Hebræo textui sensum fortasse longe diversum ab eo, quem Scriptoribus θεοπνεύστοις afflavit Spiritus S. tribuamus. *Vide Ramban, comment. in h. l.* Exemplo sit libri Geneseos initium, בראשיתבראאלהים, quæ literæ aliter atque aliter separatæ ac punctis vocalibus instructæ diversos hos sensus efficiunt. I. בראשית ברא אלהים, *in principio creavit Deus*. II. בראש יתברא אל הים, *in capite creavit Deus mare*. III. ברא שית ברא אלהים, *creavit fundamentum creans Deus*. IV. ברא שית ברא אל־הים, *succîdit ornamentum* vel *fundamentum creans ad mare*. V. ברא שית ברא אל הים, *succîdit*

vepretum, succidit Deus mare. VI. בַּר אֶשִׂית בָּרָא אֱלֹהִים, *filium ponam creatorem Deum.* VII. בַּר אֵשׁ יְתַבְרָא אֱלָה יָם, *frumentum ignis consumsit, ejulavit mare.* Aliis etiam modis literæ illæ separari possunt ac legi, proindeque alios sensus exhibere. Unde igitur habet eruditus Canonicus eum, quem sequimur, esse verum, si, quo tempore Massorethæ, aut eorum præceptores, eas in tria hæc vocabula בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים, *in principio creavit Deus*, distinxerunt, pene obliterata erat apud ipsos linguæ Hebraïcæ notitia? An ex versionibus? At præterquam quod absurdum est textum ad versiones exigere, cum è contrario versiones ad textum exigendæ sint; quando illæ confectæ sunt, fere ignorabatur lingua Hebraïca. In eo probando totus est D. Masclefius. *Si quibusdam*, inquit, *forte videntur non sufficere argumenta, quæ hucusque in tertiæ hujusce propositionis probationem allata sunt, multo plura addi poterunt fusiusque aliquando exponi. Unum interim adjecisse suffecerit inde petitum, quod per decem sæcula & amplius obliterata prope fuerit apud Judæos lingua Hebraïca notitia.* Deinde laudatis Qimhhio, Thalmude, &c. sic concludit: *Erat ergo prope obliterata apud Judæos linguæ Hebraïcæ notitia, antequam eam restaurare aggrederentur Massorethæ aut eorum præceptores.* Porro Massorethæ, secundum Eliæ Levitæ calculum, quem sequuntur eruditi non pauci, floruerunt quinto sæculo exeunte, vel ineunte sexto. Ergo ab annis saltem quingentis ante Christum pene obliterata erat linguæ Hebraïcæ notitia; cumque per id temporis adornata sit LXX. versio, sequitur ejus auctores linguam Hebraïcam pene ignorasse, proindeque ex eorum interpretatione sciri non posse utrum vera sit, quæ in hodiernis Hebræis codicibus exstat, literarum in vocabula distributio. Quod si Massorethарum ætas ad nonum usque Christi sæculum differatur, quod D. Masclefius post Morinum rectius putat, alii vero minime; nulli saltem ad id cognoscendum nobis adjumento erunt versiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, &c. necnon Vulgata nostra editio Latina, utpote quæ intra decem illa sæcula & amplius, quibus pene obliterata erat Linguæ Hebraïcæ notitia, fuerint adornatæ. An ex *loci exigentia*, sacra D. Masclefii anchora, nobis innotescet genuinus harumce literarum sensus. Verum hoc primo Geneseos capite, si aliter atque aliter ordinentur, punctenturque ejus literæ consonantes, quidvis aliud quam cœli ac terræ, & rerum omnium, quæ in his continentur, creationem exprimi, aut eam saltem insigniter deformari posse, quis Hebraïce peritus ignorat?

Proleg. p. 19.

Ibid. p. 27.

Proleg. p. 2.

Firmius non est, quod D. Masclefius ex celeberrimorum Rabbinorum confessione ducit argumentum. Hîc enim à particulari, ut aiunt,

ad universale argumentatur. Fatentur hi Rabbini magistros suos ignorasse quid significarent voces aliquot semel aut iterum in scriptura occurrentes, earumque sensum à mercatore, ab ancilla, &c. didicisse; ergo linguam universam fere ab eis ignoratam confitentur. Quæ consequutio? Viri Græce & Latine peritissimi, quid earum linguarum voces non paucæ significent, nesciunt; ergo linguas illas fere ignorant. Domesticæ suppellectilis nomina quædam & usus ab ancilla fortasse didicit D. Masclesius; ergo linguam Gallicam fere nescit. Si vocum aliquot singularium etymologiam, forte etiam & sensum, in linguis Hebrææ vicinis quæsierunt antiqui Judæorum philologi, num idcirco reliquas ignorasse dicendi sunt? Nonne idem faciunt quotidie interpretum doctissimi, quos tamen de lingua Hebraïca pene ignorata nemo sanus, opinor, insimulaverit? At, inquit D. Masclesius, cum Thalmudistæ, tum Rabbini posteriores nesciunt quid significent vocabula, quibus designantur pleraque animalia, lapides pretiosi, plantæ, mensuræ, ornamenta muliebria, & alia id genus bene multa. Quid tum, erudite Canonice? LXX. aliique interpretes Græci, necnon S. Hieronymus, quid eadem nomina significent ignorarunt, ut ex diversa, qua illa interpretati sunt, ratione colligitur; an inde apud ipsos obliteratam prope fuisse linguæ Hebraïcæ notitiam inferes? Imo Tu quoque eadem ignoras; num idcirco linguam Hebraïcam pene ignorare te putas, aut, qui eam ignores, haberi vis? Eruditum Canonicum, qui alios quasi ratiocinandi facultate destitutos reprehendit, in hoc turpissimum argumentationis vitium incidisse mirari satis nequeo. Verum alteram ejus probationem expendamus.

Proleg. p. 26. Ab auctoritatibus ad exempla transit D. Masclesius. *Constat*, inquit, *celeberrimos ac doctissimos Judæorum, qui à Salvatoris nostri diebus ad Mischnam usque floruerunt, ut Philo; imo & ex gente Sacerdotali, ut Josephus, aut nescivisse, aut parum admodum scivisse Hebraïce.* Unde id constat? Ex nonnullis procul dubio etymologiis. At in iis fingendis quantam licentiam sibi concessam arbitrati sint veteres etymologistæ, quis nescit, nisi qui in eorum scriptis peregrinum se fatetur atque hospitem? Hinc diu est, quod eruditi quidam observarunt hoc argumento, si valeret, probari etiam posse sanctum Hieronymum nihil, aut parum admodum scivisse Hebraïce; Varronem linguam Latinam ignorasse, &c. Præterea etymologiæ illæ sic ab imperitis amanuensibus corruptæ sunt, ut nihil inde, quod in earum auctoribus linguæ Hebraïcæ ignorationem arguat, concludi posse videatur. Id diserte asserit Hieronymus, quem à Latine vertendo Philonis ipsius de nominibus Hebraïcis, *Rich. Simon, hist. crit. V. T. lib. 1. c. 17. & alii.*

eorumque

eorumque etymologiis libro deterruit ingens exemplarium depravatio. *Philo vir disertissimus Judæorum*, inquit, *Origenis quoque testimonio comprobatur edidisse librum Hebraïcorum nominum, eorumque etymologias juxta ordinem literarum è latere copulasse. Qui cum vulgo habeatur à Græcis, & bibliothecas orbis impleverit; studii nostri fuit in Latinam linguam eum vertere. Verum tam dissona inter se exemplaria reperi, & sic confusum ordinem, ut tacere melius judicaverim, quam reprehensione quid dignum scribere.* Deinde Philonem Hebraïcarum literarum tam rudem non fuisse inde liquet, quod LXX. versionem ubique & κατὰ πόδα, ut arbitrantur quamplurimi, non sequatur. Nam v. g. in lib. *De confusione linguarum*, verbum וַיֹּאמֶר Judic. 8. v. 9. interpretatur *ὤμοσε juravit*, quod LXX. vertunt *εἶπε dixit*. Et in lib. *De mutatione nominum*, primum Josue nomen הוֹשֵׁעַ Num. 13. v. 16. al. 17. legit Ὡσηὲ, quod LXX. expresserunt Αὐσῆ. Plura exempla vide apud doctissimum Hodium. Denique quomodo nominum Hebræorum interpretationem aggredi ausus fuisset is Judæus, si nihil, aut parum admodum Hebraïce scivisset? Satis de Philone, qui & ipse erat *de genere Sacerdotum*, ut scribit S. Hieronymus, quanvis eum ab illo excludat D. Masclefius.

Præfat. in lib. nom. Heb. tom. 2. nov. edit. col. 1.

Pag. 339. edit. Paris. 1640.

Pag. 1063. ejusd. edit.

De Bib'. tex. orig. pag. 195. &c. edit. Oxon. 1705.

De Script. Eccle. tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 106.

Quod pertinet ad Josephum, eum in lingua Hebraïca haud mediocriter versatum probat, quod in Antiquitatum suarum procœmio scribit. Ταύτην δὲ τὴν ἐνεστῶσαν ἐγκεχείρισμαι πραγματείαν, νομίζων ἅπασι φανεῖσθαι τοῖς Ἕλλησιν ἀξίαν σπουδῆς· μέλλει γὰρ περιέξειν ἅπασαν τὴν παρ' ἡμῖν ἀρχαιολογίαν, καὶ τὴν διάταξιν τοῦ πολιτεύματος ἐκ τῶν Ἑβραϊκῶν μεθηρμηνευμένην γραμμάτων. *Præsens vero opus aggressus sum, ratus Græcis omnibus cognitu non injucundum fore: complectetur enim universam nostræ gentis antiquitatem formamque Reipublicæ EX HEBRAICIS LITERIS TRANSLATAM.* Vide jam, erudite Masclefi, utrum scriptor, qui ab Hebræis voluminibus, quæ Græce interpretatus est, historiam suam mutuatum se profitetur, nihil aut parum admodum Hebraïce sciverit. Si unus hic locus tibi sufficere non videatur, adi lib. 10. earumdem Antiq. cap. 11. ubi se *tantum Hebraïcorum voluminum in Græcam linguam interpretem* dicit. Et lib. 1. contra Appion. ubi *Antiquitatis libros ex sacris voluminibus interpretatum se* confitetur. Consule in primis doctiss. Hodium in opere superius laudato, ubi his, quæ ab eruditis quibusdam objiciuntur, solide respondet.

Pag. 1. edit. Genev. 1611.

Pag. 349. ejusd. edit.

Pag. 1038. ejusd. edit.

Pagg. 222. 223. 224.

IV. ARGUMENTUM.

JUDÆI in captivitate, quæ sub Vespasiano incœpit, pene consumti sunt, atque ad tam exiguum numerum redacti, ut vix « «

Proleg. p. 26. 27.

» populus esse censerentur; tot insuper ac tantis postea calamitatibus
» vexati sunt, ut nihil iis prope residui fuerit, quam ut tristi servitute,
» vilibusque ministeriis victum vitamque redimerent. Hinc est, quod
» qui Magistri nomen iis temporibus apud illos sortiti sunt, sutores,
» cerdones, vespillones, ac id genus artifices & fabri, quibus linguæ
» dudum demortuæ cognitio parum cordi est, fuisse vel in ipso Thal-
» mude memorentur.

CONFUTATIO.

ERUDITUM Canonicum historiæ Judaïcæ oblitum esse probat illud argumentum. Nam Judæos in captivitate, quæ imperante Vespasiano incœpit, ad tam exiguum numerum redactos non fuisse, ut vix populus censerentur, demonstrant

Vide supra pag. xxv.

I. Variæ post eversum Templum in Judæa erectæ Academiæ.

II. Frequentes Judæorum à Romanis Imperatoribus defectiones, quarum mentionem fecere [a] Chrysost. [b] Hieronym. [c] Sozom. [d] Theophanes, &c. Hinc poëta Rutilius, qui sæculo V. ineunte florebat, de Judæis [e] hæc cecinit:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

III. Ampla privilegia huicce genti ab Imperatoribus Romanis concessa.

[f] Constantinus M. decernit, ut *qui devotione tota Synagogis Judæorum, Patriarchis, vel Presbyteris se dederunt, & in memorata secta degentes Legi ipsi præsident; immunes ab omnibus tam personalibus, quam civilibus muneribus perseverent.*

[g] Idem Imperator *Hieros, & Archisynagogos, & patres Synagogarum, & ceteros, qui Synagogis deserviunt, ab omni corporali munere liberos esse* præcipit.

Julianus Apostata humanissimam ad eos scripsit epistolam, qua ipsos à tributis & vectigalibus eximit, eorumque Patriarcham *fratrem* appellat. Ea epistola, quæ est vigesima quinta in edit. Lipsiensi 1696, *Reipublicæ Judæorum* inscribitur.

Pag. 396.

Imperatores Arcadius & Honorius illorum Mystas primis Christia-

a *Homil. 5. adv. Jud. tom. 1. nov. edit. p. 645.*
b *In Chron. ad ann. Christi 116. 134. 355. &c.*
c *Lib. 4. hist. c. 7. pag. 545. edit. Paris. 1668.*
d *Pag. 33. edit. Paris. 1655.*
e *Lib. 1. Itiner. v. 395. &c.*
f *Leg. 2. tit. 8. lib. 16. cod. Theod. tom. 6. pag. 219. edit. Lugd. 1665.*
g *Leg. 4. pag. 212. ejusd. tom. & edit.*

norum clericis exæquant; statuunt enim, *ut privilegia his, qui inlustrium Patriarcharum ditioni subjecti sunt, Archisynagogis, Patriarchis, ac Presbyteris, ceterisque, qui in ejus religionis sacramento versantur....perseverent ea, quæ venerandæ Christianæ legis primis clericis sanctimonia deferuntur. Id enim & Divi principes Constantinus & Constantius, Valentinianus & Valens, Divino arbitrio decreverunt.* Leg. 13. p. 228. cod. Theod. ejusd. tom. & edit. ac supra.

S. Epiphanius narrat Josephum è Judæo factum Christianum, à Constantino M. qui ei, quidquid vellet, petendi copiam fecerat, unum id postulasse, nimirum *ut in Judæorum pagis omnibus & oppidis exstruendarum in Christi honorem Ecclesiarum potestas Imperatoris edicto fieret. Quibus in locis nemo unquam Ecclesias ædificare potuerat; quod nullus inter eos neque Gentilis, neque Samaritanus, neque Christianus habitaret; præsertimque Tiberiade, Diocæsarea, quæ & Sephurim dicitur, Nazarethi, & Capernaümi.* Ex his & aliis, quæ brevitatis causa prætereo, argumentis recte colligit Morinus *nunquam fuisse Babylone, aliisque in regionibus trans Euphratem, Judæorum multitudinem ei comparandam, quæ Judæam ceterasque regiones habitasse certissimis historiarum monumentis commemoratur.* Hæres. 30. tom. 1. edit. Paris. 1622. pagg. 135. 136. Lib. 2. Exerc. 3. c. 1. p. 257.

In more positum erat apud veteres Judæos, ut discerent opificium aliquod, unde se, ubi res ferret, sustentarent, nec gravarent alios. Hinc illud R. Judæ: *Qui non docet filium suum opificium, perinde est ac si eum furari doceret.* Quapropter Apostolus erat σκηνοποιός *tabernaculorum fabricator.* Eum manibus operantem imitati sunt puriorum Ecclesiæ sæculorum Sacerdotes & Episcopi, qui, teste S. Epiphanio, *ad susceptam Divini Verbi prædicationem externam manuum operam, quamcunque artem adepti essent, quæ à dignitate sua....non abhorreret, adjunxere.* Sutrinam faciebant SS. Crispinus & Crispinianus Suessionum Apostoli. In vita S. Joannis Eleemosynarii memorantur clerici duo calcearii, quorum alterum ex lectore Sacerdotem fecit S. Patriarcha. Artem eandem exercebat R. Johhanan. Denique R. Jose erat coriarius, R. Juda pistor, RR. Asinæus & Anilæus in Babylonia textrinam à matre sua edocti fuerant, teste Josepho. Lighgt. tom. 2. p. 79. Act. 18. v. 3. Hæres. 70. tom. 1. edit. Paris. 1622. p. 1072. Boll. tom. 2. p. 515. col. 1. num. 87. Lib. 18. Antiq. cap. 12. pag. 644. edit. Genev. 1611.

Non solum antiquis temporibus, ut ex Tobia liquet, verum etiam hodiernis, Judæorum proceres in lavandis, sepeliendis, humandisque mortuorum cadaveribus pietatem in primis ostendunt suam. In Ecclesia Christiana erat etiam *fossariorum* ordo, qui clero annumerabatur. Hæ itaque artes ac pietatis officia tam vilia non erant, quam putat D. Masclefius. Vel si tanta erat illorum abjectio, ut nonnisi à vilissimis hominibus exercerentur, quæro ab erudito Canonico utrum hi sutores, cerdones, vespillones, &c. linguam Hebraïcam callerent, necne? Pseudo-Hieron. Epist. ad Damasum, al. Rusticum Narbon. tom. 5. nov. edit. col. 100.

Si callebant, ergo nec ab infima plebe ignorabatur. Si non callebant, quod facile concesserit D. Masclesius, cum, ipso teste, hujusmodi hominibus parum cordi sit linguæ dudum demortuæ cognitio; ergo nepotes suos eam docere non potuerunt; ergo his sutoribus, cerdonibus, vespillonibus, indoctiores adhuc præceptores habuit S. Hieronymus; quo magis enim lingua demortua à tempore, quo vigebat, recedit, nec docti sunt (quales tunctemporis, judice D. Masclesio, nulli exstitere), qui eam diligenter excultam interitu prohibeant, eo magis ignoratur. Quæ est igitur Vulgatæ nostræ auctoritas? Nonne timendi locus est, ne maximæ ejus partis auctor S. Hieronymus ab imperitis suis præceptoribus turpissime delusus quidvis aliud, quam ex Hebræo versionem nobis obtulerit? Quanto in errore ab undecim & amplius sæculis versatur Ecclesia Latina, quæ neglecta *Veteri Italica*, unam S. Hieronymi versionem sibi sequendam proposuit, quod illum *ex Hebræo eloquio cuncta verius transtulisse*, cum D. [a] Gregorio; ejusque interpretationem *veraciorem esse in sententiis, & clariorem in verbis*, cum S. [b] Isidoro crediderit! Profecto si patribus Tridentinis compertum fuisset, quibus in Hebræo idiomate discendo præceptoribus usus sit S. ille Doctor, nunquam ejus versionem declarassent authenticam.

a *Comm. in c. 30. Job. tom. 1. nov. edit. col. 665.*

b *Lib. 1. de Offic. Eccle. c. 12. p. 583. edit. Paris. 1601.*

Verum non unius Vulgatæ nostræ editionis, sed etiam Hebræi textus, ac LXX. versionis αὐθεντίαν labefactare videtur D. Masclesius. Quod hoc argumento demonstratur. In quavis lingua literæ consonantes nihil certo ac definite significant, nisi cum vocalibus conjungantur. Quænam autem vocales cum literis consonantibus Hebræis conjungendæ sint, secundum D. Masclesium, ignoramus. Ergo quid Hebrææ consonantes certo ac definite significent, nescimus. Ergo, saltem respectu nostri, textus Hebræus nullus est; aut similis est Γεϱογλυφικοῖς Ægyptiacis, quæ, quidquid volunt eruditi, significant.

Pag. xiij.

Prima hujus argumenti propositio certa est. Nam ut exemplo supra posito utamur, tres illæ literæ דבר pro diversis vocalibus, quæ cum illis conjungi possunt, significant: *loquutus est, loquens, dictum* sive *pronuntiatum, loqui, loquere, verbum* sive *negotium* aut *res, pestis* sive *mors, caula, oraculum* sive *adytum, perdidit*, &c. Simile nobis in lingua Latina exemplum suppeditat Morinus, in qua hæ tres literæ *c, r, s*, pro vocalium diversitate legi possunt: *Carus, Caros*, accus. plur. ejusdem nominis; *Caros*, somnus profundus; *Caris*, dat. plur. à carus, *Caris*, i. e. carminas; *Caras*, accus. plur. à carus; *Cares*, populi; *Cares*, à careo; *Ceras*, à cera; *Ceris*, dat. plur. ejusd. nominis; *Ceras*, cornu; *Ceres*; *Ciris*, alauda, species avis; *Corus*, ventus vel mensura; *Coros*, accus.

Lib. 1. Exerc. 6. c. 2. num. 4. p. 105. col. 1.

Coris, dativ. ejusd. nominis; *Curas*, *Curis*, à cura; *Curas*, *Cures*, à curo; *Cures*, populi; *Curis*, hasta Sabinica; *Cyrus*, nomen proprium. Ex his 23. vocibus decem diversissimæ sunt, sex casibus aut genere discriminantur, septem sub eadem pronuntiatione duplicem habent sensum, eumque diversissimum. Voces *Caros* somnus, & *Ceras* cornu, Græcas esse monere opus non est.

Frustra igitur contendit eruditus Canonicus *in characteribus ipsis* (h. e. literis consonantibus) *sitam esse significandi vim, non in modo, quo characteres illos lubet enuntiare*, id est, non in vocalibus, ut mentem suam in epistola clarius explicat his verbis: *Ratio cur textus Hebraeus, etiam punctis destitutus, non sit corpus expers animæ, ea est, quod suos habeat characteres, quibus legi possit atque intelligi.* Id enim non solum à ratione, veritate, & linguarum omnium indole est alienum, ut jam ex parte à nobis ostensum est, & mox fuse probabitur; verum etiam contrarium ipse statuit cum ait idcirco Massorethas aliter quam Lxx. &c. legisse, *quod puncta subrogarint pro suo arbitratu, quibus voces ad certas quasdam modificationes* (i. significationes) *determinantur, ad quas, si sola literarum habeatur ratio, sunt indifferentes;* cumque alio in loco dicit novam suam pronuntiationem, in qua vocales, quæ supplentur, verborum sensum nullo modo attingunt, ideo præcipue esse commendandam, *quod textum in sua indeterminatione relinquat .... & in ambiguo conservet.* Ergo, secundum D. Masclesium, voces Hebraïcæ, habita sola literarum ratione, & sine vocalibus spectatæ, ad certas quasdam modificationes sive significationes natura sua indifferentes sunt. Ergo textus Hebræus, sublatis vocalibus, indeterminatus est, ambiguus, &, ut Morini comparatione utar, materiæ primæ similis, quæ nullius quidem formæ est tenax, sed capax omnium. Ergo in solis characteribus sita non est significandi vis. Enimvero, si Hebræo textui vocalibus expressis vel subintellectis destituto sui sunt characteres, quibus intelligatur; cur Lxx. Aquila, Symmachus, Theodotio, & ipse S. Hieronymus aliter atque aliter voces non paucas interpretati sunt, quas tamen eodem modo, hoc est, cum iisdem literis consonantibus, ab iis lectas fuisse constat apud omnes? Cur, v. g. Habac. 3. v. 5. *Ante faciem ejus ibit* דבר, Lxx. & Theodotio interpretati sunt λόγος *sermo*, Symmachus, & V. editionis auctor, θάνατος, S. Hieronymus, *mors;* Aquila eodem sensu, λοιμὸς *pestis?* Certe hi omnes interpretes vocem illam cum iisdem consonantibus legerunt; sed alii alia puncta supplevere. Lxx. & Theodotio legerunt *DAVAR verbum;* Aquila vero, V. editionis auctor, & S. Hieronymus, *DEVER*, aut in pausa *DAVER*, ut etiamnum

Proleg. p. 32.

Epist. pag. 6.

Proleg. p. 17.

Ibid. p. 127.

Lib. 2. Exerc. Bibl. Exerc. 22. c. 5. pag. 587. col. 2.

legunt Massorethæ, *pestis* sive *mors.* Quare Gen. 15. v. 11. *Descenderuntque volucres super cadavera,* וישב אתם אברם Lxx. transtulerunt καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβράμ, *& sedit cum eis Abram;* Aquila vero, καὶ ἀπεσόβησεν αὐτὰ Ἀβράμ, S. Hieronymus, *& abigebat eas Abram?* Nonne quia iisdem literis vocales diversas adjunxere? Lxx. nimirum legerunt וַיֵּשֶׁב *& sedit,* à יָשַׁב *sedere;* & אִתָּם composuerunt ex præpositione אֵת *cum,* & pronomine affixo tertiæ personæ plur. ם *illis.* Aquila vero & S. Hieronymus legêre וַיַּשֵּׁב, ut legunt Massorethæ, *&* (flatu) *abigebat,* à נָשַׁב *flare, difflare, flatu abigere;* & אֹתָם ut accusativum pluralem pronominis ejusdem tertiæ personæ acceperunt. Qui sunt characteres, quibus cognoscatur tres illas literas ברא, quæ secundum Geneseos vocabulum componunt, significare *creavit,* in activo sensu; non vero *creatus est,* in passivo? Exoriatur novus aliquis Valentinianus, qui mundum à יהוה, hoc est, Deo Optimo, Maximo, conditum neget; sed solam, ex qua factus est, materiam. Is primum hunc Geneseos versiculum sic interpretabitur: *In principio creatus est Elohim cum cælo & terra,* h. e. materia cœli & terræ. In hac versione unicum mutabit punctum, nempe pro בָּרָא bará, in Qál, *creavit;* leget בֹּרָא borá, in Puál, *creatus est.* Frustra dixeris voculam אֵת vulgarem esse casus accusandi notam, quæ cum præfigatur vocibus *cœlum & terra,* eas à verbo ברא in accusandi casu rectas indicat; nam extemplo respondebit tibi voculam hanc non minus esse præpositionem *cum,* quam casus quarti articulum. Præterea hunc *Elohim,* δημιουργὸν suum, in toto hoc capite & sequentibus, ubi aliquid fit, operari ut animadvertas, rogabit te. Quî, erudite Canonice, hujuscemodi hominem novæ tuæ Grammaticæ principiis abutentem confutabis? Confugiesne *ad exigentiam loci*, firmissimum tuum propugnaculum? At verbum ברא æque hîc transferri posse *creatus est*, ac *creavit,* ex orationis serie contendet; imo illud arcte tenebit, accurateque defendet è majore Dei gloria esse videri, quod is materiam tantum creaverit, ex qua alia creatura ad id ab eo destinata fecerit omnia, quam si Deus ipse, nullo interposito medio, ea condidisset. Provocabisne ad Judæos? His fidem non habebit, utpote qui vocales cum literis consonantibus jungendas ignorent. Si enim, ut asseris, pene obliterata erat linguæ Hebraïcæ notitia antequam Massorethæ aut eorum præceptores illam instaurare aggrederentur, & Massorethæ ipsi in vocalibus definiendis inscribendisque, nonnisi anilibus & falsis hinc inde conquisitis rumusculis ac commentis adjuti sunt: in quanta linguæ hujus ignoratione versentur necesse est Judæi hodierni, qui nullas alias vocales præter Massorethicas agnoscunt? Num à Lxx. aliisque Græcis interpretibus,

ac Divo Hieronymo auxilium petes? At Tute viam illis præclusisti; nam quod spectat ad Lxx. si Massoretharum ætas sæculo V. exeunte, aut ineunte VI. cum Elia Levita, aliisque viris eruditissimis definiatur, & per decem & amplius sæcula pene obliterata fuerit linguæ Hebraïcæ notitia, antequam Judæi illi eam instaurare aggrederentur: hi interpretes, ut jam diximus, versionem suam confecerunt, quo tempore pene ignorabatur lingua Hebraïca. At, inquies, nono tantum sæculo exstiterunt Massorethæ. Esto; nihilo tamen majori auxilio tibi erit Septuagintaviralis interpretatio; cum enim *non illibenter fatearis Septuaginta interpretum temporibus jam cœpisse ignorari, quæ esset genuina & vetus lingua Hebraïcæ pronuntiandæ ratio;* si redivivo illi Valentiniano hos interpretes objeceris, qui vocem ברא active reddiderunt ἐποίησεν *fecit*, is continuo respondebit tibi vocem hanc ex earum numero esse, quarum genuina & vetus pronuntiatio interpretum illorum temporibus ignorabatur, proindeque sensus; nam per genuinam ac veterem linguæ Hebraïcæ pronuntiandæ rationem Lxx. temporibus ignorari cœptam intelligere debes, ut jam sæpe monuimus, ipsam vocalium supplendarum naturam, minime vero sonum aut vocis inflexionem; alioquin nihil omnino adversus puncta Massorethica, quod ad eorum una cum literis consonantibus significandi potestatem attinet, conficis. Porro quod tibi de hac voce is Valentinianus dixerit, de aliis omnibus, quas interpretes illi Græce reddiderunt, alter dicet; qua enim confidentia hanc vel illam vocem recte ab iis lectam fuisse proindeque translatam asserueris, eadem & ille negaverit. Vides, erudite Masclefi, ut Septuaginta etiam versionis auctoritas principiis tuis plane convellatur. Nihilomagis adjuvabunt te ceteri interpretes Græci, ac S. Hieronymus, Cum enim versiones suas intra mille annos & amplius, quibus linguam Hebraïcam pene obliteratam scribis, elaboraverint: eam ita scire non potuerunt, ut apud Valentinianum nostrum alicujus auctoritatis sint eorum interpretationes. Dices fortasse conjugationem Puál, ex qua is suum *borá* deducit, ex Hebræarum numero à te expungi. Verum, inquiet, num idcirco minus Hebræa est, uti & conjugatio Piél, quam pariter eliminas? Nonne locum habet in pluribus linguis ab Hebræa derivatis, puta Chaldaïca, Syriaca, Arabica, &c. Profecto si hic Valentini surculus is esset, qui interpolatorem tuum imitatus, frigide & impie jocari vellet; longe potiori jure insulsum regis Castiliæ jocum in te converteret, quam eum tuus in me transtulit interpolator. Dolendum valde est, diceret, quod D. Masclefius, cum primis nostris parentibus à Deo, ut volunt eruditi non pauci, concessa est lingua

Proleg. p. 10

Epist. p. 22.

Hebraïca, nequaquam adfuerit; eum certe consiliis egregie adjuvisset suis. Urgebis fortasse ac dices verbum istud in hac conjugatione Puál in Bibliis Hebraïcis usitatum non esse, &, si in usu esset, illud significaturum *exscindi* non *creari*, cum activa ejus conjugatio Piél *exscindere*, non *creare* significet. At, inquiet, occurruntne in Bibliis omnes omnium verborum Hebræorum conjugationes? Semperne passivæ activis suis, ad sensum quod attinet, accurate respondent? Liber unicus, isque exigua mole, qui nobis superest Hebraïce scriptus, continetne vocabula omnia Hebraïca, omnesque eorum significationes? Si Massorethæ verbum istud passive non punctarunt, &, qui eos sequuti sunt, passive non intellexerunt, hoc ab eorum linguæ Hebraïcæ ignorantia profectum est, minime vero à linguæ ipsius indole, à qua non abhorret ea punctatio. Denique frustra dixeris hunc *Elohim* in aliis Scripturæ locis *Deum* appellari; id enim facile tibi concesserit adversarius: nam Valentiniani δημιουργὸν suum *Deum* etiam appellabant, *sed nomine tenus, eo quod dominetur conditionis*, inquit S. Irenæus.

Lib. 4. adv. hæres. cap. 1. pag. 228. nov. edit.

Secunda hujus argumenti propositio, nempe latere nos quænam vocales cum Hebræis consonantibus conjungendæ sint, tota ex D. Masclefio est, in eamque probandam toto animo & studio omni incumbit, quod ea sit novæ suæ Grammaticæ fundamentum.

Cum itaque adversus syllogismi leges, nihil, opinor, peccet argumentatio, ex ea necessario consequitur textum Hebræum plane nobis incognitum esse atque impervium; eumque proinde, saltem respectu nostri, D. Masclefii principiis labefactari. Cum LXX. & Vulgatæ interpretationis Latinæ auctoritatem his etiam convelli, quod facturos nos esse olim promisimus, fuerit à nobis demonstratum; restat ut argumentis, quibus eruditus Canonicus ostendere nititur Massoretharum pronuntiationem à veteri longe discrepare, faciamus satis.

§. II.

Argumentorum, quibus D. Masclefius probare nititur Massorethicam pronuntiationem ab antiqua maxime discrepare, confutatio.

Cum Massoretharum pronuntiationem à veteri tantum non discrepare, quantum putat D. Masclefius contendimus, unum id volumus, nimirum pronuntiationem antiquam & Massorethicam eandem esse, quod ad *substantiam* pertinet, minime vero quod spectat ad *accidentia*. Dicimus nempe, ut exemplo jam allato utamur, ubi v. g. Massorethæ *a* legendum docuerunt, ibi antiquitus lectum fuisse *a*.

Pag. vij.

Utrum

Utrum vero ea vocalis eadem omnino vocis inflexione & à veteribus Judæis, & à Massorethis pronuntiata fuerit, puta *a* clarum an obscurum, sive mixtum ex *a* & *o*, in id nequaquam inquirimus, cum pertineat ad prolationis accidentia, quæ pro locorum, temporum, ac personarum varietate mutari potuerunt, remanente integra pronuntiationis substantia. Idem dicimus de reliquis vocalibus ac literis consonantibus, maxime gutturalibus, quæ alio atque alio spiritu efferi potuere, sine ullo prolationis substantiæ dispendio. Remota omni ambiguitate, jam D. Masclefii argumenta expendamus.

I. ARGUMENTUM.

MASSORETHÆ rudes omnino fuere, nulla bonarum disciplinarum, nulla antiquitatis cognitione adjuti. Ergo antiquam pronuntiationem rimari atque expiscari minime potuerunt. « « « *Proleg. p. 6.*

CONFUTATIO.

MASSORETHAS rudes omnino fuisse nullo argumento probat D. Masclefius. Sed cum in suis prolegomenis nullum fere alium auctorem habeat, præter Morinum & Cappellum, quod hîc de Massoretharum socordia dicit, id mutuatus videtur à [a] Morino, qui citat locum [b] Thalmudis, ubi Galilæi, in quorum regione sita erat Tiberias, linguam Hebraïcam corrupte admodum loquuti commemorantur. Verum ex eo quod Galilæorum vulgus, & mulierculæ quædam (tales enim hîc fere memorant Thalmudistæ) Hebraïce, aut potius Hebræo-Syriace pessime loquerentur, an inde sequitur Rabbinos ceterosque Galilæorum proceres corrupte esse loquutos? Picardiæ rustici, ac præsertim Ambianensis plebecula, Gallice corruptissime loquuntur, ergo & D. Masclefius, aliique viri docti, ac provinciæ optimates. At laudatus à Morino Thalmudis locus contrarium ejus, quod probare nititur, evidenter adstruit; in eo siquidem Rabbinorum quorumdam ancillæ eleganter ac metaphorice loquentes inducuntur, ut agnoscit ipse Morinus. *Cantharus*, inquiunt, *percussit cadum, evolarunt aquilæ in nidos suos*, &c. h. e. exhausto cado, sive finito convivio, discipuli domos suas reversi sunt. Si tam polite ac subtiliter ancillæ loquebantur, num dominos earum in sermone rudes omnino fuisse existimabimus? Longe aliter de Massoretharum peritia judicant, qui satis Hebraïce docti sunt, ut singulare ac prope divinum punctationis eorum artifi-

a *Lib. 2. Exercit. 18. p. 514.*
b *Erouv. c. 5. fol. 53. p. 1.*
Ibid. p. 516. col. 1.

cium introſpicere poſſint, atque intelligere. Imo Cappellus ipſe, alter D. Maſclefii Videns, inventum iſtud *diligentiæ & induſtriæ plane admirandæ ac ſtupendæ* acceptum refert. Ergo Maſſorethæ, ſecundum profeſſorem hunc Salmurienſem, quem Judæis illis plus æquo faviſſe nemo dixerit, rudes omnino non erant, &c. Mitto Rabbinorum doctiſſimos, qui viris illis Tiberienſibus præ aliis Judæis maximam Linguæ Sanctæ notitiam, ſermonemque puriſſimum tribuunt. Eorum teſtimonia congeſſere [a] Buxtorf. & [b] Morinus ipſe, apud quos illa videſis.

Arcan. punct. lib. 2. cap. 23. num. 5.

a *De punct. voc. antiq. pagg. 23. 24. 25.*

b *In Exercit. Bibl. p. 509.*

II. ARGUMENTUM.

Proleg. p. 6.

» TEXTUM Hebræum, prout ætate ſua pronuntiabatur, pronun-
» tiarunt & ipſi Maſſorethæ; nec quomodo antiquitus pronun-
» tiatus fuerit, inquiſierunt, imo nec inquirere potuerunt: cum omnino
» rudes eſſent, nulla bonarum diſciplinarum, nulla antiquitatis cogni-
» tione, nullis veteribus libris adjuti. Ergo eorum pronuntiatio non
» poteſt ab antiqua non multum diſcrepare.

CONFUTATIO.

TAMETSI Maſſorethæ textum Hebræum pronuntiarint ea ratione, qua tunc temporis, quo florebant, pronuntiabatur; non inde tamen ſequitur eorum pronuntiationem ab antiqua, quod ſpectat ad ejus ſubſtantiam, h. e. vocalium ſupplendarum aut legendarum naturam, diſcrepaſſe. Quemadmodum enim licet Græcam aut Latinam linguam modo à veteribus, quod pertinet ad prolationis accidentia, diverſo pronuntiemus, veteris tamen pronuntiationis ſubſtantiam, h. e. eaſdem vocales ac literas conſonantes retinemus pronuntiamuſque: ita in Hebræis antiquæ prolationis ſubſtantiam ſervarunt Maſſorethæ, quanvis eos fugere potuerint ejus accidentia. Porro veteris ac genuinæ pronuntiationis ſubſtantiam in Maſſorethica ſervatam fuiſſe inde liquet, quod ab omnibus Judæis per univerſum orbem diſperſis, imo ab ipſis Qaraïtis traditionum fere omnium oſoribus, & aliorum Judæorum hoſtibus infenſiſſimis, ultro fuerit acceptata. Ex quo patet Maſſorethas in definienda pronuntiationis Hebraïcæ ſubſtantia, majoribus auxiliis adjutos fuiſſe, quam anilibus & falſis hinc inde conquiſitis rumuſculis ac commentis; alioquin ad univerſas fere orbis partes anilia & falſa illa hinc inde conquiſita commenta ac rumuſculi jam perveniſſent oportuiſſet; quod homini cordato facile non perſuaſerit

Ibid.

eruditus Canonicus. Enimvero, si sæculo XI. celeberrimis duobus Rabbinis R. Aarone de tribu Aser, & R. Mose de tribu Nephthali, circa pronuntiationis quædam accidentia à se invicem dissentientibus, tanta inter universæ terræ Judæos exorta est contentio, ut duas in partes scissi sint, & Orientales R. Moysi, Occidentales R. Aaroni adhæserint: quantas turbas excitaturam fuisse Massorethicam punctationem sive pronuntiationem arbitrabimur, si in ea proponenda aniles duntaxat & falsos rumusculos ac commenta hinc inde conquisivissent Judæi illi Tiberienses?

Massorethas tam rudes non fuisse, quam putat D. Masclefius, in præcedentis argumenti confutatione ostendimus. Eos etiam veteribus libris, qui de rebus grammaticis agerent, destitutos fuisse unde habet eruditus Canonicus? Num philologorum Judæorum libri omnes ad nos usque pervenerunt? Sed quid opus erat hujuscemodi libris ad id quod præstiterunt Massorethæ? Nonne sufficiebat avita una traditio, qua destitutos eos non fuisse satis superque est à nobis demonstratum? Literas tum consonantes, tum vocales, &, qui ex iis simul compositis exoritur, sensum tenuerunt; quid necesse fuit ut in vocis inflexiones, quibus hæ olim proferebantur, quæque ad sensum nihil conferunt, supervacaneo labore inquirerent? Num, ut Græca & Latina intelligamus, necessaria nobis est hujuscemodi inquisitio? Massoretharum itaque, ut jam diximus, antiquos vocalium sonos, præter distinctivos, repræsentare neque animus fuit, neque partes.

Sup. p. xxiij. & seqq.

Sup. pag. vij.

III. ARGUMENTUM.

« OMNES alphabethi Hebraïci literas esse consonantes, nullam « vocalem, aiunt Massorethæ; quanvis illas saltem quatuor אהוי « vocales esse constet. Ergo antiquam pronuntiationem ignorarunt.

Proleg. p. 12.

CONFUTATIO.

REM gratissimam nobis fecisset D. Masclefius, si quo in loco id dixerint Massorethæ, nos docuisset. Sane doctiores erant hi Judæi Tiberienses, quam ut prædictas literas vocales olim fuisse ignorarent, cum ab omnibus Grammaticis Massorethicis *matres lectionis* appellentur. Verum cum, ut diximus, nonnisi usu certus ac definitus esset veterum illarum vocalium sonus; prætereaque in vocibus quamplurimis desiderarentur, &, in quibus adessent, & vocalium, & con-

ſonarum munere interdum fungerentur : ea omnia incommoda, excogitatis novis vocalibus, ſuſtulerunt Maſſorethæ; neque inde colligere licet omnes alphabethi Hebraïci literas his Rabbinis conſonantes fuiſſe, nullam vocalem. Eruditum Canonicum illud, opinor, fefellit, quod duas & viginti Hebræorum literas conſonantes eſſe dicant hodierni grammatici, à quibus, poſt inventa puncta Maſſorethica, quatuor illæ literæ אהוי ut vocales ſpectari deſiere. Enimvero, inſcriptis his apicibus, א & ה, ubi leguntur, ſolum ſuum ſpiritum, א quidem lenem; ה vero denſum retinuerunt. Sic ו & (י), quæ modo erant vocales, modo conſonæ, depoſita vocalium natura, ſolas conſonantes induerunt. Hinc ו quod erat antiquitus *o*, *u*, vel *ou*, & *v* conſonans, poſt adjecta puncta remanſit tantum *v* conſonans. Sic (י) quo exprimebatur *i* tum conſonans, tum vocale, & *e*, factum eſt ſolummodo *j* conſonum. Verbo dicam, ubi quatuor illæ literæ tantum vocales erant, tales eſſe deſierunt, & in eorum locum ſubrogata ſunt puncta Maſſorethica : ubi autem ſolum conſonantes erant, aut conſonantes ſimul & vocales; remanſerunt tantummodo conſonantes, ac novarum vocalium ſubſidio pronuntiatæ ſunt. Rem exemplis illuſtremus. In דברו devaro *verbum ejus*, ו erat olim vocalis *o*; poſt adſcripta puncta, ea vocalis expreſſa eſt non per ו, ſed per punctum ipſi ſupraſcriptum, hoc modo: דְּבָרוֹ. In עצום atſoum *fortis*, idem ו pronuntiabatur ou, adjectis punctis, vocalis illa non amplius ſignata eſt per ו, ſed per idem punctum in medio ejus poſitum, ſic: עָצוּם. Ita in צדיק tſaddiq *juſtus*, (י) erat *i*, quod à Maſſorethis expreſſum eſt per punctum ſub ד, ſic: צַדִּיק. In היכל hechal *palatium*, idem (י) erat *e*, quod nunc repræſentatur per duo puncta, quorum unum poſt alterum ſub ה ſcribitur, ſic: הֵיכָל. In his itaque exemplis ו & (י) poſt inventa puncta vocales eſſe deſierunt, & remanſerunt tantummodo novarum vocalium comites.

Ita ubi literæ illæ erant & vocales & conſonantes; vocales eſſe deſierunt ubi erant vocales, ut in עור our *excitare*, ubi ו antiqua vocalis ou hoc munere amplius non fungitur, ſed punctum quod ipſi imprimitur, עוּר. At in עור ivver *cæcus*, ubi ו erat conſonans, ibi conſonans perſeveravit, ac lectum eſt ope (-), quod ſupplebatur, עִוֵּר.

Ceterum veteres illæ vocales, inſcriptis novis, in textu plerumque relictæ ſunt, quod vel formæ, vel etiam ſubſtantiæ vocis conſtituendæ
Proleg. p. 13. ſæpius inſerviant. Itaque *in primo pronuntiationis principio tam fœde* (non) *errarunt Maſſorethæ*, quam poſt Morinum arbitratur D. Maſclefius, qui utrum ipſe potius turpiter hallucinatus non fuerit, videat,

IV. ARGUMENTUM.

MASSORETHÆ literas בגד כפת duplici modo proferendas esse " *Proleg. p. 14.*
docent, nempe cum aspiratione & sine aspiratione; quam "
distinctionem ignorarunt veteres, quibus etiam incognita fuit gemina "
literæ ש, & פ ut *p* Latinorum pronuntiatio. Ergo à veteri & genuina "
non parum deflectit Massorethica pronuntiandi ratio. "

CONFUTATIO.

AD literas בגד כפת quod attinet, jam diu est, quod doctissimus Buxtorfius Ludovico Cappello eas objicienti, ex LXX. Novo Testamento, Thalmude, & antiquis Medraschim, sive commentariis allegoricis, literas illas dupliciter olim prolatas, sive tres priores non semper tenues fuisse, tres vero posteriores non semper aspiratas, ostendit. Ex pluribus exemplis, quæ attulit, pauca hîc ponere sufficiat. Ex LXX. Πέρσαι non Φέρσαι *Persæ*, à פָּרַס, en פ tenue; Κῦρος non Χῦρος *Cyrus*, à כּוֹרֶשׁ, en כ sine aspiratione. Ex Novo Testamento, Κηφᾶς non Χηφᾶς *Cephas* sive *Petrus*, à כֵּיפָא, כ itidem tenue. Ex LXX. & Novo Testamento, πάσχα non φάσχα *Pascha*, à פֶּסַח, פ tenue; παράδεισος non φαράδεισος *Paradisus*, à פַּרְדֵּס, פ tenue. Ex Thalmude & Medraschim, אוגינוס & אבגינוס εὐγενὴς *nobilis*, *ingenuus*, ב aspiratum & pronuntiatum ut *v* consonans, aut, secundum alios, vocale, minime vero *b*. Ex Medrasch Esther, c. 1. v. 9. & Vaiiqra rabba, sect. 19. שמירמית *Semiramis*, ת non aspiratum, sed pronuntiatum ut *s*, quomodo à Judæis Germanis profertur. Denique in Thalmude vox גדייה sic legitur, ut, si aspiretur ד, significet *trahe, attrahe eum*, si vero eadem litera sine aspiratione proferatur, sensus sit: *exscinde illum*. Ergo ד erat etiam antiquitus aspiratum. Frustra hoc exemplum eludere conatur Cappellus, quod locus iste obscurus sit, ut putat, & ignoretur utrum prolationis diversitas cadat in ד an in ג. Verum utramvis in literam cadat, idem est, cum ג una sit ex his sex literis, de quibus est controversia; & quidquid significet illa vox, certum est ex historia, quæ in Thalmude narratur, literam ג vel ד uno modo prolatam fuisse, alio intellectam; quod ad alterutrius duplicem sonum stabiliendum sufficit.

De punct. voc. antiq. p. 227. & seqq.

Tract. Nid. fol. 36. c. 2.

Vindic. l. 1. c. 15. p. 894. col. 2.

Frustra etiam idem professor Salmuriensis clariss. Buxtorfio respondens ait in peregrinis vocibus exprimendis, non semper usurpari easdem literas, quibus in lingua, ex qua desumuntur, scriptæ sunt; sed *Ibid.*

ſæpe alias affinis ſoni. Id quandoque fieri non negamus : ſed his in exemplis factum fuiſſe, quo jure ille affirmat, eodem & nos inficiamur. Aut ſi hoc ſuo in argumento pertinaciter adhæreat, eo in ipſum converſo dicemus ejuſmodi literas ab ipſis Lxx. interpretibus & Novi Teſtamenti ſcriptoribus invicem permutatas fuiſſe, cum ſcripſerunt aſpiratas, ubi poſtea Maſſorethæ tenues poſuerunt, & vice verſa. Par utrinque jus & ratio. Quid quod Lxx. aliique Græci interpretes, necnon S. Hieronymus, ex his literis alias ſemper aſpiratas, alias ſemper tenues merito jure ſcripſerunt; ne his modo aſpiratis, modo tenuibus, in iiſdem aut diverſis vocabulis, ſecundum pronuntiationis Hebraïcæ analogiam, poſitis, ea vocabula, quæ Græcis ac Latinis auribus natura ſua jam ſatis erant aſpera barbaraque; his adhuc duriora viderentur.

Ibid. Exempla ſuperius poſita haud validius impugnat Ludovicus Cappellus, cum ait literas בגד כפת in his non tenuari aut aſpirari ſecundum Maſſoretharum canones; nam præterquam quod hoc falſum eſt, ad majorem exemplorum illorum partem quod attinet; ſervati ſint, necne, Maſſorethici canones, parvi ad hanc quæſtionem refert, modo conſtet ex illis duplicem literarum illarum prolationem in uſu fuiſſe ante Maſſorethas, quod hîc quæritur.

Arcan. punct. lib. 1. cap. 15. p. 739. At ſic urget Cappellus: Lxx. tres priores literas בגד ſemper expreſſere per β, γ, δ. S. Hieron. *b*, *g*, *d*. Ergo illis ſemper tenues fuerunt, nunquam aſpiratæ. Quod ſpectat ad tres poſteriores כפת, illæ ſemper à Lxx. ſcriptæ ſunt per χ, φ, θ, à S. Hieron. *ch*, *ph*, vel *f*, *th*. Ergo eas pro aſpiratis ſemper habuerunt, nunquam pro tenuibus. Quid mirum tres priores literas à Lxx. expreſſas ſemper fuiſſe per β, γ, δ, cum Græci aſpiratas his reſpondentes non habeant? Falſum eſt, ut jam ex Buxtorfio oſtendimus, tres poſteriores ſemper expreſſas fuiſſe per aſpiratas, cum πάσχα, παράδεισος, Πέρσαι tenuibus à Lxx. exprimantur. Futilis eſt, quam affert Cappellus rationem cur vox Πέρσαι à Lxx. ſcribatur cum Π non vero Φ, quod nomen פָּרַס à quo eſt Πέρσαι, Perſicum ſit, & Perſæ π Græcum, aut *p* Latinum agnoſcant; hæc, inquam, ratio futilis eſt, cum iidem Lxx. eadem litera π expreſſerint voces πάσχα, & παράδεισος, quæ ad Perſicam dialectum non pertinent, ſaltem prior. Quod ſpectat ad S. Hieronymum, is Lxx. orthographiam vulgo ſequitur.

At, inquiunt Cappellus, Morinus, & poſt eos D. Maſclefius, Hebræos non habere *p* Latinum, ſed illos pro eo φ Græco uti expreſſe dicit S. Hieronymus. Sibi ipſe hac in re non conſtat S. Doctor; modo enim literam illam plane excludit: * *Sciendum eſt*, inquit, *quod apud*

Hebræos P litera non habeatur, NEC ULLUM NOMEN EST, quod hoc elementum resonet. Modo illam agnoscit, nimirum in voce *Apadno*, Dan. 11. v. 45. [b] *Notandum est*, inquit, *quod P literam sermo Hebræus non habeat, sed pro ipsa utatur PHE, cujus vim Græcum φ sonat; in isto tantum loco apud Hebræos scribatur quidem PHE*, sed legatur *PE*, &c. scilicet *quod vox illa non sit Hebræa, sed Persica*, inquit [c] Cappellus, cujus ea jam explosa est ratiuncula. Verosimile est S. Hieronymum literæ hujus prolationem male doctum fuisse à præceptoribus suis, quorum auctoritas pronuntiationem apud Judæos universos, ut jam probavimus, usitatam minime labefactat. Enimvero, nisi à priscis inde temporibus apud universam gentem obtinuisset ea pronuntiatio, qui eam, nullo reclamante, obtrudere potuissent Massorethæ?

a *De nomin. Heb. ad vocem* Pilatus, *tom. 2. nov. edit. col.* 68.
b *Comm. in h. l. tom. 3. ejusd. edit. col.* 1134.
c *Arcan. punct. lib. 1. c. 15. num. 6. p.* 739.

Quod pertinet ad geminam literæ ש pronuntiationem, eam veteribus, ac præsertim S. Hieronymo, ignotam non fuisse, probavimus in tomo I. ex luculentissimo S. Doctoris contextu, ubi scribit vocem אשה, Gen. 2. v. 23. *viram* sive *viraginem*, & *assumtionem*, *PRO VARIETATE ACCENTUS* significare. Hîc & alibi per *varietatem accentus* nihil aliud, quam variam literæ ש pronuntiandæ rationem à S. Hieronymo cum [a] Buxtorfio, [b] Martianæo nostro, & eruditis non paucis intellectum fuisse arbitrabamur. Aliter sentit [c] D. Masclefius, qui nodum in scirpo quærens ait scitu adeo difficile esse, quid per varietatem accentus intellexerit S. Doctor, ut id ignorare se ingenue fateatur. Post hanc confessionem, plurimorum eruditorum, quos non appellat, conjecturam affert. In more positum erat, inquiunt, apud multos amanuenses lineolam instar accentus vocibus ambiguis superscribere, qua « eas sensu à communi diverso accipiendas esse significarent. Re qui- « dem ipsa lineolæ hujusmodi in textu Hebræo characteribus Samari- « ticis in Bibliis Polyglottis Parisiensibus descripto conspiciuntur, qua- « rum mentionem fecere in opusculis suis Samaritanis Morinus & « Cellarius. At proferant nobis eruditi illi viri, ipseque D. Masclefius, « manuscriptos codices Hebræos charactere hodierno descriptos, in quibus hæ lineolæ sive accentus compareant. Reperiuntur in nonnullis quidem, sed ad indicandam רפה daghésch lenis à literis בגד כפת absentiam, minime vero ad tollendam à vocibus, quæ multiplici intellectui patent, ambiguitatem.

Pag. 8.

a *De punct. voc. antiq. p.* 238.
b *Comm. in lib. Hieron. de nomin. Heb. tom. 2. nov. edit. col.* 299.
c *Epist. p.* 17. *& seqq.*

Aliam, *ut imperitiæ notam effugiat*, de suo conjecturam affert D. Masclefius. Fieri non potest, inquit, quin S. Hieronymus, qui in " Hebræo versus Heroïcos, Dactylos & Spondæos videbat, in eo quo- " que viderit longas & breves, quas *accentus varietatem* appellaverit. "

Epist. pag. 19.

Verum præterquam quod assequutus non videtur eruditus Canonicus, quid per versus Heroïcos, Dactylos & Spondæos intellexerit S. Hieronymus; conjectationis ejus futilitatem ostendit S. Doctor, cum ait: *Illud autem, quod Damascus* (דמשק) *interpretatur sanguis cilicii* (ex דָּם *sanguis*, & שַׂק cum שׂ, *saccus, cilicium*), *& sanguis osculi* (ex דָּם *sanguis*, & נָשַׁק cum שׁ, *osculatus est*) *præsenti non convenit loco. Frequenter enim Hebræa nomina pro diversitate accentuum, & mutatione literarum, vocaliumque vel maxime, quæ apud illos habent proprietates suas, varie interpretantur.* Hîc S. Hieronymus duo tantummodo etymologiarum fundamenta ponit, nempe diversitatem accentuum, & mutuam literarum, maxime vero vocalium, permutationem. De earumdem vocalium quantitate, ne γρῦ quidem. Et sane pergratum nobis fecerit eruditus Canonicus, si certo ac definito aliquo S. Hieronymi testimonio longas & breves in Scripturæ carminibus, uti in Græcis & Latinis, S. Doctoris ætate cognitas ostenderit; loca enim, in quibus is versus Hexametros, Iambicos, & Sapphicos, Dactylos & Spondæos videtur agnoscere, alio ab eo, quem præ se ferunt, sensu ab eruditis, ut in Poëtica videbimus, intelliguntur. At etiamsi D. Hieronymi tempore vocales longæ ac breves in sacris carminibus deprehensæ fuissent, illæ accentus varietatem in voce אשה minime constituissent, cum ea sive transferatur *vira* aut *virago*, sive *assumtio* reddatur, iisdem tum quod ad qualitatem, tum quod ad quantitatem attinet, componatur vocalibus; nempe *i* brevi & *a* longo, ut secundum hodiernam vocalium divisionem loquamur; neque alias, sonis iisdem perseverantibus, recipere possit. In ea igitur dictione per *varietatem accentus* nihil aliud intelligere potuit S. Hieronymus, quam variam literæ ש pronuntiandæ rationem, qua si proferatur אִשָּׁה ischscha, est *virago*; si אִשָּׂה issa, est *assumtio*. Præterea dubito utrum ea loquutione utatur S. Doctor, nisi cum dictiones, in quibus litera illa reperitur, exponit. Præter loca superius allata, in quibus eam adhibet, illam quoque usurpat, comm. in Amos. 8. v. 14. *Bersabee autem*, inquit, *pro varietate accentuum vertitur in linguam nostram* puteus Juramenti, *aut* satietatis, *ac* septimi. Nemo, nisi præconceptis opinionibus excœcatus, non videt has etymologias fundari in sola voce שבע, quæ *juramentum* aut *septem* vel *septimum* significat, si prima ejus litera pronuntietur Schin; *saturitatem* vero, si proferatur Sin, aut quid simile. Alia loca mox adducentur.

Comment. in c. 27. Ezech. tom. 3. nov. edit. col. 887.

Infra pag. 338. col. 1.

Tom. 3. nov. edit. col. 1445.

A conjecturis ad demonstrationem, ut putat, transit eruditus Canonicus, cujus hæc verba sunt: „ Ea omnia, inquiet adversarius, nihil „ sunt, præter verisimilitudinem, & quidem levissimam. Afferamus igitur

Epist. p. 20.

igitur ad eum aliquid demonstrativi, eique, quem difficilius avertat, " ictum infligamus. Demonstraturus ei sum, non quid S. Hieronymus " per *accentum* intellexerit; id enim, ut quod res est ingenue fatear, " nescio: sed quod ad causam obtinendam certissime mihi sufficiat. " Suis ipsius oculis subjecturus sum atque ostensurus hac voce S. Doc- " torem variam literæ ש prolationem nequaquam intellexisse; idque ex " ipso S. Hieronymi loco, ad quem nos provocat, planum facio. Suis " eum armis debello, suo gladio illum jugulo. Miserum me! cui res " sit cum ejusmodi hominibus, qui nihil nisi nitratum pulverem & gladios sonant. Occidi. Videamus tamen utrum athleta noster aëra non verberaverit, aut ignem gladio non foderit suo. Achilleum istud argumentum, quod demonstrationem vocat D. Masclesius, petitur ex comm. D. Hieronymi in cap. 12. Eccle. v. 5. ubi sic loquitur S. Doctor: *Quomodo igitur in Jeremiæ principio verbum SOCED* (שקד) *, si varietur accentus, &* nucem *significat &* vigilias, &c. Atqui in omnibus Lexicis, inquit, D. Masclesius, verbum שקד & *nucem* & *vigilias* significat, quanvis litera ש eodem modo pronuntietur. Ergo per *varietatem accentus* variam literæ ש in voce *ISSA* prolationem à S. Hieronymo minime intelligi, ex his ipsius verbis demonstratur. Post elicitam hanc consequutionem, quasi veram demonstrationem attulisset, sibi ipse plaudens eruditus Canonicus antiquum suum Rectorem sic compellat: Nonne " mihi fateberis, Domine, Patrem Guarinum demonstratione mea " contentum esse debere; eique, si victoria de me reportata gloriari " velit, denuo incipiendum? Falleris, erudite Masclesi; hunc enim mihi " laborem eximet brevissima illa responsio: Vel S. Hieronymus in hoc loco ac verbo male à præceptoribus edoctus est suis; vel, quod verosimilius est, sua eum fefellit memoria. Hinc in suo, quem longo post tempore scripsit in Jeremiam commentario, vel doctior, vel ad ejus loci voces Hebraïcas attentior factus, nullam hujusce accentus varietatis mentionem facit, quanvis se ipse frequens exscribat. Utrovis autem id contigerit modo, nihilominus inde liquet perspectam ei fuisse duplicem literæ ש proferendæ rationem. Quot enim scriptores invenias, erudite Canonice, qui, ut sententiam, quam amplexi sunt, probent, momentis exemplisque alienis utantur, ex quibus tamen eos hac in sententia fuisse nihilosecius colligitur? Rei hujus exempla longe accersere opus non est. Argumenta omnia, quibus probare niteris linguam Hebraïcam pene obliteratam fuisse, antequam Massorethæ aut eorum præceptores eam instaurare aggrederentur, id non probant, imo contrarium quandoque adstruunt; ergo ante Massoretharum ætatem

Tom. 2. nov. edit. col. 784.

Epist. p. 21.

tem linguam Hebraïcam oblivioni pene traditam fuisse non existimas? Quanvis igitur exemplum istud à S. Hieronymo eo loci positum ad rem nihil pertinere, aut etiam falsum esse, non ignorarem; nihilominus tamen locum hunc indicandum censui, quod ex eo, non minus quam ex aliis, geminam literæ ש prolationem S. Doctorem non latuisse constaret. Hem, erudite Masclefi, an meo me gladio jugulatum adhuc putas? Nonne Tu potius ἐπινίκιον ante victoriam cecinisti? Sed age, videamus utrum eadem, qua ego, facilitate ictum declinaturus sis, quem tibi ex eodem Hieronymo sum vicissim impacturus.

Tom. 2. nov. edit. col. 531. Is quæst. in Gen. exponens cur Isaacus (Gen. 26. v. 33.) puteum, quem foderant servi ejus, appellaverit שבעה, hanc rationem affert: *Nescio quomodo in septuaginta interpretibus habeatur:* Et venerunt pueri Isaac, & nuntiaverunt ei de puteo, quem foderunt, & dixerunt ei, non invenimus aquam; & vocavit nomen ejus juramentum. *Quæ enim etymologia est, propterea vocari juramentum, quod aquam non invenerint? E contrario in Hebræo, cui interpretationi Aquila consentit & Symmachus, hoc significat, quia invenerint aquam, & propterea appellatus sit puteus ipse* saturitas, *& vocata civitas BERSABEE, hoc est,* puteus saturitatis; *licet enim supra* (Gen. cap. 21. v. 31.) *ex verbo juramenti, sive ex septenario ovium numero, quod SABEE dicitur, asseruerimus BERSABEE appellatam: tamen ex eo quod aqua inventa est, Isaac ad nomen civitatis, quæ ita vocabatur, alludens, DECLINAVIT PAULULUM LITERAM, ET PRO STRIDULO HEBRÆORUM SIN, A QUO SABEE INCIPITUR, GRÆCUM SIGMA, ID EST, HEBRÆUM SAMECH POSUIT.* Quam, erudite Masclefi, conjecturam his Hieronymi verbis oppones, quæ duplicem literæ ש prolationem S. Doctori ignotam non fuisse, luce meridiana clarius ostendunt? Quid, amabo te, significant verba illa: *declinavit* (Isaacus) *paululum literam, & pro stridulo Hebræorum Sin, à quo Sabee incipitur, Græcum Sigma, id est, Hebræum Samech posuit;* nisi quod Isaacus pro שֶׁבַע *septem*, vel, ex eadem radice, *juramento*, quo nomine hic locus à patre ejus Abrahamo appellatus erat, quod ipse & Abimelechus interposito juramento ibi fœdus inierant; mutato *Schin* in *Sigma* Græcum vel in Hebræum *Samech*, hoc est, pronuntiato *Sin* pro *Schin*, ut prolationem hodiernam sequamur, eundem locum sive puteum appellaverit שִׂבְעָה *abundantiam* sive *saturitatem?* Injurius essem lectoris intelligentiæ, si hunc S. Hieronymi locum pluribus exponerem.

At, inquiet D. Masclefius, ex eo saltem colligere est vitiosam esse Gen. c. 26. v. 33. Massorethartum punctationem. Hi enim vocem שבעה

sic punctarunt, ut *septem* significet; sanctus vero Hieronymus eam sic legit ut *abundantiam* exprimat; illi nempe שִׁבְעָה *septem* punctarunt: hic vero legit שָׂבְעָה *abundantia*. Verum S. Doctor hanc vocem sic non legit, nisi ut inde allegoriam eliceret; quod satis declarant hæc, quæ subjicit, verba: *Alioquin, & juxta allegoriæ legem, post tantos puteos in fine virtutum, nequaquam congruit, ut Isaac aquam minime repererit.* Sanctum porro Doctorem *in rebus levissimi momenti, & quæ pluribus sensibus, absque ullo veritatis præjudicio exponi possunt*, ut loquitur Sixtus Senensis supra laudatus, à communi & recepta lectione, ut ejuscemodi allegorias consectaretur, interdum recessisse jam diu est quod observarunt viri doctissimi.

Pag. xxxj.

Vide D. Buxtorf. de punct. antiq. p. 146. &c.

Demum sic urget eruditus Canonicus: Hebræis tres duntaxat esse literas *S* expresse asserit S. Hieronymus, minime vero quatuor. *Nos & Græci*, inquit, *unam tantum literam S habemus, illi vero tres, SAMECH, SADE, & SIN, quæ diversos sonos possident.* Hæc S. hujus Patris verba in tomo I. jam exposuimus, ubi diximus eum sic loquutum, vel quod ejus ætate sonus literæ שׂ cum sono literæ ס à Judæorum vulgo, ut nunc fit, jam confunderetur; vel quod *varietatem accentus* pro literæ varietate non acceperit. Enim vero, ex eo quod *s* inter duas vocales ut *z* proferamus, v. g. *misericordia*, quasi scriptum esset *mizericordia*, an idcirco duplicem literam *s* habere dicimur? Satis superque de hoc argumento. Transeamus ad aliud.

Comment. in epist. ad Tit. tom. 4. nov. edit. part. 1. col. 437.

Pag. 7. col. 2.

V. ARGUMENTUM.

« NON solum in nominibus propriis, verum etiam in aliis vocibus legendis Massorethæ longissime recedunt à LXX. Origene, & S. Hieronymo, ut liquet ex scriptorum illorum operibus, in quibus voces Hebrææ non paucæ Græco aut Latino charactere scriptæ, & modo à Massorethis diversissimo lectæ conspiciuntur. Ergo, &c. »

Proleg. pagg. 15. 16.

CONFUTATIO.

ARGUMENTORUM omnium, quæ hucusque attulit D. Masclefius, hoc videtur speciosissimum. At si paulo diligentius illud expenderis, nullius esse roboris facile deprehendes. Enim vero, ut ex eo aliquid adversus punctationem Massorethicam colligi posset, necesse foret ut voces illæ, quales ab auctoribus laudatis scriptæ sunt, ad nos usque pervenissent intaminatæ. Verum à librariis, quibus erant

barbaræ atque insolentes, tam miserabiliter depravatæ sunt, ut nihil inde solidi adversus Massoretharum punctationem inferi posse judicaturus sit vir in librorum tum editorum, tum manu descriptorum lectione vel mediocriter exercitatus. Ex innumeris exemplis, quæ huc congerere possem, unum duntaxat aut alterum ex Scriptura & Josepho lectorum oculis subjiciam. Isai. 15. v. 9. vocem דִּימוֹן Lxx. Vatic. Aq. Symm. & Theod. scribunt Δειμὼν vel Διμὼν, recte; edit. Complut. Διβῶν, Vulg. *Dibon*, Ald. Δεβὼν, mſ. Alex. Ῥεμμών. Josephus memorat vicum quemdam trans Jordanem situm, quem ait significare *οἶκον ὑσσώπου*, *domum hyssopi*, quique proinde Hebraïce erat בֵּית אֵזוֹב, vel Hebræo-Syriace בֵּית אֵזוֹבָא, Græce autem Βηθεζὼβ aut Βηθεζωβᾶ. Porro nomen istud cum in editis, tum in mſ. codicibus Josephi, necnon [a] Eusebii & [b] Nicephori, qui Josephum eo in loco exscribunt, adeo depravatum est, ut vix idem credideris. In iis enim legitur Βαθεχὼρ, Ἀμβαθακὼρ, Βαθεζὼρ, Βαθεχζὼρ, Βηθεζυβᾶ, Gelenius in Josepho, *Vetezobra*, legebat in suo mſ. Βηθεζωβεᾶ. Optime Ruffinus in Euseb. *Bethezob*.

De bel. Jud. l. 7. c. 8. pag. 954. edit. Gen. 1611.

[a] *Hist. Eccle. l. 3. c. 6. p. 79. edit. Paris. 1659.*

[b] *Lib. 3. c. 7. pag. 234. edit. Paris. 1630.*

Recens non est vocum Hebræarum in libris cum Græcis tum Latinis ejusmodi depravatio. Eam graviter conqueritur S. Hieronymus, cujus verba in tomo I. jam laudata, ut lectoribus ea requirendi labor eximatur, hîc iterum posuisse non pigebit. *Et diligentem & studiosum lectorem admonendum puto*, inquit, *SI TAMEN SCIENTIA SCRIPTURARUM, ET NON VANIS ORATORUM DECLAMATIONIBUS DUCITUR; ut sciat omnia prope verba Hebraïca & nomina, quæ in Græca & Latina translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta; & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraïcis facta esse Sarmatica, imo nullius gentis; dum & Hebræa esse desierint, & aliena esse non cœperint.*

Pag. 37. c. 2.

Comment. in c. 40. Ezech. v. 7. tom. 3. nov. edit. col. 981.

Insignis hujus amanuensium in describendis peregrinis vocibus oscitantiæ; sive potius imperitiæ, luculentum nobis exemplum suppeditat Plautus in sexdecim versibus Punicis, quorum est initium: *Nythalonim valonuth*, &c. Hi versus commutatis literis ac vocalibus, conjunctis vocibus disjungendis, & disjunctis una conjungendis, sic ab imperitis librariis deturpati sunt, ut eos nunquam intellexissent, nedum in iis restituendis operam collocassent, viri doctissimi Paræus, Seldenus, Portus, Bochartus, &c. nisi Plautus ipse decem priores, qui in sex posterioribus repetuntur, Latine sic fecisset: *Deos, Deasque veneror*, &c. Hebræa itaque vocabula Græcis aut Latinis characteribus, & cum vocalibus diversis ab iis, quas suppleverunt Massorethæ, in Origenis, Hieronymi, aliorumque Patrum cum Græcorum, tum Latinorum

Pœnul. Act. V. Scen. I.

operibus descripta, Massorethicam punctationem non modo non labefactant: sed etiam mirum in modum eam adstruunt; cum in iis quantumlibet depravatis haud obscura illius adhuc supersint vestigia.

Quod ad nomina propria speciatim attinet, jam in tomo I. diximus mirum videri non debere hæc aliter à Lxx. aliter à Massorethis fuisse pronuntiata. Septuaginta enim non solum Græca terminatione sæpius ea donarunt, verum etiam in prioribus & intermediis syllabis, ne duriora viderentur, illa, quantum potuerunt, & per eorum naturam liquit, emollire conati sunt. Hinc ex דָּרְיָוֶשׁ, fecerunt Δαρεῖος *Darius*; כּוֹרֶשׁ, Κῦρος *Cyrus*, &c. quæ nomina Persica sunt apud Massorethas, ut liquet ex *Xerxes*, *Cambyses*, &c. minime vero apud Lxx. Præterea, cum Hebræis quædam literæ sint, puta ח & ע, quas neque Græci, neque Latini habeant; eas vel aliis literis affinibus expressere, vel penitus neglexere. Ex quo fit, ut iis resectis cum earum vocalibus, idem syllabarum numerus, quem tamen postulat eruditus Canonicus, apud Græcos ac Latinos nequaquam inveniatur, qui apud Hebræos. Exemplo sit *Jacobi* nomen יַעֲקֹב, quod Hebræis trisyllabum est *Iaacob*, יַ Ia unicam syllabam constituente, Latinis autem disyllabum *Jacob*; quia omissa est litera ע, cum ejus vocali, qua expressa, nomen istud trisyllabum quoque fuisset Latinis, *Jaacob*; Græcis vero ex quatuor syllabis compositum, Ἰαακώβ; quibus tamen solummodo trisyllabum est, Ἰακώβ. Pag. 451. Epist. pag. 5.

Præterea nomina illa, si pauca quædam sermone quotidiano trita exceperis, ab imperitis amanuensibus non minus vitiata sunt, quam reliquæ voces Hebraïcæ, ut planum nobis faciet Græcorum Latinorumque Bibliorum tum editorum, tum manu descriptorum secum invicem contentio. At labore isto nos levavit D. Masclefius, qui ex septem nominibus, quæ Massorethice lecta in hujuscemodi varietatis exemplum attulit, duo depravavit, nempe *Rechabegham* pro *Rechabgham*, & *Achaschaveros* pro *Achaschveros*; in priori enim רְחַבְעָם Massorethæ non legunt *Scheva* sub ב, proindeque redundat secundum *e* in *Rechabegham*: in posteriori autem אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ prius שׁ notatur cum *Scheva*, & quidem muto; minime vero cum (·) aut (-); unde tertium *a* supervacaneum est in *Achaschaveros*. Sed errorem hunc facile condonatum velim erudito Canonico, qui ne ipsam quidem punctorum quorumdam vocalium figuram sibi cognitam esse profitetur, nedum illi explorata sit eorum scribendorum legendorumque perfecta ratio. Attamen priusquam sic vituperetur Massorethica punctatio, ea, majori saltem ex parte, cognoscatur necesse est. Proleg. p. 19.

VI. ARGUMENTUM.

Proleg. p. 18.

» A Massoretharum diebus ad nostros aliquatenus variavit puncta-
» tio seu pronuntiatio, quam vocant Massorethicam. Observarunt
» viri doctissimi punctum *Camets*, quod per *a* efferunt recentiores, à
» Massorethis fuisse per *o* pronuntiatum.

CONFUTATIO.

Viri illi doctissimi, qui, teste D. Masclesio, punctum *Qamets* à Massorethis *o* pronuntiatum observarunt, sunt, ni fallor, unus [a] Morinus, qui id elicere conatur ex Aben-Esra. Verum hoc non dicit is Rabbinus, cujus hæc verba sunt: [b] *Motio Qamets magnum composita est ex pathahh magno & hholem; ideoque figura ejus similis est figura amborum; quoniam ex ambobus collecta est. Os quoque contrahitur in ejus lectione, nec aperitur, ut fit in pathahh magno, ut nos in his locis illud legimus. Verum Tiberienses & sapientes Ægypti & Africa sciebant pronuntiationem Qamets magni.* An hîc dicit Aben-Esra Qamets à Massorethis pronuntiatum fuisse *o*? Nonne dicit tantummodo figuram ejus compositam esse ex Pathahh magno & Hholem, & in ejus prolatione os contrahi, neque illud pronuntiari ut Pathahh? Quis id negaverit, cum in mss. codicibus non paucis, & in antiquis editionibus qamets sic (ֳ) pingatur, nempe cum (-) & hholem deficiente infra scripto? Adeat eruditus Canonicus nostrum tom. I. pag. 15. in Append. Quid igitur sibi vult Aben-Esra? Unum id duntaxat, nempe motionem hanc pronuntiandam non esse *a* clarum & apertum, quomodo pronuntiatur *pathahh*; sed *a* obscurum, mixtum scilicet ex *a* & *o*, adeo tamen ut sonus *a* prævaleat, ut diximus in tom. I. loco mox laudato. Alioquin si Qamets efferatur per *o*, quomodo sonus ejus distinguetur ab *Hholem*? At, inquit Aben-Esra, in motionis hujus prolatione os contrahitur. Quid tum? Nonne etiam contrahitur in prolatione *a* obscuri? Idem quoque contrahitur in pronuntiando *u* vel *ou*, ergo Qamets pronuntiatur etiam ut *u* vel *ou*. Non dicit itaque Aben-Esra quod hîc illi affingit Morinus: sed aliud, quod ejus ac D. Masclesii de Massoretharum imperitia opinationi è diametro adversatur; ait enim Tiberienses scivisse veram ac genuinam qamets magni pronuntiationem; ergo tam rudes non erant, secundum Aben-Esram, quam putant Morinus ac D. Masclesius.

a *Exercit. Bibl. lib. 2. Exercit. 18. c. 8. num. 3. p. 543.*
b *Lib. elegant. init.*

VII. ARGUMENTUM.

EXPERIENTIA constat his temporibus Judæos circa pronun- « tiationem Hebraïcam sibi non constare. Aliter enim pronun- « tiant Judæi Orientales, aliter Occidentales. Inter Europæos, aliter « Lusitani, aliter Germani. Hic legit v. g. *Abravanel, Cozri, Gheon,* « &c. ille *Abarbinel, Cuzari, Gaon,* &c. Christiani non minus scindun- « tur in varias loquelas; idque discrimen tantum est, ut non raro, qui « diversarum aut provinciarum aut urbium scholas frequentant, imo « qui diversis præceptoribus aut rudimentis usi sunt, vix sese intelli- « gant. Adeo verum est sciri nunc non posse, nec à Massorethis sciri « potuisse, quæ fuerit primæva linguæ Hebraïcæ pronuntiatio. Denique « idem nobiscum de Massoretharum imperitia sentit Joannes Drusius.

Proleg. p. 18.

Ibid p. 28. & seqq.

CONFUTATIO.

JUDÆOS hodiernos circa pronuntiationis Hebraïcæ accidentia à se invicem discrepare mirum non est, cum unusquisque Hebraïcæ suæ prolationi patriam vocem admisceat. Sed discrimen illud tantum non est, quantum illud hîc exaggerat D. Masclefius. Vidi enim egomet peritos diversorum regnorum Judæos, qui sese invicem Hebraïce loquentes facile intelligebant, quosque nullo negotio intelligebam ipse, & à quibus vicissim intelligebar. At qualicunque diversa ratione voces Hebraïcas pronuntient variarum orbis partium Judæi, eas punctis instructas eodem modo scribunt; nisi quod Orientales ab Occidentalibus discrepent in quibusdam motionibus; quas alii plenas, alii defectivas, alii magnas, alii parvas sequente Maqqaph, exarant. Verum hæ & aliæ similes discrepantiæ, quas in catalogis ad calcem Bibliorum quorumdam excusis videre est, nihil in pronuntiationis substantia mutant, argumentoque sunt puncta vocalia, si figuram eorum exceperis, pro suo arbitrio à Massorethis conficta non fuisse, sed à traditione, quæ apud Judæos, à tempore quo lingua Hebraïca erat in usu, semper obtinuit, profluxisse. Alioquin ab aliis omnibus Judæis uno consensu explosa fuisset nova illa fictitiaque pronuntiatio. Quod pertinet ad Judæos quosdam indoctiores, & Christianos nonnullos, qui bonis Grammaticis aut præceptoribus usi non sunt, pronuntiationis eorum vitia non præstamus.

At mirari satis non possum sagacissimo Canonico non suboluisse quid

nomina inter propria Biblica & alia recentiora intersit discriminis; neque eum animadvertisse hæc alio atque alio modo à Judæis hodiernis pronuntiari, quod circa eorum prolationem nulla traditione innitantur; dum illa secundum traditionem à majoribus suis acceptam similiter & uno modo, quod ad prolationis substantiam attinet, efferunt. Enimvero, si quis D. Masclefii nomen pronuntiatum nunquam audivisset, sed illud solis literis consonantibus *Msclf* scriptum vidisset, nonne pro *Masclef*, pronuntiare posset *Masclaf*, *Masclif*, &c. Quid, si sua cuique consonanti vocalis adderetur, v. g. *Masacalaf?* Et sic de aliis propriis nominibus. Hinc est quod ex Judæis alii pronuntient *Abarbanel*, al. *Abarbinel*, alii *Abarbenel*, al. *Abarbaniel*, al. *Abrabinael*, alii *Abravanel*, &c. Eadem de causa alii proferunt *Cozri*, al. *Cozari*, al. *Cuzri*, &c. Quod spectat ad *Gheon*, aut potius *Gaon*, præterquam quod non est nomen proprium, ut arbitrari videtur D. Masclefius, sed commune, *excellentiam*, *superbiam*, *elationem*, &c. & apud Rabbinos *excelsum*, *sublimem*, &c. significans; haud scio an deceptus fuerit D. Masclefius mendo typographico, quod in Morini Exercitationes Biblicas irrepsit, ubi quandoque scriptum reperitur *Gheon* pro *Ghaon* sive *Gaon*, quod interdum etiam ibidem legitur. Forte etiam eum fefellit nominis hujus vel pluralis numerus, qui est *Geonim*, sed à singulari *Gaon*; vel idem singularis numerus in regimine positus, aut cum affixis compositus, in quo (ָ) mutatur in (ְ), & ex גָּאוֹן *Gaon* fit גְּאוֹן *Geon*. At nullus, opinor, nisi in grammatica Hebraïca, & nominum Hebræorum originatione ac forma plane rudis, *Geon* in statu absoluto, aut *Gaon* in constructo & cum affixis pronuntiaverit.

Joannem Drusium nihil moror; is enim cum Massorethicam punctationem iisdem argumentis, quibus D. Masclefius, oppugnet, jam confutatus est.

Satis superque, ni fallor, in convellendo hoc tertio D. Masclefii principio ostendimus, 1°. Quod in SS. voluminibus superest linguæ Hebraïcæ, id à Judæorum si non majori, saltem nobiliori parte, ita cultum fuisse, ut, si forte nomina quædam animalium, gemmarum, &c. exceperis, ad Massorethas usque facile pervenerit ejus notitia. 2°. Quam Rabbini illi nobis tradiderunt Hebraïce legendi rationem, eam à veteri tantum non discrepare, quantum sibi ipse animo fingit eruditus Canonicus: aut saltem ejus argumenta id nequaquam demonstrare; quæ duo probanda susceperamus. Nunc reliqua supersunt exponenda confutandaque, sed breviori stylo, ejusdem viri docti principia.

IV.

IV. PRINCIPIUM.

UT lingua Hebraïca accurate & integre ediſcatur, nihil refert ſcire quæ fuerit primæva, aut etiam quæ ſit ei propinquior linguæ Hebraïcæ pronuntiatio. Quemadmodum enim ut quis linguam Græcam integre & accurate ediſcat, nihil refert utrum illam pronuntiet juxta ritum, qui in pleriſque Collegiis, ac in univerſa Græcia nunc viget; aut uti fit in aliis ſcholis, quæ morem antiquum revocaſſe ſe exiſtimant; cum nihil rebus ac ſenſui detrahatur: ita ut verborum Hebræorum ſenſus penitus inſpiciatur, nihil refert utrum pronuntientur Orientalium, an Occidentalium Judæorum ritu, Hiſpanorum an Germanorum, an nova aliqua ratione & à ceteris omnibus diſcrepante; dummodo intacti ac integri ſerventur characteres, in quibus ſita eſt ſignificandi vis, non in modo, quo characteres illos lubet enuntiare.

Proleg. p. 31. & ſeq.

Quinimo ſi hodie è tenebris integra eruerentur Hexapla vel Octapla Origenis, in quibus Textus Hebraïcus Græcis characteribus totus propria & diſtincta columella erat olim deſcriptus, prout tunc à Judæis pronuntiabatur ac legebatur; neſcimus utrum expediret eam pronuntiationem ſequi in omnibus, novamque Grammaticam juxta iſtam pronuntiationem condere. Semper enim & merito dubitari poſſet utrum Judæi tempore Origenis antiquam pronuntiationem ſervaſſent; conſtat enim Hexaplorum fragmentis LXX. Aquilam, Symmachum, & Theodotionem, qui Origenem præceſſerunt, in pronuntiatione Hebraïca non raro inter ſe diſcrepare. Dubitaretur inſuper num Origeniana pronuntiatio Scripturæ ſenſum non reſtringeret intra arctiores limites. Militarent certe contra eam, adde & Hieronymianam, & aliam quamlibet è veteribus, eadem fere argumenta, quæ contra Maſſorethicam militant, & referentur infra.

CONFUTATIO.

UT lingua Hebraïca accurate & perfecte diſcatur, ſic legi ac pronuntiari debet, ut cum literis conſonantibus veræ ac genuinæ vocales conjungantur; ex ambarum enim ſecum invicem compoſitione germanus oritur vocum Hebræarum ſenſus. Nam ſic ſunt, ut jam probavimus, conſonantes, ut vocalibus deſtitutæ nihil ſignificent; & eædem cum diverſis vocalibus compoſitæ, ut diverſos ſonos, ſic diverſos effi-

ciant sensus. Hinc est, quod Græca lingua sive veterum, sive recentiorum Græcorum more pronuntietur, accurate & perfecte disci queat, cum in utrovis ejus pronuntiandæ modo genuinæ cum vocales, tum consonantes retineantur. At longe aliter accidit in nova legendi pronuntiandique ratione, quam proponit D. Masclefius; in ea siquidem solæ literæ consonantes adhibentur, pronuntianturque ope vocalium, quas ipse falsas nec Hebraïcas esse agnoscit, quæque literis consonantibus adjectæ nullum fundunt sensum, nullam nec loquentium, nec audientium animis ingenerant ideam.

In solis characteribus Hebræis sitam esse significandi vim, commentum est jam à nobis explosum. Enimvero, cur in Hebræa lingua potius quam in Græca & Latina, solæ consonantes vim significandi habeant, si ostenderit D. Masclefius, erit nobis magnus Apollo. Discrimen igitur linguam Græcam inter veterum aut recentiorum Græcorum modo, & Hebraïcam D. Masclefii ritu pronuntiatam intercedit quammaximum; nec causam Masclefianam quidquam adjuvat alterius pronuntiationis cum altera facta contentio.

Supra pag. xlv. & seqq.

Si hodie è tenebris eruerentur integra Origenis Hexapla vel Octapla, nobisque præterea de illorum sinceritate, necnon scriptoris eruditione Hebraïca, de qua jure dubitant eruditi non pauci, constaret; quin pronuntiationem in iis contentam sequi deberemus, futurum nullum esse ambigendi locum existimo. Ea enim foret eadem atque Massorethica, nempe quod pertinet ad ejus substantiam, hoc est, earumdem vocalium cum literis consonantibus compositionem; neque rem aliter se habituram facile probaverit eruditus Canonicus. Eadem de causa novam grammaticam ad istam pronuntiationem condere supervacaneum esset atque inutile; cum à Massorethica non discreparet.

Argumento, quod petitur à diversa ratione, qua LXX. Aquila, Symmachus, & Theodotio pronuntiarunt, jam fecimus satis. Alia, quæ adversus Origenianam, Hieronymianam, & quamlibet è veteribus pronuntiationem militatura scribit D. Masclefius, exponendi confutandique infra sese dabit occasio.

Supra pag. xxix. & seqq.

V. PRINCIPIUM.

Proleg. p. 34. & seqq.

» UT textus sacer Hebraïcus rite intelligatur, legendus est absque
» punctis Massorethicis, aut saltem punctorum istorum nulla
» habenda est ratio. Hæc propositio, quæ novæ Grammaticæ funda-
» mentum est præcipuum, conceditur nunc ab omnibus S. Scripturæ

interpretibus tum Catholicis, tum Heterodoxis, qui apud eruditos « in aliquo ſunt pretio; & merito quidem, nam «

I. Puncta Maſſorethica textui additítia ſunt & extranea, nec ſunt « pars Scripturæ Sacræ. «

II. Puncta illa nobis non exhibent ſcriptoris ſacri ſenſum, ſed tantum « Maſſoretharum, quos in punctatione & pronuntiatione definienda « nihil minus fuiſſe, quam ab omni errandi periculo tutos conceditur. « Unde, qui Scripturam Sacram juxta Maſſorethicam punctationem « legunt, eam ſinceram & ab omni labe puram non legunt, ſed Maſ- « ſoretharum in eam commenta & gloſſemata. »

III. Puncta Maſſoretharum ex ſuo inſtituto, ſuaque natura verborum « ſenſum determinant, & ad hanc ſignificationem potius, quam « ad aliam coarctant. Porro ſi vituperantur ab omnibus interpretes, « qui ſenſum Scripturæ coarctant, ac juxta cogitata ſua reſtringunt: à « fortiori damnandi ſunt Maſſorethæ, qui Scripturam ita legunt, ac « legi volunt, ut illum tantummodo ſenſum exprimat, quem ei affingunt « ex præconceptis ſuis opinionibus, quæ tantum abeſt ut Chriſtianæ « veritati conſentiant, ut contra ſæpiſſime ipſi è diametro adverſentur. « Eo conſilio in Iſaiæ vaticinio: *Parvulus natus eſt nobis*, &c. « *Cap. 9. v. 6.* verbum ויקרא, quod antiquiſſimi interpretes Lxx. Aq. Sym. SS. Ignatius « & Irenæus paſſive interpretati ſunt, *& vocabitur;* Maſſorethæ « punctis ad ſenſum activum illud determinantibus inſtruxerunt, adeo « ut, ſecundum eorum legendi rationem, hunc ſenſum præ ſe ferat: « *Et vocabit nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater* « *futuri ſæculi, principem pacis.* Sic unius voculæ prava punctatione, in- « quit Morinus, hoc Divinitatis Chriſti teſtimonium omnino depravant. « Quo in loco Maſſoretharum inſidias omnes ab una licet diſcere. «

Exerc. Bibl. l. 1. Exerc. 6. c. 1. num. 11. p. 102. col. 2.

Tam peremptorio Morini exemplo ſubnectere libet & aliud, quo « Judaïcæ gentis, etiam minus peritæ, indoles non incongrue declarabitur. « «

Anno 1712. *circa Auguſti initium aliquot dies Ambiani commorati ſunt Judæi duo Metenſes. Seniori ac doctiori nomen erat* Daniel Zei, *alteri* Elias Prag. *Collocuti ſimul pluries de religione, venimus tandem ad celebre Jacobi vaticinium, Gen.* 49. Non auferetur ſceptrum de Juda. *Aienti mihi clare inde conſequi jam præteriiſſe tempus adventui Meſſiæ præſignatum; nihil tenes, inquit* Daniel Zei: *male enim pauſas ſeu diſtinguis hunc verſum. Et unde hoc, inquam? Nonne ita legendum eſt?* Non auferetur ſceptrum de Juda, *virgula,* & Dux de femore ejus, *virgula,* donec veniat qui mittendus eſt, *punctum. Nunquid non finitur ſenſus in voce* רגליו, *& vox ſe-*

Proleg. p. 40. & 41.

quens עד כי incisi novi initium est? Id certe & loci sententia, & veterum consensus exposcit. Quin & idipsum probat accentus Athnach sub voce רגליו etiam in vestris Bibliis collocatus hoc modo רגליו. Erant præ manibus Biblia Rabbini Menasseh Ben Israël. Subridens Daniel, nondum mysteriis nostris plene initiatus es, inquit. Vide accentum sequentem sub voce עַד. Munus illius est efficere ut vox, cui subjacet, præcedenti connectatur. Et quanquam id per se non indubie præstaret, præstaret tonus Musicus hujus vocis. Cum enim à nobis decantatur versiculus ille, vocem attollimus ad vocabulum עד, & aliquantulum pausamus: deinde cum particula כי hemistichium aliud inchoamus. Unde fit ut hujus loci sensus iste sit. Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus in æternum, *virgula*, quando venerit Messias, &c. Argumentare nunc quantum volueris, quid inde aut pro te, aut contra nos inferes?

Instabam ut facile erat; sed frustra novitatem lectionis, veterumque Rabbinorum in isto versu nostro more legendo consensum regerebam homini vim argumenti nequidem sentienti. Quod addebam de accentu Athnach, *verum esse confitebatur; sed aiebat exceptionem pati ob rationes à se allatas. Clarum erat mihi vendi fumum: sed quid agerem cum homine gentis illius, quæ juxta D. Paulum,* 2. Cor. 3. 14. *velamen habet supra cor, ne in lectione veteris testamenti agnoscat quod revelatum est.*

Hanc porro Historiolam non ideo commemoravi quod existimem Judæorum omnium, aut etiam doctiorum eamdem esse sententiam circa hujus versiculi pausationem; sed ut exemplo familiari manifestum fiat doctos & indoctos pariter apud illos, nullum non movere lapidem, quo concutiant genuinum sensum locorum quibus fidei Christianæ mysteria fulciuntur; & consequenter Christianis omnibus ab eorum punctis, accentibus, & cæteris quisquiliis esse cavendum.

CONFUTATIO.

SI verum est, quod ait D. Masclefius, hanc propositionem: *Ut textus Hebræus rite intelligatur, legendus est absque punctis Massorethicis, aut saltem punctorum istorum nulla habenda est ratio*, præcipuum esse novæ grammaticæ fundamentum; ea sane ruinosissimis innititur fundamentis. Ut enim propositionis hujus falsitas demonstretur, satis est, quod hanc ei contrariam, eamque verissimam, opponamus: Ut textus Hebræus rite intelligatur, legendus est cum nativis suis vocalibus; nam literæ solæ consonantes, ut nihil sonant, ita significant nihil, quemadmodum fuse ante probavimus; & cum vocalibus arbitrariis compositæ nullum certum ac definitum, ut cuique patet, & supra etiam ostendi-

mus, fundunt ſenſum. Atqui, fatentibus Judæis omnibus, & inter Chriſtianos, Cappello ipſo, puncta Maſſorethica nativæ ſunt textus Hebræi vocales. Ergo ut textus Hebræus rite legatur, legendus eſt cum punctis Maſſorethicis. His præmiſſis, ad argumenta D. Maſclefii veniamus. Vide ſupra pagg. ix. x.

I. Puncta Maſſorethica textui additiția ſunt & extranea, neque ſunt pars Scripturæ, inquit eruditus Canonicus. Id verum eſſe fatemur, ſi figuram eorum & Hebræo textui inſcriptionem attendas; nam puncta illa & invenerunt, & Hebræis codicibus adjecerunt Maſſorethæ: at ſi naturam eorum, & cum literis conſonantibus ad ſignificandum compoſitionem ſpectes; æque ſunt pars Scripturæ, ac literæ ipſæ conſonantes, quibus nec antiquitate, nec auctoritate concedunt. Ut enim in Græca & Latina lingua dictionum partem, & quidem præcipuam, componunt vocales: ita & in Hebræa. Id duntaxat intercedit diſcriminis, quod in Græca & Latina jam inde à primis temporibus, ut videtur, expreſſæ fuerint vocales, in Hebræa vero ad Maſſorethas uſque in vocibus quamplurimis ſubintellectæ. Sed propterea aliæ aliis non ſunt certiores; nec quas Maſſorethæ punctis à ſe excogitatis expreſſerunt, eæ natura diverſæ ſunt ab iis, quæ inter legendum ab omni ævo ſupplebantur. Nam eodem fere modo judicare licet de vocalibus Hebræis primum ſubintellectis, deinde à Maſſorethis Tiberienſibus apiculorum ſuorum ope expreſſis, ac de vocalibus, imo & literis quibuſdam Latinis in poſterioris ævi mſſ. codicibus & editionibus Gothicis inter ſcribendum & excudendum compendii gratia prætermiſſis. Quemadmodum enim in recentioribus ſcriptionibus & editionibus, in quibus voces integræ ſcribuntur & excuduntur, eædem vocales & conſonæ poſitæ ſunt, quæ antea ſupplebantur: ita in Hebræa lingua Maſſorethæ punctis ſuis eaſdem vocales expreſſere, quas inter legendum ſupplebant veteres, quaſque ſervavit idem uſus, qui ſæculis aliquot Latinas in vocibus quamplurimis retinuit.

II. Si puncta Maſſorethica nobis non exhibent verum Scriptoris ſacri ſenſum, ut opinatur D. Maſclefius, ſed eum duntaxat, quem ei tribuerunt Maſſorethæ, qui ἀναμάρτητοι non fuerunt; & ſi qui Scripturam ſecundum punctationem Maſſorethicam legunt, eam non legunt ſinceram, ſed Maſſoretharum in eam commenta & gloſſemata; neceſſario inde ſequitur verum Scriptoris S. ſenſum in Vulgata noſtra editione nobis nequaquam exhiberi, ſed commenta & gloſſemata Judæorum, à quibus linguam Hebraïcam edoctus S. Hieronymus verſionem hanc maxima ex parte adornavit. Nam Judæi illi textum Hebræum aliter non legêre, quam eum poſtea legerunt, ac legendum eum tradiderunt

Massorethæ. Hine cum punctatione sive lectione Massorethica Vulgatæ interpretationi adeo convenit, ut eam post inventa puncta natam crediderit Nicolaus de Lyra jam laudatus. *Supra p. xxxj.*

III. Verum quidem est punctis Massorethicis ad certum quemdam sensum voces Hebraïcas determinari: at sensus ille, sensus est Mosis, Prophetarum, aliorumque Scriptorum θεοπνεύστων, ut fatentur omnes ad unum Judæi, Christiani veritatis Hebraïcæ amatores, neque Cappellus ipse diffitetur. *Vide supra pagg. ix. x.*

Præterea si hoc nomine rejicienda sunt Massoretharum puncta vocalia, quod Scripturæ sensum coarctent ac restringant: rejiciendæ quoque sunt omnes Scripturæ versiones; illæ siquidem Scripturæ sensum non minus restringunt, quam puncta Massoretharum; cum linguæ, in quas Scriptura conversa est, voces Hebræis omnibus ex æquo respondentes non habeant, & versionum illarum auctores, utpote à Spiritu Sancto nequaquam afflati, proindeque ab omni erratione minime liberati, Scripturæ sensum juxta cogitata sua restrinxerint. Neque versionum respuendarum numero eximetur Vulgata, si audiatur D. Masclefius, qui ait *eadem fere argumenta, quæ contra Massorethicam pronuntiationem militant, adversus Origenianam, Hieronymianam, & quamlibet è veteribus esse militatura.* Quæ sunt illa argumenta? *Dubitaretur* (scilicet) *num Origeniana pronuntiatio* (si è tenebris erueretur) *Scripturæ sensum non restringeret intra arctiores limites.* Itaque, secundum D. Masclefium, dubitari potest num ipsa etiam S. Hieronymi pronuntiatio, proindeque interpretatio, quæ pronuntiationis fœtus est, Scripturæ sensum intra arctiores limites non restringat. Ergo si rejicienda sunt puncta Massorethica, quod Scripturæ sensum coarctent, rejicienda quoque est Vulgata Latina interpretatio. *Proleg. p. 33.*

Quod pertinet ad crimen post Lutherum, Calvinum, Morinum, & paucos alios recentiores, à D. Masclefio Massorethis impactum, quasi pravum suum erga Christianos affectum sequuti, quædam Scripturæ loca, maxime vero illud Isaiæ vaticinium: *Et vocabitur nomen ejus,* &c. punctatione sua insigniter depravarint; quod pertinet, inquam, ad illud crimen, id in tomi I. [a] præfatione, & [b] supra sic dilui; ut quæstionem hanc eo loci retractare supervacaneum esse videatur. Legat itaque, &, si potest, intelligat loca illa declamator, & quæstiunculis suis responsionem inveniet. Enimvero, is lepidus homo est, dum quærit à me, v. g. quid fecissent Massorethæ, si futurum istud יקרא, quod active punctarunt, active etiam intellectum voluissent; & ubinam passive illud intelligendum nos docuerint? Quæro ego vicissim ab eo, *Cap. 9. v. 6.* *a Pagg. xj. xij.* *b Pag. xxxiij.* *Epist. p. 16.*

quid fecissent iidem Massorethæ, si verba, quæ in viginti & amplius exemplis in tomo I. positis active punctarunt, active etiam intellecta voluissent; & quonam in loco ea passive accipienda, quo sensu ab omnibus, & ab ipso etiam, ut puto, D. Masclesio accipiuntur, nos monuerint? Num his etiam in locis fraudem Christianis facere voluerunt? Quidquid mihi responderit declamator, id à me sibi responsum iri existimet. Nec satis, veterum quorumdam interpretationem cum eorum lectione confundit, quasi aliud ex alio necessario semper consequeretur. Veteres quidam futurum ויקרא passive interpretati sunt, ergo passive legerunt. Quæ consequutio? Iidem in plerisque exemplis superius memoratis verba passive transtulerunt; ergo ea passive legerunt. Nullus, opinor, & ne ipse quidem D. Masclesius, id consectarii probabit, cum Grammaticæ Hebraïcæ canonibus, ad ipsas etiam literas consonantes quod attinet, interdum adversetur. • Pagg. 531. 532.

Sed neque verum est, quod ait declamator, futurum istud *à veterum interpretum torrente passive esse redditum;* nam Lxx. secundum ms. Alex. active illud interpretati sunt: *κ̀ καλέσει & vocabit.* Aquila in altera sua versione, quam κατ' ἀκρίβειαν vocant, quod in ea *non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus sit*, inquit S. Hieronymus in sua de optimo genere interpretendi ad Pammachium epistola, & Theodotio verterunt *κ̀ ἐκάλεσε & vocavit.* Ex his duabus ultimis versionibus in tomi I. præfatione à me laudatis patet quantum mihi imponat declamator, cum ait *agnoscere me veterum interpretum turbam futurum istud passive transtulisse.* Nam ex antiquis interpretibus, quorum nobis supersunt loci hujus aut versiones integræ, aut earum fragmenta; solus Chaldæus Paraphrastes, Symmachus, & Hieronymus passive transtulerunt; Aquila vero in accuratiori sua interpretatione, & Theodotio, qui fere Lxx. sequitur, active reddiderunt. Dubii sunt Lxx. cum in aliis exemplaribus, puta ms. Alexandrino, activum; in aliis passivum sensum expresserint. Itaque perperam & à D. Masclesio, & ab ejus interpolatore, malæ fidei, & præconcepti in Christianos odii in activa futuri hujus punctatione insimulantur Massorethæ; cum pluribus ante illos sæculis Aquila, Theodotio, & ipsi etiam fortasse Lxx. active illud transtulerint. Sed unde, inquies, circa vocis hujus interpretationem ea translatorum varietas? Nulla sane alia ex causa proficiscitur, nisi ex eo quod hanc alii active interpretati sint, quia sic revera legebatur, quanvis esset passive intelligenda; alii passive transtulerint, quod eo in loco, habita sensus ratione, aliter verti non posset, quanvis activa esset ejus pronuntiatio.

Epist. p. 15. *Tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 255.* *Pag. xj.* *Epist. p. 15.*

Ibid. Sed quid ſibi vult noſter declamator cum ait: *Quid fecerunt Maſſorethæ? Cum* (futurum iſtud) *paſſive cum veteribus punctare, illudque in dubio paſſivi aut activi ſtatu relinquere debuiſſent: punctis activis illud inſtruxerunt.* Quomodo, ſi paſſiva puncta futuro huic ſuppoſuiſſent Maſſorethæ, in dubio activi aut paſſivi ſtatu illud reliquiſſent? Nonne paſſiva puncta ad ſtatum paſſivum illud reſtrinxiſſent; cum, judice D. Maſclefio, puncta Maſſorethica *ex ſuo inſtituto ſuaque natura, verborum ſenſum determinent, & ad hanc ſignificationem potius, quam ad aliam coarctent?* Aut ſi futurum iſtud à Maſſorethis paſſive punctatum in dubio paſſivi vel activi ſtatu relictum fuiſſet; cur idem punctis activis inſtructum eodem etiam in ſtatu non relinquetur; proindeque omni dolo ac fraude vacabunt Maſſorethæ? Magnus, opinor, ſtrepitus, quo tantopere etiam gaudere videtur iſte declamator, in cauſa fuit cur ad id, quod hîc ſcriberet, animum ſatis non attenderit ſuum.

Proleg. p. 36. Vide etiam pag. 52. &c.

Vide ſupra pag. IV. in fine.

Denique, ut Judæi Metenſis *hiſtoriolam* breviter attingam, is erudito Canonico multipliciter impoſuit. I. Falſum eſt, quod aiebat recutitus ille, in hoc Geneſ. cap. 9. v. 10. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה, pauſam ſive ſenſus diſtinctionem fieri ad vocem עַד; is enim accentus *Iethiv*, licet regius, ibi non diſtinguit, cum ſit honorarius majoris accentus regii, qui ſequitur, nempe *Zaqeph qaton;* proindeque efficiat ut vox עַד, cui ſubjicitur, pertineat ad ſequens comma, quod clauditur dictione שִׁילֹה, quæ notatur cum *Zaqeph qaton*, qui hîc inciſum facit: minime vero ad præcedens membrum, quod finitur ad vocem רַגְלָיו, ubi *Athnahh* diſtinguit, qui alioquin eſſet honorarius regis ſe minoris, nempe *Iethiv* ſequentis; quod proſodiæ Hebraïcæ è diametro adverſatur. II. A veritate alienum eſt Judæos ad vocem עַד modicum pauſare; abeſt enim pauſationis hujus nota, nimirum *Peſiq*. At etiamſi adeſſet, ac pauſarent Judæi, nihilo magis ea pauſula ſenſus diſtingueretur, h. e. non idcirco conſtituendum ibi eſſet inciſum, cum nota illa tantum veniat poſt accentus miniſtros ſive continuantes, & poſt reges minores, qui nihil diſtingunt. III. Judæi Germani, quorum modulationem ſequuntur Metenſes, ad prædictum vocabulum עַד vocem non attollunt, ut patet ex accentuum Hebræorum ſecundum Judæos illos cantillatione, quæ infra pag. 329. deſcribetur. Imo, ſecundum D. Buxtorfium, cantus hujuſce accentus *ſubmiſſus eſt, ſed cum pauſula*, quæ, ſi revera fit, nihil ad ſenſus diſtinctionem facit, non ſecus ac vocis depreſſio aut elatio, ut norunt in muſica exercitati. Has *quiſquilias* ſi perſpectas habuiſſet eruditus Canonicus, *fumum ei non vendidiſſet* imperitus ille Judæus Metenſis; neque ad intempeſtivam

Theſ. gram. pag. 31. edit. Baſil. 1663.

concionem

concionem in hoc prolegomenωn suorum loco ipse se reciperet. *Quid utilitatis habeat magistrorum limina terere, & artem ab artificibus discere*, hinc judicet D. Masclesius. *S. Hieron. Apolog. adv. Ruff. lib. 1. tom. 4. nov. edit. col. 371.*

Sed quid fecisset eruditus Canonicus, si Judæus ille novæ grammaticæ principiis abutens hunc versiculum sic interpretatus esset: *Non castigabit baculus* (virum) *de Juda* (i. Judæum), *maxime doctorem intelligere facientem pedes suos* (h. e. in viis Domini sapienter ambulantem), *quando testis venerit Schilo*, sive *Messias*, ad verbum, *testis quando venerit Schilo*, sive *Messias*, qui Judæos suum revera esse populum, eosque perpetuis calamitatibus ac miseriis opprimendos non esse contestabitur. Hunc sensum verba Hebraïca fundunt, si trium duntaxat vocabulorum puncta mutaveris. Nempe 1°. si pro יָסוּר *auferetur*, legeris יְסוֹר *castigabit*, à יָסַר *erudivit, castigavit*, ex forma partim quiescentium *Pe* (י), partim quiescentium *Aiin* (ו); illa enim verba, ut in tomo I. p. 195. diximus, formas suas non raro commutant; hinc à יָבֵשׁ *aruit*, fit יֵבוֹשׁ Ose. 13. v. 15. *arescet*. 2°. si puncta vocis מִבֵּין *de, de inter*, invicem permutentur, legaturque מֵבִין à בִּין *intelligere*, & in Hiphil הֵבִין *intelligere fecit*; unde Benoni מֵבִין *intelligere faciens*. Nec cuiquam durior videatur illa metaphora; similis enim reperitur in capite præcedenti v. 14. ubi de eodem Jacobo dicitur, quod Manassi & Ephraïmo fausta precaturus, שִׂכֵּל אֶת־יָדָיו *intelligere fecerit manus suas*, id est, prudenter direxerit. 3°. si vocabulo עַד *donec*, loco (-) supposueris (-), sic: עֵד *testis*, quod est Messiæ epitheton Isai. 43. v. 10. & cap. 55. v. 4. Vide infra pag. 88. col. 2. Reliquæ voces Hebraïcæ eas etiam, quas in hujus commatis interpretatione illis tribuimus, significationes obtinent.

Quod pertinet ad alias quasdam figuras & idiomata; frequens est in Scriptura ellipsis substantivi אִישׁ *vir*, quod hîc subintelligimus, & cujus exempla videri possunt in tom. I. pag. 494. col. 1. Sæpe præpositio מ nomini substantivo præfixa adjectivum illud constituit, seu efficit ut adjective exponatur. Vide ibid. pag. 464. col. 2. Copula ו non conjungit modo, verum etiam singulare aliquid in eo, cui adjicitur, interdum significat, exponiturque *præsertim, maxime*, &c. Vide ibid. p. 616. Can. V. Pedibus, metonymice gressus; & gressibus, animi affectiones in Scripturis metaphorice significari nemo nescit. Denique metatheseos כִּי *quia, quando*, &c. exemplum suppeditat Psal. 127. Heb. 128. v. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, pro, *Quia labores*, &c. Vide infra pag. 25. col. 2.

Vides, erudite Masclesi, ut, mutatis trium dictionum punctis vocalibus, elevetur celeberrimum istud Jacobi vaticinium, quo, ut Judæis

Messiam jam venisse demonstret, tam feliciter Christiana hucusque usa est Ecclesia. Cetera eadem facilitate in alienos sensus detorqueri posse non te fugit.

VI. PRINCIPIUM.

Proleg. p. 42. » UT Grammatica Hebraïca bona sit, & à sapientibus possit probari, necesse est ut in Hebraïcæ linguæ notitiam deducat, nulla » habita ratione punctorum Massorethicorum. Hanc propositionem, » quæ ex præcedenti sequitur, non modo concesserunt, verum etiam » demonstrarunt Criticorum omnium probatissimi, atque in primis » Ludovicus Cappellus, quo inter eos, qui ultimo sæculo textui sacro » Hebraïco illustrando allaborarunt, nullus forsan laudatior, & cujus » adeo certa visa sunt principia, ut nunc in controversiam non vocentur, nisi forte à Judæis, paucissimisque quibusdam confessionis Augustanæ Theologis. Inde vero maxime commendanda videntur, » quod cum doctrina Catholica ita concordent, ut tres Theologi è » nostris, primi certe nominis, edendum Parisiis cum Regis privilegio » præcipuum illius opus, nimirum *Criticam Sacram* curatint, quod id » totius Ecclesiæ bono expedire existimaverint. Hoc in opere totus » fere in eo est, ut ostendat grammaticam hodiernam valde esse imperfectam, omnique ope esse enitendum, ut alia de novo instauretur, cujus non paucas regulas proponit, quarum ea principem locum tenet, ut à punctis Massorethicis omnino sit libera.

CONFUTATIO.

CUM ea propositio, secundum D. Masclesium, ex præcedente sequatur; hac refutata, illa quoque confutata sit necesse est. Enimvero, ut grammatica Hebraïca bona censeatur, & à sapientibus probari possit, necesse est ut in linguæ Hebraïcæ notitiam deducat; cujusvis enim grammaticæ finis est linguæ, propter quam discendam componitur, intelligentia. Id autem præstare nequit grammatica Hebraïca sine punctis Massorethicis, quibus orationis partes, earumque modi, ut infra videbimus, distinguuntur; quæque, ut in superioribus ostensum est, secundum naturam suam, & cum literis consonantibus ad significandum compositionem spectata, pars sunt Hebræi textus, & quidem præcipua; cum sint literis, quod est anima corpori. Ergo ut grammatica Hebræa bona sit, debet institui secundum puncta Massorethica, quorum proinde omnino habenda est ratio.

Ludovici Cappelli *Criticam sacram* cum eruditis omnibus plurimi facimus; in ea siquidem utilissimæ regulæ proponuntur, quibus intelligi possit cur in unius ejusdemque Scripturæ Sacræ vocabuli expositione; & à se invicem, & ab Hebræo textu nonnunquam dissideant interpretes. At utrum generatim tam certa sint eruditi illius viri principia, tamque in omnibus cum doctrina Catholica concordent, ut nunc in controversiam non vocentur nisi forte à Judæis, paucissimisque confessionis Augustanæ Theologis, nescio. Sane pleraque momenta, quibus adducti Professores Regii Parisienses, aliique Galliæ nostræ viri Hebraïce docti impedire conati sunt, quominus ea *Critica* typis Lutetiæ mandaretur, adhuc integra perseverant. Ea sunt inter alia, quæ de hoc opere, cum jam jam prelo committendum esset, ad clariss. Buxtorfium scripserunt nostrates Hebræarum literarum cultores. *Critica Salmuriensia Cappelli vix edentur propter oppositionem nostrorum in Hebræo magistrorum, qui se opponunt; quod sequitur ex illa Critica textum Hebræum multis in locis corruptum, & erroneum esse; ne sequatur inde nos in religione Christiana nihil certi posse constituere: Quales enim rivi, si fontes corrupti?* Alius: *Vix ego finem scribendi feceram, cum mihi renuntiatum est quam certissime Ludovicum Cappellum, Salmuriensem Theologum, etiam Regium obtinuisse privilegium, quo suam sacram evulget Criticam. Vidi hoc opus manu scriptum ante menses aliquot, & ex ejus lectione deprehendi editionem istam non tantum magnas excitaturam esse turbas, sed etiam maximum allaturam esse Reipublicæ Christianæ detrimentum. Mirum mihi & penitus impervium, quomodo tandem apud nos obtinuerit, quod à suis nunquam impetrare potuit*, nimirum operis hujus typis mandandi licentiam. Alius Criticam hanc non *sacram*, sed *exsecrandam* appellat, *qua*, inquit, *quilibet textus Biblicus Hebraïcus .... versatilis, dubius, & anceps inducitur & proponitur; qua proinde fidei & pietatis dogmata concutiuntur, & ad Atheismum via lata sternitur; censuitque apud triumviros Regios Senatus supremi Parisiensis conquerendum de privilegio Ludovici Cappelli, & supplicandum ut revocaretur; præsertim cum Dominus N. dum pro Cancellario libros edendos legeret, exitiosum illud Cappelli opus & indignum privilegio judicasset, Genevenses impressionem Criticæ denegassent, & Batavi tale opus ad auctorem remisissent*, &c. Plura vide apud doctiss. Buxtorfium loco supra laudato.

Vindic. Heb. verit. pagg. 32. & 33.

Idem fere judicium, sed argumentis subnixum, de hoc Cappelli libro facit Richardus Simon, *vir*, teste D. Masclefio, *si quis unquam, harumce rerum peritus.* En ejus verba è Gallico idiomate in Latinum de verbo ad verbum translata. *Si Ludovici Cappelli Critica diligentius expen-*

Proleg. p. 88.

Hist. critic.

V. T. lib. 3. cap. 20. pagg. 476. & 477. edit. Roterod. 1685.

datur, inquit, *vereor ne Scriptura αὐθεντίαν, qua sola innituntur Protestantes, aliquomodo evertisse inveniatur. Missis enim variis lectionibus, uniuscujusque arbitrio permittit, ut puncta vocalia, quæ sensum commodiorem parere judicaverit, nulla habita ratione eorum, quæ in Hebræo textu hodierno conspiciuntur, adjiciat. Id autem ex eo adstruit, quod puncta illa vocalia adjecerint Judæi, quibus omnino fidem habere non debemus.* Personæ enim ratio, *inquit*, à qua illa est (*punctatio*), cum sint Judæi, nobis eam commendare non potest aut debet. *At cum Bibliorum textus Hebræus à Judæis veniat* (h. e. apud eos servatus fuerit, & per eos nobis transmissus) *illi, ut videtur, hac in re præ ceteris audiendi sunt; agitur enim lectionis usus, qui apud eos solos conservari potuit. Præterea punctis omnibus ex Hebræo textu sublatis, antiquas vocales ALEPH, HE, VAV, IOD ehevi. dictas adhibet. Verum cum antiquæ illæ vocales sæpius in textu desiderentur; lectionem incertam admodum atque ambiguam esse confitetur. Ad hæc, eas ipsas vocales ab amanuensibus pro libitu adjectas vel detractas fuisse cum alibi probaverim; sequitur nihil ex Hebræo textu, præter consonantes, Cappello remanere. Porro cum, ipso fatente, plures ex his consonantibus similes sint, major, quam vulgo creditur, in iis exscribendis oborta est confusio; quod manuscriptis codicibus non paucis ostendi. Itaque, secundum Cappelli σύστημα, nihil fere ex Hebræo textu, quod certum sit, relinquitur.*

Critic. sac. lib. 6. cap. 4. pag. 391.

Hist. Critic. V. T. lib. 1. c. 11. pag. 69. c. 20. pag. 113. &c. ejusd. edit.

Morinum Ludovico Cappello, ut ejus Critica Sacra typis mandaretur, gratiam atque operam commodasse suam nemo mirabitur, qui quo animo erga textum Hebræum fuerit Morinus, audierit. Id nos docet sodalis ejus idem Richardus Simon mox laudatus. *Nemo est*, inquit, *qui de Bibliorum Critica & copiosius, & doctius Morino Oratorii presbytero scripserit. Is cum multos hodie sectatores habeat, qui in ejus opiniones non satis perpensas cæco impetu ferantur; eas diligentius expendere ab re non erit alienum. Cum primum alteram Septuaginta interpretum editionem, secundum exemplar Vaticanum, publici juris facere, atque Pentateuchum Hebræo-Samaritanum in Bibliis polyglottis Parisiensibus edere in animum induxit suum; de Hebræo textu hodierno pro virili evertendo cogitavit, ut Septuaginta versionem, & textum Hebræo-Samaritanum magis magisque commendaret. Quasi textus Hebræus Judæorum in plerisque locis, ubi à Græca Septuaginta interpretum versione, exemplari Hebræo-Samaritano, imo & Vulgata editione discrepat, corruptionis labe aspergeretur*, &c. Lege caput integrum, in quo Morinum secum ipso pugnare, & majori eruditione quam judicio præditum eum fuisse ostendit Simonius. Videat nunc D. Masclesius, utrum tantus sit, quantus ipsi videtur, Cappelli principiorum cum veritate Catholica consensus, & in quam nos ipse de sua

Ibid. l. 3 cap. 18. pag. 464. ejusd. edit.

Critica; Theologia, Orthodoxiaque opinionem adducat, dum ea non amplectitur modo, verum etiam non pauca illis adjicit.

VII. PRINCIPIUM.

RATIO cur Grammaticam Massorethicam non omnino rejiciendam censuerit Cappellus, novamque sine punctis instaurari vix posse existimaverit; ea una est, quod ignoraret rationem legendi Hebræa sine punctis Massorethica certiorem & commodiorem. Audiendus est ipse. *Cum tota punctatio, quæ in Hebræo textu hodierno exstat, à Massorethis sit excogitata, quorum auctoritate & punctatione non tenemur, nisi quatenus ea aptum & commodum gignit sensum; si consonarum duntaxat in legendo habenda est ratio, atque ex vocibus per solas consonas signatis canones grammatici sint constituendi: quidquid hodie in grammatica Hebraïca ad punctationem, & punctorum mutationem spectat, & illi tanquam fundamento innititur, illud totum una litura esset à Grammatica delendum: atque ita longe maxima Grammaticæ pars abolenda foret. Concidet enim sic, exempli gratia, discrimen conjugationum Kal, Piel & Pual, quæ puncto Daghesch, & quibusdam vocalibus tantum hodie discriminantur..... Ad vocum itaque pronuntiationem sola habenda esset ratio literarum* אהוי, *quæ propterea* matres lectionis *à Judæorum Grammaticis appellari solent, atque ex iis legendi ratio constituenda foret. Verum quia illæ frequentissime in textu Hebræo absunt ubi ad vocales designandas adesse deberent; legendi ratio, quæ ex iis solis haberi posset, impedita admodum & perplexa, atque adeo valde imperfecta foret. Ideo utilissime & appositissime ad juvandum lectionem excogitata fuerunt & addita à Massorethis puncta. Cum itaque Grammatica ratio commode & utiliter tradi non possit, nisi voces enuntientur; enuntiandi autem eas ratio & via certa & plana ex solis literis* אהוי, *prout eæ hodie in textu Hebræo exstant, difficulter tradi possit: age sane punctationi Massorethicæ eatenus adhæreamus, quatenus neque certior, neque commodior vocales ad vocum enuntiationem necessarias designandi ratio usque hodie inventa est; atque ex consequenti eam tradendæ & docendæ Grammaticæ rationem sequamur, quæ illi punctationi innitur; neque temere eam convellamus, aut sollicitemus, nisi forte aliquis aliam rationem certiorem & commodiorem inveniret punctandi.* En disertis verbis, quod articuli hujus initio asseruimus; eaque propositio accurate notanda est. Nam sicut prioribus existimamus demonstratum novam grammaticam ratione niti: ita & hac putamus non minus clare ostendi eam pariter niti optimorum Criticorum auctoritate.

Proleg. p. 45. & seqq.

Critic. sac. l. 6. c. 11. pag. 435.

CONFUTATIO.

Vindic. Heb. verit. p. 207.

DOCTISSIMO Buxtorfio tam inepta, tamque absurda visa est nova illa grammaticæ instituendæ ratio à Ludovico Cappello proposita, ut eam exposuisse, confutasse crediderit. Hinc est, quod à nemine, nisi à Bulæo quodam, de quo mox, & à D. Masclefio, pari exitu tentata sit. Quare utrum Cappellus male feriatis quibusdam grammaticis figendæ crucis gratia eam non proposuerit, fere dubitaverim. At quæcunque fuerit professoris hujus Salmuriensis consilium, D. Masclefii pronuntiationem explosit. Id liquet ex sequentibus ejus verbis, quibus ait futurum ut nova illa punctandi ratio & certior & commodior Massorethica forte inveniri posset, *si hodie exstarent & alicunde è tenebris eruerentur Origenis Hexapla vel Octapla, in quibus textus Hebraïcus Græcis characteribus propria & distincta columella erat olim descriptus, prout tunc à Judæis pronuntiabatur & legebatur.* Porro in hoc Origenis opere, ut ex fragmentis ejus liquet, textus Hebræus sic pronuntiabatur ac legebatur, ut voces sensum aliquem funderent; cum è contrario nova D. Masclefii pronuntiatio nullam, ut diximus, & ut ipse fatetur, nec loquentium, nec audientium animis ideam ingeneret, utpote quæ verborum sensum nullo modo attingat. Ergo nec D. Masclefii methodum, nec quanvis aliam ei similem exoptavit Cappellus, qui procul dubio cordatior erat, quam ut inanes sonos, & verba sensibus vacua requireret.

Præterea, si D. Masclefii pronuntiatio ea esset, aut saltem ei similis, quam volebat Cappellus; eam profecto à decem annis & amplius, ex quo vulgata est, ambabus ulnis excepissent, si non Judæi & confessionis Augustanæ Theologi: saltem alii Christiani linguæ sanctæ studiosi. Verum longe aliter evenit non solum in exteris regionibus, ut fidem faciunt cum ad me, tum ad amicos meos eruditorum quorumdam epistolæ: verum etiam in Gallia nostra, quanvis annos aliquot in Academia Parisiensi, reclamantibus viris omnibus Hebraïce doctis, novam hanc methodum docere conatus sit vir magni nominis, ac de Philosophia, si quis unquam, optime meritus. At præterquam quod oleum & operam, ut audio, perdidit; fecit ut causa hæc non bona tanto patrocinio fieret pejor. Neque rem aliter se habituram sperare debebat eruditus Canonicus. Si enim futurum ex præterito conjicere licet, quis futurus esset novæ suæ pronuntiationis exitus, facile ex eo, qui Bulæanæ contigit, poterat æstimare.

Is Bulæus anno Christi 1658. novam Hebræa punctis destituta legendi rationem Ultrajecti evulgavit. Antiquis vocalibus אהוי utitur, quarum א ipsi est *a*, ה *e*; ו ante consonam, *u* vel *ʊ*, ante vocalem, *v* consonans; (י) pariter ante consonam, *i* vocale, ante vocalem *j* consonans. Ubi desunt antiquæ illæ vocales, א sive *a*, quæ vocalis illi *naturalior & commodior videtur*, inter duas consonantes, *ut plurimum* interserit, ut: מאשאל pro משל maschal *parabola*. Dico: *ut plurimum*; nam fictitium istud *a* non supplet, cum duæ consonantes in unam syllabam coalescere, & vi præcedentis aut subsequentis vocalis pronuntiari facile possunt. Hujus autem generis sunt in primis ל & ר modo non sint proximæ literis ח, י, ל, מ, נ, ע, צ, & ר. Imo prædictis literis ל & ר alia consona subjungi etiam potest in fine. Ceteris Alphabethi literis vulgarem suam relinquit potestatem, nisi quod ח proferat *h*, ט *th*, ע *hh*, ק *ch*, ת *t* simplex. Nullum agnoscit daghesch, Scheva semper ei quiescit, שׁ & שׂ discrimen ignorat, & gutturalibus ח & ע, cum sunt in fine dictionis, fictitium suum *a* pariter adjicit, quo facilius efferantur. Sic itaque legit: במשפט bamaschphat, *in judicio*, non bamaschaphat; quia ש & פ in unam syllabam facile coalescunt. דרך drac, *via*, non darac; quia ר & ר commode sociantur pronuntianturque vi fictitii *a* τοῦ ר adjecti. Sic תורת tourt *lex*, non tourat; הלך elc *ambulavit*, non elac; יודע joudhha *sciens*, adjuncto *a* τοῦ ע, quo facilius pronuntietur, &c. Bulæanam hanc Hebræa non punctata legendi rationem eodem cum sua recidere fatetur D. Masclefius. Nec immerito sane, cum duce utraque methodo nec Hebræa legantur, nec Hebraïcæ linguæ notitia comparari queat. Longe tamen commodior fuisset Bulæana lectio, quam Masclefiana, si Bulæus fictitiam suam vocalem *a* inter duas consonantes antiquis vocalibus destitutas perpetuo subintellexisset; multo enim facilius est eandem ubique vocalem supplere, quam diversas, quas secum apportant literæ artificialiter pronuntiatæ, subintelligere. Eo pacto nulli exceptioni patuisset Bulæi Hebræa legendi ratio, nec brevitate simplicitateque concessisset Masclefianæ, quam præterea facilitate vicisset. Hinc est fortasse, quod nova illa Hebraïce legendi ratio vix è tenebris emerserat, cum in eas regressa est; & invento suo in oblivione sepulto diu superstes fuit Bulæus.

Bulæi Hebræa legendi ratio.

Proleg. pag. 103.

Alias rationes affert D. Masclefius, quarum nonnullas hîc breviter attingemus. Levissimam admodum, inquit *sine invidia & contemtu* eru- " ditus Canonicus, ac prope nullam videtur (Bulæus) habuisse notitiam " eorum, quæ in artis adeo eximiæ inventore necessaria judicantur. Exi- " gua, saltem quantum colligere est ex ejus libro, in eo fuit antiquitatis, "

Ibid. pagg. 107. 108.

» bonarum disciplinarum, Criticæ Sacræ cognitio. Nulla aut paucissima » exstant in illius libro sagacitatis, eruditionisve reconditioris indicia, » quibus sibi apud legentes fidem pariat & auctoritatem. Uno verbo, » nullo fere argumento testatur lectoribus tantisper emunctæ naris se » parem fuisse operi, quod promittit, inveniendo. Deinde inventum » suum non uti solent docti ac talium rerum periti caute ac modeste; » sed imprudenter & inculte in lucem emittit. Rem novam, omnium- » que etiam doctiorum præjudiciis oppositam, animis imparatis, nu- » de, jejune, sine consilio, sine arte obtrudit. Nulla ponit principia, » quibus opus superstruat aut fulciat. Nihil probat, nihil demonstrat, » nihil refellit, &c. Quanvis omnibus ingenii dotibus, quæ Bulæo de-

Ibid. p. 107. • fuerunt, D. Masclesium ornatum existimem; licetque fœtum suum » nudum & inermem, quod fecit Bulæus, non emiserit; sed omnibus » auxiliis ac instrumentis, quibus se ab adversariorum aggressionibus » tueri, imo & eos ipsos aggredi & deturbare posset, eum munire co- » natus sit: is tamen ab annis decem & amplius, ex quo in expeditio- nem adversus Massorethas eductus est, plures ab eis victorias non re- portavit, quam Bulæanus. Utrique forsitan, ut in victorem adolescat,

Ibid. pagg. 112. 113. opus est sæculo fere integro; quod tempus, ut D. Masclefii exemplo utar, ad debellandam Peripateticorum de brutorum animabus opinio- nem, Gomesii Pereiræ medici Hispani sententiæ opus fuit. Id utrum

Ibid. p. 113. „ futurum sit satis, & utrum nihil detrimenti per id temporis accep- „ tura sit Respublica literaria, judicabunt anni venientes.

Denique conditionibus, quas in nova Grammatica instituenda re- quirit Ludovicus Cappellus, nempe ut vocum Hebræarum pronuntiatio sit Massorethica & certior & commodior, destituitur, quæ à D. Mas- clefio proponitur, Hebræa legendi ratio, ut in sequentis Principii confutatione ostendemus.

VIII. PRINCIPIUM.

Ibid. p. 49. & seqq. » NOVA Grammatica tradit rationem legendi Hebræa sine punc- » tis, Massorethica certiorem & commodiorem.

» I. Punctationem seu rationem punctandi legendive certam voca- » mus eam, quæ nobis autographum suum exhibet purum ac sincerum, » id est, immune ab omni additamento, quo merito dubitari possit » utrum sensus illius non sit immutatus. Porro in nova methodo textus « Hebræus ita pronuntiatur ac legitur, ut nihil omnino ei immisceatur, » quod sensum vel tantillum possit immutare. Unde aperte sequitur

novam

novam istam pronuntiationem esse certam, imò longe certiorem « Massorethica, quæ textum sacrum nobis non repræsentat purum ac « sincerum, cum illi aliquid admisceat, quo genuinus illius sensus pos- « sit in alienum detorqueri. Nimirum modificat ea punctatio ex natura « sua, suoque instituto, sensum verborum, eaque ad unam significatio- « nem restringit potius quam ad aliam. Cum autem constet Massore- « thas non fuisse ab errandi periculo immunes, semper erit dubitandi « locus num sensus, quem fundit eorum punctatio, sit ille ipse, qui à « Spiritu Sancto intentus est. «

Istud porro vitium punctationi Massorethicæ adeo radicitus inhæ- « ret, ut ab ea nulla industria, nulla ratione auferri possit. Neque huic « malo mederetur, qui eam corrigeret, quoties ratio corrigendam « eam persuaderet, quod faciunt quotidie celeberrimi quique Scrip- « turæ interpretes; is enim cum aliter quidem verba quædam puncta- « ret, quam punctarunt Massorethæ, sed tamen eorum puncta conser- « varet; semper in idem vitium impingeret ac Massorethæ; nam cum « in ea punctatione non esset ab omni errandi formidine liber, eadem « semper objici possent, quæ objiciuntur Massorethis: semper enim « dubitari posset num punctatione sua Scripturæ sensum non perver- « teret. «

Objicietur procul dubio in nova Grammatica etiam adhiberi « puncta quædam loco Massorethicorum, quæ licet subintellecta, « idem sunt ac si textui inscriberentur. At multum discriminis interest « inter puncta Massorethica, & ea quæ in eorum locum subrogamus. « Puncta enim Massorethica per se & ex instituto vim habent signifi- « candi aliquid. Restringunt significationes vocum, quibus insunt. Eas « ad certam quandam modificationem determinant. Inserviunt ad for- « mationem personarum, generum, numerorum, temporum, conju- « gationum. At puncta quæ eorum loco in nova Grammatica substi- « tuuntur, nihil omnino significant, verborumque sensum nullatenus « attingunt; ideoque tantum in nova methodo subintelliguntur, ut « characteres sonum aliquem edant ac legi possint. Nihil ergo addunt « textui, nec ullatenus impediunt, quominus pure & sincere legatur; « ac consequenter constare debet novam pronuntiationem seu puncta- « tionem Massorethica esse certiorem. «

II. Est etiam facilior & commodior; quod nullus inficiabitur, qui « vel leviter perpenderit quæ sit summa illius simplicitas. Unica constat « regula, eaque nullas exceptiones admittente. Inde autem fit, ut qui « literarum Hebraïcarum figuras novit, intra horam facile & expedite «

» legat quemlibet textum Hebraïcum non punctatum, quod in Massorretharum methodo nonnisi longo usu, & post plures annos acquiritur. Tradit ergo nova Grammatica rationem legendi Hebræa absque punctis Massorethica certiorem & commodiorem. Indeque concludere licet eam ipsam esse, quam tantopere exoptabat Cappellus, Criticisque omnibus esse probandam, qui Cappelli principiis suffragantur.

CONFUTATIO.

UT Hebræa punctis destituta legendi ratio, quam proponit D. Masclefius, esset Massorethica & certior & commodior; necesse foret ut esset Hebraïca; prius enim est τὸ ὄν, quam τὸ πῶς, sive, ut loquuntur, *prius est rem esse, quam sic esse.* Atqui, fatente ipso D. Mas-
Proleg. p. 69. clesio, ejus lectio Hebraïca non est, cum eam falsam esse confiteatur. *Verum est*, inquit, *novam pronuntiandi rationem falsam esse, & à veterum Hebræorum pronuntiatione discrepantem.* Ergo nec certior nec commodior est Massorethica. Satis superque hac una ratione demonstraretur hujus principii falsitas; sed penitius in illud operæ pretium est introspicere.

A veritate alienum est textum Hebræum purum ac sincerum nova D. Masclefii pronuntiatione nobis exhiberi; ea siquidem falsas illi vocales affingit, & adimit veras. Hoc etiam fatetur eruditus Canonicus.
Ibid. p. 70. *Agnoscimus ultro*, inquit, *veteres non semper subintellexisse vocales post consonantem quamlibet, nec eas subintellexisse, quas subintelligendas docuimus.*

Verum est punctis Massorethicis voces Hebraïcas ad certum sensum
Pagg. ix. x. restringi: at sensus ille, ut vidimus supra, sensus est Mosis, Prophetarum, & aliorum scriptorum θεοπνεύστων; neque contrarium facile probaverit eruditus Canonicus. Is, si paulo diligentius attendisset ad id argumenti, quod adversus punctationem Massorethicam affert, illud æque saltem adversus novam suam pronuntiandi legendive rationem militare facile animadvertisset. Enimvero, licet vocales ejus auxiliares vocum Hebraïcarum sensum nulla ratione attingant, & in solis characteribus sitam esse significandi vim existimet; his tamen vocibus suo modo pronuntiatis, aut saltem solis characteribus sensum, opinor, aliquem affingit, proindeque sensum eorum modificat. Is autem sensus vel sensus est veterum aut recentiorum interpretum, vel ab eo diversus est, & pro loci exigentia ab ipso D. Masclefio excogitatus. Porro neque veteres, neque novi interpretes, utpote à Spiritu Sancto minime afflati, ab errandi periculo magis immunes fuerunt, quam ipsi Massorethæ; neque ab eo tutior est eruditus ipse Canonicus. Ergo etiam illi semper

erit dubitandi locus num sensus, quem Hebræis vocibus more suo prolatis, aut nudis characteribus, vel ex interpretibus, vel ex se affingit, sit ille ipse, qui est à Spiritu Sancto intentus. Ergo ejus lectio, sive voces Hebræas interpretandi ratio, non est Massorethica certior.

Quod pertinet ad partem alteram propositionis, qua novam suam legendi rationem Massorethica faciliorem asserit D. Masclefius, jam demonstrata est ejus falsitas, cum ea lectio neque sit Hebraïca, neque ejus ope Hebræa magis legantur, quam Græca aut Latina, quorum literæ consonantes vocalium auxiliarium subsidio proferuntur. Præterea, quid opus est Hebræa non punctata legere? Nonne punctis hodie instructa sunt omnia ferme Biblia Hebraïca? Num Gothicis editionibus utimur, in quibus mutilatæ voces excusæ sunt, dum suppetunt recentiores, quæ integras illas nobis exhibent? Si verba aut commata quædam Scripturæ punctis destituta suis in operibus laudant interpretes, quæ lector in Hebræis parum adhuc exercitatus legere nequeat; nonne potest ea in Bibliis punctatis quærere? Num ad ea legenda intelligendaque majori ipsi adjumento erit nova D. Masclefii legendi ratio, quæ falsa est, quæque verborum sensum nullo modo attingit, & textum Hebræum in sua ambiguitate conservat? Denique Hebræa non punctata legendi difficultatem nimis exaggerat eruditus Canonicus, cum ad eam superandam pluribus annis opus esse scribit; quotus enim quisque est, modo in Hebræa Grammatica nonnihil exercitatus fuerit, qui lectis semel atque iterum Scripturæ aliquot partibus punctis vocalibus instructis, easdem imo & ceteras punctis illis destitutas facile & expedite non legat atque intelligat? Nova itaque lectio nec certior, nec commodior est Massorethica; proindeque ea ipsa non est, quam tantopere exoptabat Cappellus.

Supra pagg. xi. xij.

IX. PRINCIPIUM.

NOVA Grammatica longe præstat veteri sive Massorethicæ, « quæ «

Proleg. p. 57. & seqq.

I. Plena est inutilitatibus, nugis, vanis observationibus, futilibus « ac ineptis præceptionibus. Quid enim sunt illius regulæ quoad ma- « ximam partem? Vix ullius sunt usus, innumeris præterea exceptioni- « bus obnoxiæ. Ad quid vocales quindecim, *Scheva mutum*, *Daghesch* « *lene*, *Raphe*, *Smol*, nubes illa accentuum, qui, si duo tresve excepe- « ris, ad nihil aliud inventi videntur, nisi ad obtundendam oculorum « aciem, lectionemque interturbandam? Cur in vocibus pene singulis « tam frequens, tantaque lectionis varietas? &c. «

» II. Apta est labefactandis ac depravandis ingeniis, quorum vigo» rem obtundit, dum assuefacit nugis ac fabellis, atque ita instruit, ut » magna ac parva eodem fere loco habeat. Hinc Massoretharum dis» cipuli hærent circa minima, serio & ad nauseam usque immorantur » in discutiendis præceptiunculis quibusdam nullius momenti & usus. » Circa accentus, semipuncta, punctorum mutationes, & similia ita » altercantur, ac si ageretur de summa rerum. Eodem morbo laborare » videas plures è nostris. In operibus maxime seriis sæpissime digre» diuntur, ut leviusculas quasdam Grammaticæ observationes super» stitiose evolvant, ingentem suum in Judaïsmo profectum quacunque » via ostentantes. Unde petenda tantæ aberrationis causa, nisi ex ipsa » ratione, qua grammatica Massorethica traditur?

» III. Longa est denique ac difficilis, ac vix tandem per multas » ambages ad certam & expeditam Hebraïcæ linguæ notitiam perdu» cens. Testes sunt, qui se operi accinxerunt. Quantulum est, quod » post multum temporis nosse se sibi blandiri possunt? Illi etiam, qui » juxta consuetam methodum linguæ Hebraïcæ ediscendæ diutius in» cubuerunt, eamque norunt perfectius, ad quas rediguntur angustias, » cum eis Biblia non punctata legenda ac explicanda porriguntur, » antequam diuturna cum sacro textu familiaritate divinandi artem » adepti sint? Hinc est quod Theologorum nostrorum bona pars, nec » tentat quidem scire Hebraïce; quanvis nulla fortasse sit cognitio, » quæ Theologum magis deceat: adeo deterrentur difficultatibus, quæ » confertim vel in ipso consuetæ grammaticæ limine se produnt.

» Grammatica nova è contrario brevis est, facilis, superfluitatibus » non impedita. Res probatione non eget. Unde enim oriuntur consuetæ » grammaticæ difficultates ac salebræ? Non alio sane ex capite, quam » ex punctis, eorumque adjunctis & consequentibus. Iis ergo sublatis, » clarum esse debet tolli simul impedimenta, quibus occludebantur » grammaticæ Hebraïcæ aditus.

» Favet antiquis ac in Ecclesia probatis Scripturæ Sacræ versionibus. » Docent enim & probant Critici præcipuam causam, cur Septuaginta » interpretes, Vulgataque versio Latina cum Hebræo textu hodierno » tot in locis videntur non consentire, inde esse quod Massorethæ ali» ter legerint, punctarintque, quam veteres illi interpretes. Rejecta » ergo novella ista punctatione reperietur & Septuaginta, & Vulgatam » ab Hebræo minus, quam à quibusdam creditur, discrepare.

» Idonea denique est veteribus linguis Orientalibus fere omnibus » ediscendis, Chaldaïcæ præsertim, Syriacæ, & Samaritanæ. Cum

enim jamdudum extinctæ sint, & ex una eademque deriventur, id- «
que commune habeant cum Hebræa, quod non raro vocales omit- «
tant, olimque scriberentur sine punctis; quibus argumentis probatur «
novam methodum omnium esse aptissimam linguæ Hebraïcæ ediscen- «
dæ, & iisdem probatur eamdem methodum esse quoque his omnibus «
linguis ediscendis aptissimam. «

CONFUTATIO.

QUIS, cum D. Masclefium novam suam Grammaticam cum veteri conferentem videat, punctorum vocalium, quibus solis fere innititur vetus, adprime gnarum eum non existimet? Is tamen hoc in argumento ita peregrinus est, ut *ignota sibi esse quæcunque de punctorum illorum usu ac mutatione dicuntur; ipsam etiam ignotam punctorum quorumdam figuram ac pronuntiationem*, adhibitis testibus fateatur. Id ipsi fere objicienti R. Patri Didaco *de Quadros* S. J. non facit satis D. Masclefius cum ait: *Quod si homini non hebeti licet novam philosophandi methodum in multis veteri præferre, etiamsi veterem non examinaverit meditullitus; modo adsint principia certa, ex quibus sententiam suam fluere clare demonstret; cur idem novæ grammaticæ auctori non licebit?* nam præterquam quod novæ grammaticæ principia certa non esse ostendimus, eodem modo de linguis ac de Philosophicis, ut supra monuimus, non est judicandum. In philosophicis enim, maxime in Physicis, valet plurimum cum experimento conjuncta ratiocinatio; in linguis vero solus usus. Aut si quæ linguas inter & res physicas instituenda comparatio, ea est: quemadmodum ad explicandos naturales quosdam effectus variæ fingi possunt hypotheses sive systemata, quorum alterum alteri potest anteponi; sed ea lege, ut prius perspecti sint effectus illi naturales, & majori saltem ex parte cognoscatur, quod alteri postponitur systema: sic ad linguam aliquam alios edocendam variæ adornari possunt grammaticæ, quarum alias aliis anteponere licet: sed prius tenenda est lingua illa, & majorem sui partem cognoscenda, quæ alteri post habetur, grammatica. Neutrum autem perspectum exploratumque habuit D. Masclefius. Nam quod pertinet ad linguam Hebraïcam, erat in ea plane rudis antequam grammaticam suam scriberet. *Si jam Hebraïcam linguam scivisset*, inquit de se ipse loquens, *merito timeretur, ne novæ grammaticæ tribueret, quod accepisset à veteri. At sciunt, quibus notus est, testabunturque, cum primum nova hac grammatica* (suam intelligit) *usus est, linguæ Hebraïcæ fuisse omnino rudem.* Ergo linguam Hebraïcam

Proleg. p. 68.

Ibid. p. 155.

Pag. xiv.

Proleg. p. 68.

plane ignorabat eruditus Canonicus antequam grammatica sua uteretur, proindeque illam scriberet; prius enim exstet instrumentum necesse est, quam quis eo utatur. Grammaticæ autem discendarum linguarum instrumenta sunt, & in eas à viris illarum peritissimis scriptæ animadversiones. Quid igitur fecit D. Masclefius? Novam linguam Hebraïcam ad grammaticam suam finxit, cum grammaticam suam ad veterem germanamque linguam Hebraïcam accurate prius sibi cognitam concinnare debuisset. Haud multo exploratior illi fuit vetus grammatica, cum, ut mox vidimus, punctorum, quibus ea potissimum innititur, usum, mutationem, imo & nonnullorum figuram ac pronuntiationem ignoraverit & etiamnum ignoret. Quamobrem cum scire non potuerit, quæ veteri grammaticæ tribuit incommoda, in iis ab ea removendis diu non immorabimur; sed his longe graviora in suam cadere paulo fusius ostendemus. Vitia igitur, quæ in Massoretharum grammaticam, aliorum, ut videtur, opinione hinc inde colligit eruditus Canonicus, paucis ab ea detrahamus.

I. Cum inutilitates, nugas, vanas observationes, futiles ac ineptas præceptiones, quibus Massoretharum grammaticam plenam esse scribit D. Masclefius, ad puncta eorumque adjuncta referat; de his æquum non potest ferre judicium, cum ea omnia ignorare se non fateatur
Epist. p. 13. modo, verum etiam glorietur. Una hæc responsio sufficeret, sed eum κατὰ πόδα sequamur.

Haud multo plures sunt Hebræis, quam Græcis, Latinis, imo & nobis Gallis, vocales. Enimvero, nonne habemus duplex *a*, longum alterum v. g. in voce *tâche*, pensum; alterum breve in *tache*, macula? Triplex *e* in *honnêteté*, honestas? Atque ita de tribus aliis vocalibus *i*, *o*, *u*, quæ longæ sunt ac breves pro ratione vocum in quibus reperiuntur. Quinetiam *Scheva* muto Hebræorum utimur, quoties litera consonans non habet post se vocalem, vi cujus proferatur. Sic v. g. pronuntiamus *suspendre*, quasi scriptum esset *susependre*. Nobis igitur sunt duodecim saltem vocales, Hebræis vero quatuordecim, non *quindecim*, ut scribit D. Masclefius, quem eo facilius excusatum velim, quod, cum ipsam etiam nonnullarum ex his vocalibus figuram à se ignoratam declaret, accuratum earum numerum scire minime teneatur. Jam vero cui culpæ proximi sunt Massorethæ, quod pro sonis illis quatuordecim exprimendis totidem diversas figuras excogitarint? Id si in linguis Græca, Latina, & Gallica factum fuisset, nonne illæ ab earum tyronibus & facilius pronuntiarentur, & discerentur citius.

Scheva mutum, Daghesch lene, & Raphe, lectionem Hebraïcam

expeditiorem non reddunt modo, cum syllabis formandis inserviant; verum etiam orationis partes illis discriminantur. Nam Scheva mutum efficit ut litera, cui subjicitur, pertineat ad syllabam præcedentem, ut: חָכְמָה hhoch-má *sapientia;* cum è contrario Scheva mobile literam, quam afficit, sequenti syllabæ adjungat, ut: חָכְמָה hhá-kemá *sapiens fuit,* femin. Vox רָהְבָּם rohbám Psal. 89. Heb. 90. v. 10. ob daghesch lene τῷ ב impressum, est nomen substantivum רֹהַב cum pronomine affixo conjunctum, significans *robur eorum.* Si vero ב raphatum sit, h. e. Daghesch leni destitutum, erit infinitivus Qal ejusdem verbi רָהַב cum eodem pronomine affixo, רָהְבָם rovám *roborari eos.*

Smol sive punctum sinistro cornu τῷ ש imminens, varias radices, earumque significata distinguit, ut: שׁוּב *reverti,* & שׂוּב *canescere.* Diversam literæ hujus pronuntiationem, &, quæ ex ea consequitur, significandi potestatem, veteribus ac præsertim Hieronymo, ignotam non fuisse, in superioribus est à nobis demonstratum. *Pag. lv. & seqq.*

Accentuum nubem, quam vulpino contemtu & sermone ab infima plebe assumto, *nippes de la friperie Judaïque, riches dépoüilles de la Juiverie,* appellat noster interpolator, contemnendam non esse, maxime in controversiis, quæ cum Judæis habentur, experimento suo didicit eruditus Canonicus. *Epist. p. 13. & 21.*

Denique tam frequens, tantaque in singulis pene vocibus lectionis varietas argumento est Massorethas eam pro suo arbitratu nequaquam confinxisse; alioquin longe faciliorem planioremque nobis tradidissent Hebraïce legendi rationem.

II. Ideo labefactandis depravandisque ingeniis D. Masclefio apta videtur Massoretharum Grammatica, quod is nugarum fabellarumque loco habeat observationes quasdam grammaticas, ex quibus sæpissime pendet germanus Scripturarum sensus. Exemplis è longinquo accersitis opus non est. Si præceptiunculas de accentibus, v. g. tenuisset eruditus Canonicus, fucum ei non fecisset Judæus Metensis. Jure itaque præstantissimi è nostris interpretes in operibus suis, etiam maxime seriis, grammaticas hujuscemodi observationes studiose, non superstitiose, evolvunt; idque non ut ingentem suum in Judaïsmo profectum quacunque via ostentent: sed ut sacrorum scriptorum mentem assequantur, eamque aliis patefaciant. Hi nempe experti didicere quam sit verissimum, quod ait Qimhhius in tomi 1. præfatione laudatus, *eum, qui grammatica destitutus, genuinos Scripturæ sensus indagat, ei similem esse, qui sine baculo aut stimulo boves agit.* *Pag. xxvij.*

III. Longam ac difficilem esse Massorethatum grammaticam im-

merito conqueritur D. Masclefius; in ea siquidem longe pauciores, quam in Græca aut Latina, regulæ & exceptiones inveniuntur. Ex quo fit, ut, qui singulis diebus horas aliquot eo in studio posuerit, is, nisi sit plane hebeti memoria atque ingenio, post tres ad summum exactos menses, historicos saltem Scripturæ libros facile sit interpretaturus. Hebræa punctis destituta legendi difficultatem, nimis, ut ostendimus, exaggerat D. Masclefius. Sed nec ipse, ut à nobis probatum est, hujuscemodi Hebræa legit, nec ea legenda docet ejus grammatica.

Massoretharum itaque methodi ratione sui spectatæ difficultas in causa non est cur Theologorum nostrorum bona pars ne tentet quidem scire Hebraïce; sed fortasse ejus tradendæ ratio, quæ aut brevior est, proindeque non sufficit; aut prolixior, rudis, atque indigesta, quo vitio tædium affert. At quacunque ex causa oriatur ea linguæ Sanctæ neglectio, cujus Theologorum nostrorum bonam partem insimulat D. Masclefius, eam ab ipsis felicius cultam, à quo in lucem prodiit nova grammatica, non videmus.

Exaggeratis commentitiis grammaticæ Massorethicæ vitiis, ad ficta suæ commoda transit D. Masclefius.

I. „ Brevis est, inquit, facilis, nec superfluitatibus impedita „. Brevis est, fateor, si numerentur ejus paginæ; at si spectetur usus illius, omnium est longissima; cum ea duce, ut ego quidem arbitror, linguæ Hebraïcæ notitia comparari nequeat. Hac in sententia confirmarunt me, quos vidi bene multos, qui rei novitate, & magnificis novæ hujus methodi buccinatorum pollicitationibus allecti, ea uti voluere: at postquam multum sudarunt, seque sua spe delusos intellexere; aut pedem ab Hebræis referre, aut, nova hac grammatica relicta, ad Massorethicam recipere se coacti sunt. Nec satis, mihi ipse diffidens quotidie sciscitor à viris fide dignis, hisque idoneis testibus, num quos viderint, qui hujus methodi subsidio linguæ sanctæ intelligentiam sint adepti: negant omnes, quibus eo facilius ego assentior, quod aliter fieri non posse doceat ipsa ratio. Et sane quomodo in linguæ Hebraïcæ cognitionem deducere posset nova grammatica, quæ omnes fere orationis partes earumque modos confundit? Eo vitio sic laborat illa grammatica, id ut ab ea removeri nullo modo possit. In ea v. g. confunduntur nomina cum verbis, ut: דבר *verbum*, & דבר *loquutus est*, &c. Eadem nomina cum præpositionibus, עם *populus*, & עם *cum*, &c. Præpositiones cum verbis, אצל *prope*, & אצל *separavit*, &c. Numerus singularis constructus nominum femininorum desinentium in ה cum plurali tam absoluto, quam constructo, sæpius, צדקת *justitia*, & צדקת *justitiæ*,

ſtitiæ, &c. Pronomen affixum primæ perſonæ ſingularis cum eodem pronomine ejuſdem perſonæ pluralis, ספרי *liber meus*, & ספרי *libri mei*, &c. In quinque verborum conjugationibus, quas ſolas admittit D. Maſclefius, major adhuc cernitur vocum duntaxat primariarum confuſio. Nam in *Qál* præteritum, utrumque participium, infinitivus & imperativus ſæpe confunduntur. In *Niphál* præteritum & participium ſunt eadem, necnon infinitivus & imperativus. *Hiphíl* & *Hophál* ſæpe non diſtinguuntur; quare alterutram ex his conjugationibus eodem fere jure, quo *Piél* & *Puál* ſuſtulit, eliminare potuiſſet eruditus Canonicus. Ex quinque futuris, duo tantum diverſa ſunt, quorum alterum quatuor conjugationum, nempe *Qál*, *Niphál*, *Hiphíl* & *Hophál* commune eſt, alterum quintæ *Hithpaél* peculiare. Ex quo fit, ut longe commodior eſſe videatur Bulæi grammatica, quæ unicam ſolummodo conjugationem exhibet, cujus reliquæ ſunt exceptiones, aut diverſæ modorum ac temporum formæ.

Haud minorem in radices ipſas confuſionem inducit nova methodus. Vox ישב v. g. quam uno eodemque ſono *Iſſib* pronuntiat D. Maſclefius, poteſt eſſe futurum *Qál* 1°. verbi ישב *ſedere*, 2°. נשב *flare*, 3°. שוב *reverti*, 4°. שוב *caneſcere*, 5°. שבה *captivum eſſe*, 6°. שבב *frangere*, quod olim apud Hebræos erat uſitatum, ut ex nominibus ab eo derivatis liquet. Igitur tres illæ literæ, ſecundum novæ grammaticæ principia, & quam nobis proponit Hebræa legendi rationem, ſignificare poſſunt: *ſedebit*, *flabit*, *revertetur*, *caneſcet*, *captivus erit*, *franget*; idque in ſola tertia perſona ſingulari maſculina futuri Qál, ut quorumdam ex his verbis alia tempora, ſive modos ſileam, in quibus literæ illæ diverſe adhuc ſignificabunt. In Maſſoretharum autem grammatica omnes illæ ſignificationes punctorum vocalium ope accurate diſtinguuntur, ut: יֵשֵׁב ieſchév *ſedebit*, יִשָּׁב iiſchſcháv *flabit*, יָשׁוּב iaſchóv *revertetur*, יָשׂוּב iaſóv *caneſcet*, יִשְׁבְּ iiſchb *captivus erit*, יִשּׁוֹב iiſchſchóv *franget*, ex forma Chaldaïca, quæ in Scriptura Hebraïca interdum etiam legitur. Mitto confuſa genera in nominibus aliquando, pronominibus affixis ſæpe, & in ſecunda perſona ſingulari præteritorum omnium ſemper. Tametſi fortaſſe minus neceſſaria videatur iſthæc generum diſtinctio; ea tamen nequaquam cenſenda eſt plane inutilis; quippe quæ ad orationis perſpicuitatem haud mediocriter conducat. Denique prætereo innumeras alias perturbationes, quas longius eſſet commemorare, & ex quibus recte colligit Morinus Hebræas grammaticas, niſi imperfectiſſimas, ſcribi non potuiſſe ante inventa puncta, quæ ſola huic confuſioni medentur. *Sine punctorum inſcriptione*, inquit,

Lib. 2. Exerc. 14. c. 1. pagg. 429. 430. *Grammatica fieri nullo modo potest, nisi imperfectissima, ratione scilicet literarum, quæ adduntur radici, aut ab ea tolluntur* (in quo solo posita est nova D. Masclefii methodus); *quæ grammatici opificii minima pars est, cum longe maxima in punctorum variatione consistat.* Deinde allatis exemplis, quibus probet variarum conjugationum non pauca tempora, modos, ac personas iisdem literis exprimi, proindeque, sublatis punctis vocalibus, nulla ratione à se invicem distingui, sic prosequitur: *Quandiu punctorum usus non viguit, tandiu grammaticarum nulla memoria. Cui enim in mentem venire potuisset grammaticam Hebræam componendi desiderium, cum nulla esset Judæis via & ars verborum conjugationes exprimendi, variationes significationum distinguendi*, &c. quæ omnia incommoda in D. Masclefii grammatica reperiuntur, in Massorethica vero minime. Qua igitur fronte asserit interpolator *totam Lutetiam vidisse juniores Theologos, qui, licet puncta Massorethica plane ignorarent, difficillimos tamen Scripturæ libros legerent, interpretarentur, & omnium textus Hebræi partium constructionis rationem redderent?* Itane ipsi videtur idonea esse publica auctoritas, quam sic illudat? An nescit juniores illos Theologos tum circa barbaram suam Hebraïce legendi rationem, tum circa confusionem, quam in omnes orationis partes inducebant, tum denique circa varios eosque sæpius diversos sensus, quorum capaces erant dictiones Hebraïcæ secundum novæ grammaticæ principia spectatæ, eas in angustias à Professoribus Regiis, aliisque viris Hebraïce peritis adductos fuisse, ut magis muti quam pisces, unum pro mille respondere minime potuerint? Vidi egomet ex novis illis Hebraïzantibus duos, qui Jeremiæ Threnos, ni fallor, duce hac methodo publice interpretari conati sunt. Hi à me interrogati quam analogiam hoc in studio, eaque in exercitatione sequuti essent; ingenue confessi sunt nihil aliud à se factum, nisi quod ad Hebræas voces more suo prolatas sensus, quos aut à Pagnino aut à Vulgato interprete Latino mutuati erant, singulari memoriæ vi alligassent. Quamobrem cum post multum temporis laborisque, magistra nova illa methodo, nihil aut parum in Hebræis se profecisse animadvertissent, *reducto calculo*, Massorethica usi sunt, quod illis feliciter successisse audio.

Epist. p. 7.

Proleg. p. 67. » At, inquies, novæ suæ grammaticæ subsidio, & opitulantibus Bellarmini ac Buxtorfii grammaticis, sed usui suo accommodatis, id » est, neglectis regulis omnibus, quæ ad puncta quoquomodo pertinent, intra paucos menses textum sacrum Hebraïcum integre ac » feliciter interpretatum se dicit D. Masclefius. Credat Judæus Apella. Aut, si res ita est, Bellarmini & Buxtorfii grammaticis plus debet, quam putat, eruditus Canonicus.

Frustra est D. Masclefius, cum ait eo argumento à confusione petito, quod sibi etiam ipse fingit, novam suam grammaticam non solum non labefactari, sed ne impeti quidem, eo quod 1°. isthæc confusio nascatur non ex nova methodo, sed ex ipsa indole linguæ Hebraïcæ, aut saltem ex modo, quo scribi consuevit. Porro cum lingua illa, inquit, sit ambigua, confusa, & obscura; eam, qualis est, nobis exhibet nova grammatica, quæ rejicienda foret ut falsa, ac linguæ hujus indoli dissona, si eam aliter nobis repræsentaret. 2°. Quod eodem argumento urgeantur omnes, qui Hebræa non punctata legunt, & par utrobique in distinguendis orationis partibus difficultas inveniatur. 3°. Quod confusioni illi, quæ in linguis omnibus tum mortuis, tum vigentibus, imo & in ipso etiam Hebræo textu punctato interdum locum habet, medeatur loci exigentia. Proleg. p. 73. & seqq.

Quod spectat ad primam D. Masclefii responsionem, verum quidem est linguam Hebraïcam, aut potius voces Hebraïcas punctis destitutas, esse ambiguas, confusas, & obscuras; quod huic linguæ peculiare non est, sed ei commune cum aliis omnibus, puta Græca & Latina, quarum voces, si vocalibus suis spolientur, non minus ambiguæ sunt, confusæ & obscuræ, quam Hebraïcæ. Verum si punctis vocalibus instruantur voces Hebraïcæ, jam certæ sunt, claræ, ac distinctæ, non secus ac Græcæ aut Latinæ vocalibus instructæ. Porro quid sentirent cordati viri de homine, qui Grammaticam ad Græca v. g. vocalibus destituta scriberet, eamque inde commendaret, quod linguam illam ambiguam, confusam, & obscuram, qualis revera esset detractis vocalibus, nobis exhiberet? Nonne isti grammatistæ dicerent: quid nobis methodum omnes orationis partes confundentem obtrudis, dum suppetunt aliæ, quibus illæ perfectissime distinguantur? Cum hujuscemodi grammaticam eruditis approbaverit D. Masclefius, illis, opinor, approbabit & suam.

Quod secundo respondet eruditus Canonicus, nempe argumento hoc æque premi omnes, qui Hebræa non punctata legunt atque interpretantur, illud est à veritate alienum; nemo enim committere debet, ut hujuscemodi Hebræa legat, nisi qui in grammatica Massorethica & Hebræorum punctis instructorum lectione fuerit nonnihil exercitatus. Is autem hoc duplici subsidio munitus si in legendis sacris voluminibus non punctatis hallucinetur, quod vix fieri potest, ut ipsa docet experientia, inspectis punctis vocalibus, quibus orationis partes distinguuntur, errorem nullo negotio emendabit suum; quod facere non potest novæ grammaticæ discipulus, quem ea omnia fugiunt. Sed quid opus

eſt., ut jam diximus, ſacros codices non punctatos legere aut interpretari velle, cum fere omnes ſint punctati; & quas Maſſorethæ illis adjecerunt vocales non minus certæ ſint, ut eſt à nobis demonſtratum, quam Græcæ aut Latinæ? At etiamſi D. Maſcleſio concederemus parem utrobique in diſtinguendis orationis partibus & earum modis difficultatem inveniri, quid inde merito concludi poſſet? Nihil aliud profecto, niſi Hebræa punctis deſtituta & à veteris & à novæ grammaticæ diſcipulis nec legi poſſe, nec intelligi. Verum ſi par hac in re foret utrorumque ratio: longe diſpar eſſet in alia, eaque totius rei capite, eorum conditio. Nam eadem Hebræa punctis inſtructa facile legere atque intelligere poſſunt Maſſoretharum alumni; minime vero, qui nova grammatica duce linguam Hebraïcam ſe didiciſſe arbitrantur. Quid plura? Ut ſcriptionem Gothicam mancam ac mutilam nemo ſibi ſumere debet ut legat, antequam eam integram legere didicerit: ſic codicis Hebræi non punctati lectionem tentare non debet linguæ hujus tyro, quin prius eundem punctis inſtructum legere noverit. Itaque Maſſoretharum diſcipulis certa eſt in Hebræo punctis deſtituto partes orationis diſtinguendi regula, nempe puncta vocalia ei poſtliminio adjecta; nulla vero novæ grammaticæ diſcipulis præter loci exigentiam, quæ, uti probavimus, regula eſt omnium incertiſſima, & præſertim tyronum captui minime accommodata.

Denique partium orationis confuſioni non medetur ea loci exigentia, ſaltem ratione tyronum, quorum ea ſuperat intelligentiam; cum, & quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, tam ſæpe ambigua ſint, quam vocabulum ipſum, de quo eſt controverſia. Deinde magnum ad Scripturam vitiandam campum aperit iſthæc loci exigentia, dum alter nomen, alter præpoſitionem, alter verbum, &c. à loco exigi contenderit. Tandem licet partes orationis in Hebræo punctato, uti & in aliis linguis, interdum permiſceantur; ea tamen confuſio nullum aut leviſſimum duntaxat poteſt Maſſoretharum diſcipulo faceſcere negotium; cum voces antecedentes & conſequentes punctorum vocalium ope ad claſſes ſuas certo revocentur, ad quas punctis illis deſtitutæ, & ſecundum novam grammaticam ſpectatæ, certo ac definite referri nequeunt. Si quod igitur vocabulum, puta imperativus, qui in grammatica Maſſorethica cum infinitivo confunditur, occurrat; duæ vel tres voces antecedentes & totidem conſequentes, quæ certæ ac definitæ ſunt, omnem ab eo ambiguitatem ſatis ſuperque removebunt. Dolendum eſt, quod Maſſorethæ puncta vocalia pro ſuo arbitrio, ut putat D. Maſcleſius, conficta Hebræis vocibus nequaquam adjecerint; hi enim amphiboliam illam,

inscriptis diversis punctis vocalibus, facile sustulissent. Nova itaque methodus veteri nec brevior est, nec facilior. Neque id mirum; versum enim, quem natura negat, interdum quidem facere potest indignatio; at non grammaticam Hebraïcam: neque penicillus à quovis irato pictore in tabellam conjectus canis aut equi spumam ad vivum exprimit. Sed age, dotibus aliis, quibus locupletata dicitur, utrum revera instructa sit nova grammatica, paucis videamus.

II. Antiquis ac in Ecclesia probatis Scripturæ Sacræ versionibus, " Græcæ nimirum LXX. & Vulgatæ Latinæ Hebræo conciliandis inservit. " Novam grammaticam hac in re non modo non præstare veteri; sed multum ei concedere, supra demonstravimus. *Pag. xiv.*

III. Denique idonea est veteribus linguis Orientalibus fere omnibus " ediscendis, Chaldaïcæ præsertim, Syriacæ, & Samaritanæ, quæ ex " Hebraïca derivantur. Ultimam hanc novæ grammaticæ dotem li- " benter agnoscimus, fatemurque illa duce Orientales linguas fere omnes non minus feliciter disci posse, quam ejus subsidio comparata est hactenus Hebraïcæ intelligentia. Imo cum, judice D. Masclesio, *Proleg. p. 4.* linguarum Græcæ ac Latinæ prorsus interierit vetus ac genuina pronuntiatio; in solis characteribus sita sit significandi vis; & difficultates, majorem sui partem, in vocalibus positæ sint: his sublatis, linguarum illarum grammaticas Hebraïcæ suæ instar adornatas, quin aliquando nobiscum, maximo tyronum compendio emolumentoque, sit communicaturus, nullus dubito.

Hîc finem facio; nam præterquam quod opinione mea, & fortasse etiam præfationis limitibus, longius excurrit ea confutatio: punctorum vocalium, ad eorum una cum literis consonantibus significandi vim quod attinet, antiquitatem auctoritatemque sufficienter vindicatas, & novæ grammaticæ principia solide confutata existimo. Responsurum se, præsertim Logicæ subsidio, pollicetur eruditus Canonicus: verum *Epist. p. 14.* id si faciet, ultimus verba fecisse gloriabitur. Nisi forte solidiora his, quæ sua in epistola protulit, quæque seriam responsionem mereantur, afferat; otium enim atque operam aliis in studiis utilius collocanda, in refutandis vagis declamationibus, &c. in posterum abuti nolim. Imo confutationem hanc publici juris non fecissem, nisi, ea promissa neque data, veritus essem ne, quod minuendi sumtûs typographici, & re minus necessaria, ut tempus & experientia satis ostenderunt, supersedendi gratia factum à me fuisset, id impotentiæ tribuisset D. Masclesius.

Quod spectat ad alia bene multa, quæ in opere nostro reprehen-

Ibid. p. 21. sione digna reperisse, quæque aliquando vulgaturum se dicit eruditus *Ibid. p. 23.* Canonicus; cum utrum aliquid ex nobis protulerimus dubitare videatur; ea nihil aut parum ad nos pertinebunt, sed ad magnos illos viros, & in republica literaria Hebraïca facile principes, quorum opera usos nos esse in operis ipsius fronte, procemio, & celata ipsi præfixa imagine declaravimus. Hi satis adversus hujuseemodi animadversiones suis se nominibus tuebuntur, neque opella nostra, qua eorum defensio suscipiatur, indigebunt. Si tamen erit aliquando cum, eruditorum judicio, his ea opus esse videatur; hanc illis lubenti gratoque animo, pro nostra tenuitate, commodabimus.

Quod pertinet ad reliquam epistolam, in qua modo joculatorem inficetum, modo Thrasonem, modo novum philosophum agit interpolator, missam eam facio. Is enim insulsos & inurbanos suos sales habeat sibi: eos ipsi nunquam invidebimus, nedum his cum eo pugnaciter decertemus; nobis enim non licet esse tam jocosis, qui musas colimus severiores. Eidem, cur D. Masclefium de sua epistola tantopere gloriantem nobis exhiberet, utrum satis causæ fuerit, ex hac confutatione judicent eruditi. Certe diu est, quod longe aliter sensit vir clarissimus, & in Hebraïca Rabbinicaque lingua, ut ex ejus doctissimis operibus liquet, versatissimus *D. Wolfius* linguarum Orientalium in gymnasio Hamburgensi quondam professor celeberrimus, qui in literis ad eruditum *D. Crusium* Regiæ legationis Danicæ Ministrum, anno superiori datis, hoc de epistola illa judicium facit: *Heri mihi reddita est Cl. Masclefii epistola præstantissimo Guarino opposita, quam tuo beneficio debeo. In ea nihil omnino invenio, quod vel sententiæ Masclefianæ majus pondus conciliet, vel Guarinianæ causæ officiat. Colores video, sed nullam veri speciem; certe* *Vide supra p. lv. & seqq.* *nihil tale ad quod responderi non facile queat. In primis illa loci S. Hieronymi interpretatio Guariniana nemini non harum rerum gnaro se probabit, quam frustra adversarius convellere conjectura incertissima conatus est. Itaque meo, quæso, nomine viro doctissimo gratuleris de victoria, quam cordatiorum virorum judicio reportavit. Ipse ego ante hos decem annos in gymnasio nostro publica disputatione Methodum illam novam impugnavi. Ejus exemplar cum his missurus eram, si quod inveniri à me potuisset: sed ea facile vir doctus carebit.* Hoc mihi tam honorificum doctissimi hujus viri epistolæ fragmentum non sine aliquo rubore, fateor, lectorum oculis subjicio: verum in modestiam nonnihil peccare malui, quam illud gravissimum de causæ nostræ bonitate judicium prætermittere.

Ad philosophiam quod attinet, haud multo magis in ea, quam grammatica Hebraïca, exercitatum se probat interpolator, cum vete-

rem grammaticam cum antiquo Ptolemæi, novam autem cum Copernici, ut videtur, aut Cartesii systemate comparat. Is enim aut similitudinum conditiones sibi plane ignotas, aut philosophiæ veteris quisquiliarum instar eas à se neglectas perspicuum facit. Nam duæ sunt comparationis leges I. ut, quod illustrandæ alterius rei causa assumitur, illud clarius sit eo, quod illustratur. II. ut, quæ secum invicem conferuntur, his in communi aliquo genere conveniat. Porro quid orbis structuræ, ejusque explicandæ rationi cum linguis & earum discendarum methodo commune? Quo quidem brevior simpliciorque est universi hujus constructionis exponendæ modus; is eo verior est, & cum natura ipsa cohærentior, quæ, utpote simplicissima & sibi perpetuo constans, via magis compendiaria delectatur. At in linguis res longe aliter se habet; cum enim illæ mobili & vario hominum ingenio arbitrioque originem; tempori vero usuique incrementum debeant suum: nonnisi præceptorum variis exceptionibus subjectorum multitudine tradi nequit perfecta earum notitia. Ex quo fit, ut brevissimæ grammaticæ, quæ à nonnullis tantopere commendantur, plerumque inutiles sint, utpote quæ maximam artis illius partem omittant, in qua longo usu discenda multo plus temporis insumunt candidati, quam contererent, si hanc in paulo fusiori methodo accurate distincteque traditam edocerentur. Sed animadvertitne is similitudinum artifex hac sua comparatione nova systemata labefactari, dum Ptolemæi vetus adstruitur? An non timet ne quis D. Masclefii grammaticæ nonnihil offensus, quod temporis laborisque sui jactura ejus inutilitatem didicerit; neque Copernici & Cartesii systematum magis, quam Massoretharum grammaticæ peritus, sic disputet: Ad explicandum universi hujus opificium æque apta est Copernici aut Cartesii hypothesis, atque idonea est ad notitiam linguæ Hebraïcæ comparandam nova grammatica. Porro, ut mea aliorumque experientia, & ratione ipsa constat, ad hanc linguam discendam plane inepta est nova methodus. Ergo ad structuram orbis explicandam idonea non sunt nova systemata. Ergo ea rejicienda sunt & veteri adhærescendum, ut nova grammatica eliminanda est, & retinenda vetus, qua linguæ sanctæ notitia intra paucos menses, ut antea experti sunt, quotidieque experiuntur quamplurimi, facile acquiritur. En quod ex rerum plane dissimilium facta secum invicem collatione directo consequitur, quodque in causa est, cur hancce præfationem, aut potius confutationem, aureo illo Græcorum adagio claudamus: Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην, quod Tullius sic interpretatur: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.*

Epist. p. 22.

Aristoph. Vesp. v. 1421. Lib. I. Tusc. num. 41.

Hîc ſermonem ad vos iterum convertere mihi liceat, ſodales amantiſſimi, voſque majorem in modum obſecrare, ut omni vento doctrinæ non circumferamini, ſed ſtudia veſtra Hebraïca ad grammaticam Maſſorethicam inſtituere pergatis. Ea enim, ſi methodice accurateque doceatur, brevis eſt, facilis, & ad genuinum Sacræ Scripturæ ſenſum inveniendum optima dux. Quæcunque igitur grammaticæ à Maſſorethica alienæ vobis proponantur, earum auctoribus dicite, quod olim Juliano, aliiſque Pelagianis, Auguſtinus: *Mira ſunt, quæ dicitis; nova ſunt, quæ dicitis; falſa ſunt, quæ dicitis: mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus.* Neque fidem habeatis quibuſdam Maſſoretharum oſoribus, aut in eorum punctatione mediocriter exercitatis, qui Judæos illos in punctis ſuis vocalibus Hebræo textui inſcribendis, mala fide verſatos dicunt, ſed non probant. Enimvero, ſi prava ſua punctatione hoc Iſaïæ vaticinium: *Et vocabitur nomen ejus*, &c. corrumpere, & nobis eripere voluiſſent; aliud his opus facto fuiſſet nihil, quam ut illud ſic punctarent, ut ſenſum, quem habet apud Lxx. edit. Vaticanæ, referret. Is autem eſt: Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος· ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ὑγίειαν αὐτῷ. *Et vocatur nomen ejus, magni conſilii angelus: adducam enim pacem ſuper principes, & ſanitatem ei.* Nullum, ut videtis, ex hoc vaticinio ſic intellecto erui poteſt, quo SS. Servatoris noſtri Chriſti Divinitas comprobetur, argumentum. Hunc tamen ſenſum præ ſe ferunt Hebræa, 1°. ſi pro אֲבִי *pater*, legatur אָבִי *adducam*, ut 3. Reg. 21. v. 9. Malach. 1. v. 15. 2°. ſi prima ſequentis verſiculi dictio לְםַרְבֵּה, aut potius לְמַרְבֵּה (nam ם clauſum hîc mendum eſt pro מ aperto) in duas dividatur, & addatur ו לשׂה, aut potius ei conjungatur; nam Lxx. in Hebræo ſuo codice, ut ego quidem arbitror, legebant לימרבה vel לימרפה ita ut (י) eſſet *e* τοῦ ל, quod (י) pro ו acceperunt literarum ſimilitudine decepti. 3°. denique, ſi pro מַרְבֵּה legatur מַרְפֵּה, h. e. ſi ב mutetur in פ, aut etiam retineatur; nam ut diverſus efficiatur ſenſus, neceſſaria ſemper non eſt literarum ejuſdem organi, quales ſunt ב & פ, ea commutatio, ut norunt Hebraïce docti. Vel, ſi Lxx. legerunt מַרְפֵּה, varia eſt lectio, quam eligere potuiſſent, ſi fraudem Chriſtianis facere voluiſſent Maſſorethæ. Fruſtra quis dixerit vocem hanc למרבה à Lxx. redditam non fuiſſe ὑγίειαν αὐτῷ *ſanitatem ei*, quod eadem initio ſequentis verſiculi transferatur μεγάλη *magnus* (principatus); in hac enim verſione duæ ejuſdem vocabuli interpretationes, ut in tom. I. præfat. diximus, non raro inveniuntur. Maſſorethica itaque punctatio validiſſimum contra Judæos pro tuenda Chriſti Divinitate ſufficit argumentum; Lxx. vero interpretatio nullum,

Lib. 3. contra Jul. c. 3. tom. 10. nov. edit. col. 557.

Cap. 9. v. 6.

Pag. xviij. xix.

aut

aut saltem infirmissimum, nobis suppeditat.

Unum etiam monitos vos velim, nempe ut non timeatis, ubi nullus est timendi locus. Erunt fortasse ex vobis, qui verituri sint ne consequutionibus, quas ex D. Masclefii principiis elicio, ad labefactandam Scripturæ auctoritatem abutantur impii. Verum illæ urgeri nequeunt, nisi adversus eos, qui principia illa tuentur; minime vero in eos, qui linguæ Hebraïcæ notitiam certa & constanti traditione ad Massorethas usque pervenisse, eosque suis apiculis antiquas vocales certo repræsentasse demonstrant; quique cum Augustino sentiunt Judæos per omnes fere terras gentesque, unius veri Dei providentia, esse dispersos, ut, cum ad eos provocamus, *grammaticum* Scripturæ sensum nobis interpretentur. Dico *grammaticum*, non vero *spiritualem*; quanvis declamator sic me loquentem inducat, quasi Judæos postremi hujus sensus custodes ac interpretes dixissem, cum diserte asseruerim contrarium his verbis, quæ ex nostra tomi I. præfatione descripta, præcipuum, quod vix credatis, declamationis suæ fundamentum posuit: *Sed irritum factum esse Dei consilium cave existimes; non enim frustra Judæi* capsarii librariique nostri *sunt, ut eos vocat Augustinus; quandoquidem sacros Codices puros integrosque nobis conservant non solum literas quod attinet, verum etiam vocales; adeo ut verborum grammaticam potestatem teneant, licet in iis, quæ ad Christum pertinent, pravos & alienos sensus conentur eis affingere.* Ex his, ni fallor, videtis in ea me esse sententia Judæos verum Scripturæ Hebraïcæ sensum grammaticum tenere, hoc est, quid vox quælibet Prophetarum grammatice sumta significet; eos autem verum sensum spiritualem, qui Christum respicit, ignorare ob eorum incredulitatem, & velamen, quod positum est super cor eorum, quodque, nonnisi postquam conversi fuerint ad Dominum, auferetur. Cum itaque verum Scripturæ sensum à Judæis teneri negat iste declamator; is vel grammaticum, vel spiritualem intelligit. Si grammaticum: ruit Augustini argumentum, ex quo necessariam hanc consequutionem elicuimus; & quo Divinæ Scripturæ, contentorumque in ea de Christo vaticiniorum, auctoritas adversus incredulos, & à Christiana fide alienos potissimum adstruitur. Si spiritualem: vana est ejus declamatio; cum id ei jam concesserimus, & Christianus inficietur nemo. Hinc declamatoris hujus perspicacitatem atque judicium existimate.

Supra pag. xxvij.

Epist. p. 12.

Præfat. tom. I. p. xij.

2. Corinth. 3. vv. 15. 16.

Consequens magis non est, quod respondet his, quæ D. Masclefio objecimus; nempe textum Hebræum vocalibus aut expressis aut subintellectis destitutum, esse corpus expers animæ, &c. Id si verum esset, *inde sequeretur*, inquit, *textum Hebræum à prima sua origine ad Massore-*

Præfat. tom. I. p. xij.

Epist. p. 6.

thas usque fuisse corpus expers animæ (quod sine quadam blasphemia dici nequit) , & etiamnum esse in omnibus Judæorum Synagogis , in quibus sine punctis legitur , & ratione eruditorum omnium , qui hoc Massoretharum auxilio non indigent. A quibus Judæis accepit noster declamator textum Hebræum sine punctis in eorum synagogis legi ? Quomodo consonantes legi efferrique possunt sine vocalibus ? In synagogis Judæorum textus quidem Hebræus scribitur sine punctis ; at non legitur sive pronuntiatur sine punctis, iisque Massorethicis, quorum suppletorum ope tum à Judæis, tum ab aliis omnibus eruditis legitur. Hinc est quod si eum integrum , hoc est , cum vocalibus utrique scribant , eum cum punctis Massorethicis, quæ sunt genuinæ ejus vocales, describant. Itaque textus Hebræus punctis destitutus , corpus expers animæ non est Judæis aliisque Hebraïce peritis, qui, quæ vocales supplendæ sint, ubi illæ desiderantur , certo norunt ; easque inter legendum accurate supplent ; sed declamatori nostro, aliisque novæ grammaticæ, si qui adhuc sunt, fautoribus, qui vocales illas una cum literis consonantibus supplendas ignorare se profitentur ; quique alias adhibent , quæ, fatentibus ipsis , *falsæ sunt , nihil omnino significant , verborumque sensum nullatenus attingunt.* Igitur si æque verum esset ac falsum est, quod ait D. Masclefius , nempe vocales cum literis consonantibus Hebraïcis supplendas hodie ab omnibus ignorari , textus Hebræus omnibus esset corpus expers animæ ; neque id asserere blasphemiam redoleret , ut sentit declamator , cum ratione ipsa constet , & pluribus exemplis demonstraverimus solas consonantes , ut nihil sonant , ita nihil significare. Sed cum vocales illæ à solis D. Masclefii discipulis ignorentur , his etiam solis textus Hebræus non punctatus corpus expers animæ censendus est. Aut si quam ratione illorum habet , eam à versionibus mutuatur , quæ tamen ipsæ suam ab Hebræo textu accipiunt. Is itaque textus , secundum principia nostra , non fuit corpus expers animæ τοῖς Lxx. aliisque interpretibus Græcis, & S. Hieronymo ; sed his eo plus minusve , si fas ita loqui , animatum fuit , quo plus minusve supplendas illas vocales tenuerunt : at , secundum D. Masclefii principia , his plane inanimatum fuerit necesse est. Sed missis falsis declamatoris nostri consequutionibus , ad veras nostras revertamur. Eas , sat scio , negabit D. Masclefius ; sed non idcirco minus illæ necessariæ sunt. Quare si eas prævidisset vir religiosissimus , principia , ex quibus naturaliter fluunt , nunquam posuisset. Is enim est , qui summam pietatem cum eruditione non vulgari conjungat. Qua de causa plurimi eum facio venerorque plurimum ; neque à me impetrare possum, quod jam dixi, ut eum integræ episto-

Proleg. pagg. 52. 69. 70.

Supra p. iv.

læ, quæ nomen ejus præ se fert, auctorem esse credam. Ea itaque ab aliquo ex amicis ejus, qui hac opera male collocata gratum se illi facturum existimavit, resecta est atque interpolata.

Ex hac tamen epistola, potius quam ex opere ipso, de primo nostro volumine judicasse videntur, qui librorum recens editorum orbi literato reddendæ rationis provinciam susceperunt. Si vel ipsam ejus præfationem paulo attentius legere voluissent hi eruditi, nunquam scripsissent R. P. D. *Carolo De l'Hostalerie*, Congregationis S. Mauri præposito generali, sancitum esse, ut in qualibet Congregationis hujus provincia scholæ ad linguas Hebraïcam & Græcam ejus alumnos edocendas instituerentur. Scholæ illæ, ut dixi, jam fere ab ipso Congregationis exordio institutæ sunt, & in aliqua saltem provincia identidem apertæ. Sed in Normanniæ provincia à R. illo Patre, cum ibi Visitatorem ageret, annis decem & amplius antequam universæ Congregationis caput renuntiaretur, instauratæ tantum sunt, indeque in alias provincias derivatæ. Verum hæc leviora sunt, & Reipublicæ literariæ inutiliora, quam ut iis ditius immoremur.

Ephemerid. erud. Paris. April. 1725. p. 204.

Præfat. tom. I. p. xxxix.

Lecta & ad verbum fere transcripta sola D. Masclefii epistola, scripserunt iidem viri docti forte esse timendi locum ne diligentia nostra in congerendis, ac tot in classes distribuendis regulis, exceptionibus, anomaliis, &c. ab Hebræa lingua deterreantur quamplurimi. Vanum hunc timorem linguæ sanctæ candidatis eximere conatus sum cum in memorata præfatione, tum in monito primæ grammatices paginæ opposito, ubi tyrones monentur, ut primo aut altero mense ea solummodo discant, quæ majori charactere, & ducto per integram paginam versu excuduntur: quæ vero minoribus typis, & duplici columna; ea in aliud tempus differant; utpote quæ his in præsentia cum inutilia sint, tum etiam fortasse difficiliora, quam ut ab iis facile intelligantur. Ea ratione, qua tota grammatica traditur, quæ grandioribus literis excusa sunt, quæque sola ad incipientes pertinent, in unum si collegeris, nostra grammatica erit omnium brevissima, ut planum faciet, quod aliquando, si Deus dederit, ejus adornabimus compendium.

Ephem. p. 205.

Præfat. tom. I. p. xxix.

Quod speciatim attinet ad exceptiones, anomalias, punctorum mutationes, quæ doctis illis viris Panicum hunc terrorem non parum augere videntur; hæ cum ad linguæ Hebraïcæ non minus, quam earum similes ad Latinæ aut Græcæ naturam pertineant: aut omnino prætermitti, aut brevius tradi non potuerunt sine magno detrimento eorum, qui linguam sanctam accurate discere, seque ita comparare volunt, ut sacrum Textum perfecte intelligere, & cum Judæis aliisque



Hebraïzantibus, qui eas urgent, cum laude disputare queant. Unde non capio, fateor, quod aiunt docti illi viri, nimirum post vulgatam hanc nostram principiorum, quibus innititur nova D. Masclefii grammatica, confutationem, futurum ut eruditi pronuntiare possint num ætate nostra inventa tandem non sit, quam tandiu exoptarunt, exspectaruntque præstantissimi Critici, linguam Hebraïcam sine punctis vocalibus discendi methodus. Ea enim non invenietur, neque ulla ejus inveniendæ spes erit, antequam linguæ Græcæ aut Latinæ sine vocalibus discendæ inventa sit accurata ratio. Sane tandiu exoptatam, tandiuque exspectatam mirabilem hanc artem à D. Masclefio inventam non esse probat cum decennis experientia, tum Bulæana methodus, quæ licet ante annos octo supra sexaginta publici juris facta, nondum tamen, præstantissimorum Criticorum judicio, eam nos docuit; quanvis eodem cum D. Masclefii grammatica, ut fatetur eruditus ipse Canonicus, recidat.

Ephem. pag. 212.

Sup. p. lxxix.

Cum igitur illæ anomaliæ pars sint linguæ sanctæ, & quidem non minima, neque inutilissima; cum analogiæ sint, quod in tabellis umbræ coloribus: eas, qua potuimus breviori faciliorique methodo, exposuimus. Præterea, cum non pueris, quibus linguæ, quam discunt, difficultates occultantur; sed viris subacto ingenio & studiosis scripserimus: haud veriti sumus ne à discenda lingua Hebraïca his anomaliis, quæ longe pauciores in ea sunt, quam in Græca aut Latina, deterrerentur. Ceterum, qui adeo meticulosi sunt, & laboris impatientes, ut vel levissimam animi contentionem refugiant, his Hebræa lingua sibi ut interdictum velint, auctor sum.

Præfat. tom. I. pag. xxx.

Syntaxis cum simplex, tum figurata, breviori sermone tradi vix potuit; hanc enim sic tractatam voluimus, ut absolutissimus in Scripturæ Veteris ac Novi Testamenti φρασεολογίαν commentarius haberetur. Erraret igitur, qui opus istud nudam ac simplicem grammaticam Hebraïcam & Chaldaïcam existimaret. In eo siquidem ex præstantissimis cum grammaticis, tum philologis Hebræis adornando, animus nobis fuit, ut, qui in Hebraïsmo plus sapere nolunt, quam oportet sapere, his *Bibliotheca Hebraïca*, aut plurimorum saltem librorum esset loco. Splendidiorem hunc & operi ipsi convenientiorem titulum ei præfigere potuissemus; neque inde aucta fuisset *eruditorum charlataneria*: sed voluimus opus illud in recessu plus habere, quam in fronte promittere.

Ibid. p. xxxvj.

Ibid. pag. xxviij.

Hæc & alia bene multa, quæ prætereo, æque digna erant, ni fallor, quæ ab eruditis illis observarentur, atque id, quod diligenter notarunt, me videlicet ex *Glassii nobilis apud Lutheranos auctoris* laboribus, uti

Ephem. pag. 206.

agnosco, fructum cepisse haud minimum. Non solum agnovi, verum etiam professus sum utramque syntaxim ex celeberrimi hujus scriptoris *Philologia Sacra*, maximam sui partem, esse concinnatam. Is enim ego sum, ut dixi, qui multo reddere mutuum, quam in furto deprehendi malim. Hac sola fortasse declaratione, à grammaticis bene multis, aliisque scriptoribus, qui maximo apud omnes habentur in pretio, quosque hîc appellare opus non est, discrepamus. *Præfat. tom. I. pag. xxxiij.* *Ibid. pag. xxxviij.*


Nihil moror, quam ob Glassii communionem, dicam nobis impingere videntur illi eruditi; *veritas enim*, inquit doctissimus Natal. Alexander; *& eruditio hæretica non sunt, ut vereri debeamus ea exscribere, quæ à viris eruditis, etsi hæreticis, recte scripta sunt, & adposite animadversa.* Quid quod ipse etiam D. Masclefius, ut grammaticæ suæ syntaxim amplificaret, eodem ex fonte se hausisse profitetur. Quid plura? Si communionis nostræ auctorem, qui eadem diligentia, eademque methodo, id argumenti genus tractasset, nobis indicassent docti illi viri, cum primum hujus operis conspectum in lucem emisimus eruditorum sententias & consilia rogaturi, is procul dubio fuisset à nobis Glassio antepositus. *Ephem. p. 206.* *Dissert. antic. adv. Frass. p. 15.* *Epist. p. 23.*

Denique primi nostri voluminis præfationem à doctis illis viris perfunctorie admodum lectam fuisse argumento est, quod aiunt infirmum adeo mihi visum esse, quod objiciunt nonnulli, versiones scilicet & commentarios ad Scripturam perfecte intelligendam sine linguæ Hebraïcæ notitia sufficere, ut id à me *paucissimis verbis* confutatum fuerit. Si oculos in hunc præfationis locum conjecissent, in hac duplici objectione proponenda refellendaque integras duodecim paginas occupatas invenissent. Eos itaque rogo ut, si secundi hujus voluminis mentionem facturi sunt, eo paulo diligentius lecto, suum, non alienum, interponant judicium. Id si fecerint, gratias eis habebo maximas; hi enim in sequentis præfatione accuratius de illo disserendi labore ingrato me levabunt. *Ephem. p. 207.* *Pag. xvj. & seqq.*



ERRATA.

Pag. xxviij. in 1. citatione lege 518. Pag. xxxiij. vers. 18. lege *pravo*. Pag. xciv. vers. 5. lege *calata*. Pag. xcvj. vers. 26. post vocem, *conjungatur*, adde, *sic*; לגמרא ;



SYLLABUS

Eorum quæ in Tomo ſecundo continentur.

LIBRI SECUNDI PARS ALTERA.

DE SYNTAXI FIGURATA.

TRACTATUS PRIMUS.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Figuris Rhetoricis.

§. III.

TRACTATUS TERTIUS.

De Schematis seu Figuris.

LIBER III.

Varia Hebraïca cum ad Grammaticam, tum ad Scripturam sacram pertinentia.

Admonitio in ſequentem Approbationem.

Secundi hujus tomi præfationem, quæ futura erat diſſertatio, qua confutarentur principia, quibus innititur nova Grammatica Hebraica à punctis aliiſque inventis Maſſorethicis libera, *dum viveret, una cum Grammatica, approbaverat vir religioſus æque ac eruditus D. Jacobus* PINSSONNAT, *linguæ Hebraïcæ profeſſor, & librorum cenſor regius. Verum cum volumen iſtud majorem opinione noſtra in molem excreviſſet; hancce Diatribam in epitomen contraximus. Ei præterea epiſtolii cujuſdam, quod poſt approbatoris mortem typis mandatum eſt, acceſſit confutatio. Quamobrem novæ cenſuræ hanc diſſertationem operæ pretium nobis viſum eſt ſubjicere. Ea provincia ab illuſtriſſimo Regiorum ſigillorum cuſtode tradita eſt viro Hebraïce & Græce peritiſſimo, Linguæ S. in Collegio regio profeſſori, vicario regiæ bibliothecæ præfecto, necnon Academiæ Inſcriptionum humaniorumque literarum ſocio* D. SALLIER, *qui opuſculum iſtud haud indignum judicavit, quod hoc ſuo ſuffragio comprobaret.*

APPROBATIO.

Juſſu illuſtriſſimi Regalium ſigillorum cuſtodis legi *præfationem, in qua punctorum vocalium, quod ad eorum ſignificandi poteſtatem attinet; antiquitas ſimul & auctoritas vindicantur;* neque deprehenſum à me quicquam eſt, quominus imprimatur: in qua nimirum multis, gravibus, firmis & illuſtribus argumentis plane explicatis, ſincera ratio legendi veritatem Hebraïcam aſſeritur. Pariſiis die prima Junii, anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto. SALLIER.

PERMISSIO
RR. P. Superioris Generalis Congregationis S. Mauri.

F. PETRUS THIBAULT Superior Generalis Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti, facultatem concedimus cariſſimo fratri noſtro *D. Petro Guarin*, ejuſdem Congregationis presbytero & Monacho, ut *præfationem, in qua punctorum vocalium, quod ad eorum ſignificandi poteſtatem attinet, antiquitas ſimul & auctoritas vindicantur*, quam elaboravit, quamque vir clariſſimus & erudititiſſimus Dominus SALLIER linguæ Hebraïcæ in collegio regio profeſſor, &c. jubente illuſtriſſimo regalium ſigillorum cuſtode, approbavit, in lucem edere poſſit. In cujus rei fidem has literas propria manu ſubſcriptas, & à Secretario noſtro ſubſignatas dedimus. Pariſiis in Monaſterio S. Germani à Pratis, die tertia Novembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo.

F. PETRUS THIBAULT,
Superior Generalis.

De mandato Reverendiſſimi Patris Superioris Generalis.

F. ANTONIUS LAPRADE,
Secretarius.

PRIVILEGE

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. Notre bien-amé JACQUES COLLOMBAT l'un de nos Imprimeurs ordinaire, & le seul à notre Service pour notre Cabinet, Maison, Bâtimens, Arts & Manufactures; Nous ayant fait remontrer qu'il desireroit imprimer & donner au Public un Manuscrit intitulé, *Grammatica Hebräica & Chaldäica; cum Lexico Hebräico & Chaldäico*, &c. s'il Nous plaisoit luy accorder nos Lettres de Privilege sur ce necessaires. A CES CAUSES, Nous voulant favoriser ledit Collombat, & luy marquer la satisfaction où nous sommes de son attachement auprès de notre Personne, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes, d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre ci-dessus specifié en un ou plusieurs volumes, conjointement ou séparément, marge & caractere, & autant de fois que bon luy semblera; de le faire vendre & debiter par tout notre Royaume, pendant le temps & espace de quinze années entieres & consecutives, à compter du jour de la date des Presentes; durant lequel temps faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre Royaume. Comme aussi à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre & debiter, ni contrefaire ledit Livre en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, sous prétexte d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sous quelque prétexte que ce puisse être, sans le consentement par écrit dudit Exposant, ou de ses ayans causes, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de six mil livres d'amende, (de confiscation des Exemplaires contrefaits, Presses & Caracteres qui auront servi à ladite contrefaçon, que Nous entendons être saisis en quelque lieu qu'ils soient trouvez;) dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & interêts. A la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles. Que l'impression de ce Livre sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformement aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant que de l'exposer en vente, le Manuscrit ou Imprimé qui aura servi de copie à l'impression dudit Livre, sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, és mains de notre tres-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Presentes: Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses ayans causes pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie desdites Presentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, soit tenuë pour

dûement signifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte-Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel est notre plaisir. DONNÉ à Paris le quatriéme jour du mois de May, l'an de grace mil sept cent vingt-quatre, & de notre Regne le neuviéme. Par le Roy en son Conseil.

Signé, CARPOT.

Registré sur le Registre V. de la Chambre Royale des Imprimeurs & Libraires de Paris, num. 846. *folio* 532. *conformement aux anciens Reglemens, confirmez par celuy du* 28. *Fevrier* 1723. *A Paris le vingt-six May mil sept cent vingt-quatre. Signé*, BRUNET, *Syndic.*

MENDA EMENDATA.

TOMUS PRIMUS.

Præter menda in Tomo I. jam emendata, hæc insuper, dum Indices texeremus, eodem in volumine sunt à nobis observata.

Numeri Romani præfationes indicant; ceteri, corpus operis.

PAg. xxxvij. lin. 37. 38. lege *Hispanorumque*. Pag. 21. lin. 4. &c. מַהְפָּךְ *Mahpách*. Pag. 156. §. I. lin. 5. *interdum*. Pag. 163. col. 2. lin. 26. *feminina*. Pag. 175. col. 1. lin. 9. וְחִתְּתַנִי. Pag. 178. col. 1. lin. 3. מֵישָׁרִים. Pag. 182. col. 1. lin. 25. חַחִים. Pag. 196. col. 1. lin. 10. *Michlól*. Pag. 218. col. 1. lin. 10. *vaiiávol*. Pag. 265. col. 1. lin. ult. *Amos*. 6. *v*. 14. Pag. 266. col. 1. lin. 13. *Isai*. 43. *v*. 23. pro *Num*. 14. *v*. 31. Ibid. col. 2. lin. 26. Mich. Pag. 270. col. 2. lin. 4. *Ruth*. 2. *v*. 9. Pag. 290. col. 1. lin. 5. תָּבֹא. Pag. 302. col. 2. lin. 28. תַּנְחֻם. Pag. 318. col. 1. lin. 18. בַּבַּשׁ. Pag. 339. col. 1. lin. 33. dele *cum* (-) *loco* (-) *ob pausam*. Ibid. col. 2. lin. 45. dele אֲהֵבְךָ *diligit te*. Ibid. col. 2. lin. 48. lege מְצָאֲךָ pro מְצָאָהּ. Pag. 355. col. 2. lin. 1. גַּלָּה. Pag. 388. col. 2. lin. 18. אִבְחַת *cuspis*. Pag. 407. col. 1. lin. 34. פֵּאֲרָךְ. Pag. 409. col. 2. lin. 17. יִבַּת. Pag. 411. col. 1. lin. 6. 367. pro 366. Ibid. col. 2. lin. 3. 186. pro 286. Pag. 412. col. 1. lin. 40. 361. pro 161. Pag. 427. col. 2. lin. 42. ἀπωλείας. Pag. 433. col. 1. lin. 34. אַמְנוֹן. Ibid. lin. 35. אֲמִינוֹן. Pag. 440. col. 2. lin. 35. *cap. V. art. V.* pro *cap. I.* &c. Pag. 445. col. 1. lin. 8. נְחֹשׁ. Pag. 452. col. 1. lin. 14. *art. XX. p.* 220. pro *art. VIII.* §. 1. Pag. 456. col. 1. lin. 24. *terra*. Pag. 475. col. 1. lin. 28. & pro *est*. Pag. 478. col. 2. lin. 20. *primo* pro *secundo*. Pag. 480. col. 1. lin. 32. *Rom*. 8. *v*. 15. Pag. 489. col. 2. lin. 10. *eleemosyna*. Pag. 506. col. 1. lin. 14. *vocem meam*. Pag. 526. col. 1. lin. 10. *conclusit*. Pag. 531. col. 1. lin. 19. *erat*. Pag. 533. col. 1. lin. 1. *Matth*. 4. *v*. 45. Pag. 542. col. 2. lin. 42. *Joan*. 21. *v*. 24. Pag. 587. col. 2. lin. 10. דוֹרִים. Pag. 596. col. 2. lin. 6. *ipsi*.

TOMUS II.

PAg. lxxij. lin. 17. lege *Gen. cap.* 49. *v.* 10. Pag. 5. col. 2. lin. 29. dele *Luc.* 19. *v.* 26. Pag. 11. col. 1. lin. 12. lege 3. *Reg.* 3. *v.* 12. Pag. 15. col. 2. lin. 32. τὰς. Pag. 31. col. 2. lin. 44. *quum.* Pag. 47. col. 1. lin. 3. לְחֶם, לְחֶן. Pag. 48. col. 2. lin. 30. *Bethsaïda.* Ibid. col. 2. lin. 31. *Matth.* 11. *vv.* 21. 23. *&c.* Pag. 55. col. 1. lin. 26. *Luc.* 2. *v.* 48. Pag. 61. col. 2. lin. 6. 7. Job. 1. vv. 5. 11. Pag. 92. col. 1. lin. 12. *sequutus.* Pag. 95. art. II. lin. 3. *prædita.* Pag. 100. col. 1. lin. 22. *pennis.* Pag. 107. col. 22. lin. 29. προσωποποιεῖ. Pag. 114. col. 1. lin. 28. *Sethi.* Pag. 132. col. 2. lin. 27. χάφον. Pag. 160. col. 1. lin. 21. ἄνεμος. Ibid. col. 1. lin. 41. *Jonathas.* Pag. 201. col. 1. lin. 12. *militare.* Pag. 202. col. 2. lin. 23. *Jerobaal.* Pag. 206. col. 1. lin. 2. θερισμὸν. Pag. 218. col. 1. lin. 5. ἀπεκδύειν. Pag. 224. col. 1. lin. 3. *Rom.* 3. *v.* 25. Pag. 235. col. 1. lin. 28. *Jonathæ.* Ibid. col. 2. lin. 39. ἑλληνὶς. Pag. 253. col. 2. lin. 9. נְחַשׁ aut נְחֹשׁ. Pag. 267. col. 2. lin. 36. *Idumæa.* Pag. 279. col. 2. lin. 42. προσωποποιΐα. Pag. 285. col. 2. lin. 46. מַה־נֶּהְיֵיתִי. Pag. 288. col. 1. lin. 24. *Isai.* 30. *v.* 33. Pag. 294. col. 1. lin. 6. ἐπιμονὴ. Pag. 296. col. 1. lin. 38. *qui.* Pag. 297. col. 1. lin. 21. Ἰακὼβ. Pag. 306. lin. 18. ἀκολουθίαν. Pag. 315. col. 2. lin. 10. *Zarqá* pro *Zaqéph qatón.* Pag. 321. col. 1. lin. 44. פֶּלֶא. Pag. 368. lin. 13. לְאֻמִּיָה. Pag. 378. col. 1. lin. 3. לִפְרֹט. Pag. 379. col. 1. lin. 21. שֶׁבַע. Pag. 380. col. 2. lin. 21. חָמֵשׁ. Pag. 381. col. 2. lin. 25. עֶשֶׂר. Pag. 394. col. 2. lin. 14. *D.* pro *de.* Pag. 397. lin. ult. *literarum* pro *literam.* Pag. 400. col. 2. lin. 19. 20. *designant.* Pag. 423. col. 1. lin. 11. *ex ordine VI.* Pag. 429. col. 1. lin. 41. ἥλιον. Pag. 430. col. 1. lin. 6. 7. *enneadecaëterides.* Pag. 440. col. 1. lin. 37. *capitis* 5. Ibid. col. 1. num. XV. חֲדַבַּר. Pag. 480. col. 1. lin. 31. *ante* pro *post.* Pag. 514. col. 1. lin. 7. ὀβολὸν. Ibid. lin. 12. ὀβολὸς. Pag. 524. col. 1. lin. 10. *seu* 16. *digitis.* Pag. 527. col. 2. lin. 29. 30. *pollicem cubicum.* Pag. 576. col. 2. lin. ult. חַמּוֹן. Pag. 578. col. 2. lin. 3. in notis, חֲמִי. Pag. 582. col. 1. lin. 34. אֲבַחְתִּי. Pag. 630. col. 2. lin. 36. *postremam.*

ADMONITIO

In Lexicon Hebræo-Chaldaïcum huicce operi grammatico attexendum.

Cum per tempus, quod in hoc secundo volumine excudendo sibi sumsit Typographus, vocabularium istud sæpius retractare ac locupletare nobis licuerit: quale nunc typis mandetur, Linguæ Sanctæ studiosis operæ pretium esse duximus aperire.

I. Non solum voces primariæ, sive radices, verum etiam voces ab eis derivatæ, secundum Alphabethi literarum seriem hoc in vocabulario disponuntur; utque radicem inter & ejus surculum, quæ intercedit, retineatur affinitas; vocibus derivatis radices à quibus pullulant, continuo subjiciuntur.

II. Præter vocum significationes in optimis, quæ hactenus prodierunt, vocabulariis contentas: adjecimus quas suppeditant antiquæ Græcæ versiones τῶν Lxx. Aquilæ, Symmachi, Theodotionis; necnon V. VI. & VII. editiones, quantum earum (si Lxx. excipias) nobis superest in fragmentis, quæ labore improbo, & singulari diligentia viri doctissimi Flaminius Nobilius, Joannes Drusius, *& omnium novissime noster* D. Bernardus de Montfaucon, *collegerunt.*

III. Exposita cum ex veteribus, tum ex recentioribus, sæpe etiam ex linguis Hebraïcæ cognatis, vocum significatione, hæ voces cum omnibus earum accidentibus ita describuntur, ut nulla sit (modo eam non prætermiserint Concordantiæ Hebraïcæ) quæ hoc in vocabulario non inveniatur.

IV. Omnes illæ voces ad calcem hujus Lexici ordine Alphabethico exhibentur; simulque indicantur operis columnæ in quibus earum analogia aut anomalia vel disputatur, vel ad grammaticam, quæ de his fusius agit, ablegatur. Adeo ut, quod in Psalmos præstitit Bythneri Lyra prophetica Davidis, *sive* Analysis critico-practica Psalmorum; *id in omnes Scripturæ Hebraïcæ partes exsequatur & hoc vocabularium.*


V. In favorem tyronum, qui nomina propria cum appellativis, & appellativa cum propriis sæpius confundunt; utraque in hoc Lexico posuimus, ac propriorum viciniores etymologias, neglectis remotioribus, attulimus: ut qui hujuscemodi originationibus delectantur, quod palato suo sapiat, in hoc opere inveniant.

VI. Denique hoc vocabularium eadem chartæ ac typorum elegantia, quæ Grammaticum opus, sed festinatione majori à se iri excusum pollicetur Typographus.

GRAMMATICA

דברי חכמים כדרבנות כמשמרות נטועים בעלי אספות נתנו מרעה אחד : קהל' פר' יב' פס' יא

GRAMMATICA HEBRAICA.



LIBRI SECUNDI PARS ALTERA.

De Syntaxi figurata.



SYNTAXIS figurata ea eſt, ut diximus tom. 1. pag. 419. quæ à communibus regulis diſcedit, ut ſpeciales quaſdam ſequatur ſtructuræ rationes, quas figuras appellant. Præcipuas linguæ cujuſlibet delicias in iis potiſſimum ſitas eſſe, nemo eſt qui neſciat. Ut enim pictura non ſimplex, ſed quæ variis diſtinguitur coloribus, ſpectantium oculos maxime paſcit; & pratum omnigenis variatum floribus, inambulantibus valde arridet: ita quoque oratio non undique ſui ſimilis, verum ſuis interſperſa figuris, audientium aures mirum in modum demulcet.

Figuræ autem late ſumtæ duplicis ſunt generis; aliæ ſiquidem ad verborum ſtructuram pertinent, quæ Figuræ *Grammaticæ* dicuntur; aliæ vero ad ſermonis ornatum ſpectant, quæ *Rhetoricæ* appellantur; quæque *Tropos* & *Schemata*, ſeu *figuras* cum dictionis, tum ſententiæ complectuntur.



TRACTATUS PRIMUS

De Figuris Grammaticis.

FIGURÆ Grammaticæ ad quinarium numerum facile reducuntur. I. Ellipsin. II. Pleonasmum. III. Enallagen. IV. Hypallagen. V. Synchysin. Quanvis autem in Syntaxi simplici nonnulla de figuris illis dixerimus; quia tamen omnia notatu digna, pro ratione materiæ, observari non potuerunt, de his in hoc tractatu speciatim agendum.

CAPUT I.

De Ellipsi.

ELLIPSIS [ἔλλειψις] figura est, qua in sermone aliquid deficit, quod mente supplendum est. Triplex hujusmodi defectus potest assignari. I. Cum plane non exstat in textu, quod addendum est. II. Cum exstat quidem, sed *implicite*, in voce scilicet conjugata, contraria, vel analoga. III. Cum exstat *explicite*, sed in præcedentibus, vel consequentibus, unde illud est repetendum.

Prima ellipseos species spectat vel voces *singulas*, vel voces *connexas*. In *singulis* vocibus ellipsis est I. *Nominis*. II. *Verbi* & *participii*. In *connexis* vocibus, vel ejusdem orationis membri verba quædam desunt; vel integrum orationis connexæ membrum desideratur.

ARTICULUS I.

De Ellipsi Nominis.

ELLIPSIS Nominis, quatenus cum verbo construitur, triplex est.

I. NOMINATIVI verbum præcedentis. 2. Reg. 3. v. 7. *Fuerat autem Saüli concubina nomine Respha, filia Aia;* וַיֹּאמֶר *dixitque ad Abner, quare ingressus es ad concubinam patris mei?* Dixit, nempe Isboseth, ut supplent LXX. & Vulg. utque ex v. 9. colligitur.

3. Reg. 1. v. 6. . . . . . . *erat autem & ipse* (Adonias) *pulcher valde, & ipsum* יָלְדָה *pepererat post Absalom,* Pepererat, supple Haggith, quæ erat mater Adoniæ, ut liquet 2. Reg. 3. v. 4.

Cant. 1. v. 1. al. 2. יִשָּׁקֵנִי *osculetur me osculo oris sui*, &c. scilicet sponsus, qui Christus est.

Act. 13. v. 29. *Cumque consummassent* (Judæi) *omnia, quæ de eo scripta erant; deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento*, nempe Joseph Arimathæus & Nicodemus. Confer Luc. 23. v. 50. Joan. 19. v. 38.

Alia exempla vide Gen. 14. v. 20.... *Et dedit*, supp. Abram. Conf. epist. ad Heb. cap. 7. v. 4. Ibid. c. 41. v. 13. *restituit*, supp. Pharao. Vel tertia illa persona impersonaliter reddenda est, *restitutus sum*. Ibid. v. 56. *& aperuit Joseph omnia, in quibus erat*, supp. frumentum, quod expressit Samaritanus. 2. Reg. 24. v. 1..... *commovit*, supp. Satan. (Conf. 1. Paral. 21. v. 1.) 3. Reg. 18. v. 26. Heb..... *fecerat*, supp. *Elias*. Job. 7. v. 4. *metitur*, supp. cor meum. Psal. 33. Heb. 34. v. 18. *clamaverunt*, supp. *justi*, Vulg. Psal. 49. Heb. 50. v. 3. נִשְׂעֲרָה *commovebitur*, supp. terra. Psal. 104. Heb. 105. v. 40. שָׁאַל *petiit*, supp. populus. Prov. 22. v. 27..... *tollat*, supp. creditor. Mitto alia exempla, in quibus nominativum hunc supplere facile poterit lector quilibet attentus.

II. ACCUSATIVI verbum sequentis. 2. Reg. 6. v. 6. *Postquam autem pervenerunt ad aream Nachon*, וַיִּשְׁלַח *extendit Osa ad arcam Dei*, supp. manum, ut supplent Lxx. & Vulg.

Alia exempla sunt Exod. 23. v. 5. *Relinquendo relinquens*, supp. rem tuam. 1. Reg. 20. v. 16. *& pepigit*, supp. fœdus. Sic c. 22. v. 8. 3. Reg. 8. v. 9. Psal. 43. Heb. 44. v. 11. *diripiebant sibi*, supp. opes nostras. Ibid. v. 13. *& non multiplicasti*, supp. rem tuam. Psal. 102. Heb. 103. v. 9. יִטּוֹר *servabit*, supp. iram. Sic Nah. 1. v. 2. Jerem. 3. vv. 5. 12. Jerem. 16. v. 7. *frangent*, supp. panem, &c.

Luc. 9. v. 52..... *& euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum*, ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ, *ut pararent ei*, supple, hospitium.

Act. 9. v. 34..... *Surge* καὶ στρῶσον σεαυτῷ, *& sterne tibi*, supp. lectum.

1. Pet. 2. v. 23. *Tradebat*, supp. seipsum, vel causam suam, vel *judicium suum*, Syr.

III. CUJUSCUNQUE alius nominis. 4. Reg. 25. v. 3. בְּתִשְׁעָה לַחֹדֶשׁ *nona mensis*, supp. die, & quarti, ut partim supplentur Jerem. 52. v. 6. בַּחֹדֶשׁ הָרְבִיעִי בְּתִשְׁעָה לַחֹדֶשׁ *mense autem quarto, nona* (die) *mensis, obtinuit fames civitatem*, &c. Psal. 118. Heb. 119. v. 56. *Hæc facta est mihi*, supp. consolatio.

Isai. 2. v. 6. *Quia repleti sunt præ Oriente*, Vulg. *ut olim*, supple, malis.

Matth. 28. v. 1. *prima Sabbathi*, supp. die.

Act. 18. v. 22. *Et descendens Cæsaream* ἀναβὰς *ascendit*, supple, Jerusalem, ut supplent interpretum doctissimi.

In specie sæpius deficit vox *aliquis*, &c. Matth. 23. v. 34 *Mitto ad vos prophetas*, supp. quosdam. Sic Luc. 11. v. 49. Joan. 16. v. 17. &c.

Marc. 2. v. 1. *Et iterum intravit Capharnaüm*, δι' ἡμερῶν, *post dies* scilicet aliquot. Sic Gen. 4. v. 3. מִקֵּץ יָמִים *à fine dierum*, id est, post dies aliquot. Abd. v. 5. *nonne reliquissent racemos?* suppl. aliquot.

ARTICULUS II.

De Ellipsi Verbi & Participii.

I. VERBI. Gen. 25. v. 28. *Quia venatio in ore ejus*, supp. grata erat.

Num. 16. v. 28. *Et non ex proprio ea corde*, supp. *protulerim*, Vulg.

1. Reg. 19. v. 3. *Et videbo, quid*, supp. respondeat.

3. Reg. 14. v. 6. *Ego autem missus sum ad te* קָשָׁה *durum*, supp. nuntiaturus.

4. Reg. 25. v. 4. *Omnesque viri bellatores nocte*, sup. *fugerunt*, Vulg. Conf. Jerem. 52. v. 7. Jerem. 19. v. 1. *Hæc dicit Dominus: vade & accipe laguneulam figuli testaceam*, וּמִזִּקְנֵי *& de senioribus populi, & de senioribus Sacerdotum*, supple, adduc tecum. Sic Lxx. καὶ ἄξεις ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ, καὶ ἀπὸ τῶν ἱερέων, *& adduces*, vel *adduc de senioribus populi, & de Sacerdotibus*. Paraph. Chald. וְדַבַּר עִמָּךְ *& adduces tecum*, &c. Vulg..... *accipe laguneulam à senioribus populi, & à senioribus Sacerdotum*. At ellipsis & Lxx. versio

commodiorem sensum parere videntur; siquidem Propheta jubetur laguncùlam conterere coram iis, quos secum adducturus erat, ut liquet ex v. 10. *& conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum.*

1. Paral. 15. v. 13. *Quia principio vos non*, supp. fecistis hoc.

2. Paral. 13. v. 10. *Nos autem Dominum Deum nostrum*, supp. habemus.

Esd. 10. v. 19. .... *arietem de ovibus*, supp. *offerrent*, Vulg.

Prov. 6. v. 26. *Propter mulierem meretricem usque ad frustum panis*, supp. veniet homo, i. ad extremam paupertatem redigetur.

Rom. 2. v. 8. & seqq. *Iis autem, qui sunt ex contentione ... ira & indignatio*, supple, dabitur, erit, &c. V. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, supp. veniet. V. 10. *Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum*, supple, obtinget, vel reddetur à Domino.

Gal. 5. v. 13. *Tantum ne libertatem in occasionem carnis*, supp. detis.

Frequens est ellipsis verbi *caveo*.

Gen. 3. v. 22. *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* V. 23. *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis*, &c. sensus est: *Nunc ergo* caveamus, *ne forte mittat manum*, &c.

Ibid. c. 31. v. 31. *Respondens autem Jacob dixit Labani: quia timui, quia dixi, ne raperes filias tuas à me*, h. e. quia dixi cavendum esse mihi, ne filias tuas mihi eriperes.

Exod. 13. v. 17. *Non duxit eos* (Israëlitas) *Deus per viam terræ Philisthinorum, quamvis esset vicina; quia dixit Deus, ne pœniteret populum cum videret prælium*, &c. hoc est, quia dixit Deus cavendum esse ne pœniteret populum, &c.

Deut. 29. v. 17. al. 18. *Ne sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus*, &c. h. e. cavete ne sit inter vos, &c.

1. Reg. 13. v. 19. *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël, quia dixerant Philisthiim, ne faciant Hebræi gladium aut lanceam*, h. e. dixerant Philisthiim: caveamus ne faciant, &c. Vide c. 27. v. 11. 4. Reg. 2. v. 16. Nehem. 4. v. 12. Job. 36. v. 18. &c.

Item verbi *dico*. Psal. 2. v. 3. *Dirumpamus vincula eorum*, &c. supp. & dixerunt, vel dicendo, aut dicentes: *dirumpamus*, &c. Vide etiam 3. Reg. 20. v. 34. Eccle. 4. v. 4. al. 8. Isai. 3. v. 7. cap. 14. v. 8. c. 16. v. 4. c. 18. v. 5. c. 22. v. 13. c. 24. v. 14. Jerem. 8. v. 19. c. 11. v. 19. c. 30. vv. 6. 17. c. 49. v. 10. Thren. 3. v. 41. &c.

Huc pertinet ellipsis verbi ad particulam vel *præcedentem*, vel *sequentem* pertinentis.

Præcedentem. Act. 5. v. 4. τί ὅτι ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου τὸ πρᾶγμα τοῦτο; τί scilicet γέγονεν, *quid* est, *quòd posuisti in corde tuo hanc rem?* quæ ellipsis completur Joan. 14. v. 22. .... τί γέγονεν ὅτι ἡμῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτὸν, καὶ οὐχὶ τῷ κόσμῳ, Vulg.... *quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?*

Sequentem. Ante particulas *si*, *ne*, ellipsis quandoque verbi est, *ut videret*, seu *visurus*, &c. Marc. 11. v. 13. *Cum vidisset à longe ficum habentem folia, venit* εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ, *si quid forte inveniret in ea*, supp. ut videret *si quid*, &c.

II. PARTICIPII. Num. 24. v. 19. וְיֵרְדְּ מִיַּעֲקֹב *& dominabitur ex Jacob*, supple יֵלוֹד *natus*.

1. Reg. 15. v. 7. *Percussitque Saül Amalec, ab Hevila donec venias ad Sur*, &c. supp. habitantem inde ab Hevila, &c.

Isai. 57. v. 8. *Quia à me*, supp. discedens, *discooperuisti*, videlicet turpitudinem tuam.

Ezech. 23. v. 8. *Scortationes suas ab Ægypto non reliquit*, supp. delatas ab Ægypto, vel cum Vulg. *quas habuerat in Ægypto.*

Mich. 3. v. 3. *Et conciderunt* (ossa populi mei) *quasi in lebetem*, supp. injicienda; *& quasi carnem in medium ollæ*, supp. pariter injiciendam.

Ibid. cap. 5. v. 7.... *quasi stillæ super herbam*, supp. decidentes.

Marc. 7. v. 4. *Et à foro, nisi baptizentur*, (i. loti fuerint) *non comedunt. A foro*, supple, venientes. Ibidem v. 17. *Et cum introisset in domum à turba*, supp. digressus.

2. Thess. 1. v. 9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus*, suppl. expulsi à facie Domini, &c.

ARTICULUS III.

De Ellipsi quarumdam vocum in eodem orationis membro.

FREQUENS in Scripturis est id genus ellipseos. 4. Reg. 22. v. 18. *Hæc dicit Dominus Deus Israël :* הַדְּבָרִים אֲשֶׁר שָׁמָעְתָּ , Lxx. οἱ λόγοι ὓς ἤκουσας , *verba illa , quæ audivisti* , supp. eventura quidem erant. V. 19. *Quia autem emollitum est cor tuum , & humiliatus es coram Domino* , &c. non evenient.

Ezech. 47. v. 13. *Hic est terminus , in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israël ;* יוֹסֵף חֲבָלִים *Joseph funiculos* , supple , duos accipiat ; unum pro Manasse , alterum pro Ephraimo. Vulg. *quia Joseph duplicem funiculum habet.* Chald. *Joseph accipiat duas partes.*

Alia exempla vide 1. Paral. 18. v. 10. *Et omnia vasa* , &c. supp. in manu ejus fuerunt, quæ verba 2. Reg. 8. v. 10. supplentur. Ibid. c. 28. v. 21. *Et ecce turma Sacerdotum* , &c. supp. aderunt tibi.

Matth. 25. v. 9. *Responderunt prudentes , dicentes : ne forte non sufficiat nobis & vobis*, &c. subintelligendum : οὐδαμῶς , βλεπτέον γὰρ , &c. *nequaquam , videndum enim ne non sufficiat nobis & vobis* , &c.

Marc. 14. v. 49. *Sed ut impleantur Scripturæ* , supp. sed hoc fit , ut impleantur Scripturæ. Confer Matth. 26. v. 56. Vide & Joan. 15. v. 25.

Luc. 1. v. 17.... *ut convertat corda patrum in filios* , supp. *& corda filiorum in patres* , ut compleatur Malach. 4. v. ult. unde contextus ille desumtus est.

Joan. 2. v. 18. *Quod signum ostendis nobis , quia hæc facis ?* supp. ut Messias. Conf. Jud. 6. v. 17.

Joan. 4. v. 1. *Ut ergo cognovit Jesus , quia audierant Pharisæi* , supp. & quod ægre ferrent , ac exitium ei molirentur , &c.

1. Cor. 9. v. 4. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi* , supp. Ecclesiæ sumtu.

Gal. 2. v. 9.... *ut nos in gentes , ipsi in circumcisionem* (i. circumcisos) supp. apostolico munere fungeremur.

Huc pertinet in narratione historica ellipsis , quando desunt voces : *inquit* , *& dixit* , *at ille dixit* , &c. 4. Reg. 10. v. 15.... *& ait* (Jehu) *ad eum* (Jonadab) *nunquid est cor tuum rectum , sicut cor meum cum corde tuo ? & ait Jonadab : est.* יֵשׁ וָיֵשׁ תְּנָה אֶת־יָדְךָ *si est* , *da manum tuam* , &c. supple , inquit , *si est* , inquit , *da manum tuam* , &c. ut supplent Lxx. & Vulg.

Luc. 19. v. 25. *Et dixerunt ei : Domine , habet decem mnas.* V. 26. *Dico autem vobis , quia omni habenti dabitur* , &c. supp. inquit , *dico autem vobis* , inquit , *quia omni habenti dabitur*, &c. Vide Luc. 19. v. 26. Joan. 1. v. 20. &c.

ARTICULUS IV.

De Ellipsi membri integri in oratione connexa.

IN oratione continua modo *prius* , modo *posterius* membrum deficit.

PRIUS. Matth. 16. v. 7. *At illi cogitabant intra se , dicentes : quia panes non accepimus.* Deest prius membrum , scilicet : ita loquitur Christus , *quia panes* , &c.

Marc. 3. v. 30. *Quoniam dicebant* , &c. his præmitte : Hæc igitur dicebat illis , *quoniam dicebant* , &c.

Luc. 9. v. 13. *Non sunt nobis plusquam quinque panes & duo pisces* , adde : itaque , non possumus eis dare , quo vescantur , *nisi forte nos eamus* , &c.

Joan. 5. v. 6. *Hunc cum vidisset Jesus*....

dixit ei : vis sanus fieri ? V. 7. *Respondit ei languidus : Domine , hominem non habeo* , &c. Deest prius orationis membrum : omnino volo ; sed *hominem non habeo* , &c.

Rom. 15. v. 3. *Etenim Christus non sibi placuit , sed* , adde : studio placendi Deo omnia mala tulit , ita ut vere ipsi acciderit , quod *scriptum est : improperia* , &c.

2. Thess. 2. v. 3. *Ne quis vos seducat ullo modo : quoniam* , adde : non veniet dies Domini , *nisi venerit discessio primum* , &c.

POSTERIUS , quod ἀνανταπόδοτον vocant. Genes. 30. v. 7. *Ait illi Laban* : אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ *si inveni gratiam in conspectu tuo : experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te.* Post illa verba : *si inveni gratiam* , &c. deest : maneas mecum , aut quid simile ; ratio enim sequitur : *experimento didici* , &c.

2. Reg. 5. v. 8. *Qui percusserit Jebusæum* , &c. adde : is erit princeps & dux , ut suppletur 1. Paral. 11. v. 6.

Jerem. 46. v. 18. *Sicut Thabor in montibus , & sicut Carmelus in mari est :* adde , sic veniet verbum hoc super Ægyptum.

Matth. 6. v. 25. *Nonne anima plus est quam esca* , &c. supple : quanto magis Deus , qui animam & corpus concessit , alimenta & vestimenta dabit ?

Matth. 8. v. 9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus , habens sub me milites ; & dico huic : vade , & vadit ; & alii : veni , & venit ; & servo meo : fac hoc , & facit* , supp. quanto magis tu , qui omnium Dominus es , imperare vel solo verbo poteris , ut convalescat servus meus.

Marc. 11. v. 32. *Si dixerimus : ex hominibus* , supp. non bene nobis cedet ; sequitur enim : *timebant populum.* Vide etiam Luc. 2. v. 21. Joan. 3. v. 2. 1. Petr. 2. v. 4. &c.

In collationibus similium , membrum posterius quandoque deficit ; quæ ellipsis etiam ἀνανταπόδοτον dicitur. Rom. 5. v. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors* , &c. deest ἀπόδοσις , sic per unum hominem , Christum videlicet , justitia in mundum venit , & per justitiam vita æterna. Quod membrum versibus sequentibus innuitur.

1. Tim. 1. vv. 3. 4. *Sicut rogavi te* , &c. supple post duos illos versus , ita rogo te iterum , ut illic maneas , &c.

2. Tim. 2. v. 20. *Sicut in magna domo* , &c. supple : sic in Ecclesia , quæ domus Dei est , non solum sunt pii & electi , verum etiam impii & reprobi , quorum illi vasis aureis & argenteis , hi ligneis & testaceis significantur.

ARTICULUS V.

De Ellipsi vocis ex voce conjugata eruenda.

VOx , quæ ex alia conjugata repetitur , est vel *Nomen* , vel *Verbum.*

NOMEN. Gen. 4. v. 5.... וַיִּחַר לְקַיִן *& exarsit Caino* , supp. חָרוֹן *ira ;* quod nomen in verbo חָרָה latet. Vulg. *iratusque est Cain* , &c. Vide v. 6. c. 18. v. 30. Jon. 4. vv. 1. 9. &c.

Exod. 15. v. 1. אָשִׁירָה *cantabo* , supp. שִׁיר *canticum.*

Levit. 4. v. 2. *Anima , quæ peccaverit per errorem contra omnia mandata Dei , quæ præcepit ut non fierent* , &c. supp. חַטָּאוֹת *peccata ;* quæ vox latet in verbo præcedenti תֶחֱטָא *peccaverit* , ac sensus est : *anima quæ peccaverit per errorem contra omnia mandata Dei peccata , quæ præcepit ut non fierent* , i. secundum idioma Hebraïcum , quæ omnino ne fierent prohibuit.

Num. 11. v. 14. *Non possum ego solus ferre totius populi hujus* , supp. מַשָּׂא *onus , pondus* , ex vv. 11. 17. eaque vox in verbo præced. נְשֹׂא includitur.

Psal. 75. Heb. 76. v. 12. נִדְרוּ *vovete & reddite Domino* , supp. נְדָרִים *vota ;* quæ vox in verbo נָדַר latet.

Ose. 9. v. 4. *Non libabunt Domino vinum , & non placebunt ei* , supp. libamina eorum.

Matth. 20. v. 12. *Hi novissimi una hora ἐποίησαν fecerunt* , supp. ποίησιν , *facturam* , seu *opus.*

VERBUM. 1. Reg. 13. v. 8. *Et exspectavit* (Saül) *septem dies*, לַמּוֹעֵד אֲשֶׁר שְׁמוּאֵל *secundum condictum tempus*, *quod Samuel*, supp. יָעַד *condixerat*, quæ vox delitescit in nomine מוֹעֵד. Vulg. eodem sensu: *juxta placitum Samuelis.* Integra phrasis legitur 2. Reg. 20. v. 5. *Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam*, *& moratus est* מִן־הַמּוֹעֵד אֲשֶׁר יְעָדוֹ *ultra tempus statutum*, *quod ei constituerat* (David). Vulg. *ultra placitum Regis.*

2. Paral. 2. v. 4. *Ad adolendum coram illo incensum aromatum*, *& dispositionem jugem*, &c. supp. & ad disponendam.

Psal. 93. Heb. 94. v. 10. *Qui corripit gentes*, *non arguet ? qui docet hominem scientiam*, supple, non sciet ? quod verbum in nomine conjugato *scientiam* latet.

Ose. 1. v. 2. *Sume tibi uxorem fornicationum*, *&* יַלְדֵי *filios fornicationum*, supp. cum Vulg. *& fac*, vel הוֹלֵד *genera*, quod verbum in præced. nomine יַלְדֵי *filios* includitur.

Mich. 7. v. 3. *Et judex propter retributionem*, supp. judicat, quod verbum in conjugato nomine *judex* delitescit.

Matth. 26. v. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ*, supp. quibus scriptum est, *quia sic oportet fieri ?*

Rom. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus* τὰς ὀφειλὰς, *debita*, τῷ τὸν φόρον, *cui tributum*, supp. ὀφείλετε *debetis ;* illud enim verbum in præcedenti nomine ὀφειλὰς *debita* includitur. φόρον *tributum*, supp. reddite, &c.

ARTICULUS VI.

De Ellipsi vocis ex voce contraria eruendæ.

VOx contraria, ex qua alia subintellecta eruenda est, modo *præcedit*, modo *sequitur.*

PRÆCEDIT. Psal. 64. Heb. 65. v. 9. *Egressus matutini*, supp. temporis, *&* (ingressus) *vespere*, i. vespertinos *delectabis.* Vox *ingressus* includitur in præcedenti contraria *egressus ;* ac sensus est : homines mane egredientes domo ad laborem, & sero ingredientes, seu regredientes domum ad quietem, delectabis.

Psal. 83. Heb. 84. v. 11. *Quia melior est dies una in atriis tuis*, *super millia*, scilicet alibi, seu in alio loco transacta, quod latet in vocibus *atriis tuis.*

Prov. 19. v. 1. *Melior est pauper .... perverso labiis suis*, &c. supp. cum Vulg. *divite*, quæ vox latet in opposita *pauper.*

Cap. 24. v. 18. *Ne forte videat Dominus*, *& displiceat ei*, *& auferat ab eo* (inimico tuo) *iram suam*, supp. & convertat in te.

1. Tim. 4. v. 3. *Prohibentium nubere*, *abstinere à cibis*, &c. supp. jubentium *abstinere*, &c. quæ vox eruitur ex contraria præcedenti *prohibentium.*

SEQUITUR. Gen. 33. v. 10. *Dixitque Jacob :* אַל־נָא *ne quæso*, supp. recuses ; latet enim illa vox in contraria, quæ sequitur, וְלָקַחְתָּ *accipe munusculum de manibus meis.*

Ibid. c. 49. v. 4. *Rapiditate*, *instar aquarum*, supp. effluas, diffluas ; quod ex sequenti voce eruitur : *ne excellas*, Vulg. sensum recte expressit : *effusus es sicut aqua*, *non crescas.*

Jud. 5. v. 6. *In diebus Jahel quieverunt*, vel *cessaverunt semitæ*, supp. rectæ ; sequitur enim : *& qui ingrediebantur per eas*, *ambulaverunt per calles devios ;* ex quibus verbis ultimis eruitur vox *recta* in priori membro supplenda.

1. Reg. 20. v. 10. *Et dixit David ad Jonathan : quis renuntiabit mihi*, supp. bonum, quod dixerit tibi pater tuus ; quæ sententia latet in verbis sequentibus : *aut quid responderit tibi pater tuus duri.* Conf. vv. 12. 13. ex quibus patet illa oppositio.

Psal. 65. Heb. 66. v. 20. *Benedictus Deus*, *qui non amovit orationem meam*, supp. à se, *& misericordiam suam à me.*

Luc. 13. v. 9. *Et siquidem fecerit fructum*, supp. relinques, ut patet ex membro sequenti : *sin autem ; in futurum succides eam* (ficulneam).

ARTICULUS VII.

De Ellipsi vocis ex voce analoga & correlata eruenda.

GEN. 50. v. 23. *Filii quoque Machir filii Manasse* יָלְדוּ Lxx. ἐτέχθησαν, Vulg. *nati sunt super genua Joseph*, Vulg. *in genibus*, h. e. positi seu educati sunt super genua Joseph; nasci enim & educari sibi invicem respondent.

Levit. 21. v. 4. *Non polluet se* (Sacerdos) *maritus in populis suis*, supple, pro uxore, quam duxit è populis suis. Vox *uxor* in præcedente analoga *maritus* includitur.

Deut. 15. v. 12. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa*, supp. soror, quæ vox in præcedenti correlata *frater* comprehenditur.

Psal. 141. Heb. 142. v. 5. *Respice ad dexteram, & vide*, supp. ad sinistram.

Marc. 1. v. 6. *Et erat Joannes vestitus pilis cameli*, καὶ ζώνην δερματίνην, *& zona pellicea circa lumbos ejus*, &c. supp. cinctus erat, ut supplevit Syrus; vestiri enim & cingi, sibi mutuo respondent.

Joan. 7. v. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum;* οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, *nondum enim erat Spiritus sanctus*, supp. δεδομένον, *datus*, quæ vox in correlata præcedenti latet; *dare* enim & *accipere* sunt relata. Eam exprimunt Vulg. Syr. & Arabs; eaque in mss. quibusdam codd. à D. Mill. pag. 218. laudatis conspicitur.

Rom. 14. v. 21. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque* (supp. quidquam facere) *in quo frater tuus offenditur.* Actiones particulares *manducare* & *bibere* generali *facere* respondent.

ARTICULUS VIII.

De Ellipsi Nominis & Pronominis ex membro præcedente repetendi.

NOMINIS. Gen. 14. v. 20. *Et dedit ei* (Melchisedecho) *decimas ex omnibus*, dedit, scilicet Abram, ex v. 19. Vide etiam supra pag. 3. col. 1.

Cap. 34. v. 5. *Jacob autem audivit*, כִּי טִמֵּא אֶת־דִּינָה בִתּוֹ *quod vitiasset Dinam filiam suam*, &c. *quod vitiasset*, supp. Sichem filius Hemor, qui v. 2. memoratur. Lxx. hanc ellipsin ex parte suppleverunt. Ἰακὼβ δὲ ἤκουσεν, ὅτι ἐμίανεν ὁ υἱὸς Ἐμμὼρ Δείναν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, *Jacob autem audivit, quod vitiasset filius Hemor Dinam filiam suam*, &c.

Amos. 8. v. 14. *Vivit Deus tuus, Dan: & vivit via Bersabee*, supp. Deus *viæ Bersabee*, i. Deus ille, ad quem colendum itur Bersabee. Lxx. Ζῇ ὁ θεός σου, Δὰν, καὶ ζῇ ὁ θεός σου, Βηρσαβεὲ, *Vivit Deus tuus, Dan, & vivit Deus tuus, Bersabee.* Vocem θεὸς *Deus* expresserunt in altero membro ex priori desumtam.

Luc. 22. v. 37. *Etenim ea, quæ sunt de me*, supp. γεγραμμένα, *scripta*, *finem habent:* quæ vox in eodem versu præcedit: *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc* τὸ γεγραμμένον, *quod scriptum est, oportet impleri in me.*

1. Petr. 2. v. 6. *Propter quod* περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, *continet in Scriptura*, supple, Deus, cujus mentio præcedit v. 5. Interp. Lat. *continet Scriptura*, legebat περιέχει ἡ γραφὴ, ut habent quidam codd. mss. Vide D. Mill. p. 555.

1. Joan. 2. v. 2. *Et ipse* (Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, sup. peccatis.

PRONOMINIS. Isai. 40. v. 13. מִי *quis adjuvit Spiritum Domini, & vir consilii ejus?* &c. supp. וּמִי *& quis*, ex membro præcedenti; *& quis vir consilii ejus?* &c. Lxx. καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο; & Vulg. *aut quis consiliarius ejus fuit?*

ARTICULUS IX.

De Ellipsi Verbi ex membro præcedente repetendi.

GEN. I. v. 30. Heb. *Cunctis autem animantibus terræ.... omnem herbam viridem*, supp. ex v. 29. *dedi*.

2. Reg. c. 19. v. 12. *Quare novissimi estis ad reducendum regem in domum suam, cum sermo totius Israëlis pervenerit ad regem*, supp. de reducendo eo *in domum suam*.

3. Reg. 20. v. 34. *Et dixit* (Benadad) *ei* (Achab regi Israëlis) *civitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam; & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria*. Post hæc verba supple: & dixit Achab: *& ego fœderatus* אֲשַׁלְּחֶךָּ, Lxx. ἐξαποστελῶ σε *dimittam te*. Vulg. *recedam à te*, &c. nam hæc verba non sunt Benadad regis Syriæ, qui supplex venerat, sed Achab regis Israël.

Prov. 17. v. 21. *Qui gignit stultum, ad mœrorem sibi*, supp. ex membro præcedenti, gignit; sequitur enim: *sed nec pater in fatuo lætabitur*.

Cap. 21. v. 10. *Cum cessat litigium, etiam ignominia*, supp. cessat. Alia exempla vide Exod. 22. v. 15. Deut. 1. v. 4. Psal. 44. Heb. 45. v. 4. Prov. 10. v. 13.

Quandoque præter repetitionem, etiam numeri, personæ, & tempora mutantur. 4. Reg. 9. vers. 27. *Persequutusque est eum* (Ochosiam) *Jehu & ait: etiam hunc percutite in curru suo;* supp. cum Vulg. & percusserunt eum *in ascensu Gaver*, &c.

Isai. 10. v. 31. *Migravit Medemena, habitatores Gabim confortamini*, supp. ad migrandum; non enim fortitudo, sed pavor, hoc & præcedd. vv. 29. 30. describitur.

Joan. 15. v. 4. *Manete in me, & ego in vobis*, supp. ex membro præced. manebo.

Ephes. 1. v. 12. *Ut simus in laudem gloriæ ejus, nos* τοὺς προηλπικότας, *qui ante speravimus in Christo*. v. 13. *In quo & vos*, supp. ἠλπίκατε, *sperastis, cum audissetis verbum veritatis*, &c.

2. Thess. 2. v. 7. *Tantum ut, qui tenet nunc*, supp. cum Vulg. *teneat, donec de medio fiat*. Vide 1. Cor. 4. v. 15. 2. Cor. 11. v. 22. Gal. 2. v. 7. 1. Joan. 2. v. 22.

ARTICULUS X.

De Ellipsi particulæ ex membro præcedenti repetendæ.

CUMPRIMIS attendenda est particula *negativa*, quæ in sequentia commata vim suam non raro extendit.

Psal. 9. v. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum*, supp. cum Lxx. & Vulg. לֹא *non peribit in finem*. Vide 1. Reg. 2. v. 3. Psal. 43. Heb. 44. v. 19. Prov. 25. v. 27. c. 30. v. 3. Isai. 38. v. 18. c. 41. v. 28. &c.

Matth. 10. v. 38. *Qui non accipit crucem suam, &*, supp. non *venit post me; non est me dignus*. Vide Joan. 15. v. 22.

Alia negativa פֶּן in sequenti membro repetitur. Exod. 19. v. 21. *Descende & contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, &*, supple פֶּן ne *pereat ex eis plurima multitudo*. Vide Isai. 6. v. 10. ubi hæc particula negativa quater ex priori membro repetenda est. Sic de aliis particulis.

אֵיךְ *Quomodo?* Psal. 72. Heb. 73. v. 19. *Quomodo facti sunt in desolationem?* (quomodo) *subito perierunt?* &c.

אֵיכָה idem. Thren. 1. v. 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* (quomodo) *facta est quasi vidua domina gentium?* (quomodo) *princeps populorum facta est sub tributo?*

כַּמָּה *Quoties?* Job. 21. v. 17. *Quoties lu-*

cerna impiorum extinguetur? & (supp. quoties) *superveniet eis inundatio?* & (quoties) *dividet eis dolores furoris sui?* Atque ita in tribus sequentibus versiculis.

לָמָּה *Quare?* Psal. 2. v. 1. *Quare fremuerunt gentes,* & (quare) *populi meditati sunt inania?* v. 2. (Quare) *adstiterunt reges terræ?* & (quare) *principes convenerunt in unum?*

מָה *Quam? quid?* Joël. 1. v. 18. *Quid ingemuit animal?* (quid) *mugierunt greges armenti?*

עַד־מָה *Usquequo?* Psal. 4. v. 3. *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (usquequo) *diligitis vanitatem?* (usquequo) *quæritis mendacium?* Ita Lxx. qui pro עַד־מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה *usquequo gloriam meam in ignominiam,* supp. vertetis, legebant כְּבוֹדֵי לֵב לָמָּה divisa voce לִכְלִמָּה, & mutato כ in ב. Aq. ἕως πότε οἱ ἔνδοξοί μου, *usquequo gloriosi mei?* S. Hieron. *inclyti mei,* legebant כְּבוּדַי. Sym. ἕως πότε ἡ δόξα μου, *usquequo gloria mea,* legeb. ut Heb.

עַד־מָתַי idem. Psal. 93. Heb. 94. v. 3. *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* v. 4. (Usquequo) *effabuntur & loquentur iniquitatem?* (usquequo) *loquentur omnes, qui operantur injustitiam?*

ARTICULUS XI.

De Ellipsi vocum conjunctarum ex membro præcedente repetendarum.

NUM. 24. v. 22.... *quousque erit?* supp. ex v. præced. in petra nidus tuus?

Ibid. c. 26. v. 1. *Loquutus est autem Dominus ad Moysen & Eleazarum filium Aaron, Sacerdotem, dicens:* v. 2. *Numerate summam filiorum Israël à viginti annis & supra.....* v. 3. *Loquuti sunt itaque Moyses & Eleazar ad eos .... dicendo: à filio viginti annorum & supra, sicut præcepit Dominus Moysi,* &c. Repetendum ex v. 2. Numerate summam filiorum Israël à filio viginti annorum & supra, &c.

Josue 24. v. 19. *Dixitque Josue ad populum; non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus est & fortis æmulator,* &c. supp. si idola colueritis, quod membrum in præcedenti sermone, præsertim versibus 14. 15. 16. exstat, & in sequentibus 20. & 23.

Psal. 83. Heb. 84. v. 4. *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos; altaria tua, Domine virtutum,* &c. supp. ex membro præcedente: sic anima mea desiderat invenire *altaria tua, Domine virtutum,* &c. vel, sic *altaria tua, Domine virtutum,* domus nostra sunt, refugium nostrum, & quasi nidus noster.

Zach. 14. v. 18. *Quod si familia Ægypti non ascenderit... nec super eos,* supp. ex v. præced. erit pluvia.

Matth. 2. v. 10. *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde,* stellam, supp. ex v. 9. stantem supra, ubi erat puer.

Marc. 5. v. 23. *Et deprecabatur eum multum, dicens; quoniam filia mea in extremis est,* ἐλθὼν ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας, *ut, cum veneris, imponas ei manus,* supp. ex versus initio: rogo te *ut cum veneris imponas ei manus.* Vulg. & Syrus: *Veni, impone manum super eam.* Sic etiam ms. Veles. ἐλθὲ; ἐπίθες αὐτῇ τὰς χεῖράς σου. In antiquissimo Bezæ ms. codice legitur. ἐλθὲ, ἵνα ἐλθὼν, &c. *veni, ut cum veneris imponas,* &c.

Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit,* supp. ex priori membro: *filius, qui est in sinu patris,* ipse vidit eum solus, & *ipse* (eum) *enarravit.*

Joan. 9. v. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus,* repete ex fine versus præcedentis: *ut cæcus nasceretur.* Alias videri posset peccatum omnino in illis negari.

1. Joan. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis,* post alterum *sed* repete cum Syro: ex nobis prodierunt, *ut manifesti sint,* &c.

ARTICULUS XII.

De Ellipsi vocis ex membro sequenti repetenda.

NUM. 9. v. 5. *Et celebrarunt Pascha in primo*, supp. mense, quæ vox statim sequitur: *quartadecima die hujus mensis*, &c.

Jos. 3. v. 3. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam*, supp. proficiscentes, ex verbo mox sequente: *Vos quoque proficiscemini è loco vestro*, &c.

Prov. 13. v. 1. *Filius sapiens eruditioni patris*, supp. auscultat, ex membro sequenti: *& derisor non auscultat increpationi.*

Alia exempla vide 3. Reg. 33. v. 12. in cujus fine addendum *inter reges*, ex v. 13. Ibid. c. 14. v. 15. post vocem *Israël*, adde *movendo*, ex membro seq. 1. Paral. cap. 4. v. 7. post *Ethan*, adde *Cos*, ex v. 8. V. 13. post *Hathath*, adde cum Vulg. *Maonathi*, ex v. 14. Cap. 7. v. 18. post *Mobola*, adde *Semida*, ex v. 19. Et sic sæpe in hoc primo Paralipomen. libro.

Psal. 88. Heb. 89. v. 8. זְכָר־אֲנִי מֶה־חָדֶל *memorare*, supp. ex verbis seqq. מָה *quid ergo sim, quid tempus meum*, i. memento quam fragilis sim, quam brevis sit vita mea in hoc sæculo. Lxx. *Quæ mea substantia*, sensum non verba reddidere.

Eccle. cap. 7. v. 29. Post *virum*, adde rectum, & post *mulierem*, supple, rectam, ex vers. seq.

Isai. 31. v. 5. *Sicut aves volantes*, supple, protegunt, videlicet nidum suum, ex v. seq.

Habac. 2. v. 3. *Quia adhuc visio in constitutum tempus*, supple ex seqq. differetur. Vulg. *procul.*

Ephes. 2. v. 1. *Et vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris*, &c. supp. ex v. 5. συνεζωοποίησε, *convivificavit*

ARTICULUS XIII.

De Ellipsi vocum in priori membro ex posteriori, & in posteriori ex priori repetendarum.

HÆc vicissitudo Elliptica, quam nonnulli *metalepsin* vocant, occurrit vel in vocibus *singulis*, vel in vocibus *complexis*.

I. IN VOCIBUS SINGULIS. Prov. 10. v. 1. *Filius sapiens lætificat patrem*, supp. & matrem, ex posteriori membro: *filius vero stultus mæstitia est matris suæ*, repete, & patris, ex priori. Vide c. 15. v. 20. c. 17. v. 25. c. 23. v. 24. c. 30. v. 17. &c. hæc enim figura frequens est in Proverbiis.

Rom. 10. v. 9. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum*, supp. & in corde tuo credideris, ex membro sequenti: *Et in corde tuo credideris*, repete ex priori membro: & in ore tuo confitearis, *quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Ut enim aliquis salutem consequatur, satis non est ut ore confiteatur Jesum esse Dominum; id etiam & corde credere debet; sicuti interdum non sufficit credere, sed etiam confiteri necesse est.

II. IN VOCIBUS COMPLEXIS. Jud. 21. v. 11. *Omne generis masculini, & mulieres, quæ cognoverunt virum, interficite*, supp. ex versu sequenti cum Lxx. τὰς δὲ παρθένους περιποιήσασθε, Vulg. *virgines autem reservate.* V. 12. *Inventæque sunt in Jabes Galaad quadringentæ puellæ, quæ nescierunt viri torum, & adduxerunt eas ad castra in Silo in terra Chanaan*, repete ex versu 11. mulieres vero, quæ cognoverunt virum, una cum masculis interfecerunt. Vide etiam Gen. 11. vv. 7. 8.

Psal. 1. v. 6. *Quia novit Dominus viam justorum*, supp. ex altero membro, ideo non pe-

ribit. *Et iter impiorum peribit*, repete ex priori hemistichio, quia Dominus eam non novit. In priori siquidem membro ponitur causa, reticetur eventus; in posteriori autem, ponitur eventus, causa reticetur. Vide Psal. 41. Heb. 42. v. 9. Isai. 32. v. 3.

Joan. 14. v. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor;* supple ex posteriori membro: & opera, quæ facio, à me ipso non facio; *Pater autem in me manens, ipse facit opera*, quæ facio; adde etiam ex priori versus parte: & verba, quæ ego loquor vobis, ipse loquitur; sicque sensus integer est & completus.

Hæc de Ellipsi, cum iis quæ in Syntaxi simplici attulimus, sufficiant.

CAPUT II.

De Pleonasmo.

PLEONASMUS [πλεονασμὸς] ellipsi è diametro opponitur. Figura est, qua verba, aut sententiæ, in oratione abundant. Neque tamen omnino otiosa sunt ac inutilia, quæ repetuntur; ea enim *vel* rem plenius exponunt, *vel* emphasin indicant, *vel* affectum dicentis arguunt, *vel* distributionem exprimunt, *vel* denique *pertinent*, ut ait Aug. in Psal. 104. tom. IV. nov. edit. col. 1187. *ad eloquutionis varietatem medentem fastidio, non ad diversitatem sententiarum.*

Ille autem Pleonasmus, seu repetitio, fit vel penes *verba*, seu *voces*; vel penes *sensum*. Penes verba, cum eadem vox, vel plures repetuntur; penes sensum, quando eadem sententia iteratur, vel per synonyma *affirmantia*, vel per synonyma *opposita & negantia*, vel per synonyma *exegetica*, hoc est, figuratam loquutionem explicantia. Agemus I. de Pleonasmo, voces quod attinet. II. De Pleonasmo, quod spectat ad sensum.

ARTICULUS I.

De Pleonasmo repetitionis ejusdem, ad verba, seu voces, quod attinet.

ISTHÆC repetitio vel est *unius* vocis, vel *plurium*.

I. UNIUS VOCIS. Exod. 12. v. 50. *Feceruntque omnes filii Israël, sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron*, כֵּן עָשׂוּ, Lxx. οὕτως ἐποίησαν, *sic fecerunt;* q. d. diligenter & cum studio exsequuti sunt. Vulg. hæc ultima verba quasi supervacanea neglexit.

3. Reg. 2. v. 4. *Ut confirmet Dominus sermones suos, quos loquutus est de me*, vel mihi, לֵאמֹר *dicens: si custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua*, לֵאמֹר, Lxx. λέγων, *dicens: non auferetur tibi vir de solio Israël.* Hoc pleonasmo certa Dei promissio indicatur. Vulg. posterius לֵאמֹר non reddidit.

Dan. 10. v. 19. *Pax tibi:* חֲזַק וַחֲזָק, Lxx.

ἀνδρίζου καὶ ἴσχυε, Vulg. *confortare & esto robustus*, &c. id est, etiam atque etiam confirmare.

Ose. 2. v. 2. al. 4. רִיבוּ *contendite cum matre vestra*, רִיבוּ *contendite*, &c. h. e. acriter contendite.

II. PLURIUM VOCUM; tuncque vel *distributio* notatur, vel *emphasis*.

DISTRIBUTIO. Ezech. 46. v. 21. *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii: & ecce* חָצֵר בְּמִקְצֹעַ הֶחָצֵר חָצֵר בְּמִקְצֹעַ הֶחָצֵר *atrium in angulo atrii, atrium in angulo atrii*, h. e. atrium in uno quoque angulo atrii. Vel, ut optime Vulg. *atriola singula per angulos atrii.* Vide Exod. 26. v. 3.

EMPHASIS. Levit. 18. v. 7. al. 8. *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus.* Vide vv. 11. & 15. Sensus est: caveto in primis, ne turpitudinem patris, aut matris tuæ reveles. Eoque pleonasmo, qui in Scripturis frequentissimus est, prohibitionis divinæ severitas innuitur.

Alia exempla vide Exod. 16. v. 35. cap. 25. vv. 23. 35. c. 29. v. 34. Lev. 20. v. 10. Num. 9. v. 18. & seqq. Jud. 5. vv. 27. 30. 2. Reg. 8. v. 14. Psal. 93. Heb. 94. v. 3. &c.

Huc pertinet dicendi genus, quod vocant ἀμοιβαῖον, cum eadem verba, insertis subinde aliis, emphaseos gratia repetuntur. Hujus exempla vide 2. Reg. 1. vv. 19. 25. 27. in quibus ter repetuntur verba, *quomodo ceciderunt fortes?* Psal. 41. Heb. 42. vv. 6. & 12. Psal. 45. Heb. 46. vv. 8. & 12. Psal. 55. Heb. 56. vv. 5. 11. & 12. Psal. 79. Heb. 80. vv. 4. 8. 20. Psal. 135. Heb. 136. v. 1. & sequentibus.

ARTICULUS II.

De Pleonasmo repetitionis ejusdem, quod spectat ad sensum.

REPETITIO illa fit vel in *simplicibus*, vel in *pluribus* vocibus synonymis. Quod simplices attinet, vide tom. I. pagg. 457. can. II. 560. can. II. Nunc de pluribus vocibus & tota sententia agendum. Ea igitur iteratio reperitur

I. IN SYNONYMIS AFFIRMANTIBUS.

Exod. 1. v. 7. *Filii Israël creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram.*

Ibid. cap. 12. v. 2. *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.* Vide etiam c. 15. v. 16. Deut. 13. v. 4. c. 20. v. 3. Psal. 5. vv. 2. 3.

Psal. 6. v. 10. *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.* Et sic frequentissime in Psalmis, ubi prius hemistichium in posteriori sæpissime aliis verbis repetitur. Vide etiam Isai. 52. v. 13. &c.

Jerem. 13. v. 17. *Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea.... plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam.* Vide c. 48. vv. 29. 30.

Rom. 6. v. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* Tria hæc: *vetus homo, corpus peccati*, & *peccatum*, idem sunt, sed non sine emphasi repetuntur.

II. IN SYNONYMIS OPPOSITIS ET NEGANTIBUS.

Gen. 42. v. 2. *Emite nobis necessaria*, seu *frumentum, ut possimus vivere, & non consumamur inopia.* Heb. *ut vivamus & non moriamur.* Sic LXX. ἵνα ζήσωμεν καὶ μὴ ἀποθάνωμεν. Vide etiam Exod. 9. v. 19.

Exod. 12. v. 20. *Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edite azyma.* Vide Deut. 32. v. 6. cap. 28. v. 13. 1. Reg. 1. v. 11. Isai. 3. v. 9. cap. 6. v. 9. c. 38. v. 1. Jerem. 20. v. 14. Ezech. 18. vv. 13. 21. 28. Ose. 5. v. 3. Habac. 2. v. 4.

Joan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

Ibid. v. 20. *Et confessus est, & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus.* Ter idem repetit, ut intelligamus Joannem

Baptistam non simpliciter negasse, sed magna asseveratione & repetitione, & desiderio persuadendi se non esse Christum, q. d. non sum Christus, nolite errare in re perspicua, longissime ab eo absum, nullo modo sum. Ita Ribera in Ose. 6. Vide etiam Joan. cap. 3. v. 15. cap. 5. v. 24. Act. 18. v. 9. Rom. 4. v. 20. 1. Cor. 1. v. 10. Gal. 5. v. 1. 1. Joan. 1. v. 5. c. 2. v. 4. &c.

III. IN SYNONYMIS EXEGETICIS, id est, quæ rem figurate conceptam propriis verbis exponunt, ac repetunt.

Psal. 7. v. 15. *Ecce parturit molestiam, & concepit laborem, & parit mendacium.* Sive, ut Vulg. *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* V. 16. *Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* V. 17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Ultimus ille versus, præter pleonasmum, quem continet, præcedentes duos, qui figurati sunt, propriis verbis, non figuratis, explicat.

Isai. 51. v. 1. *Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis.* V. 2. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Sic quoque postremus ille versus priorem verbis propriis exponit. Vide etiam Ose. 4. v. 19. cap. 13. vv. 15. 16.

2. Tim. 4. v. 6. *Ego enim jam delibor,* (σπένδομαι, vino aspergor quasi victima, quæ preparatur ad mortem) *& tempus resolutionis meæ,* hoc est, mortis meæ *instat.*

CAPUT III.

De Enallage.

ENALLAGE [ἐναλλαγὴ, quæ & ἀλλοίωσις, ἑτέρωσις, ἀντιμέρεια, vel ἀντιμεθεία dicitur] figura est, qua partium orationis accidentia invicem permutantur; ut cum in Nominibus & Verbis, ponitur genus pro genere, numerus pro numero: in Nominibus, casus pro casu: in Verbis, tempus pro tempore, modus pro modo, & persona pro persona. Multa jam de hac figura in singulis fere orationis partibus dicta sunt; quare eam duntaxat ratione habita *Nominis, Pronominis, Verbi & Participii* eo loci considerabimus; ac I. quidem de Nomine, Pronomine, & Participio. II. De Verbo agemus.

ARTICULUS I.

De Nominum, Pronominum, & Participiorum Enallage.

ENALLAGE in Nominibus, Pronominibus, & Participiis, quæ hac in re nominum leges sequuntur, accidit *vel* in genere, *vel* in numero, *vel* in casu.

I. IN GENERE, quando substantivo masculino jungitur adjectivum femininum; aut vice versa, cum substantivo feminino adjectivum masculinum connectitur.

Zach. 5. v. 10. *Et dixi ad angelum, qui loquebatur ad me:* אָנָה הֵמָּה מוֹלִכוֹת אֶת־הָאֵיפָה *quo istæ* (Heb. *isti*) *deferunt amphoram istam,* seu Epha? Hîc participium femininum est,

pronomen vero masculinum, licet referatur ad duas mulieres, quæ versu præcedenti memorantur. Ideo autem genus masculinum ipsis tribuitur, vel quod מְשָׁרְתִים *ministrorum* munere fungerentur; vel quod viriliter agerent. Lxx. & Vulg. per femininum interpretantur: ποῦ αὗται ἀποφέρουσι τὸ μέτρον, *quo illæ deferunt amphoram istam?* Forte pro הֵמָּה masc. legeb. הֵנָּה fem. & melius quidem.

1. Reg. 15. v. 9. *Omnem vero* הַמְּלָאכָה נְמִבְזָה וְנָמֵס *substantiam contemtibilem & tabescentem perdiderunt.* Vulg. *Quidquid vero vile fuit ac reprobum, hoc demoliti sunt.* הַמְּלָאכָה feminini est generis, נָמֵס vero masculini. Sed ante istud adjectivum supplendum est substantivum masc. מִקְנֶה *possessio*, sic: וּמִקְנֶה נָמֵס *& possessionem vilem.* Atque ita in aliis locis, ubi adjectivum omnino discordat à substantivo. Dico *omnino;* nam cum substantivum utroque genere gaudet, adjectivum ipsi competere potest, vel in masc. vel in femin. genere, ut:

3. Reg. 19. v. 11. *Et ecce Dominus transit, &* רוּחַ גְּדוֹלָה וְחָזָק *spiritus, grandis & fortis*, &c. Prius adjectivum femininum est, posterius masc. quia substantivum רוּחַ communis est generis.

II. IN NUMERO, quando substantivum singulare construitur cum adjectivo plurali; & è contrario, substantivum plurale cum adjectivo singulari.

Gen. 31. v. 41. *Sicque* עֶשְׂרִים שָׁנָה *viginti anno* (i. annis) *in domo tua servivi tibi*, &c. Et sic de reliquis numeris à 20. usque ad 90. inclusive.

Ezech. 23. v. 14... *& vidit* אַנְשֵׁי מְחֻקֶּה (constr. pro absol. אֲנָשִׁים) *viros depictum*, h. e. unumquemque virum depictum. Vel servato statu const. & spectato מְחֻקֶּה ut substantivo, *viros picturæ*, hoc est, pictos. Vide tom. I. pag. 123. col. 1.

Psal. 77. Heb. 78. v. 15. *Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos velut* בִּתְהֹמוֹת רַבָּה *in abyssis magna*, i. quaque abyssorum magnarum.

Psal. 118. Heb. 119. v. 137. *Justus es, Domine,* וְיָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *& rectum judicia tua*, h. e. quodque judiciorum tuorum; hac enim numeri discrepantia innuitur distributio. Vide tom. I. pag. 467. col. 2. in fine.

III. IN CASU. Hæc enallage Græcis dicitur ἀντίπτωσις, i. figura, qua casus pro casu ponitur. Etsi nomina Hebræa casus non agnoscant, si varia eorum *cadendi* ratio spectetur, iis tamen reipsa non carent, ut diximus tom. I. pag. 68. in fine, ac enallage constitui potest saltem in articulis hosce casus utcunque denotantibus. Exempla pro ל genitivi, & sæpius dativi articulo, vide tom. I. pag. 596. col. 2. num. XIV.

Quod spectat ad אֵת vulgarem accusativi notam, hæc ejus enallages afferuntur exempla.

Gen. 17. v. 5. *Nec ultra* יִקָּרֵא אֶת־שִׁמְךָ *vocabitur nomen tuum Abram*, &c. Hîc accusativus pro nominativo ponitur.

Num. 26. v. 55. *Ita tamen ut sorte* יֵחָלֵק אֶת־הָאָרֶץ *dividatur terra.*

Alia hujus enallages exempla vide in tomo I. pag. 538. can. VII.

Luc. 1. v. 15. *Sicut loquutus est* πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, *ad patres nostros, Abrahamo & semini ejus;* ubi accusativus & dativus in eadem sententia conjunguntur.

2. Macch. 1. v. 2. *Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui*, τῆς πρὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, τῶν δούλων αὐτοῦ τῶν πιστῶν, *quod loquutus est ad Abraham, Isaac, & Jacob, servorum suorum fidelium.* Genitivus τῶν δούλων, &c. hîc loco accusativi est, τοὺς δούλους, &c. Sanctius antiptosin respuit, aitque nihil hac figura imperitius, *eo quod si figmentum istud esset verum, frustra quæreretur, quem casum verba regerent.* Haud forte à vero abludit ille Grammaticus; nam in exemplis ex V. Test. desumtis, cum articuli casus necessario non connotent, uti jam monuimus, asseri non potest casum pro casu reponi. Quod vero spectat ad Lucæ & Macchabæorum textus, ii facile explicantur sine antiptoseos subsidio. Primum enim quod attinet, verbum λαλεῖν *loqui* construitur etiam cum dativo. Secundum vero quod spectat, genitivus regitur post accusativum præpositione ἐκ *ex* subintellecta, ἐκ τῶν δούλων αὐτοῦ τῶν πιστῶν, *ex servis suis fidelibus.*

ARTICULUS II.

De Verborum Enallage.

VERBORUM Enallage reperitur I. In genere. II. In numero; III. In personis. IV. In modis, seu temporibus.

§. I.

Generum Enallage.

HÆc figura locum habet, quando nominativus verbi, & verbum ipsum genere discrepant. Illa autem discrepantia certo & peculiari linguæ usu, non abusu, fit; ac per conveniens nomen subintellectum explicanda est. *Necesse est*, inquit Qimhhi in Michlol, fol. 67. pag. 2. *diligentem adhibere considerationem in lingua hac, & reducere eam in formam suam, quantum fieri potest; neque loqui genere feminino de masculino, aut masculino de feminino.* Et fol. 11. pag. 1. ubi de hac etiam enallage loquitur, *vocabulum hoc non cadit in illud* (h. e. voces diversi generis promiscue non junguntur) *sed in uno quoque illorum vocabulum occultum excidit; nititur enim Scriptura super intelligentem, cum vocabulum illud occultum cadens, vel commemoratum sit in textu, aut ex eo intelligatur. Unde capit Scriptura viam brevitatis, ut solet in locis plurimis.*

Ad hanc itaque anomaliam explicandam, *vel* nomen aliquod supplendum est; *vel* synonymum subintelligendum; *vel* substantivum, ad quod verbum refertur, communis est generis, licet masculinum duntaxat aut femininum in vocabulariis notetur; *vel* in textu ipso mendum est graphicum, quod ejus αὐθεντίᾳ nihil officit; *vel* denique peculiaris aliqua subest ratio, quæ in subjectis exemplis declarabitur.

Gen. 24. v. 14. וְהָיָה הַנַּעֲרָה *Et erit* (masc.) *puella* (fem.). Verum nulla hîc generis discrepantia est; nam הָיָה absolute ponitur, neque refertur ad הַנַּעֲרָה. Sensus itaque est: *Et erit, & accidet, ut puella, cui dixero*, &c. Unde Vulg. optime: *Igitur puella, cui dixero*, &c. Sic v. 43. וְהָיָה הָעַלְמָה *Erit igitur, ut virgo*, &c.

Ibid. cap. 30. v. 39. וַיֶּחֱמוּ הַצֹּאן *Et conceperunt*, vel *& concipiebant* (masc.) *oves* (fem.). *Mos linguæ est*, scribit Aben-Esra, *maris & feminina in singulari numero genus distinguere; at in plurali non curatur, quia ibi sexus miscetur.*

Ibid. c. 49. v. 6. *In cœtum eorum* אַל־תֵּחַד כְּבוֹדִי *ne adunator* (fem.) *gloria mea* (masc.). Vel כָּבוֹד communis est generis, & hoc in loco feminine usurpatur, ut vult Aben-Esra. Vel est enallage personarum, ita ut תֵּחַד sit secunda persona singularis masculina hujus futuri, *ne aduneris*: non tertia feminina, *ne adunator.*

Exod. 12. v. 16. כָּל־מְלָאכָה לֹא־יֵעָשֶׂה בָהֶם *ullum opus* (fem.) *non fiet* (masc.) *in illis* (diebus festis). Subintelligendum est nomen masc. דָּבָר *res, negotium*, כָּל־דְּבַר מְלָאכָה *omnis res operæ*, servilis scilicet. Ita etiam c. 31. v. 15.

Ibid. cap. 13. v. 7. מַצּוֹת יֵאָכֵל *azyma* (plur. fem.) *comedetur* (sing. masc.). Supplenda est vox אֹכֶל *cibus*, vel דָּבָר *res*, *cibus*, aut *res azymorum comedetur.* Præterea est enallage numeri, de qua infra.

Levit. 2. v. 8. וְהֵבֵאתָ אֶת־הַמִּנְחָה אֲשֶׁר יֵעָשֶׂה מֵאֵלֶּה *& offeres munus* (fem.) *quod fiet* (masc.) *ex eis.* Supple קָרְבָּן (masc.) *oblationem*, quæ vox exstat vv. 1. & 4. Sensus itaque est: *& offeres oblationem muneris*, &c. Vulg. *quam offerens Domino trades manibus Sacerdotis*, &c. voces, de quibus agitur, utpote supervacuas non transtulit. Nec male

id

id quidem; cum sine illis sensus compleatur.

Deut. 5. v. 24. al. 27. וְאַתְּ תְּדַבֵּר אֵלֵינוּ *& tu* (fem. licet de Mose sermo sit) *loquêris*, vel *loquere ad nos.* Quanvis, secundum Massorethas, אַתְּ fem. ter usurpetur pro masc. אַתָּה, nempe hîc, Num. 11. v. 15. & Ezech. 28. v. 14. nullus tamen videtur dubitandi locus, quin his in locis, amanuensium oscitantia, in textum hodiernum irrepserit אַתְּ pro אַתָּה, aut sine ה, אַתְּ, ut quinquies saltem scriptum reperitur, secundum eosdem Massorethas. Vide tom. I. pag. 72. col. 2.

Ibid. cap. 7. v. 3.... וּבִתּוֹ *& filiam ejus non accipies filio tuo.* Vers. 4. כִּי־יָסִיר *quia abducet* (masc.) *filium tuum à me*, &c. Hac generis discrepantia, seu hoc genere masculino, ubi de femina sermo est, usurpato, maximam uxorum in maritos suos potestatem indicari volunt nonnulli. Vel יָסִיר mendum est pro תָּסִיר, cui ansam dedisse videtur (י) praecedens in כִּי, quod librarium decepit, induxitque ad scribendum alterum (י) pro ת.

Ibid. cap. 22. v. 23. כִּי יִהְיֶה נַעֲרָה בְתוּלָה *cum erit* (masc.) *puella virgo desponsata*, &c. Verbum יִהְיֶה hîc absolute sumitur, ut supra הָיָה. Gen. 24. v. 14. &c.

Jud. 11. v. 39. וַתְּהִי חֹק בְּיִשְׂרָאֵל *fuitque* (fem.) *mos* (masc.) *in Israël*, &c. Vel supplendae sunt voces הֲלִיכַת בְּנוֹת *itio filiarum*, quae in versu sequenti implicite continentur, & ante חֹק subintelligendum est ל, quod expressit Chald. adeo ut vocum illarum is sit sensus: *fuitque* לְחֹק *in ritum*, vel *consuetudinem* הֲלִיכַת בְּנוֹת *itio filiarum in Israël*, &c. Vel, quod brevius est, & fortasse verius, חֹק communis est generis.

Ibid. cap. 21. v. 21. אִם־יֵצְאוּ בְנוֹת שִׁילוֹ *cum exibunt* (masc.) *filiae Silo*, &c. Aut ideo verbum masculinum est, quod cum eis exierint etiam juvenes, ad quos, utpote digniores, refertur. Aut hoc genere virilis & masculina filiarum illarum protervia innuitur & perstringitur.

Ruth. 1. v. 8. כַּאֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם *sicut fecistis* (masc.) quanvis de Noëmi nuribus sermo sit. Hoc quoque genere virilem mulierum illarum animum indicari volunt. Quid, si עֲשִׂיתֶם mendum sit pro עֲשִׂיתֶן?

2. Reg. 13. v. 39. וַתְּכַל דָּוִד הַמֶּלֶךְ *Et consumsit* (fem.) *Davidem regem*, supp. תַּאֲוַת *desiderium exeundi ad Absalomum*, &c. LXX. καὶ ἐκόπασεν Δαυίδ, &c. Vulg. *cessavitque David*, &c. Huic interpretationi favet nota Massoretharum, qui observant verbum istud bis legi, sed in duplici significatione, *transitive* nimirum Gen. 24. v. 19. & *intransitive* eo loci. Paraph. Chald. *Et desideravit* (נַפְשָׁא *anima*) Davidis regis egredi ad *Absalomum*, &c. supplevit vocem נַפְשָׁא *anima*, cum qua, utpote communis generis, verbum femininum recte construitur.

Ibid. cap. 14. v. 10. וַהֲבֵאתוֹ אֵלַי *& adduces*, vel *adduc eum ad me.* Verbum masculinum est, quanvis referatur ad mulierem Thecuitidem; sermo enim ad eam solam non dirigitur, sed ad aliquem ministrorum adstantium, qui opem illi ferre debebant, cum sola ipsa simulatum homicidam adducere non potuisset. Ita Qimhhi anomaliam istam in commentariis suis explicat. Si legas וַהֲבֵאתִיו, vox erit analoga.

3. Reg. 8. v. 31. וּבָא אָלָה *veneritque* (masc.) *juramentum* (fem.). Supple אִישׁ אָלָה *vir juramenti*, hoc est, juraturus. Vel, ut explicat Qimhhi, הַנִּשְׁבָּע לְקַבֵּל הָאָלָה *jurans recipiendo super se exsecrationem.* Vel, ut interpretatur Chald. הַמַּשְׁבִּיעַ *deferens juramentum exsecrationis.* Melius forte legeretur אֹלֵה *juraturus.*

Ibid. cap. 22. v. 36. וַיַּעֲבֹר הָרִנָּה *& transivit* (masc.) *clamor* (fem.). Supp. קוֹל *vox clamoris.*

4. Reg. 3. v. 26. *Videns autem rex Moab*, כִּי־חָזַק מִמֶּנּוּ הַמִּלְחָמָה *quod invalesceret* (masc.) *prae se bellum* (fem.). Supple דְּבַר *res belli*, *negotium bellicum.* Vel synonymum mascul. קְרָב *praelium.*

1. Paral. 2. v. 48. *Concubina Caleb fuit Maacha*, יָלַד *peperit* (masc.) *Seber*, &c. Supple יָלַד מִמֶּנָּה *genuit ex ea* (Caleb) *Seberum*; nam יָלַד & *parere* & *gignere* significat.

Esth. 1. v. 20. *Et cunctae uxores*... יִתְּנוּ יְקָר *deferant* (masc.) *honorem maritis suis.* Hic verbum masculinum esse volunt, ad significandam maximam, quam uxores viris suis exhibere debent, reverentiam atque obedientiam.

Prov. 5. v. 16. יָפוּצוּ מַעְיְנֹתֶיךָ חוּצָה *deriventur*

(masc.) *fontes tui* (fem.) *foras*. Supp. מֵי *aquæ fontium tuorum*. Vel מַעְיָנֹת habet tantum formam pluralem femininam, à singul. masc. מַעְיָן *fons*.

Ibid. c. 21. v. 26. *Tota die* הִתְאַוָּה תַאֲוָה *concupiscit* (masc.) *cupiditas* (fem.). Supp. אִישׁ *vir cupiditatis*.

Eccle. 1. v. 2. אָמַר קֹהֶלֶת *dixit*, vel *dicit* (masc.) *congregatrix* (fem.). Supp. נֶפֶשׁ *anima*, ad quam vocem, utpote communis generis, & quatenus masculinam refertur verbum mascul. אָמַר; cum eadem vero quatenus feminina construitur participium femininum קֹהֶלֶת, quod à Græcis redditur ἐκκλησιαστής, *ecclesiastes*, h. e. sermonem ad populum congregatum habens.

Ibid. c. 7. v. 7. al. 8. וִיאַבֵּד אֶת־לֵב מַתָּנָה *& perdit* (masc.) *animum munus* (fem.). Supp. אִישׁ *vir muneris*, qui dat munera. Vel pro מַתָּנָה fem. subintelligendum est synonymum masc. מַתָּן. Vel denique si in מַתָּנָה spectetur ה ut paragogicum, & accentus reponatur in penultima, sic: מַתָּנָה, nomen istud erit masculinum, ut: שְׁפָלָה *humilis*, tom. I. pag. 50. tuncque nulla erit generis enallage.

Ibid. c. 8. v. 11. *Quia* אֵין־נַעֲשָׂה *non profertur* (fem.) *cito contra malos* פִּתְגָם *sententia* (masc.) Aut pro פִּתְגָם supplendum est synonymum fem. גְּזֵרָה; aut nomen istud communis est generis. Exemplum istud huc proprie non pertinet; cum נַעֲשָׂה sit participium, non vero præteritum; אֵין enim verbis non jungitur, nisi infinitivis, iisque loco nominum usurpatis. Vide tom. I. pag. 569. can. I. col. 1.

Ibid. c. 10. v. 15. עֲמַל *labor* (masc.) *stultorum* תְּיַגְּעֶנּוּ *affliget*) fem.) *eum*, h. e. unumquemque eorum; ibi enim est distributio. Vel עָמָל, unde const. עֲמַל, communis est generis, ut vult Aben-Esra; vel pro eo supplendum אִוֶּלֶת, aut סִכְלוּת *stultitia*.

Ibid. cap. 12. v. 4. וְיִשַּׁחוּ *& humiliabuntur* (masc.) *omnes* בְּנוֹת *filiæ* (fem.) *cantici*. Ante בְּנוֹת supple vel קוֹלֹת *voces filiarum cantici*, h. e. cantatricum; quod plurale habet tantum formam femininam; est enim à singul. masc. קוֹל *vox*. Vel אָזְנֵי *aures*, quod vocabulum commune esse potest, ut & nonnulla alia, quæ animalis membra significant. Vide tom. I. pag. 50. paulo post medium.

Cant. 2. v. 7. *Adjuro* אֶתְכֶם *vos* (masc.) *filiæ Jerusalem .... ne* תָּעִירוּ *suscitetis* (masc.) *neque* תְּעוֹרְרוּ *expergefaciatis* (masc.) *dilectam*; &c. Verba masculina sunt, quanvis referantur ad filias Jerusalem; quia non eas solum, sed quoslibet homines compellat Christus, monetque ne dilectam suam sponsam, Ecclesiam scilicet, perturbent. Quare pronomen *vos* est etiam masculinum.

Ibid. c. 6. v. 9. *Viderunt eam filiæ*, וַיְאַשְּׁרוּהָ *& beatam prædicaverunt* (masc.) *eam: reginæ & concubinæ*, וַיְהַלְלוּהָ *& laudaverunt* (masc.) *eam*. Hic quoque verba masculina sunt, quod non solum spectent ad filias, reginas, & concubinas; verum etiam ad cujusvis generis & status homines, qui sponsam Christi Ecclesiam beatam prædicaturi essent, atque laudaturi.

Isai. 14. v. 11. *Subter te* יֻצַּע *sternetur* (masc.) רִמָּה *tinea*, seu *lumbricus* (fem.), וּמְכַסֶּיךָ *& operientes te erunt*, seu *operient te* (masc.) תּוֹלֵעָה *vermis* (fem.) hoc est, vermium multitudo, quam expositionem postulat plural. וּמְכַסֶּיךָ. Hic autem nulla est generis discrepantia; animalium enim nomina vulgo *epicœna* sunt, ut diximus tom. I. pag. 52.

Ibid. cap. 32. v. 11. חִרְדוּ שַׁאֲנַנּוֹת *trepidate* (masc.) *tranquillæ* (fem.). Supp. יֹשְׁבֵי *habitatores tranquillarum*, urbium videlicet.

Ibid. c. 57. v. 8. *Dilatasti cubile tuum* (meretrix) וַתִּכְרָת־לָךְ *& excidisti*, seu *fecisti* (masc.) *tibi præ illis*, hoc est, majus, quam patres seu majores tui fecerant, illud exstruxisti, ut plures ad concubitum tuum admitteres. Hoc masculino genere insignis Judæorum scortatio significatur, ut volunt quidam. Vel, cum objurgatio illa spiritualem hujusce populi scortationem respiciat, masculinum pro feminino genere Isaias recte usurpare potuit; populum enim, non privatam aliquam mulierem alloquitur.

Jerem. c. 3. v. 5. וַתַּעֲשִׂי הָרָעוֹת וַתּוּכָל *& fecisti* (fem.) *mala ista, & prævaluisti* (masc.). Hæc enallage eodem plane modo explicanda est, quo præcedens; ibi enim de populo Judaico spiritualiter etiam scortante agitur. Sic cap. 6. v. 6. הִיא הָעִיר הָפְקַד *hæc civitas* (fem.)

visitata est (masc.) ; quia non urbs ipsa , sed ejus populus intelligitur.

Ibid. cap. 8. v. 5. *Quare* שׁוֹבְבָה הָעָם הַזֶּה *aversus est* (fem.) *populus iste* (masc.). Supp. עֵדַת *cœtus , congregatio.* Sic : *Quare aversus est cœtus populi hujus ?* Vel עַם communis est generis , ibique feminine accipitur , ut & Jud. 18. v. 7. &c.

Ibid. cap. 30. v. 19. וְיָצָא מֵהֶם תּוֹדָה *& prodibit* (masc.) *ex eis gratiarum actio* (fem.). Supp. קוֹל *vox gratiarum actionis ;* quod verbum in sequentibus exprimitur.

Ibid. cap. 49. v. 11. וְאַלְמְנוֹתֶיךָ עָלַי תִּבְטָחוּ *& viduæ tuæ* (fem.) *in me sperabunt* (masc.), h. e. spem maximam , quæ masculino genere indicatur , in me habebunt : ubi insuper secunda persona pro tertia usurpatur. Vel citra generis enallagen , spectataque voce תִּבְטָחוּ , ut secunda persona plurali mascul. *& viduas tuas , quod attinet , in me vos omnes confidite.* Vel denique תִּבְטָחוּ mendum forte est pro תִּבְטַחְנָה , aut potius תִּבְטַחְןָ , ita ut ex ן decurtato factum sit ו , ex quo Massorethæ fecerunt ו.

Ibid. v. 16. תִּפְלַצְתְּךָ הִשִּׁיא אֹתָךְ *horror* , Vulg. *arrogantia tua* (fem.) *decepit* (masc.) *te* , hoc est , maxime decepit te , quam emphasin importat verbum masculinum. Vel pro תִּפְלַצְתְּךָ fem. subintelligendum est synonymum masculinum , puta רַעַלְךָ *horror tuus* , זְדוֹנְךָ *superbia tua* , &c. Vel denique הִשִּׁיא vitiosum est pro הִשִּׁיאָה.

Ibid. cap. 50. v. 46. וּזְעָקָה בַּגּוֹיִם נִשְׁמָע *& clamor* (fem.) *in gentibus auditus est* (masc.). Supple וְקוֹל *& vox clamoris audita est* , &c. quod substantivum initio versus exprimitur , & utrique loco servit , secundum Qimhhi.

Ibid. cap. 51. v. 46. וּבָא בַשָּׁנָה הַשְּׁמוּעָה *veniet enim* (masc.) *in anno rumor* , seu ut Vulg. *auditio* (fem.). Supple ut in exemplo præced. קוֹל הַשְּׁמוּעָה *vox rumoris* , sive *auditionis ;* quæ duæ voces leguntur , si ה articulum excipias , cap. 10. v. 22.

Ezech. 12. v. 25. *Quia ecce ego Dominus loquar* דָּבָר וְיֵעָשֶׂה לֹא תִמָּשֵׁךְ עוֹד *verbum* (masc.) *& fiet , non protrahetur* (fem.) *amplius.* Ante לֹא תִמָּשֵׁךְ supple fem. גְזֵרָה *decretum , sententia* , hoc sensu : *loquar verbum & fiet* , (sententia mea) *non protrahetur amplius.* Alii subintelligunt עֵת com. *tempus* , sic : *tempus non protrahetur amplius.* Forte etiam olim דָּבָר communis erat generis.

Ezech. 22. v. 4. וַתַּקְרִיבִי יָמַיִךְ וַתָּבוֹא עַד־שְׁנוֹתָיִךְ *& appropinquare fecisti dies tuos* (Jerusalem), *& pervenisti* (masc.) *ad annos tuos.* Verbum וַתָּבוֹא masculinum est , quanvis ad urbem referatur , quia ejus populus intelligitur. Vulg. *& adduxisti tempus annorum tuorum* , legebat וַתָּבִיא , & עַד ut substantivum , quod etiam interdum est , accepit. Si vox illa fingatur feminina , aut saltem communis , is poterit esse sensus : *& appropinquavit tempus annorum tuorum ;* tuncque nulla erit generis discrepantia.

Ibid. cap. 33. v. 26. עֲשִׂיתֶן תּוֹעֵבָה *fecistis abominationem* , &c. Verbum istud femininum est , quanvis alia , quæ præcedunt & sequuntur , masculina sint , & de viris sermo sit. Verum hoc genere effeminatum Judæorum animum significari volunt ; sequitur enim : *& unusquisque uxorem proximi sui polluit.* Quid , si עֲשִׂיתֶן mendum sit pro עֲשִׂיתֶם ?

Ibid. c. 37. v. 7. וַתִּקְרְבוּ עֲצָמוֹת *& appropinquaverunt* (masc.) *ossa* (fem.). Verum cum עֶצֶם communis sit generis , licet sæpius feminini , enallage tantum est personæ secundæ pro tertia : *& accessistis ossa.* Aut forte וַתִּקְרְבוּ mendum est pro וַתִּקְרַבְןָ. Vide supra Jerem. 49. v. 11.

Ose. 14. v. 1. וְהָרִיּוֹתָיו יְבֻקָּעוּ *& gravidæ ejus* (fem.) *discindentur* (masc.). Si pro יְבֻקָּעוּ legas יְבַקְּעוּ *discindent gravidas ejus* , h. e. discindentur , ita ut tertia illa persona activa passive accipiatur , nulla erit anomalia. Forte etiam olim scriptum erat תְּבֻקַּעְןָ.

Nah. 3. v. 11. תְּהִי נַעֲלָמָה *eris* (masc.) *abscondita* (fem.). Nulla hic generis discrepantia ; תְּהִי enim per apocopen est pro תִּהְיִי. Vide tom. I. pag. 290. col. 1.

Zach. 5. v. 11. וְהוּכַן וְהֻנִּיחָה שָּׁם עַל־מְכֻנָתָהּ *ut stabiliatur* (masc.) *& reponatur* (fem.) *ibi super basim suam.* Nulla erit generis enallage , secundum R. Salomonem , si post וְהוּכַן subintelligas הַבַּיִת *ut stabiliatur domus ;* & הָאֵיפָה post וְהֻנִּיחָה *& reponatur* , seu *collocetur epha super basim suam.*

Malach. 2. v. 6. וְעַוְלָה לֹא־נִמְצָא בִשְׂפָתָיו & *iniquitas* (fem.) *non est inventa* (masc.) *in labiis ejus.* Supple דָּבָר ante עַוְלָה, sic: דְּבַר עַוְלָה & *verbum iniquitatis*, &c. & nulla erit anomalia. Vel si accentum reponas in penultima in voce עַוְלָה, sic: עַוְלָה, ה spectabitur ut paragogicum, voxque erit masculina, cum qua verbum itidem masculinum נִמְצָא analogωs construetur. Vide supra Eccle. 7. v. 7. al. 8.

§. II.

Numerorum Enallage.

DISCREPANTIA numerorum est,

I. Cum verbum singulare est, nomen vero, quod ipsi respondet, plurale.

Gen. 1. v. 1. *In principio* בָּרָא אֱלֹהִים *creavit Dii*, h. e. Deus. Quod sæpius accidit nominibus dominii & excellentiæ, quæ pluralia vulgo construuntur cum verbo singulari. Vide tom. I. pag. 477. can. III.

Exod. 17. v. 12. וַיְהִי יָדָיו אֱמוּנָה & *fuit manus ejus* (plur.) *firma*, h. e. utraque manus ejus; hac enim enallage distributio etiam significatur.

Ibid. c. 21. v. 9.... *bos lapidibus obruetur*, וְגַם בְּעָלָיו יוּמָת *atque etiam domini* (hoc est, dominus) *ejus morietur.* Sic.

Job. 12. v. 7..., *interroga* בְהֵמוֹת וְתֹרֶךָּ *jumenta & docebit* (h. e. docebunt) *te*, i. interroga unumquodque jumentorum, &c.

Esth. 9. v. 23.... וְקִבֵּל הַיְּהוּדִים *Et suscepit* (h. e. susceperunt) *Judæi*, i. unusquisque Judæorum.

Prov. 14. v. 1. חַכְמוֹת נָשִׁים בָּנְתָה בֵיתָהּ *sapientes* (i. sapiens) *mulierum ædificat domum suam*, i. unaquæque mulierum sapientum ædificat, &c.

Galat. 4. v. 6. *Quoniam estis filii*, &c. v. 7. *Itaque jam non es servus, sed filius*, &c. v. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, serviebatis iis, qui natura non sunt Dii.* Quibus in locis modo pluralis, modo singularis usurpatur numerus.

Alia exempla vide ibid. c. 6. v. 1. 1. Tim. 2. v. 15. Apoc. 1. v. 3. &c.

II. Cum è contrario nomen singulare est, verbum vero plurale; quo idiotismo sæpius quoque indicatur distributio.

Psal. 118. Heb. 119. v. 103. מַה־נִּמְלְצוּ לְחִכִּי אִמְרָתֶךָ *quam dulcia sunt faucibus meis eloquium tuum*, i. singula eloquia tua. Hæc figura frequentissima est cum nominibus, quæ vocant *collectiva*.

Isai. 2. v. 20. *In die illa projiciet* הָאָדָם *homo idola.... quæ* עָשׂוּ *fecerant*, h. e. *quæ fecerat*, Vulg. *Homo* hic spectatur ut nomen collectivum.

Matth. 1. v. 21. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, pro ejus. In plurali loquitur, quia *populus* collectivum nomen est. Vide etiam tom. I. pagg. 509. can. VI. 548. can. I. 550. can. II. & III.

§. III.

Personarum Enallage.

MUTATIO personarum in SS. Scripturis, maxime in libris poeticis & propheticis, frequens est; eaque *difficilem intellectum facit, quæ si suis locis & causis temporibusque reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura*, scribit S. Hieron. in c. 8. Jerem. tom. 3. nov. edit. col. 572. Idem in cap. 2. Nahum, col. 1568. ejusd. tomi. *Hinc vel maxime obscuri sunt prophetæ, quod repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur.* S. Aug. in Psal. 44. Heb. 45. tom. 4. nov. edit. col. 385. *Mutationes personarum repentinæ, & omnino ex improviso reperiuntur in Sanctis Scripturarum libris, &, si quis advertat, plenæ sunt paginæ Divinæ.* Qimhhi in Ezech. 31. v. 10. *Consuetudo Scripturæ est, ut loquatur ad præsen-*

tem tanquam de absente, eodem sensu, i. in secunda & tertia persona.

Gen. 49. v. 4. *Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui: tunc profanasti;* יְצוּעִי עָלָה *stratum meum ascendit.* Vulg. *& maculasti stratum ejus*, legisse videtur יְצוּעוֹ pro יְצוּעִי, & neglexisse verbum עָלָה. Lxx. τότε ἐμίανας τὴν στρωμνὴν, οὗ ἀνέβης, *tunc profanasti stratum, quo ascendisti.* Forte legebant עָלִיתָ *ascendens fuisti*, tuncque enallage locum non habet.

Deut. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus & recalcitravit;* שָׁמַנְתָּ עָבִיתָ כָּשִׂיתָ *incrassatus es, impinguatus es, opertus es* (adipe); וַיִּטֹּשׁ *dereliquit Deum factorem suum*, &c. Vers. 16. *Provocaverunt eum in Diis alienis*, &c. Vers. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquisti*, &c. Lxx. voces שָׁמַנְתָּ, עָבִיתָ, כָּשִׂיתָ per tertias personas interpretantur, ἐλιπάνθη, ἐπαχύνθη, ἐπλατύνθη: vel quia sensum, non personas, reddiderunt; vel quia librariorum incuria excidit ς, pro ἐλιπάνθης, &c. Chald. & Syrus in tertia persona interpretantur, Arabs in secunda.

Psal. 17. Heb. 18. v. 28. al. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus* יַגִּיהַּ *illuminat tenebras meas.* Lxx. personam non mutant: φωτιεῖς τὸ σκότος μου, *illuminabis*, vel *illuminas tenebras meas.* Forte etiam amanuensium incogitantia irrepsit ς, unde legitur hodie φωτιεῖς, pro φωτιεῖ. Vel neglexerunt enallagen.

Mich. 2. v. 3. *Ecce ego cogito super familiam istam malum: unde non* תָמִישׁוּ, Lxx. ἄρητε, *auferetis colla vestra*, pro non auferet, vel in plur. auferent, si nomen *familia* ut collectivum accipiatur.

Luc. 1. v. 42. *Benedicta tu in mulieribus*, &c. Vers. 45. καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου, *& beata, quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ipsi à Domino.* Vide etiam Act. 17. v. 3. Rom. 7. v. 4. &c.

Huc pertinet,

I. Cum in sermone prophetico, personarum loquentium fit mutatio.

Isai. 51. v. 1. & 2. *Audite me*, &c. introducitur Deus loquens. Vers. 3. *Consolabitur ergo Dominus Sion*, &c. loquitur propheta. Vers. 4. *Attendite ad me*, &c. usque ad versum 9. exclusum, iterum loquitur Deus. Vers. 9. Propheta. Vers. 12. Deus, &c. Sic in Cant. personarum loquentium est vicissitudo continuata.

Psal. 2. v. 1. *Quare fremuerunt*, &c. Vers. 2. *Adstiterunt*, &c. loquitur vates, seu Ecclesia Christi. Vide Act. 4. v. 44. & seqq. Vers. 3. *Dirumpamus vincula eorum*, loquuntur hostes Davidis, seu potius Christi, cujus typus erat David. Vers. 4. & 5. *Qui habitat in cœlis*, &c. vel Psaltis vel Ecclesiæ verba sunt. Vers. 6. *Ego autem*, &c. hîc loquitur Deus Pater, secundum lectionem Massorethicam; vel Filius, secundum Lxx. Vers. 7. *Dominus dixit ad me*, &c. verba sunt Filii. Vers. 8. & 9. *Postula à me*, &c. loquitur Deus Pater ad Filium suum. Vers. 10. & seq. *Et nunc reges intelligite*, &c. concludit Psaltes regius.

II. Cum in textibus parallelis, seu vaticiniis propheticis, eorumque allegationibus, mutantur personæ.

Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, hîc loquitur Christus. At Matth. 11. v. 10. *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, ibi loquitur Deus Pater ad Filium, Vide tom. I. pag. 507. can. IV. col. 1.

Isai. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus*...: *ne*..... *convertatur*, וְרָפָא לוֹ *& sanet eum*, nempe Deus. Matth. 13. v. 15. in prima persona loquitur Christus: καὶ ἰάσωμαι αὐτοὺς, *& sanem eos.* Qua enallage se verum illum Deum esse ostendit, qui solus salvare & sanare potest. In Isaiæ tamen contextu, Lxx. interpretantur רפא in prima persona: καὶ ἰάσομαι melius ἰάσωμαι αὐτοὺς, *& sanem eos.* Vulg. *& sanem eum.* Pro רָפָא legebant רֹפֵא *sanans sim eos.* Vel enallagen omiserunt. Vide Zach. 13. v. 7. & conf. Matth. 26. v. 31.

III. Cum persona aliqua de se ipsa, tanquam de alia, & in tertia persona loquitur.

Gen. 4. v. 23. *Audite vocem meam uxores Lamech*, &c. pro, uxores meæ; Lamechus enim de se ipse, & ad uxores suas loquitur.

Ibid. c. 44. v. 18. *Et accessit ad eum* (Josephum) *Judas, & dixit: oro, Domine, loqua-*

tur, obsecro, servus tuus in auribus Domini mei, &c.

Num. 24. vv. 3. 4. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei*, &c. Ipse est Balaam, qui de se ita loquitur.

Jerem. 28. v. 5. *Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam in oculis Sacerdotum*, &c. Verf. 6. *Et ait Jeremias propheta: amen, sic faciat Dominus*, &c. Verf. 10. *Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, & confregit eam.* Quibus in locis de se quasi de alia persona loquitur Jeremias. Vide quoque integram Jonæ prophetiam.

Matth. 9. v. 9. *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, & ait illi: sequere me*, &c. Hîc, ut vides, de se tanquam de alio homine loquitur Matthæus.

Joan. 21. v. 24. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimonium ejus.* De se loquitur Joannes.

2. Cor. 12. v. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.... raptum usque ad tertium cœlum.* Verf. 4. *Quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, hæc de se narrat Apostolus.

Sic Christus in tertia persona de se passim loquitur, vocans se *filium hominis.*

Matth. 8. v. 20. *Et dicit ei* (Scribæ) *Jesus: vulpes foveas habent, & aves cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Vide etiam cap. 18. v. 11. Luc. 24. v. 26. &c. & tom. I. pag. 501. can. II. pag. 548. can. III.

§. IV.

Temporum & Modorum Enallage.

QUANDOQUIDEM verba Hebræorum præsenti tempore carent; pro eo exprimendo usurpatur modo *participium*, modo *præteritum*, modo *futurum*, ut diximus in tom. I. pag. 143. in notis.

Solent Prophetæ, cum rerum futurarum vaticinia explicant, uti verbis *præteriti temporis*, quasi narrarent res præteritas; *Quia*, inquit S. Augustinus in Psal. 3. tom. IV. nov. edit. col. 9. *ea, quæ ventura prophetantur, secundum tempus futura sunt: secundum scientiam vero prophetantium, jam pro factis habenda.* Et in Psal. 43. Heb. 44. col. 373. ejusdem tomi & editionis, *Deo futura tam certa sunt, tanquam præterita sint.*

Isai. 9. v. 6. *Parvulus natus est nobis*, (i. nascetur) *& filius datus est nobis*, (h. e. dabitur) *& factus est principatus super humerum ejus*, (i. fiet, erit). Deinde sequuntur futura: *& vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis*, &c. Verf. 7. *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*, &c.

Ibid. c. 53. v. 2. *Et vidimus eum, & non erat ei aspectus*, &c. usque ad v. 7. omnia illa præterita per futura explicanda sunt.

Matth. 24. v. 40. *Tunc duo erunt in agro: unus παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται, unus assumitur*, (i. *assumetur*) *& unus relinquitur*, (i. *relinquetur*), ut optime interpretatur Vulg. Mſ. Veleſ. habet etiam *παραληφθήσεται assumetur*, & *ἀφεθήσεται relinquetur.* Vide D. Mill. p. 55. col. 2.

Rom. 3. v. 28. *Arbitramur δικαιοῦσθαι, justificari hominem per fidem*, &c. Verf. 30. *Quoniam quidem unus est Deus, qui δικαιώσει, justificabit*, i. *justificat*, Vulg. qui forte legebat δικαιοῖ, ut habet mſ. Veleſ. D. Mill. p. 340. col. 1.

1. Cor. 10. v. 6. *Hæc autem in figura*, (h. e. in exemplo) *facta sunt nostri, εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν, ut non simus concupiscentes malorum*, &c. Verf. 7. *μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, neque idololatræ efficiamini*, &c. *μηδὲ πορνεύωμεν, neque fornicemur*, &c. Verf. 9. *μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, neque tentemus Christum*, &c. Verf. 10. *μηδὲ γογγύζετε, neque murmuraveritis*, &c. Variam in his quatuor versibus modorum enallagen cernere licet; nam v. 6. est Infinitivus, 7. Imperativus, 8. & 9. Subjunctivus, 10. denuo Imperativus.

CAPUT IV.

De Hypallage.

HYPALLAGE [ὑπαλλαγὴ] vocum est commutatio; quâ uni tribuitur, quod alteri competit. Figuræ hujus exempla cum apud Sacros, tum apud profanos auctores inveniuntur.

I. Apud Sacros auctores.

Jud. 1. v. 8. *Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam....* וְאֶת־הָעִיר שִׁלְּחוּ בָאֵשׁ *& civitatem miserunt in ignem*, h. e. & civitati ignem immiserunt. Lxx. καὶ τὴν πόλιν ἐνέπρησαν ἐν πυρὶ, *& civitatem incenderunt igni.* Vulg. *tradentes cunctam incendio civitatem.*

1. Reg. 23. v. 7. *Nuntiatum est autem Saüli, quod venisset David in Ceilam, & ait Saül: tradidit eum Deus in manus meas,* כִּי נִסְגַּר לָבוֹא *quia inclusit se ad veniendum*, h. e. venit inclusum se, seu ut includat se. Lxx. ὅτι ἀποκέκλεισται ἐλθὼν εἰς πόλιν, *quia conclusus est ingressus civitatem.* Vulg. *conclususque est introgressus urbem.*

4. Reg. 9. v. 30. *Et posuit* (Jezabel) *in fuco oculos suos*, i. posuit fucum in oculis suis. Vulg. *depinxit oculos suos stibio.*

Psal. 138. Heb. 139. v. ult. *Et vide* אִם־דֶּרֶךְ עֹצֶב־בִּי *si via iniquitatis in me est*, h. e. si ego sim in via iniquitatis; sequitur enim: *& deduc me in via æterna.* Vide etiam Psal. 79. Heb. 80. v. 6. Psal. 105. Heb. 106. v. 46. Isai. 47. v. 3. Jerem. 52. v. 5. Amos 5. v. 16. Nah. 2. v. 3. &c.

Matth. 8. v. 2. *Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* Vers. 3. *Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens; volo, mundare. Et confestim* ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα, *mundata est lepra ejus*, i. ἐκαθαρίσθη ἀπὸ τῆς αὐτοῦ λέπρας, *mundatus est à lepra sua.*

Act. 21. v. 3. ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον, *cum apparuissemus Cypro*, h. e. ἀναφανείσης ἡμῖν τῆς Κύπρου, *apparente nobis Cypro.*

Apoc. 12. v. 8. *Et non valuerunt*, seu *prævaluerunt* (draco & angeli ejus) *neque locus inventus est eorum amplius in cælo*, h. e. neque inventi sunt amplius in loco suo in cœlo.

Ad Hypallagen referri potest,

1°. Id loquendi genus, quo dicitur *vocari*, *invocari nomen alicujus super aliquo*, pro vocari nomine alicujus.

Gen. 48. v. 16. *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum*, h. e. de nomine meo vocentur, appellentur filii Jacob, & cum aliis filiis meis familiam constituant. Vide Isai. 4. v. 1.

Jac. 2. v. 7. *Nonne ipsi blasphemant bonum nomen*, τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, *quod invocatum est super vos*, i. à quo cognominati estis.

2°. Cum apud Græcos verbo passivo præponitur nominativus personæ, cum præponi deberet nominativus objecti, sive rei.

Rom. 3. v. 2. *Primum quidem*, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, ad verbum: *quia crediti sunt* (Judæi secundum) *eloquia Dei*, i. *quia credita sunt illis eloquia Dei*, Vulg.

1. Cor. 9. v. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus*, οἰκονομίαν πεπίστευμαι, (secundum) *dispensationem creditus sum*, h. e. *dispensatio mihi credita est*, Vulg. Vide etiam Galat. 2. v. 7. 1. Thess. 2. v. 4. 1. Tim. 1. v. 11. &c.

II. Apud profanos auctores.

Virgil. Æneid. l. 3. v. 61.

Linquere pollutum hospitium, & dare classibus austros,

pro, & dare classes austris. Idem l. 6. v. 268.

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,

pro, Ibant soli obscura sub nocte, &c.

CAPUT V.

De Synchysi.

SYNCHYSIS [*σύγχυσις*] figura est, qua vocum aut sensus ordo perturbatur & confunditur. Ea locum habet I. In vocibus simplicibus. II. In vocibus conjunctis. III. In tota propositione. IV. In sermone continuo. V. Denique in distinctis rerum gestarum narrationibus.

ARTICULUS I.

De Synchysi in vocibus simplicibus.

GEN. 10. v. 13. *At vero Mesraim genuit Ludim*, &c. Vers. 14. *Et Phetrusim*, *&* *Chasluim*, *de quibus egressi sunt Philisthiim*, וְאֶת־כַּפְתֹּרִים *&* *Caphtorim.* Hæc ultima verba, *&* *Caphtorim* reponenda sunt proxime post *Chasluim*; nam Philisthæi egressi non sunt de Chasluim, sed de Caphthorim, ut liquet ex Jerem. 47. v. 4. *Depopulatus est enim Dominus Palæsthinos reliquias insulæ Caphtor.* Et Amos 9. v. 7. *Nunquid non Israël ascendere feci de terra Ægypti*, *&* *Palæsthinos de Caphtor?*

Exod. 22. v. 20. *Qui immolat Diis*, *occidetur*, *præterquam Domino soli*, i. qui immolat Diis, præterquam Domino soli, occidetur.

Levit. 1. v. 2. *Homo*, *qui obtulerit ex vobis hostiam Domino*, &c. h. e. ut interpretantur Lxx. ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν, &c. *homo ex vobis*, *qui obtulerit*, &c.

Jerem. 14. v. 1. אֲשֶׁר הָיָה דְבַר־יְהוָה *quod factum est verbum Domini ad Jeremiam*, &c. pro, verbum Domini, quod factum est ad Jeremiam, &c.

Ibid. c. 31. v. 7. *Quia hæc dicit Dominus*: *cantate Jacobo lætitiam*, &c. i. Quia hæc dicit Dominus Jacobo: cantate lætitiam, &c. Sic Lxx. ὅτι οὕτως εἶπε Κύριος τῷ Ἰακώβ· εὐφράνθητε, &c. *Quia sic dicit Dominus Jacobo*; *exsultate*, &c.

Alia exempla vide 2. Reg. 3. v. 27. 4. Reg. 24. v. 3. 2. Paral. 3. v. 1. Psal. 34. Heb. 35. v. 7. Isai. 23. v. 11. &c.

Joan. 17. v. 5. *Et nunc clarifica me tu*, *Pater*, *apud temetipsum*, *claritate quam habui*, *priusquam mundus fieret*, *apud te*, h. e. claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret, ut recte Syrus verba illa disposuit.

Philem. 5. *Audiens charitatem tuam & fidem*, *quam habes in Domino Jesu*, *&* *in omnes sanctos*, i. audiens fidem, quam habes in Domino Jesu, & charitatem, quam habes in omnes sanctos. Hunc esse loci illius sensum liquet ex Epist. ad Coloss. c. 1. v. 4. *Audientes fidem vestram in Christo Jesu*, *&* *dilectionem*, *quam habetis in sanctos omnes.*

Heb. 12. v. 11. *Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam* (disciplinam) *reddet justitiæ*, h. e. fructum pacatissimum justitiæ exercitatis per eam reddet.

Hæc figura locum etiam habet

I. In Adverbiis, iisque

TEMPORIS. Rom. 5. v. 6. ἔτι γὰρ Χριστὸς, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, &c. *adhuc enim Christus*, *cum essemus infirmi*, *secundum tempus pro impiis mortuus est*, h. e. Christus enim, cum adhuc essemus infirmi, &c. ut optime Latin. Interpres reddidit.

NEGANDI.

Negandi. Eccle. 10. v. 10. *Si enim retusum fuerit ferrum, & ipse* (scindens) לֹא־פָנִים קִלְקַל *non aciem acuerit*, &c. h. e. aciem non acuerit.

Joan. 6. v. 32. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo*, i. Moyses non dedit vobis panem de cœlo; non enim eo loci quæritur quis manna dederit, Moyses an Deus? sed quid datum fuerit, an panis verus ac cœlestis, an alius corporalis tantum.

Rom. 1. v. 21. *Qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*, hoc est, sicut Deum non glorificaverunt; nam adverbium negandi cadit in verbum *glorificare*, quod negat, nequaquam vero in adverbium similitudinis *sicut*; secus enim posset quis putare, quod aliter eum glorificaverint.

1. Cor. 10. v. 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, h. e. in pluribus eorum non beneplacitum est Deo. Vide tom. I. pag. 574. can. VI.

Interrogandi. Mich. 6. v. 10. secundum lectionem Massoretharum, עוֹד הַאִשׁ בֵּית רָשָׁע *adhuc an est domus impii*, &c. pro, an adhuc est, &c. Lxx. μὴ πῦρ καὶ οἶκος, &c. *nunquid ignis & domus*, &c. Vulg. *Adhuc ignis in domo impii*, &c. Loco אִשׁ *est*, legebant אֵשׁ *ignis*.

Excludendi. Isai. 28. v. 19.... וְהָיָה רַק־זְוָעָה הָבִין שְׁמוּעָה *eritque tantum commotio intelligere rumorem*, &c. h. e. eritque commotio, cum rumor tantum audietur.

1. Cor. 15. v. 19. εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον, *si in hac vita speramus in Christo tantum*: pro, *si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo*, &c. ut optime Lat. Interp.

Comparandi. Gen. 18. v. 11. *Desierat esse Saræ* אֹרַח כַּנָּשִׁים *consuetudo secundum mulieres*, hoc est, secundum consuetudinem mulierum. Lxx. ἐξέλιπε δὲ τῇ Σάῤῥᾳ γίνεσθαι τὰ γυναικεῖα, Vulg. *& desierant esse Saræ muliebria.*

Psal. 101. Heb. 102. v. 10. *Quia* עֵפֶר כַּלֶּחֶם *cinerem tanquam panem manducabam*, id est, sicut cinerem panem manducabam; panis non mihi magis sapiebat quam cinis. Ita Qimhhi in h. l.

Rom. 12. v. 3.... ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως, *unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*: pro, ὡς ἑκάστῳ, *sicut unicuique*, &c. Vide 1. Cor. 3. v. 5. c. 7. v. 17. Act. 10. v. 38.

II. In Præpositionibus.

Gen. 2. v. 7. *Formavit igitur Deus hominem* עָפָר מִן־הָאֲדָמָה Lxx. χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, *pulverem de terra*, id est, de pulvere terræ. Vel, ut optime Vulg. *de limo terræ.*

III. In conjunctionibus

Nisi. 1. Cor. 14. v. 9. *Ita & vos* διὰ τῆς γλώσσης ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, *per linguam nisi manifestum sermonem dederitis*, &c. h. e. nisi per linguam, &c.

Quod. Eccle. 3. v. 13. *Omnis enim homo*, שֶׁיֹּאכַל *quod comedit & bibit .... hoc donum Dei est*; pro, quod enim omnis homo comedat & bibat .... hoc donum Dei est.

Gal. 1. v. 11. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est à me*, ὅτι οὐκ ἔστι κατὰ ἄνθρωπον, *quod non est secundum hominem*, &c. i. notum vobis facio ὅτι, quod Evangelium à me prædicatum, non est secundum hominem, &c.

Quia. Psal. 127. Heb. 128. v. 2. *Labores manuum tuarum* כִּי *quia manducabis*, &c. pro, כִּי *quia* labores manuum tuarum manducabis.

Ut. Joannis 14. v. 29. *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis*, i. ut credatis cum factum fuerit.

Rom. 11. v. 30. *Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis*, τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, (propter) *illorum* (Judæorum) *incredulitatem.* Vers. 31. *Ita & isti non crediderunt*, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι, (propter) *misericordiam vestram, ut & ipsi misericordiam consequantur*: pro, ἵνα τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι, *ut per misericordiam vestram & ipsi misericordiam consequantur.* Vulg. paulo aliter: *Ita & ipsi non crediderunt in misericordiam vestram*, &c.

1. Cor. 9. v. 15.... *bonum est enim mihi magis mori*, ἢ τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσῃ, *quam gloriationem meam ut quis evacuet*, pro *quam ut gloriationem meam*, &c. Vulg. Vide etiam Gal. 2. v. 10. 2. Joan. v. 6.

ARTICULUS II.

De Synchysi in vocibus conjunctis.

GEN. 19. v. 10. *Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.* Horumce verborum ordo genuinus is est: Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur ut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor, antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham.

Exod. 12. v. 15. *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à primo die usque ad diem septimum*, i. Quicunque comederit fermentatum à primo die usque ad diem septimum, peribit anima illa de Israël. Vide etiam Deut. 32. v. 5.

Cant. 1. v. 5. *Nigra sum sed formosa..... sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, h. e. nigra sum sicut tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles, seu tentoria Salomonis, quæ magnifica erant, ac regio apparatu digna.

Marc. 12. v. 12. Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε· καὶ ἀφέντες αὐτὸν, ἀπῆλθον, *& quærebant eum tenere: & timuerunt turbam; cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit, & relicto eo abierunt*, h. e. & quærebant eum tenere, cognoverunt enim, quod ad eos parabolam hanc dixerit, sed timuerunt turbam, &c. Vide etiam c. 16. vv. 3. 4.

Act. 8. v. 7. πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ, ἐξήρχετο, (ex) *multis enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant*: pro, spiritus enim immundi voce magna clamantes, exibant ex multis eorum, qui eos habebant. Vel: Spiritus enim immundi multorum, qui eos habebant, voce magna clamantes egrediebantur. Vide etiam Rom. 1. v. 13.

1. Cor. 15. v. 1. *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis*, v. 2. *per quod & salvamini: qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.* Verborum illorum quæ trajecta sunt, is videtur esse ordo: notum autem vobis facio, fratres, qua ratione prædicaverim vobis evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvamini, si tenetis, nisi frustra credidistis.

ARTICULUS III.

De Synchysi in tota Propositione.

VOCES in tota propositione confunduntur, cum subjectum prædicato postponitur.

Psal. 5. v. 10. *Sepulchrum patens est guttur eorum*, h. e. guttur eorum sepulchrum patens est.

Psal. 110. Heb. III. v. 3. *Confessio & magnificentia opus ejus*, h. e. opus ejus est decor & magnificentia, sive decorum est & magnificum. Vide etiam Isai. 34. v. 4.

Joan. 1. v. 1.... καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Deus erat Verbum illud*, hoc est, καὶ ὁ λόγος ἦν θεὸς, & Verbum illud erat Deus. Subjectum hîc ultimo loco Joannes posuisse videtur, quod tres illas enunciationes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, ita connectere voluerit, ut in qua voce præcedens propositio desineret, ab

illa sequens inciperet. Vide tom. I. pag. 428. can. IV.

Joan. 4. v. 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Spiritus est Deus*, h. e. ὁ Θεός ἐστι πνεῦμα, *Deus est Spiritus*.

ARTICULUS IV.

De Synchysi in continuo sermone.

SERMONIS continui partes per metathesin, seu trajectionem, quandoque enarrantur.

Josue 2. v. 15. *Demisit ergo eos* (exploratores) *per funem de fenestra; domus enim ejus hærebat muro.* Vers. 16. *Dixitque ad eos: ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes*, &c. Vers. 17. *Qui dixerunt ad eam: innoxii erimus à juramento hoc*, &c. Quæ referuntur versibus 16. 17. & seqq. ea procul dubio ante demissionem exploratorum per fenestram dicta sunt; alioqui res facile prodi potuisset, si è fenestra foris eos constitutos alloquuta esset Rahab. Vel præteritum *dixit* v. 16. per plusquamperfectum *dixerat*, explicandum est.

1. Reg. 6. v. 14. *Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, & stetit ibi: erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Vers. 15. *Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam, quæ erat juxta eam.... & posuerunt super lapidem grandem.* Prius arca deposita erat à Levitis, quam ligna plaustri conciderentur, & vaccæ offerrentur in holocaustum. Vel præteritum *deposuerunt*, per plusquam perfectum, ut in exemplo præcedenti, exponendum est *deposuerant*.

Marc. 14. v. 23. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.* Vers. 24. *Et ait illis: hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Hæc verba v. 24. *Et ait illis*, &c. dicta fuerant priusquam Apostoli bibissent vinum sanguinem Christi factum, ut liquet Matth. 26. vv. 27. & 28.

Act. 9. v. 4. *Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Vers. 5. *Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Ibid. 26. v. 14.... *audivi vocem dicentem mihi Hebraïca dialecto: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Vers. 15. *Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: ego sum Jesus, quem tu persequeris.*

Vel in cap. 9. v. 5. verba illa: *durum est tibi contra stimulum calcitrare*, pertinent ad finem versus quarti, ut in cap. 26. v. 14. Vel in prædicto cap. 26. v. 14. eadem illa verba reponenda sunt in fine versus 15. ut ea legere est in fine v. 5. cap. 9.

Rom. 13. v. 9. Sextum Decalogi præceptum quinto præponitur. Vide etiam 1. Tim. 3. v. 16. cap. 5. vv. 23. 24.

Apoc. 20. v. 12. *Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni.... & judicati sunt mortui.* Vers. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & judicatum est de singulis secundum opera eorum.* Ultimus ille versus superiorem præcedere debet; ut res ipsa declarat; nisi præteritum *dedit, dederunt*, per plusquam perfectum *dederat, dederant*, exponatur.

Huc pertinet illa narrandi ratio, qua membrorum propositionis argumenta, sive expositiones, καθ' ὕστερον πρότερον, i. *inverso ordine*, subjiciuntur.

Job. 27. v. 5. *Absit à me, ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam à justitia mea.* Pars prior hujus propositionis exponitur & amplificatur v. 7. *Sit ut impius inimicus meus, & adversarius meus quasi iniquus.* Posterior vero v. 6. *Justitiam meam, quam cœpi tenere, non deseram; neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

Jerem. 35. v. 16. *Firmaverunt* (i. servaverunt) *igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis; populus*

autem iste non obedivit mihi. Primum hujusce propositionis membrum proponitur, eique sententia Divina adjungitur v. 18. *Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias*, &c. secundum vero v. 17. *Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël, ecce ego adducam super Juda*, &c. Vide etiam Isai. 56. v. 3. Ezech. 16. v. 3. &c.

ARTICULUS V.

De Synchysi in distinctis rerum factarum narrationibus.

SÆPENUMERO in SS. Scripturis res factæ non eo, quo contigerunt, ordine; sed quandoque κατὰ πρόληψιν, per *anticipationem*; quandoque καθ' ὑστερολογίαν, per *hysterologiam* seu *recapitulationem*, ut aiunt, aut *postpositionem* narrantur.

§. I.

De narrationis historicæ προλήψει, seu anticipatione.

GEN. I. v. 27. & seqq. creatio primorum parentum, copulatio ac benedictio memorantur. Secundo autem cap. v. 7. creatio Adami, v. 17. & seqq. creatio Evæ, ejusque ad Adamum adductio & conjunctio prolixius describitur.

Ibid. c. 35. v. 29. Isaaci mors narratur statim post Jacobi è Mesopotamia reditum, & antequam Joseph à fratribus suis venderetur; cum tamen longo post tempore mors illa contigerit, & jam duodecim saltem annis Joseph in Ægypto commoratus fuisset.

Primum quod attinet, Isaacus annos tantum 157. natus erat, quando ex Mesopotamia reversus est Jacobus; quod sic evincitur. Cum Jacobus in Ægyptum descendit, stetitque coram Pharaone, annos 130. exegerat, (Gen. 47. v. 9.) Josephus vero 39. nempe 30. quando Pharaonis somnium interpretatus est, (Gen. 41. v. 46.) & 9. quorum 7. primi tempore fertilitatis, reliqui autem duo per duos priores sterilitatis annos effluxerant; Jacobus enim tertio ineunte penuriæ anno in Ægyptum venit, (Gen. 45. v. 6.) Si autem 39. annos Josephi demas è 130. Jacobi, supererunt 91. quibus natus erat Jacobus cum genuit Josephum. Cumque sex adhuc annos post natum Josephum in Mesopotamia manserit Jacobus; viginti enim annos apud Labanem commoratus est; (Gen. 31. v. 38.) nempe 14. quibus pro uxoribus suis servivit, & sex alios, qui numerum vicesimum complent. Adjectis autem 6. illis annis ad 91. Jacobi, efficientur 97. Itaque Jacobus 97. annos natus erat quando è Mesopotamia rediit, Isaacus vero 157. sexagenarius enim Jacobum genuerat, (Gen. 25. v. 26.) Cumque Isaacus diem extremum clauserit annos 180. natus, (Gen. 35. v. 28.) consectarium est eum 23. adhuc annos vixisse postquam Jacobus, relicta Mesopotamia, in terram Chanaän reversus est.

Secundum quod spectat, tempus scilicet, quo à fratribus suis venditus est Joseph, illud etiam Isaaci mortem antecessit; quod sic demonstratur. Cum natus est Joseph, Jacobus 91. annorum erat, ut mox probatum est, Isaacus vero 151. is enim Jacobum genuit annos 60. natus, vide supra. Josephus autem à fratribus suis venditus est anno ætatis suæ 17. (Gen. 37. v. 2.) secundum Heb. Chald. & LXX. vel 16. secundum Latinum interpr. qui facile conciliari poterit cum Hebræo, si Josephus 16. annos exactos, & 17um inchoatum natus dicatur; vox enim בן cum annorum numero conjuncta annum currentem, nunquam completum, teste Bocharto, Grotio, Glassio, &c. indicat.) Annus autem

Josephi 17us respondet annis Jacobi 108, Isaaci 168. qui (Isaacus) cum mortem obierit anno ætatis suæ 180. palam est eum 12. circiter annos adhuc vixisse postquam Josephus à fratribus suis venditus est, atque in Ægyptum abductus.

Exod. 16. v. 33. De asservatione mannæ προληπτικῶς narratur, quod tamen factum non est, nisi erecto Tabernaculo, exstructaque arca fœderis, & quinque mensibus postquam manna è cœlo descendere cœpisset. Hoc autem loco voluit Moyses totam historiam de manna συλλήβδην contexere, unde & tempus, quo desierit, v. 35. addidit. Quod etiam de omnibus fere prolepticis narrationibus dicendum est.

3. Reg. 22. v. 51. Mors Josaphat Regis Juda narratur, quæ tamen nonnisi aliquot post annis contigit; nam 4. Reg. 3. v. 7. ascendisse memoratur cum Joram contra Moabitas, qui à Joramo defecerant.

Alia exempla vide Exod. 10. vv. 28. 29. cap. 17. v. 6. conf. v. 8. & Deut. 25. vv. 17. 18.

Matth. 27. v. 52. Morte Christi monumenta aperta, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexisse dicuntur: cum tamen id solum post resurrectionem ejus contigerit, v. 53. Hujus prolepseos rationem assignat Maldonatus in h. l. quod *cum cœpisset Matthæus ea miracula, quæ moriente Christo contigerant, commemorare; hoc etiam cum ceteris copulavit, cujus causa, sicut & ceterorum, mors Christi fuerat.*

Luc. 3. vv. 19. 20. Joannis in carcerem conjectio ante Christi baptismum memoratur, quæ tamen Christo ministerium suum jam ingresso contigit, Matth. 4. v. 12. quam adhuc cap. 14. v. 3. per hysterologiam narrat idem Matthæus.

Joan. 11. v. 2. Pedum Christi unctio à Maria præstita narratur, cujus integra historia c. 12. v. 13. & seqq. refertur.

Prolepseos hujus exempla in nominibus propriis locorum frequentissima est.

Gen. 12. v. 8. *Bethelis* fit mentio tempore Abrahami, cum tamen id nominis huic loco inditum non fuerit, nisi ipsius nepotis Jacobi tempore, ut liquet Gen. 28. v. 19. *Appellavitque Jacob nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.*

Gen. 13. v. 10. Urbs *Segor* memoratur, quæ nomen istud sortita non est, nisi cum Lot in eam se recepit, Gen. 19. v. 22. *idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor.*

Gen. 14. v. 7. *Reversique sunt & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades*, &c. Locus iste id nominis non obtinuit, nisi *postquam jurgati sunt filii Israël contra Dominum*, ac severum illud judicium de non introducendis populis murmurantibus in terram promissam latum est, Num. 20. v. 13. Ibidem: *& percusserunt omnem regionem Amalecitarum*, i. incolarum illius regionis, quam postea occuparunt Amalecitæ; Amalec enim à cujus posteris regio illa habitata est ac denominata, longo post tempore natus est ex Thamna concubina Eliphaz filii Esau, Gen. 36. v. 12.

Gen. 21. v. 14. Agar dicitur errasse in deserto Bersabee, qui tamen locus hoc nomine postea donatus est, nempe quando Abraham fœdus iniit cum Abimelecho, v. 31. *Idcirco vocatus est locus iste Bersabee, quia ibi uterque juravit.*

Num. 14. v. 45. Narratur de Amalecitis & Chananæis, quod percutiendo & concîdendo Israëlitas persequuti fuerint usque *Horma*, quod nomen longe postea huic loco impositum est; scilicet c. 21. v. 3. cum Israël à Rege Chananæo victus, voto se obstrinxit Domino, fore ut urbes Chananæorum deleret, si victor existeret. *Exaudivitque Dominus preces Israëlis... & vocavit nomen loci illius Horma.*

1. Reg. 4. v. 1. &c. 5. v. 1. Locus memoratur *lapis adjutorii* dictus, quod nomen postea inditum est, nempe c. 7. v. 12. *Tulit itaque Samuel lapidem unum.... & vocavit nomen loci illius, LAPIS ADJUTORII, dixitque: hucusque auxiliatus est nobis Dominus.*

Alia exempla pro V. Test. vide Num. 13. vv. 24. 25. Jud. 2. vv. 1. 5. cap. 5. vv. 9. 17. 1. Paral. 14. v. 11. &c.

Sic in nominibus virorum,

Joan. 1. v. 40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri*, &c. Simon hîc per anticipa-

tionem vocatur *Petrus*, cujus nominis ratio postea redditur, nempe v. 42.... *Intuitus autem eum Jesus dixit: tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*.

Prolepticam illam nominum propriorum impositionem quidam explicant dicendo scriptorem sacrum Spiritu prophetico afflatum, sic locum vocasse, quem ita vocandum prævideraт.

Melius, ut videtur, *Cornelius à lapide*, præf. in Pentateuchum. *Moyses*, inquit, *Pentateuchum simpliciter conscripsit per modum diarii vel annalium; Josue autem, vel quis alius* (Spiritu Sancto afflatus) *eosdem libros in ordinem digessit, distinxit, & sententias nonnullas addidit & intexuit. Sic mors Moysi in ultimo capite addita est. Sic Gen.* 14. *v.* 14. *Urbs Lais vocatur Dan, cum diu post tempora Mosis vocata sit Dan, quare nomen Dan ibi pro Lais substitutum est non à Josue, sed ab alio, qui posterius vixit. Sic Num.* 21. *ab alio additi sunt vv.* 14. 15. 27.

Andræas Masius præf. comm. in Josue. *Mihi ea est opinio*, inquit, *ut putem Esdram sive solum, sive una cum æqualibus, insigni pietate & eruditione viris, cœlesti Spiritu afflatum, non solum hunc Josue, verum etiam Judicum, Regum, aliosque, quos in Sacris Bibliis legimus, libros ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilasse, in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redegisse atque disposuisse. Talia enim diaria atque annales fuisse in Ecclesia Dei, satis docent cum alia, quæ sæpe laudantur, quamvis jam interciderint, Regum historiæ; tum liber bellorum Domini, & liber recti, in quo Josuæ & Samuëlis Saülisque gesta fuisse inscripta certum est.*

§. II.

De narrationis historicæ ὑστερολογίᾳ, seu recapitulatione, aut postpositione.

HÆc figura præcedenti respondet, eaque locum habet, cum ex occasione aliqua narratur quidpiam gestum post tempus, quo reipsa contigit.

Gen. 11. v. 1. & seqq. Linguarum confusio narratur, cum tamen præcesserit ea, quæ cap. 10. referuntur; in eo siquidem vv. 5. 20. & 31. hujusce Linguarum varietatis fit mentio.

Gen. 12. v. 1. *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Hoc Dei mandatum antecessit profectionem illam ex Ur Chaldæorum, quæ cap. 11. v. 31. memoratur, ut liquet infra cap. 15. v. 7..... *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum*, &c. Et Act. 7. v. 3. *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan; & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Vers. 4. *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan, & inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam.* Ea est igitur vera narrationis illius series. Cap. 12. v. 1. *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Vers. 2. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Vers. 3. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Cap. 11. v. 31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & Sarāi nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi.* Vers. 32. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.* Cap. 12. v. 4. *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus*, &c. Neque huic sententiæ adversatur illud cap. 12. v. 1. *& de domo patris tui*; hæc enim verba sic explicari possunt, quod Deus imperaverit Abrahamo ut de re familiari seorsim à Patre fundanda

cogitaret. Eaque expositio confirmatur sequentibus: *faciamque te in gentem magnam.*

Notandum eo loci S. Stephanum in textu supra laudato, nihil contra Geographiam peccasse, cum dixit Abrahamum *fuisse in Mesopotamia priusquam moraretur in Charan;* Chaldæa enim latius olim patebat, ac ipsam Mesopotamiam complectebatur. Scribit Xenophon Chaldæam Armeniæ esse confinem. Josephus l. 1. Antiq. c. 8. narrat Abrahamum, cum eum insectarentur Chaldæi, aliique *Mesopotamiæ* populi, Charane recessisse. Charan igitur, secundum Josephum, erat etiam in Chaldæa, seu Mesopotamia Chaldææ quoque nomine donabatur.

Gen. 38. v. 1. & seqq. Judæ historia narratur postquam Joseph à fratribus suis venditus est, cujus tamen historiæ pars ante illud tempus contingere debuit; ab eo enim tempore, quo Joseph in Ægyptum abductus est, ac Jacob eodem descendit, 22. aut 23. tantummodo anni effluxere, nam 17. secundum Heb. vel 16. secundum Vulg. annos natus à fratribus suis venditus est, ut vidimus supra pag. 28. col. 2. quos si detraxeris ex 39, quos exegerat, cum Jacobus pater ejus venit in Ægyptum, supererunt 22. vel 23. Per id autem temporis Judas ducit uxorem filiam *Sue* Chananæi, ex qua tres suscipit filios, quorum duo primi, alter post alterum, uxorem habent *Thamar*, quæ post multos viduitatis annos concipit ex Juda, paritque *Pharez* & *Zaram*. Pharez uxorem ducit, ex qua duos habet filios *Hesron* & *Hamul*, qui & ipsi cum Jacobo in Ægyptum descendunt. Qui ista omnia tam brevi 22. aut 23. annorum intervallo contingere potuerunt? S. Augustinus quæst. 128. in Gen. tom. III. nov. edit. part. I. col. 409. cum multis aliis Interpretibus opinatur Judæ matrimonium hîc per ὑστερολογίαν, sive *recapitulationem* describi. *Quæritur*, inquit, *quando ista fieri potuerunt. Si enim postea quam Joseph devenit in Ægyptum, quomodo intra viginti ferme & duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eundem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum patre suo) fieri potuerit, ut Judæ filii ejus ætatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam mortuo primogenito suo, alteri filio dedit: quo etiam mortuo, exspectavit ut cresceret tertius; & cum crevisset, nec illi eam dedit timens ne & ipse moreretur: unde factum est, ut eidem socero suo se illa supponeret. Quomodo ergo hæc omnia intra tam paucos annos fieri potuerint, merito movet, nisi (ut forte solet) Scriptura per recapitulationem aliquot annos ante venditum Joseph hoc fieri cœpisse intelligi velit.* Sunt tamen interpretes, qui rerum ordinem servatum existiment, dicantque Pharez in Ægypto uxorem duxisse, ibique Hesron & Hamul genuisse, qui nihilominus tamen numerantur inter eos, qui cum Jacobo in Ægyptum descenderunt, haud secus ac decem filii Benjamin, quos omnes tunc temporis genitos fuisse vix credideris.

Isai. 38. v. 21. *Et jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.* Vers. 22. *Et dixit Ezechias: Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini?* Isti duo versus per hysterosin in fine illius capitis ponuntur; inserendi enim sunt post versum sextum, uti inseruntur 4. Reg. cap. 20. ubi eadem historia narratur.

Luc. 4. v. 9. Abductio Christi super pinnaculum Templi à diabolo facta memoratur post translationem ejus in montem excelsum, cum tamen secundum Matth. 4. v. 8. prius translatus fuerit Christus super pinnaculum Templi, quam supra montem; eaque genuina videtur esse narrationis series, ut particula πάλιν *iterum* versui 8. præposita innuit. S. Aug. de hac difficultate disserens l. 2. de consensu Evangelistarum c. 16. col. 47. part. 2. tom. III. nov. edit. hæc ait: *Incertum est quid prius factum sit, utrum regna terræ prius demonstrata sint ei, & postea in pinnam Templi levatus sit: an hoc prius, & illud postea. Nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit: & quod aliis verbis easdem sententias Lucas explicat, non semper commendandum est, quam nihil depereat veritati.*

Luc. 22. v. 21. Denunciatio proditoris Judæ post Sacræ Eucharistiæ institutionem narratur, quam ei præmittunt Matth. cap. 26. v. 21. & Marc. c. 14. v. 18.



TRACTATUS II.

De Figuris Rhetoricis.

FIGURÆ, quæ ad ſermonis ornatum pertinent, *Rhetoricæ* appellantur. Duplicis ſunt generis, *Tropus* & *Figura*, ſive *Schema*.

Tropi ipſum verborum ſenſum ſpectant, dum propria vocum ſignificatio in aliam cognatam, contrariamve convertitur, ut fert nominis ipſius Etymon, deducitur enim à τρέπω *verto, converto*, &c.

Figuræ vero verborum ſenſum *per ſe* non immutant, ſed ſermoni tantum ornatum conferunt, unde & *Schemata* vocantur, q. d. orationis *habitus*. Dico *per ſe*, licet enim tam tranſlatis, quam propriis verbis figuretur oratio: qua tamen ratione verba tranſlata ſunt, non ex vi ſchematis, ſeu figuræ, ſed tropi tranſlata ſunt; atque eadem præterquam quod tropica ſunt, ſeu tranſlata; alium inſuper ad orationem reſpectum ſæpe obtinent, qui figuræ eſt, non tropi.

Secundum igitur hanc Figurarum Rhetoricarum diſtinctionem, agemus, I. De Tropis. II. De Figuris.

Tropologiæ autem duæ ſunt partes; altera Troporum *ſpecies*, altera eorumdem *affectiones* explicat.

Troporum *ſpecies* quatuor vulgo recenſentur. I. Metonymia. II. Ironia. III. Metaphora. IV. Synecdoche.

Troporum *affectiones* tres numerant, I. Catachreſin. II. Hyperbolen. III. Allegoriam, cujus ſpecies duæ ſunt: *Parœmia*, ſeu Proverbium, & *Ænigma*.

CAPUT I.

De Metonymia.

METONYMIA [μετωνυμία] *quam nominis pro nomine poſitionem* vocat Quintilianus, Tropus eſt, quo cauſa pro effectu, effectus pro cauſa; ſubjectum pro adjuncto, adjunctum pro ſubjecto, ponitur. Unde quatuor Metonymiæ ſpecies colliguntur. I. Cauſæ. II. Effectus. III. Subjecti. IV. Adjuncti.

ARTICULUS

ARTICULUS I.

De Metonymia causæ.

QUATUOR vulgo numerantur causæ; scilicet *Efficiens*, *Materialis*, *Formalis* & *Finalis*. Hîc efficientem tantum & materialem ex vocabulorum phrasiumque S. Scripturæ usu considerabimus.

Triplici autem ratione *Metonymia causæ Efficientis* contingit. I. Cum persona efficiens pro re effecta ponitur. II. Cum causa organica, seu instrumentum, pro re per instrumentum confecta usurpatur. III. Denique cum res vel actio quædam pro effectu ab illa re, vel per actionem illam producto, adhibetur.

§. I.

Persona efficiens pro re effecta.

SPIRITUS, pro effectis & operibus Spiritus sancti, qualia sunt,

I. Cœleste Evangelii Christi verbum, quod *Spiritus* dicitur, quia auctorem habet Spiritum sanctum, qui per illud salutem operatur.

2. Cor. 3. v. 6. *Qui* (Deus) *idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti; non litera, sed Spiritu: litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Vide etiam vv. 7. 8. Hîc confert Apostolus legem antiquam cum nova. Lex antiqua occidebat, quia cum perfectam obedientiam ab homine requireret, neque ea gratia daretur, quæ confertur in nova: pauci erant, qui omni ex parte illam adimplerent. Quare vulnera ostendebat, non sanabat. At vero in nova lege, quæ *Spiritus* dicitur, vitam spiritualem, justitiam, & salutem æternam Spiritus sanctus in nobis operatur.

Rom. 8. v. 2. *Lex Spiritus vitæ per Christum Jesum liberavit me à lege peccati & mortis*, i. lex nova, quæ vitam affert per Christum Jesum, liberavit me à lege peccati & mortis, h. e. antiqua lege, quæ & peccato & morti occasionem præbebat.

II. Salutares motus & operationes in homine, quales sunt,

In genere, donum sanctificationis, regenerationis, & renovationis.

Psal. 50. Heb. 51. v. 12. *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Vers. 13. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Vers. 14.... *Spiritu principali confirma me.* Vide Ezech. 11. v. 19. c. 36. vv. 26. 27. Ephes. 4. v. 23. Atque ita cum *caro* & *Spiritus* opponuntur, *carne*, corruptus homo per peccatum, & mala quævis opera; *Spiritu* vero, donum regenerationis Spiritus sancti, sive, quod idem est, ipse homo regenitus intelligitur. Vide etiam Joan. 3. v. 6.

In specie, dona Spiritus sancti peculiaria & extraordinaria, quæ in hominibus ad varios usus tam publicos, quam privatos; cum spirituales, tum corporales atque externos operatur.

Num. 11. v. 17. *Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis*, (septuaginta senioribus ex Israël) *ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Vide complementum v. 25. Per *Spiritum* eo loci intelligit Deus Spiritus sancti dona, quæ septuaginta illis senioribus impartitus est, ut Mosem adjuvarent. Vide Vatabl. in h. l.

4. Reg. 2. v. 9. *Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*, i. ut duplo

majorem vim Spiritus tui præ ceteris discipulis tuis à Deo mihi impetres. Respicit ad jus primogenituræ, de quo Deut. 21. v. 17. q. d. quia primogenitus sum inter discipulos tuos, utpote quem primum in scholam tuam receperis, fiat, quæso, Spiritus tuus in me duplex. Unde alios Eliæ discipulos, non Eliam ipsum, superare volebat. Vide Dan. 5. v. 12. & cap. 6. v. 3.

Luc. 1. v. 17. *Ipse* (Joannes) *præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ*, h. e. iisdem Spiritus sancti donis, quibus olim Elias, instructus erit, & mira instar Eliæ perficiet. Vel per *Spiritum* eo loci zelus Eliæ intelligendus est.

Act. 19. v. 2. *Dixitque ad eos Paulus: si accepistis Spiritum sanctum credentes?* Quod non solum de Spiritus sancti interioribus, verum etiam exterioribus donis, ut liquet ex v. 6. intelligendum est. Conf. Joan. 7. v. 39. Act. 1. v. 5. &c.

III. Specialis revelatio Spiritus sancti, sive visio & ecstasis, aut vere facta, aut falso jactitata.

Ezech. 37. v. 1. *Et eduxit me in Spiritu Dominus*, &c. id est, per visionem, sive raptum Spiritus, aut ecstasin. Vide etiam Apoc. 1. v. 10. c. 10. v. 10. c. 22. v. 17. &c.

2. Thess. 2. v. 1. *Rogamus autem vos, fratres*, &c. Vers. 2. *ut non cito moveamini à vestro sensu.... neque per Spiritum, neque per sermonem*, &c. per Spiritum, id est, per revelationem, quæ jactitatur tanquam à Spiritu sancto profecta.

Huc pertinet, cum Spiritus pro doctrina vel vere, vel secundum opinionem & jactantiam Divinitus revelata, accipitur.

1. Cor. 14. v. 32. *Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur*, i. doctrina, sive revelationes alicui Ecclesiæ ministro factæ, ceterorum doctorum judicio subjiciuntur. Conf. vv. 12. 29. 30. 31. 33. 37. 38. Alii, prophetæ sui compotes sunt, silere aut loqui possunt, cum volunt; neque furore, sicuti ethnicorum vates, agitantur.

1. Joan. c. 4. v. 1. *Charissimi, nolite omni Spiritui credere*, &c. id est, omni doctrinæ; *sed probate Spiritus*, i. doctrinas, revelationes, &c. *si ex Deo sint*. Ita v. 2. *Omnis Spiritus, qui confitetur*, &c. vide etiam v. 3. h. e. omnis doctrina, omnis revelatio. Alii, omnis doctor, posito concreto pro abstracto, quod eodem recidit. Conf. 1. Tim. 4. v. 1.

PARENTES & MAJORES, pro filiis & posteris. Quod in SS. Scripturis est frequentissimum.

Gen. 9. v. 27. *Dilatet Deus Japheth*, (i. posteros Japhethi) *& habitet in tabernaculis Sem*, (id est, Semi filiorum) *sitque Chanaan servus ejus*, h. e. Chananæi serviant Semi nepotibus). Sic,

Jacob & *Israël*, pro populo Israëlitico ponuntur, Exod. 5. v. 2. Num. 23. v. 21. cap. 24. v. 5. & 17. Deut. 33. v. 28. &c.

Cain pro ejus posteris, Jud. 4. v. 11.

Obed-Edom, pro ejus posteritate, 2. Paral. 25. v. 24.

Esau pro populo Esavitico, Malach. 1. v. 3. Rom. 9. v. 13.

Abraham, vel *Isaac*, vel *Jacob*, pro Christo, qui ex eis secundum carnem ortus est, Rom. 9. v. 5. unde cum Gen. 12. v. 3. Deus Abrahamo dixit: *In te benedicentur universæ cognationes terræ*, verba illa intelligenda sunt de semine Abrahami, nempe de Christo, ut explicat Paulus ad Gal. c. 3. v. 14. *ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu*, &c.

Scriptor pro scripto opere seu libro, ut Luc. 16. v. 29. *habent Moysen & prophetas, audiant illos.*

Ad hanc Metonymiæ speciem referri potest ea loquutio, qua *anima* ponitur 1°. pro *vita*, quæ ejus effectus est. Metonymiæ hujus, quæ in Scripturis frequentissime occurrit, exempla vide Gen. 9. v. 5. c. 37. v. 21. Exod. 4. v. 19. Levit. 17. v. 11. Jud. 9. v. 17. &c. 2°. pro *voluntate*, *affectu*, *desiderio*, quæ itidem animæ operationes sunt. Vide Gen. 23. v. 8. Exod. 23. v. 9. 3. Reg. 19. v. 3. 4. Reg. 7. v. 7. Psal. 16. Heb. 17. v. 10. &c.

Huc etiam referri posset, cum *Spiritus*, quo anima hominis sæpe denotatur, pro *affectu* animæ, sive bono, sive malo, accipitur. Vide Gen. 45. v. 27. Num. 14. v. 24. & sic sæpe in Scriptura.

§. II.

Causa organica, seu instrumentum, pro re per instrumentum effecta.

I. INSTRUMENTA loquendi, sive sermonis formandi, pro sermone ipso ponuntur.

Os, ORIS, 1°. pro sermone, seu testimonio. Deut. 17. v. 6. *In ore duorum vel trium testium peribit*, &c. sic c. 19. v. 15. i. in sermone vel in testimonio. Vide Matth. 18. v. 16.

2°. Pro imperio. Gen. 45. v. 21. *Et dedit eis Joseph currus, juxta os Pharaonis*, &c. hoc est, *secundum Pharaonis imperium*, ut optime Vulg. Lxx. κατὰ τὰ εἰρημένα ὑπὸ Φαραὼ τοῦ βασιλέως, *secundum ea, quæ dixerat* (præceperat) *rex Pharao*.

Deut. 34. v. 5. *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab*, עַל־פִּי *secundum os Domini*, i. secundum verbum, vel *jubente Domino*, ut Vulg. Vide etiam Exod. 17. v. 1. Num. 3. vv. 16. 39. c. 20. v. 24. c. 27. v. 14. Deut. 1. vv. 26. 43.

LINGUA, 1°. pro sermone. Prov. 25. v. 15. *Lingua mollis confringit ossa*, Vulg. *duritiem*, h. e. sermo mollis, mansuetus, humanus, frangit iram gravem & fortem instar ossis.

Jerem. 18. v. 18. *Percutiamus eum* בַלָּשׁוֹן *propter linguam istam*, &c. i. sermonem illum odiosum ac importunum.

2°. Pro idiomate loquendi. Act. 2. v. 4. *Et cœperunt loqui variis linguis*, &c.

LABIUM, pro sermone. Gen. 11. v. 1. *Erat autem terra labii unius*, & (id est) *sermonum eorumdem*; conjunctio enim & per *id est* eo loci commode explicatur. Vide etiam Isai. 19. v. 18.

Prov. 17. v. 7. *Non decet stultum, labium dignitatis; quanto minus principem, labium mendacii*, h. e. sermo dignus & excellens; sermo falsus sive mendax. Vulg. *Non decent stultum verba composita: nec principem labium mentiens*. Vide quoque Isai. 33. v. 19. Prov. 12. v. 19. Job. 12. v. 20. &c.

PALATUM, pro sermone. Prov. 5. v. 3. *Favum distillant labia extraneæ, & lenius est oleo palatum ejus*, h. e. sermo ejus. Lxx. μέλι γὰρ ἀποστάζει ἀπὸ χειλέων γυναικὸς πόρνης, ἣ πρὸς καιρὸν λιπαίνει σὸν φάρυγγα, *mel enim stillat è labiis mulieris meretricis, quæ tempore opportuno impinguat guttur suum*. Vulg. *Favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus*. Lxx. & Vulg. loco זָרָה *extraneæ*, legisse videntur זֹנָה *meretricis*. Aq. Sym. Theod. vertunt ἀλλοτρίας, *extraneæ*. Præterea vocem חֵךְ, quam recentiores Hebræi interpretantur *palatum*, Lxx. reddunt φάρυγξ, λάρυγξ, S. Hieron. *guttur*, *fauces*. Sym. & Theod. ultimum versus illius hemistichium vertunt: καὶ λεῖος ὑπὲρ ἔλαιον φάρυγξ αὐτῆς, *& leve super oleum guttur ejus*.

II. MANUS, 1°. pro actionibus, quæ manibus, ut plurimum, perficiuntur; & per synecdochen, quævis aliæ actiones, imo & actionum principia, consilium, machinatio, cogitatio, cura, conatus, &c. intelliguntur.

Psal. 7. v. 4. *Si est iniquitas in manibus meis*, h. e. in actionibus meis, vel, in me; ita ut vox *manus* supervacua sit, ut quibusdam videtur. Vide tom. I. pag. 493. col. 1. num. V.

1. Reg. 22. v. 17. *Nam manus eorum cum David est, scientes quod fugisset, & non indicaverunt mihi*, i. consilium, machinatio, &c. Sic 2. Reg. 3. v. 12. c. 14. v. 19. 3. Reg. 10. v. 29. Isai. 1. v. 15. &c.

2°. Pro scriptione vel scriptura, quæ manu fit. 1. Cor. 16. v. 21. *salutatio, mea manu Pauli*, h. e. scriptione mea. Vide & Coloss. 4. v. 18.

3°. Pro dono manu porrecto, ut putant quidam interpretes. Psal. 67. Heb. 68. v. 32. *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, vel *currere faciet manus suas Deo*, id est, cito transmittet munera sua Deo. Conf. Psal. 71. Heb. 72. v. 10. Isai. 60. v. 6. Quod alii intelligunt de adoratione Dei, cujus signum est manuum extensio. Conf. Psal. 21. Heb. 22. vv. 29. 30.

III. GLADIUS, pro bello, aut cæde, quæ gladiis ut plurimum peraguntur.

Exod. 5. v. 3. *Ne forte accidat nobis pestis, aut gladius*, hoc est, cædes.

Lev. 26. v. 6. *Et gladius non transibit terminos vestros*, i. termini vestri bello non infestabuntur. Sic Isai. 1. v. 20. Jerem. 14. vv. 12. 13. 15. 16. c. 43. v. 11. &c.

Matth. 10. v. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quo nomine intelliguntur omnis generis dissidia ob veram religionem & doctrinæ Christi confessionem ac prædicationem orta.

IV. FUNIS, pro tractu, seu regione fune dimensa. Solebant enim in Palæstina agros fune metiri, atque ita dimensos sorte distribuere, ut patet Amos. 7. v. 17. Mich. 2. v. 5. Zach. 2. v. 1.

Deut. 3. v. 4. *Omnem funem Argob*, &c. i. *omnem regionem*, ut Vulg. Lxx. πάντα τὰ περίχωρα Ἀργόβ, *omnia loca vicina Argob.*

Ibidem c. 32. v. 9. *Pars autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus*, i. Jacob hæreditas Dei dimensa atque ab aliis populis ipsi segregata & assignata.

Psal. 15. Heb. 16. v. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, &c. h. e. sors, portio, hæreditas, quæ mihi obtigit, præclara est ac opima.

V. ARGENTUM, pro re argento comparata. Exod. 21. v. 21. *Sin autem uno die, vel duobus, supervixerit* (servus ab hero suo percussus) *non subjacebit pœnæ* (herus), *quia pecunia illius est*, i. quia pecunia sua eum sibi comparavit.

§. III.

Res vel actio, pro effectu ab illa re, vel per illam actionem producto.

HÆC Metonymiæ species & in nominibus, & in verbis locum habet.

In nominibus.

CHARITAS, pro effectu charitatis. 1. Joan. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*, h. e. videte qualis sit charitatis Dei erga nos effectus, ut filii, &c.

DIVINATIO, pro præmio & honorariis ejus. Num. 22. v. 7. *Perrexeruntque seniores Moab... habentes* קְסָמִים *divinationes in manibus suis*, h. e. *divinationis pretium*, ut optime Vulg.

IRA, 1°. pro pœna & ultione ex ira profecta. Psal. 78. Heb. 79. v. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, &c. hoc est, pœnam & ultionem, quæ sunt effectus iræ tuæ. Vide etiam Mich. 7. v. 9.

Rom. 2. v. 5. *Secundum autem duritiam tuam.... thesaurizas tibi iram in die iræ*, &c. i. pœnam in die iræ. Sic cap. 3. v. 5. c. 4. v. 15. c. 13. vv. 4. 5. Ephes. 5. v. 6. &c.

2°. Pro mandato ex ira dato. 1. Reg. 28. v. 18. *Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec*, &c. h. e. neque mandatum exsequutus es, quod tibi injunxerat in ira sua contra Amalec.

JUDICIUM, 1°. pro pœna & castigatione. Exod. 6. v. 6. *Redimam in brachio excelso, & Judiciis magnis*, i. gravibus pœnis, quas infligam Ægyptiis. Vide etiam Prov. 19. v. ult. Ezech. 14. v. 21.

Rom. 2. v. 3. *Existimas autem hoc, ô homo, quia tu effugies judicium Dei?* h. e. supplicium Divinum. Sic 1. Cor. 11. v. 29. 1. Pet. 4. v. 17.

2°. Pro condemnatione. Jerem. 26. v. 11. *Et loquuti sunt Sacerdotes & Prophetæ.... dicentes: Judicium mortis est viro huic*, &c. hoc est, dignus est vir ille, qui morte condemnetur.

Joan. 3. v. 18. *Qui credit in eum, non judicatur*, vel judicabitur, i. non condemnabitur; *qui autem non credit, jam judicatus est*, hoc est, jam condemnatus est. Vers. 19. *Hoc autem est judicium*: i. hæc autem est condemnatio hominum; *quia lux venit in mundum*, &c. Vide etiam 2. Pet. 2. v. 3.

LABOR, pro rebus labore partis. Deut. 28. v. 33. *Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos, comedat populus, quem ignoras*, hoc est, res labore tuo partas.

Psal. 127. Heb. 128. v. 2. *Labores manuum*

tuarum quia manducabis, i. quia fructum laborum manuum tuarum manducabis. Vide etiam Psal. 77. Heb. 78. v. 46. Psal. 104. Heb. 105. v. 4. Prov. 5. v. 10. Eccle. 2. v. 19. Isai. 45. v. 14. &c.

MISERICORDIA, pro officio & beneficio ex miseratione profecto. Gen. 20. v. 13. *Hanc misericordiam facies mecum in omni loco, in quem ingrediemur*, i. hoc misericordiæ & benignitatis tuæ beneficium in me conferes, &c. Verba sunt Abrahami de uxore sua Sara. Sic Græci ἐλεημοσύνην vocant beneficium pauperibus ex misericordia præstitum, Matth. 6. v. 1. Luc. 11. v. 41. Act. 10. vv. 2. 4.

OPUS, 1°. pro mercede, vel præmio operis. Levit. 19. v. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te, usque mane*, h. e. merces, vel præmium mercenarii, &c. Ita Jerem. 22. v. 13.

Apoc. 14. v. 13.... *opera enim illorum sequuntur illos*, i. merces bonorum operum sequitur illos.

2°. Pro merito operis. Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus*, &c. h. e. jam non est meritum operis, *alioquin gratia jam non est gratia.*

PECCATUM cum synonymis, pro pœnis peccati. Gen. 19. v. 15. *Surge, tolle uxorem tuam .... ne & tu pariter pereas in scelere civitatis*, i. propter pœnas, quas inflicturus est Dominus civitati ob ejus scelera. Sic Psal. 7. v. 17. Jerem. 14. v. 16. Zach. 14. v. 19. Cum peccatum verbo *portandi* jungitur, reatus pœnæ innuitur. Exod. 28. v. 43. *Et utentur eis* (feminalibus lineis) *Aaron & filii ejus .... ne portent iniquitatem, & moriantur*, i. ut recte interpretatur Vulg. *ne iniquitatis rei moriantur.* Sic Levit. 5. v. 1. cap. 20. v. 20. c. 22. v. 9. Num. 14. v. 23. &c.

VENATIO, pro carne ferina venando capta. Gen. 27. v. 19.... *Sede & comede de venatione mea*, h. e. de carne belluarum, quas inter venandum cepi. Vide etiam v. 3. & cap. 25. v. 28.

VIS, pro fructu, quem vi sua terra profert. Gen. 4. v. 12. *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi vim suam*, hoc est, *fructus suos*, ut optime Vulg. LXX. idiotismum retinent *οὐ προσθήσει τὴν ἰσχὺν αὐτῆς δοῦναί σοι, non adjiciet vim suam dare tibi.*

In Verbis.

DILIGERE & ODISSE, pro actionibus quandoque sumuntur, quæ affectus illos solent consequi, sive vere, sive ex hominum opinione, & consuetudine.

Diligere, 1°. pro expetere, desiderare, solere.

Luc. 11. v. 43. *Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis*, &c. i. expetitis, desideratis. Vide etiam Joan. 3. v. 19. c. 12. v. 43. 2. Tim. 4. v. 8.

Matth. 6. v. 5. *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare*, &c. hoc est, solent stantes orare. Sic Horat. l. 3. Carm. Od. 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

2°. Pro sectari, omni studio incumbere.

Prov. 21. v. 17. *Qui diligit epulas, in ægestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur*, i. qui sectatur epulas... qui sectatur vinum & pinguia, &c. Vide etiam Psal. 10. Heb. 11. v. 5. al. 6.

2. Tim. 4. v. 9. al. 10.... *Demas me reliquit, diligens præsens sæculum*, h. e. amplexus præsens sæculum, ut vertit Erasmus.

3°. Pro præferre, præponere, magis curare; cui *odisse* opponitur, quod usurpatur pro postponere, minus curare, &c. Exempla vide in tom. I. pag. 528. can. XIX.

4°. Pro ruere seu ferri in aliquid, quanvis non ex dilectione aut destinato consilio id fiat, ut:

Psal. 108. Heb. 109. v. 17. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*, h. e. impietate & contumacia in maledictionem proruit. Vel in causa fuit, malis suis operibus, cur maledicatur, & non benedicatur ei.

Prov. 8. v. 36. *Omnes qui me oderunt, diligunt mortem*, h. e. ad æternam mortem proruunt. Vide etiam c. 17. v. 19.

Sic *odisse* quandoque accipitur. Prov. 13. v. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium*, h. e. ejus perniciem promovet, quasi eum vero odio prosequeretur.

FACERE, pro acquirere, lucrari, &c. quod actionis est effectus.

Gen. 12. v. 5. *Tulit itaque animas, quas fecerant in Haran*, hoc est, quas acquisierant, compararant, &c.

Ibid. c. 30. v. 30. *Et nunc quando faciam etiam ego domui meæ?* vel *pro domo mea?* Lxx. νῦν ὖν πότε ποιήσω κἀγὼ ἐμαυτῷ οἶκον; *nunc igitur quando & ego faciam mihi domum?* id est, prospiciam domui meæ; unde optime Vulg. *Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ.*

Matth. 25. v. 16. *Abiit ergo, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis*, ϗ ἐποίησε, *& fecit alia quinque*, i. ἐκέρδησε, *lucratus est*, ut recte Vulg. & ut explicatur vv. 17. 20. 22.

INJURIA afficere, pro nocere, quod ejus effectum est.

Luc. 10. v. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes* .... ϗ ὐδὲν ὑμᾶς ὐ μὴ ἀδικήσει, *& nihil vos injuria afficiet*, hoc est, *nihil vobis nocebit*, ut optime Vulg. Lat.

Huc pertinet Rom. 8. v. 30. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* id est, quis nobis nocebit?

JUDICARE, 1°. pro punire, castigare.

Gen. 15. v. 14. & Act. 7. v. 7. *Veruntamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo*, &c. h. e. puniam.

2°. Pro condemnare. Vide supra in voce *Judicium*, pag. 36. col. 2. & Rom. 14. v. 3.

3°. Pro liberare, absolvere. Psal. 34. Heb. 35. v. 24. *Judica me secundum justitiam tuam, Deus meus*, &c. h. e. libera me. Vide etiam Rom. 6. v. 7. &c.

RECORDARI, seu REMINISCI, quandoque usurpatur,

1°. Pro velle, desiderare, convertere se, &c.

Jonæ 2. v. 8. *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum*, &c. h. e. Dominum toto corde expetii, ad Dominum toto animo conversus sum.

Cant. 1. v. 4. *Exsultabimus & lætabimur in te, memores uberum*, vel *amorum tuorum super vinum*, h. e. vera cordis dilectione complectimur te ob summum amorem, quo nos dignaris, & quem rebus omnibus etiam pretiosissimis, quæ Synecdochice per *vinum* notantur, anteponimus. Unde sequitur: *Recti diligunt te.* Vide etiam Isai. 44. v. 21. Heb. 11. v. 25. &c.

E contrario *oblivisci Domini*, infidelitatem ac impietatem importat.

Ose. 4. v. 6. *Oblitus es legis Dei tui*, i. prævaricatus es, impie egisti contra legẽ Dei tui.

2. Pet. 1. v. 9. *Cui enim præsto non sunt hæc, cæcus est & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*, i. peccat in purgationem veterum suorum delictorum.

2°. *Reminisci*, consequentem vel sermonem, vel realem effectum externum quandoque denotat.

Esth. 2. v. 1. *Recordatus est* (Rex) *Vasthi, & quæ fecisset*, &c. Non solum tunc temporis Vasthi recordatus est Assuerus, verum etiam de illius facinore, nempe de eo, quod noluerit venire arcessita, sermonem habuit, ut patet ex consilio, quod v. 2. & seqq. datur Regi, quod & probavit.

Ezech. 23. v. 19. *Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti*, hoc est, recordando, & actu revocando exercendoque priorem suam scortationem.

SCIRE, vel COGNOSCERE, 1°. Pro approbare. Psal. 100. Heb. 101. v. 4. *Declinantem à me malignum non cognoscebam*, h. e. non approbabam, & per alium idiotismum, condemnabam, oderam, &c. Aug. in h. l. tom. IV. nov. edit. col. 1086. *Quid est non cognoscebam? non approbabam, non laudabam, non mihi placebat.* Vide etiam Psal. 1. v. 6. &c.

Joan. 8. v. 43. *Quare loquelam meam non agnoscitis?* h. e. non approbatis. Vide quoque Rom. 7. v. 15. Apoc. 2. v. 24. &c.

2°. Pro conscium esse. Psal. 34. Heb. 35. v. 11... *quæ ignorabam, interrogabant me*, h. e. quorum conscius non eram. Vide insuper Psal. 50. Heb. 51. v. 5.

2. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, h. e. eum, qui nullius peccati sibi conscius erat, utpote sanctissimus ac ἀναμάρτητος, Deus Pater fecit peccatum, h. e. hostiam pro peccato. Vel *posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm*, Isai. 53. v. 6.

3°. Pro æstimare, censere, judicium ferre de aliquo. 2. Cor. 5. v. 16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem*, hoc est, neminem æstimamus ex rebus externis, puta, opibus, paupertate, honore, ignominia, &c.

Huc pertinet loquutio *faciem cognoscere*, id est, discretionem facere, quod alias προσωποληψία, *personarum acceptio* dicitur.

Prov. 24. v. 23. *Cognoscere faciem*, Vulg. *personam in judicio, non est bonum*, hoc est, personarum acceptionem habere. Quod prohibetur Deut. 1. v. 17. c. 16. v. 19. conf. etiam Act. 10. v. 34.

4°. Pro amare, fovere, curare. Exod. 1. v. 8. *Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui non cognoscebat Joseph*, i. qui non amabat, non curabat Josephum. Sic Gen. 39. v. 6. Deut. 33. v. 9. Jud. 2. v. 10. Prov. 12. v. 10. c. 29. v. 7. 1. Thess. 5. v. 12. &c.

In specie autem verba *scire* & *cognoscere* de Deo & piis hominibus dicuntur.

De Deo usurpata, singularem ejus providentiam, curam, & amorem denotant.

Psal. 36. Heb. 37. v. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum*, &c. id est, curat, &c. Vide etiam Exod. 2. v. 25. 1. Paral. 17. v. 18. Psal. 1. v. 6. Jerem. 1. v. 5. c. 24. v. 5. Amos. 3. v. 2. Conf. Deut. 4. v. 20.

Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas*, &c. hoc est, amo, curo eas. Vide 1. Cor. 8. v. 3. 2. Tim. 2. v. 19. &c.

De hominibus piis dicta, *fiduciam* indicant. Job. 19. v. 25. *Scio enim, quod redemtor meus vivit*, &c. h. e. certissima fide credo, & firmissima fiducia in eum recumbo. *Sic scire nomen Domini*, est vera fide ipsi adhærere, in eo confidere, Psal. 9. v. 11. *Cognoscere Dominum*, in ipsum credere & sperare est, Jerem. 9. v. 24. cap. 31. v. 34. Ose. 2. v. 20. Joan. 17. v. 3. &c.

Tit. 1. v. 1.... *secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est*, id est, fiduciam in veritate, &c.

5°. Pro posse. Isai. 56. v. 10. *Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores non noverunt intelligentiam*, h. e. nequeunt præ avaritia expleri, & res divinas præ imperitia & cœcitate sua intelligere.

Matth. 7. v. 11. *Si vos igitur, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*, &c. id est, potestis.

6°. Pro experiri, sentire. Marc. 5. v. 29. *Et confestim siccatus est fons sanguinis*, καὶ ἔγνω *& cognovit corpore, quia sanata esset à plaga*, id est, *sensit*; ut optime Lat. interp. experta est, &c. v. 30. *Et statim Jesus cognoscens in semetipso virtutem, quæ exierat de illo*, &c. h. e. expertus. Vide etiam 1. Cor. 4. v. 19. & conf. 2. Cor. 1. v. 9.

7°. Denique pro tori consuetudinem habere; idque tam de viro, quam de femina usurpatur. De viro, Gen. 4. v. 1. *Adam vero cognovit uxorem suam Hevam*, &c. Vide etiam Matth. 1. v. 25. &c. De femina, Gen. 19. v. 8. *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum*, &c. Vide etiam Luc. 1. v. 34.

§. IV.

Causa materialis pro materiato, sive materia pro re, quæ ex ea conficitur.

ABIETES, 1°. pro armis, seu lanceis ex abiete factis. Nahum. 2. v. 3. al. 4. *Clypeus fortium ejus ignitus*... וְהַבְּרֹשִׁים הָרְעָלוּ *& abietes concutiuntur*, i. lanceæ. Vocem הַבְּרֹשִׁים, LXX. interpretantur ἱππεῖς, *equites*, Vulg. *agitatores*, supple equorum; quia pro בְּרֹשִׁים, cum hholem deficiente, *abietes*, legebant פָּרָשִׁים *equites*, cum פ loco ב.

2°. Pro instrumentis musicis ex abiete elaboratis. 2. Reg. 6. v. 5. *David autem & omnis Israël, ludebant coram Domino in omnibus lignis* בְּרוֹשִׁים *abietum*, &c. i. cum omnibus

instrumentis abiegnis; sequitur enim: *& citharis, & lyris, & tympanis*, &c. Lxx. ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, *in*, vel *cum instrumentis apte compactis*, sensum non verba reddiderunt. Vulg. *in lignis fabrefactis*.

Æs, 1°. pro compedibus æneis. Thren. 3. v. 7. *Aggravavit* נְחָשְׁתִּי Lxx. χαλκόν μου, *æs meum*, hoc est, *compedem meum*, ut optime Vulg. unde dual. num. נְחֻשְׁתַּיִם usurpatur pro *compedibus*, seu catenis æreis, quæ binis pedibus applicantur, Jud. 16. v. 21. & 2. Reg. 3. v. 34.

2°. Pro ærugine ex ære madefacto profluente. Ezech. 24. v. 11. *Pone quoque eam* (ollam) *super prunas vacuam, ut incalescat & liquefiat æs ejus*, &c. i. ærugo ejus.

3°. Metaphorice virus, sive sordes virulentas ex assidua scortatione manantes, significat. Ezech. 16. v. 36. *Hæc dicit Dominus: quia effusum est æs tuum, & revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos*, &c. h. e. quia effusæ sunt scortationum tuarum spiritualium sordes.

ARUNDO, pro sagitta. Psal. 67. Heb. 68. v. 31. *Increpa* חַיַּת קָנֶה *catervam arundinis*, hoc est, catervam sagittis ex arundine factis armatam. Vulg. *Increpa feras arundinis*, vox חַיָּה & catervam & feram significat. Vide tom. I. p. 462. col. 2. initio. Virgilio, Æneid. l. 7. v. 499. arundo etiam est sagitta.

Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo.

AULÆUM, CORTINA, PELLIS, pro tentorio, tabernaculo ex aulæis seu cortinis facto. 2. Reg. 7. v. 2. *Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* i. tabernaculi, seu tentorii ex pellibus facti. Vide Jerem. 4. v. 20. Habac. 3. v. 7.

AURUM, ARGENTUM, &c. 1°. pro rebus ex auro, argento, &c. confectis. 1. Paral. 29. v. 2. *Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei; aurum ad aurum, & argentum ad argentum, & æs ad æs, ferrum ad ferrum, & ligna ad ligna*, &c. h. e. ut optime interpretatur Vulg. *Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea*, &c. conficienda. Lxx. Ed. Rom. semel tantum hæc metalla repetunt: χρυσίον, ἀργύρεον, χαλκὸν, σίδηρον, ξύλα, &c. At Biblia Complutensia Hebræum sequuntur: χρύσιον εἰς χρύσιον, καὶ τὸ ἀργύρεον εἰς ἀργύρεον, καὶ τὸν χαλκὸν εἰς χαλκὸν, καὶ τὸν σίδηρον εἰς σίδηρον, καὶ ξύλα εἰς ξύλα, &c.

Psal. 114. Heb. 115. v. 4. *Simulachra eorum argentum & aurum*, &c. i. ex auro & argento facta, seu aurea & argentea sunt.

2°. Pro pecunia, quæ ex auro vel argento fit. Gen. 23. v. 16. *Quod cum audisset Abraham, appendit* הַכֶּסֶף *argentum*, h. e. *pecuniam* (ut recte Vulg.)... *quadringentos siclos argenti*, &c. Sic cap. 24. v. 22. 4. Reg. 5. v. 5. &c. *Plenum argentum*, 1. Paral. 21. vv. 22. 24. est argentum seu moneta probata, & valori sufficiens. Vide etiam 4. Reg. 12. v. 5. Matth. 10. v. 9. Act. 3. v. 6. &c. Vox prædicta כֶּסֶף cum nominibus numeralibus juncta, semper intelligitur de siclo argenteo, Gen. 20. v. 16. Deut. 22. vv. 19. 29. Ose. 3. v. 2. Quandoque etiam exprimitur dictio *sicli*, Gen. 23. v. 16.

CEDRUS, pro tabulatis cedrinis. Soph. 2. v. 14. *Et accubabunt in medio ejus greges....* כִּי אַרְזָה עֵרָה *quia cedrum ejus nudavit*, id est, tabulatum ejus cedrinum nudatum est, seu nudabitur. Lxx. Vatic. διότι κέδρος τὸ ἀνάστημα αὐτῆς, *quia cedrus elevatio ejus*, supple destruetur; quod idem est ac tabulatum ejus cedrinum nudabitur. Editio Complutensis pro ἀνάστημα habet ἀνάστεμμα, *coronatio*, eodem sensu. Vulg. *Quoniam attenuabo robur ejus*, legisse videtur אֲרַזֶּה *emaciabo*, à rad. רָזָה *emaciavit*, & עֻזָּהּ *robur ejus*, pro עֵרָה.

FERRUM, 1°. pro securi ex ferro facta. 4. Reg. 6. v. 5. *Accidit autem ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum in aquam*, hoc est, securis ferrea. Vel, ut optime Vulg. *ferrum securis*.

2°. Pro catena ferrea. Psal. 104. Heb. 105. v. 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus* (Josephi), *ferrum pertransiit animam ejus*, i. catena ferrea, ut reddit Paraph. Chald. vinxit corpus ejus; anima enim non raro pro corpore usurpatur, ut videbimus infra.

FRUMENTUM, sive TRITICUM, pro pane. Thren. 2. v. 12. *Matribus suis dixerunt: ubi est triticum & vinum?* i. ubi est panis & vinum?

rum ? ut liquet ex cap. 4. v. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

LAPIS, 1°. pro vase lapideo. Exod. 7. v. 19. *Et sit cruor in omni terra Ægypti, cum in lignis, tum in lapidibus.* Sic LXX. ἐν τε τοῖς ξύλοις, καὶ ἐν τοῖς λίθοις i. ut optime reddit Vulg. *tam in ligneis vasis, quam in saxeis.*

2°. Pro idolo ex lapide sculpto. Jerem. 2. v. 27. *Dicentes ligno: pater meus es tu; & lapidi: tu me genuisti*, i. idolo ligneo, idolo lapideo. Vide c. 3. v. 9.

3°. Pro pondere libræ, quod ex lapidibus fiebat. Deut. 25. v. 13. *Non habebis in sacculo tuo lapidem & lapidem*, i. pondus & pondus, sive ut recte Vulg. *diversa pondera.* Vide 2. Reg. c. 14. v. 26. Prov. 11. v. 1.

4°. Pro perpendiculo lapideo, aut plumbeo. Isai. 34. v. 11.... *& extendetur super eam* (Idumæam) *mensura, ut redigatur ad nihilum; & lapides vacuitatis*, i. ut interpretatur Vulg. *perpendiculum in desolationem.* Vide etiam Zach. 4. v. 10. c. 5. v. 8.

5°. Pro lapidum strue. Gen. 28. v. 18. *Surgens ergo Jacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum*, &c. h. e. tulit acervum lapidum; versu enim 11. legitur.... *tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.* Præterea lapis, qui ab uno homine moveri potuisset, non fuisset satis ad monumentum erigendum.

LATER, pro opere lateritio, seu pavimento, quod ex lateribus fieri solet. Exod. 24. v. 10. *Et viderunt Deum Israël, & sub pedibus ejus quasi opus lateris sapphirini*, i. quasi pavimentum sapphirinum. Chald. *quasi opus lapidis pretiosi.* Vulg. pro *latere* interpretatur etiam *lapidem.*

LIGNUM, 1°. pro vase ligneo. Vide vocem LAPIS, num. 1.

2°. Pro tabula lignea. Ezech. 37. v. 16. *Et tu fili hominis sume tibi lignum unum, & scribe super illud*, &c. hoc est, tabulam, ut reddidit Paraph. Chald.

3°. Pro idolo ligneo, vide vocem LAPIS, num. 2. & Jerem. 10. v. 8. Ose. 4. v. 12.

4°. Pro cruce lignea, seu patibulo. Gen. 40. v. 19.... *auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in ligno*, hoc est, *in cruce*, ut Vulg. Vide Deut. 21. vv. 22. 23. Jos. 8. v. 19. Gal. 3. v. 13. 1. Pet. 2. v. 24.

5°. Pro hastili, sive scapo hastæ. 2. Reg. 21. v. 19.... *cujus* (Goliath) *lignum hastæ erat quasi liciatorium texentium*, h. e. *hastile*, ut Vulg. Liciatorium autem jugum est circa quod textores telam circumvolvunt.

6°. Pro numella, seu machina lignea, qua reorum pedes vel collum constringebantur. Act. 16. v. 24. *Qui* (carceris custos) *cum tale præceptum accepisset, misit eos* (Paulum & Silam) *in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno*, h. e. numella.

7°. Denique pro instrumentis musicis ex ligno factis. Vide supra pag. 39. col. 2. in fine, & pag. 40. col. 1. initio.

LINUM, pro ellychnio ex lino facto. Isai. 42. v. 2. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet*, h. e. ellychnium. Vide etiam cap. 43. v. 17.

PULVIS & CINIS, pro homine ex pulvere terræ primitus facto. Gen. 3. v. 19. *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, h. e. quia ex pulvere formatus es. Vide cap. 18. v. 27. Psal. 102. Heb. 103. v. 14. Eccle. 12. v. 7.

RAMUS, pro idolo ex ramo arboris facto. Isai. 44. v. 19. *Coram* לְבוּל עֵץ *proventu arboris procidam*, h. e. coram ramo, qui ex arbore provenit, & metonymice coram idolo ex ramo facto.

SEMEN, pro filio. Gen. 4. v. 25. *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, hoc est, alium filium dedit mihi Dominus, &c. Et generatim loquendo ac per synecdochen nomen istud pro posteritate ponitur. Gen. 12. v. 7. *Semini tuo dabo terram hanc*, &c. i. posteritati tuæ. Et sic sæpe alibi.

SYLVA, SALTUS, pro domibus ex arboribus sylvæ exstructis; ubi etiam metonymia est continentis pro contento. Jerem. 21. v. 14. *Succendam ignem in saltu ejus*, &c. i. in domibus Dei, regis, & magnatum, quæ ex pretiosa materia è sylva Libani adportata, exstructæ erant. Conf. cap. 22. v. 7. & vide complementum prophetiæ hujus 4. Reg. 25. v. 9. 2. Paral. 36. v. 19. Jerem. 52. v. 13. &c.

ARTICULUS II.

De Metonymia effectus.

HÆc Metonymiæ species eodem modo dividitur ac præcedens, modo fiat terminorum inversio. Vel enim actio, sive effectus, pro persona efficiente, sive pro auctore ponitur; vel res per instrumentum effecta, pro ipso instrumento, seu causa organica, usurpatur; vel effectus pro re, vel actione efficiente, adhibetur; vel denique materiatum, ut loquuntur, pro materia, seu res pro materia, ex qua fit, sumitur.

§. I.

Actio, vel effectus, pro persona efficiente, seu pro auctore ponitur.

GEN. 15. v. 1. *Ego sum protector tuus, & merces tua magna nimis*, h. e. auctor & collator mercedis tuæ munificentissimus. Quæ explicatio sequentibus confirmatur; nam v. 2. legitur: *Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi?*

Ibid. cap. 25. v. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur*, i. duarum gentium auctores & parentes sunt in utero tuo. Sic cap. 26. v. 33. &c.

Luc. 11. v. 14. *Et erat* (Jesus) *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*, &c. i. hominem, quem obsidebat, efficiebat mutum. Conf. Matth. 9. vv. 32. 33. Sic Marc. 9. vv. 17. 25. Luc. 13. & 11.

Huc pertinent nomina *abstracta*, ut vocant, pro *concretis* posita.

Gen. 49. v. 18. *Salutem tuam exspectabo Domine*, &c. hoc est, auctorem salutis tuæ, promissum à te salvatorem, seu Messiam.

Psal. 3. v. 4. *Tu autem Domine.... gloria mea, & exaltans caput meum*, h. e. causa & auctor gloriæ meæ.

Psal. 26. Heb. 27. v. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, &c. hoc est, causa lucis & salutis meæ. Sic Psal. 17. Heb. 18. v. 2. Psal. 21. Heb. 22. v. 20. Psal. 32. Heb. 33. v. 20. Psal. 45. Heb. 46. v. 2. Jerem. 16. v. 19. c. 23. v. 6.

Luc. 2. v. 3. *Viderunt oculi mei salutare tuum*, i. salvatorem tuum. Sic Joan. 11. v. 25. cap. 14. v. 6. 1. Cor. 1. v. 30. Ephes. 2. v. 14. 1. Joan. 5. v. 20. &c.

1. Thess. 2. v. 19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ?* &c. i. quæ est causa nostræ spei, gaudii, aut coronæ gloriæ, nisi vos, ô Thessalonicenses? Vers. 20. *vos enim estis gloria nostra & gaudium.*

§. II.

Res per instrumentum effecta, pro instrumento, seu causa organica usurpatur.

GLORIA, pro lingua, qua, ut organo, glorificatur Deus. Psal. 15. Heb. 16. v. 9. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exsultavit gloria mea*, &c. id est, *lingua mea*, ut interpretatur Vulg. & S. Petrus Act. 2. v. 26.

Psal. 29. Heb. 30. v. 13. *Ut cantet tibi gloria mea*, &c. i. lingua mea.

Psal. 56. Heb. 57. v. 9. *Exsurge gloria mea*, &c. i. lingua mea.

POTENTIA, VIRTUS, pro organo exserendæ potentiæ. Rom. 1. v. 16. *Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti*, hoc est, per Evangelium, tanquam per organum, exserit Deus vim

suam salutem omni credenti operandam.

VICTORIA, pro organo, quo vincitur. 1. Joan. 5. v. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, i. fides nostra instrumentum est, quo vincitur mundus. Unde Ephes. 6. v. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere.*

VITA, pro vitæ conservandæ mediis & organis. Deut. 24. v. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam; quia animam suam opposuit tibi*, hoc est, vitæ conservandæ necessaria instrumenta.

Prov. 27. v. 27. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos .... & ad vitam ancillis tuis*, id est, *ad victum*, ut optime reddit Vulg.

Luc. 15. v. 12. *Et divisit illis* τ̃ βίον, *vitam*, id est, facultates ad vitam sustendandam necessarias. Vel, ut Vulg. *substantiam*. Sic cap. 9. v. 43.

Apud Profanos. Hesiod. Ἐργ. v. 684.

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι,

Pecunia enim est vita miserorum mortalium.

§. III.

Effectus pro re, vel actione efficiente adhibetur.

HÆc Metonymiæ species & in nominibus, & in verbis locum habet.

In nominibus.

CONFUSIO, pro Baal, seu idolo confusionis causa. Jerem. 3. v. 24. *Confusio comedit laborem patrum nostrorum*, &c. i. Baal pudore afficiens cultores suos. Vide etiam Ose. 9. v. 10. Appellationis hujus rationem vide Jerem. 48. v. 13. &c.

DOLOR, pro causa doloris. Prov. 19. v. 13. *Dolor patris filius stultus*, &c. i. doloris causa.

EXSILIA, pro causa exsiliorum. Thren. 2. v. 14. *Prophetæ tui... viderunt tibi assumtiones* (id est, prophetias) *falsas, & ejectiones*, h. e. hujusmodi doctrinas proposuerunt tibi, ob quas expulsio & exsilium venit tibi.

JUDICIUM, pro causa Judicii. Joan. 3. v. 19. *Hoc est judicium*, i. causa judicii, sive condemnationis, *quia lux venit in mundum*, &c.

MORS, 1°. pro causa mortis. 4. Reg. 4. v. 40. *Mors in olla, vir Dei!* i. venenum lethiferum est in olla.

2°. Pro summis periculis, plagis, & calamitatibus, quæ mortem inferre possunt. Exod. 10. vers. 17. *Rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat à me, mortem hanc*, i. locustas, quæ fructus terræ comedunt, qua ex calamitate mors sequetur. Vide etiam Rom. 7. v. 24. 2. Cor. 1. v. 10. (ubi Vulg. *pericula* interpretatur, nisi legerit κινδύνου vel κινδύνων, pro θανάτου aut θανάτων, ut habet mss. quidam codd.) c. 11. v. 23. Apoc. 6. v. 8.

VASTITAS, pro causa vastitatis. Ose. 12. v. 1. *Ephraim vastitatem multiplicat*, h. e. mala perpetrat innumera, ex quibus orietur vastitas.

VINCULA, pro causa vinculorum. Philipp. 1. v. 13. *Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio*, &c. i. causa vinculorum meorum, nempe doctrina Christi, quem annuntio.

Ex his exemplis cuivis facile erit similes metonymias, quæ in Novo Testamento frequentes sunt, explicare. Sic Rom. 7. v. 7. *Nunquid lex peccatum est?* i. causa peccati. Ibid. c. 8. v. 6. *Prudentia carnis, mors est*, h. e. causa mortis. Atque ita cum concupiscentia in renatis reliqua dicitur *peccatum*, i. causa peccati, si ei obediatur. Vide Rom. 6. vv. 6. 12. 13. 14. c. 7. v. 7. c. 8. vv. 14. 17. 20. &c.

VITA, BONUM, MORS, MALUM, pro eorum causis. Deut. 30. v. 15. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, mortem & malum*, h. e. clare exposuerim, quæ utrorumque causa & origo sit. Conf. cap. 32. v. 47.

In Verbis.

ERUBESCERE & CONFUNDI, pro incidere in calamitates, & speciatim in manus hostium; quæ causa est confusionis. Psal. 24. Heb. 25. v. 2. *Deus meus, in te confido*,

non erubescam. Verſ. 3. *Etenim univerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur.* Verſ. 20. *Non erubeſcam, quoniam ſperavi in te*, h. e. ne incidam in manus inimicorum meorum, &c. Vide Pſal. 118. Heb. 119. v. 116. &c.

EXPIARE, 1°. pro expiationis ſacrificium offerre. Lev. 6. v. 19. al. 26. *Sacerdos* הַמְחַטֵּא, *qui expiat illud* (ſacrificium) *comedet illud in loco ſancto*, &c. Lxx. ἀναφέρων, Vulg. *qui offeret.* Et c. 9. v. 15. *Et accepit hircum peccati, qui erat pro populo, & mactavit eum*, וַיְחַטְּאֵהוּ *& expiavit eum*, &c. hoc eſt, obtulit eum in expiationis ſacrificium.

2°. Pro ſpargere ſanguinem, quæ actio expiationis cauſa erat. 2. Paral. 29. v. 24. *Et immolaverunt illos* (hircos) *Sacerdotes*, וַיְחַטְּאוּ, Lxx. καὶ ἐξιλάσαντο, *& expiarunt ſanguinem eorum*, &c. h. e. *aſperſerunt ſanguinem eorum*, ut optime interpretatur Vulg.

EXSULTARE & LÆTARI, pro liberari, ſeu ex malis eripi. Pſal. 69. Heb. 70. v. 5. *Exſultent & lætentur omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper: magnificetur Dominus; qui diligunt ſalutare tuum*, i. liberentur & eripiantur, ſicut & ego liberatus ſum, omnes qui quærunt te, & dicant ſemper, qui diligunt ſalutare tuum, id eſt, qui volunt & amant à te liberari: Magnificetur Dominus.

FESTINARE, vel FUGERE, pro confundi, cujus eſt effectus. Iſai. 28. v. 16. . . . *Qui crediderit non feſtinet*, ſeu *non feſtinabit*, h. e. οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *& non confundetur*, ut optime reddiderunt Lxx. quos Apoſtolus ſequutus eſt Rom. 9. v. 33. c. 10. v. 11. & S. Petrus 1. epiſt. cap. 2. v. 6. Lxx. itaque non legerunt יֵבוֹשׁ pro יָחִישׁ, ut vult Cappellus, ſed ſenſum, non verbum, expreſſere.

PLACERE, pro morem gerere. Rom. 15. v. 2. *Unuſquiſque veſtrum* (Græc. *noſtrum*) *proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem*, h. e. obſecundet, morem gerat; *neque enim Paulus placuit omnibus, & tamen dicit: ſicut ego per omnia omnibus placeo, ſed in omnibus ſe Paulus accommodabat omnibus, ut omnes lucrifaceret*, Eraſmus in h. l. Verſ. 3. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit*, h. e. non ſuo ſervivit commodo, *cum ſcriptum ſit: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.*

§. IV.

Materiatum pro cauſa materiali, ſive res pro materia ex qua fit, ſumitur.

CALX, pro lapide ex quo fit. Iſai. 33. v. 12. *Et erunt populi combuſtiones calcis*, &c. i. quaſi lapides cocti, ex quibus calx conficitur.

FARINA, pro frumento. Iſai. 47. v. 2. *Tolle molam, & mole farinam*, &c. hoc eſt, frumentum, ex quo commolito farina conficitur.

FONTES & TORRENTES, pro petra, ex qua exeunt. Pſal. 73. Heb. 74. v. 15. *Tu dirupiſti fontes & torrentes*, &c. hoc eſt, petram, ex qua eruperunt fontes & torrentes.

PANIS, pro frumento. Iſai. 28. v. 28. *Panis autem comminuetur; verum non in perpetuum triturans triturabit illum*, &c. h. e. frumentum comminuetur. Chald. Paraph. pro pane habet עבורא *annona, frumentum.*

Eccle. 11. v. 1. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas*, &c. i. frumentum tuum ſemina in locis irriguis & feracibus. Vide etiam Job. 28. v. 5. Pſal. 103. Heb. 104. v. 14.

ARTICULUS III.

De Metonymia ſubjecti.

SUBJECTUM diſtingui ſolet in *recipiens* & *occupans*.

Recipiens illud eſt, quod in ſe, vel circa ſe adjuncta recipit.

Occupans vero dicitur id circa quod verſatur & occupatur aliquid

vel in *genere* & quovis modo; vel in *ſpecie*, qua ſignatur ab eo.

Secundum hanc diſtinctionem, metonymia ſubjecti quintuplex ſtatuitur. I. Cum in *genere* ſubjectum recipiens pro adjuncto ponitur. II. Cum in *ſpecie* continens pro contento, & locus pro locato, ſeu pro eo quod in loco eſt, uſurpatur. III. Cum poſſeſſor pro re poſſeſſa adhibetur. IV. Cum objectum ſeu ſubjectum occupans, in genere pro adjuncto occupato, ſeu pro eo, quod verſatur circa objectum illud, exprimitur. V. Denique cum ſignatum pro ſigno ſumitur.

§. I.

Subjectum recipiens in genere pro adjuncto ponitur.

GEN. 3. v. 7. *Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus*, &c. h. e. cum cognoviſſent primi parentes ſe eſſe nudos cum probro ac ignominia, &c. Prius quidem nuditatem ſuam noverant, verum propter eam non erubeſcebant. At poſt lapſum, naturam ſuam peccato depravatam eſſe, carnemque libidinum ſtimulis concitari, ac legi mentis repugnare animadverterunt; hinc pudor & erubeſcentia, quæ perizomata ſibi conficere eos coegit.

Prov. 11. v. 22. *Circulus aureus in naribus ſuis* (porci), *mulier pulchra & fatua*, hoc eſt, pulchritudo in muliere ſtulta, ſimilis eſt circulo aureo in naribus porci. Tam decet inſanam pulchritudo, quam monile ſuem.

Galat. 3. v. 28. *Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque femina*, &c. h. e. in Eccleſia non eſt diſtinctio, nationum, ſtatuum, ſexuum, &c. omnes enim in Chriſto unum ſunt. Vide etiam Col. 3. v. 11.

Apoc. 6. v. 11. *Donec compleantur conſervi eorum*, h. e. donec compleatur numerus conſervorum eorum.

CAPUT, pro mitra capitis ejuſque redimiculo. Cant. 7. v. 5. *Caput tuum ut Carmelus*, &c. i. ornamentum capitis tui veluti ſertum eſt ex variis Carmeli floribus contextum. Alii purpurarum piſcationem ad montis Carmeli radices uberrimam attendentes, interpretantur: *caput tuum coccineum*, h. e. cæſaries capitis tui pulcherrima eſt quaſi purpura regis vel regia, quæ, ut colorem ſuum diutius retineat, firmiter alligata eſt in purpurariorum canalibus, ut iterum melius & penitius tingatur. Sic cap. 5. v. 11. *Caput ejus* (ſponſi) *aurum optimum*, &c. h. e. corona capitis ejus ex auro optimo confecta eſt.

Eodem modo intelligenda ſunt, ſecundum nonnullos, quæ de *femoribus, umbilico, & ventre ſponſæ* dicuntur c. 7. vv. 1. 2. quæque, ad earum corporis partium veſtes & ornamenta pertinent.

Huc etiam referunt illud Iſai. 49. v. 16. *Ecce in manibus meis deſcripſi te*, h. e. in annulo manus meæ ornamento, in quo inſculpi olim ſolebat imago ejus, quod præ aliis diligebatur.

COR, pro ſapientia, prudentia, &c. cujus ſedes in corde à Scriptura ſtatuitur, ut liquet Prov. 2. v. 10. *Si intraverit ſapientia cor tuum*, &c. Vide cap. 15. v. 14. cap. 16. v. 21. Cor itaque accipitur pro ſapientia.

Prov. 8. v. 5. *Intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes* הָבִינוּ לֵב *intelligite cor*, hoc eſt, ſapientiam. Vulg. *animadvertite*.

Ibid. c. 15. v. 32. *Qui acquieſcit increpationibus*, קוֹנֶה לֵּב *acquirit cor*, i. ſapientiam, ut Chald. interpretatur. Vide etiam cap. 6. v. 32. cap. 7. v. 7. c. 9. vv. 4. 16. c. 10. vv. 13. 21. c. 28. v. 26. &c.

Oſe. 7. v. 11. *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor*, h. e. ſapientiam, intelligentiam, &c.

COR & RENES, pro intimis cogitationibus, cupiditatibus, desideriis, affectibus, & delectationibus, quibus sedem in corde & renibus Scriptura assignat. Unde Psal. 7. v. 10. Psal. 25. Heb. 26. v. 2. Jerem. 11. v. 20. c. 17. v. 10. cap. 20. v. 12. Apoc. 2. v. 23. *probare, quærere, scrutari corda & renes* dicitur Deus. Ea de causa, ut quibusdam videtur, victimarum renes, Exod. 29. vv. 13. 22. &c. sibi offerri mandavit, ut videlicet interiorem animi affectum, non externum cerimoniarum σχῆμα à se requiri declararet. Unde etiam Jerem. 12. v. 2. dicitur: *Prope es tu* (Deus) *ori eorum, & longe à renibus eorum.*

Hinc etiam loquutiones in Scriptura usitatæ: *effundere cor suum coram Deo*, Psal. 62. Heb. 63. v. 9. Thren. 2. v. 19. & *animam effundere*, 1. Reg. 1. v. 15. h. e. vota, gemitus, & desideria sua intima Deo exponere. *Cor apponere alicui rei*, hoc est, omni desiderio & affectu ei vacare. Vide Psal. 61. Heb. 62. v. 11. Prov. 22. v. 17. &c. & confer Matth. 6. v. 21.

SINUS, pro veste pectori proxima & sinum tegente. Prov. 6. v. 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Vide etiam Exod. 4. v. 6. Prov. 16. v. 33. c. 21. v. 14.

Luc. 6. v. 38. *Mensuram bonam & confertam .... dabunt in sinum vestrum.* Orientales populi vestes laxas & sinuosas gerebant, ut commodum illis esset in sinu recipere, quæ eis dabantur. Conf. Psal. 77. Heb. 78. v. 12. &c.

TIBIÆ, pro tibiarum ornamentis seu cothurnis. Prov. 26. v. 7. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.* Sic vox Chaldaica סַרְבָּל & tibias, & braccas, quibus tibiæ teguntur, significat; unde Dan. 3. v. 21. *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis.... missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.*

VETUS HOMO, NOVUS HOMO, pro diversis hominis qualitatibus & conditionibus. Vetus quidem homo congenitum peccatum, & concupiscentiam notat. Rom. 6. v. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* Vide etiam Ephes. 4. v. 22. & conf. Rom. 6. v. 12. c. 7. vv. 5. 7. 8. 2. Cor. 7. v. 1. Heb. 12. v. 1. Novus autem homo indicat vel statum & conditionem novæ creaturæ, 2. Cor. 5. v. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt*, &c. vel renovationem à Spiritu sancto factam, Eph. 4. v. 23. *Renovamini autem Spiritu mentis vestræ*, v. 24. *& induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Conf. Rom. 12. v. 2. c. 8. vv. 2. 5. &c. Eodem sensu accipiendus est *occultus cordis homo*, 1. Pet. 3. v. 4. & *internus homo*, Rom. 7. v. 22. 2. Cor. 4. v. 16. & *qui foris est*, sive *externus homo*, qui ei opponitur ibidem.

§. II.

Continens pro contento, & locus pro locato usurpatur.

CIRCUITUS, pro rebus & personis, quæ sunt in circuitu. Num. 22. v. 4. *Nunc linget congregatio hæc omnes circuitus nostros, quomodo lingit bos herbam viridem*, hoc est, ut optime interpretatur Vulg. *Ita delebit hic populus omnes, qui in finibus nostris commorantur, quomodo*, &c. Vide etiam Esd. 1. v. 6.

CORBIS, pro pane, vel cibo in corbe servato, vel apportato. Deut. 28. v. 5. *Benedicta* טַנְאֲךָ *corbis tua*, &c. LXX. εὐλογημέναι αἱ ἀποθῆκαί σε, Vulg. *benedicta horrea tua*, hoc est, frumentum, quod in horreis tuis reconditur. Sic v. 17. *Maledicta corbis tua*, vel ut Vulg. *maledicta horrea tua*, &c.

DESERTUM, pro feris deserti. Psal. 28. Heb. 29. v. 8. *Vox Domini* יָחִיל *dolore afficit*, vel *parturire facit desertum*, Vulg. *concutientis desertum*, i. feras deserti. Hîc autem voce Domini intelligendum est tonitru.

DOMUS, pro familia, liberis, & domesticis. Gen. 7. v. 1. *Ingredere tu, & omnis domus tua, in arcam*, h. e. tota familia tua. Optime Chald. *omnis homo domus tuæ.*

Exod. 1. v. 21. *Et quia timuerunt obstetrices*

Deum, ædificavit eis domos, h. e. numerosam prolem eis concessit. Nec obstat pronomen לָהֶם *eis*, masc. pro לָהֶן *eis*, fem. vel enim error est amanuensium, vel enallage generis, qua earum generosus & virilis animus indicatur. Vide etiam 2. Reg. 7. v. 11. 1. Paral. 10. v. 6. (conf. 1. Reg. 31. v. 6.) Psal. 48. Heb. 49. v. 12. Luc. 19. v. 9. Act. 10. v. 2. 1. Cor. 1. v. 16. 1. Tim. 3. v. 4. c. 5. v. 4. 2. Tim. 3. v. 6. c. 4. v. 19. Tit. 1. v. 11. Heb. 11. v. 7. &c. *Domus* sumitur etiam pro bonis, facultatibus, &c. Gen. 43. v. 15. Isai. 36. v. 3. &c.

INSULÆ, pro incolis insularum. Isai. 41. v. 5. *Viderunt insulæ, & timuerunt*, &c. i. insularum incolæ. Vide cap. 42. v. 4. cap. 51. v. 5. &c.

MARE, pro marinis, seu mari finitimis. Ezech. 26. v. 17. *Quomodo periisti* נוֹשֶׁבֶת מִיַּמִּים *habitata à maribus*, h. e. à maritimis accolis.

Isai. 60. v. 5. *Quando conversa fuerit ad te multitudo maris*, hoc est, multitudo gentium maris accolarum. Vide etiam Agg. 2. v. 7. & conf. v. 8.

MENSA, pro convivio & epulis, quæ in ea solent apponi. Psal. 22. Heb. 23. v. 5. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me*, h. e. convivium. Vide quoque Psal. 77. Heb. 78. v. 19.

MONTES & COLLES, pro idolis, quæ in iis colebantur. Jerem. 3. v. 23. *Vere mendaces erant colles, & multitudo montium*, hoc est, idola, quæ in collibus & in multitudine montium colebantur. Sic *montes & valles*, Mich. 1. v. 4. Conf. Psal. 67. Heb. 68. v. 3. Psal. 96. Heb. 97. v. 5. &c.

MUNDUS, 1°. pro mundi incolis, sive humano genere. Joan. 3. v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, &c. Vide etiam c. 12. v. 19. 2. Cor. 5. v. 19. 1. Joan. 2. v. 2. c. 5. v. 19.

2°. Pro impiis, qui maximam partem hominum constituunt. Joan. 7. v. 7. *Non potest mundus odisse vos*, &c. Et sic frequenter apud sanctum illum Evangelistam. Vide c. 1. v. 10. c. 14. v. 17. c. 15. v. 19. c. 16. vv. 20. 33. c. 17. vv. 9. 14. 1. Cor. 11. v. 32. 1. Joan. 3. v. 1. c. 4. v. 5. c. 5. vv. 4. 5.

NAVIS, pro iis, qui ea vehuntur. Isai. 23. v. 1. *Ululate naves maris*, &c. i. mercatores, &c. Sic vv. 10. 14.

NIDUS, pro pullis in eo positis. Deut. 32. v. 11. *Sicut aquila* יָעִיר קִנּוֹ *excitat nidum suum*. Lxx. ὡς ἀετὸς σκεπάσαι νοσσίαν αὐτοῦ, *sicut aquila obtegit nidum suum*. Recte Vulg. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*, quorum mentio diserta subjungitur.

OPHIR regio Indiæ aurifera, pro auro. Job. 22. v. 24. וְשִׁית־עַל־עָפָר בָּצֶר וּבְצוּר נְחָלִים אוֹפִיר, *Et ponere* (i. ponet Deus) *pro pulvere aurum; & pro scilice fluviorum, ophir*, h. e. aurum ophirinum, sive ophirizum, pro quo corrupte dicitur obrizum. Lxx. Theod. θήσῃ ἐπὶ χώματι ἐν πέτρᾳ, καὶ ὡς πέτρα χειμάῤῥου Σωφίρ, *pones super aggerem in petra* (tabernaculum tuum) & (firmum erit) *tanquam petra torrentis Sophir*. Pro בָּצֶר, legebant בְּצֻר aut בְּצָר cum ב, & צָר aut צֻר, quod etiam *rupem, petram*, significat; & pro וּבְצוּר legebant וּכְצוּר, sicuti habent codices non pauci. Præterea librariorum error est in χειμάῤῥου Σωφίρ, juncto Σ cum ὠφίρ, quod Σ pertinet ad vocem præcedentem, sic: χειμάῤῥους Ὠφίρ, sive Ὠφείρ, ut habent msf. Alex. & Complut. Sym... καὶ ἐν τῷ ἀκροτόμῳ, ὡς ὀχετοὺς χρυσίου πρωτείου, *& in prærupto, quasi rivos auri primi*, supplevit particulam similitudinis ὡς *sicut*. Vulg. *Dabit* (Deus) *pro terra scilicem, & pro scilice torrentes aureos*. בֶּצֶר & *aurum* & *scilicem*, seu *munimentum* significare potest. Neque interpretationi illi adversatur vox נְחָלִים in plurali absoluto pro constructo נַחֲלֵי *torrentes ophir*, sive auri præstantissimi, vel *aureos*; nam status absolutus pro constructo nonnunquam usurpatur. Vide tom. I. pagg. 121. 122.

POCULUM, sive CALIX, pro eo quod in illo continetur. Jerem. 49. v. 12. *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent*, &c.

Ezech. 23. v. 31. *Dabo calicem ejus in manu tua*. v. 32. *Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum*, &c.

1. Cor. 10. v. 20. al. 21. *Non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum*, i. ut explicatur versu sequenti, *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*,

Luc. 22. v. 17. *Et accepto calice gratias egit & dixit: accipite & dividite inter vos*, i. dividite non calicem, sed potum in eo contentum.

REGIONES, pro earum incolis.

Ægyptus, pro Ægyptiis. Gen. 47. v. 15. *Venit cuncta Ægyptus ad Joseph.* Vide etiam Psal. 104. Heb. 105. v. 38.

Æthiopia, pro Æthiopibus. Psal. 67. Heb. 68. v. 32. *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.*

Judæa, pro Judæis. Matth. 3. v. 5. *Tunc exibat ad eum* (Jesum) *omnis Judæa*, &c.

Macedonia, & *Achaia*, pro christianis ibidem degentibus. Rom. 15. v. 26. *Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.*

Sabæa, pro Sabæis. Job. 1. v. 15. *Et irruit Sabæa*, &c. i. *Et irruerunt Sabæi*, Vulg.

SEPULCHRUM, sive INFERNUS, pro sepultis. Isai. 38. v. 18. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, &c. i. sepulti & mortui, ut explicant sequentia. Confer Psal. 6. v. 6. & Psal. 114. Heb. 115. v. 17. &c.

SYLVA, pro favo mellis, cujus magna erat copia in sylvis terræ Chanaan. 1. Reg. 14. v. 27. *Extenditque* (Jonathas) *summitatem virgæ .... & intinxit* בְּיַעְרַת הַדְּבָשׁ *in sylvam mellis*, &c. h. e. in favum sylvestrem. Vide etiam Cant. 5. v. 1.

TABERNACULA, pro hominibus, sive domesticis in tabernaculis degentibus. Gen. 13. v. 5. *Sed & Lot .... fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula*, h. e. domestici plurimi.

Psal. 77. Heb. 78. v. 67. *Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit:* prius explicatur per posterius. Sic Psal. 86. Heb. 87. v. 2. Psal. 90. Heb. 91. v. 10. Prov. 14. v. 11. &c.

TERRA, pro terræ incolis. Gen. 6. v. 11. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate*, h. e. homines corrupti sunt; nam versu seq. legitur: *omnis quippe caro corruperat viam suam*, &c. Hæc metonymiæ species in Script. frequentissima est. Vide c. 9. v. 1. cap. 11. v. 1. c. 18. v. 25. c. 19. v. 31. c. 41. vv. 30. 57. 1. Reg. 14. v. 29. 2. Reg. 15. v. 23. Prov. 28. v. 2. &c. Matth. 5. v. 13. &c.

Sic *fines terræ*, pro hominibus in extremis terræ oris degentibus. Psal. 21. Heb. 22. v. 28. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum omnes fines terræ.* Vide etiam Psal. 66. Heb. 67. v. 8. Sic quoque *orbis terræ* accipitur Psal. 9. v. 9. &c. *Ipse judicabit orbem terræ in æquitate*, i. incolas terræ.

THEATRUM, pro ipso spectaculo. 1. Cor. 4. v. 9. ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν, *quoniam theatrum*, Vulg. *spectaculum facti sumus mundo*, &c.

VALLES, pro earum incolis. 1. Paral. 12. v. 15. *Et fugaverunt* אֶת־כָּל־הָעֲמָקִים *omnes valles ad orientalem plagam, & occidentalem*, h. e. ut optime interpretatur Vulg. *& omnes fugaverunt, qui morabantur in convallibus*, &c.

URBS, sive CIVITAS, pro civibus. Jos. 8. v. 7. *Consurgetis de insidiis, & expelletis civitatem*, i. habitatores civitatis. Vulg. *& vastabitis civitatem.*

Jerem. 4. v. 29. *A voce equitis & mittentis sagittam, fugit omnis civitas.* Vide Isai. 14. v. 31. Jerem. 26. v. 2. c. 48. v. 8. Mich. 6. v. 9. Marc. 1. v. 33. *Et erat omnis civitas congregata ad januam.*

URBIUM nomina, pro earum incolis. *Nobe*, 1. Reg. 22. v. 19. *Damascus*, Jerem. 49. v. 24. *Hierosolyma*, Matth. 3. v. 5. (confer Marc. 1. v. 5.) *Corozain, Betsaida, Capharnaum*, Matth. 11. vv. 22. 23. &c.

Huc etiam pertinent *vici*, seu *opida Samaritanorum*, pro eorum incolis, Act. 18. v. 25. & *pagi*, pro hominibus eos incolentibus, Jud. 5. vv. 7. 11. &c.

Ad hanc Metonymiæ speciem per analogiam referri possunt:

COELUM, pro Deo, qui in eo habitat. Psal. 72. Heb. 73. v. 9. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra;* hoc est, impune in Deum blasphemias eructant, & in homines injurias.

Dan. 4. v. 23. *Postquam cognoveris* דִּי שַׁלִּטִן שְׁמַיָּא, *quod dominentur cœli*, Vulg. *potestatem esse cœlestem*, h. e. quod dominetur Deus, vel *Excelsus*, ut vv. 22. & 29.

1. Macch. 3. v. 18.... οὐκ ἔστι διάφορον ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ, *non est differentia in conspectu cœli*, &c.

&c. ita mſ. Alex. & Complut. At editio Vatic. habet Θεῦ τῦ ὀρανῦ, Vulg. *Dei cœli*.

Matth. 11. v. 11... *Qui autem minor eſt ἐν βασιλεία ὀρανῶν, in regno cœlorum*, &c. i. in regno Dei, ut videre eſt apud S. Lucam c. 7. v. 28. ubi legitur: *Qui autem minor eſt ἐν βασιλεία τῦ Θεῦ*, in regno Dei.

Ibid. 21. v. 25. *Baptiſmus Joannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus?* i. è Deo, &c.

Luc. 15. v. 18. *Pater, peccavi in cœlum*, &c. h. e. in Deum.

Apud profanos. Ariſtoph. νὴ τ̀ ὀρανὸν, *ita per cœlum*, i. per Deos. Virg. Æneid. l. 8. v. 64.

Cœruleus Tybris, cœlo gratiſſimus amnis, i. Deo.

COR, pro anima, cui ſedem in corde ſtatuunt Hebræi; cordi enim vim intelligendi, eligendi, volendi & agendi adſcribunt. Pſal. 83. Heb. 84. v. 3. *Cor meum & caro mea exſultaverunt in Deum vivum*, h. e. mens mea, anima mea, ſpiritus meus, & corpus meum exſultaverunt in Deum vivum. Vide etiam Pſal. 23. Heb. 24. v. 4.

1. Pet. 3. v. 4. *Sed qui abſconditus eſt cordis homo*, &c. h. e. animæ, ſeu ſpiritus homo; vel homo ſpiritualis, ſive interior.

VENTER, UTERUS, pro corde, quod & ipſum pro anima ejuſque actis & cogitatis ponitur. Job. 15. v. 35. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos*, h. e. cor ejus dolos meditatur.

Prov. 18. v. 8. *Verba bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris*, i. cordis. Vide c. 20. v. 27. c. 22. v. 18. c. 26. v. 22. Habac. 3. v. 16. Joan. 7. v. 38.

§. III.

Poſſeſſor pro re poſſeſſa adhibetur.

DEUT. 9. v. 1. *Ut poſſideas nationes maximas & fortiores te*, &c. h. e. earum regiones, nationes enim illæ ex mandato Divino poſſidendæ non erant, ſed delendæ. Conf. vv. 2. 3. &c.

Pſal. 78. Heb. 79. v. 7. *Quia comederunt Jacob*, hoc eſt, bona Jacobi, quod ſequenti hemiſtichio explicatur: *& locum ejus deſolaverunt*.

2. Cor. 11. v. 20. *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat*, i. facultates veſtras diripit. Huc etiam referunt

Matth. 2. v. 6. *Et tu, Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda*, &c. h. e. in præfecturis Juda, quæ diſtinctæ erant per Chiliadas, ut patet ex Jud. 6. v. 15. 1. Reg. 10. v. 19. atque ita facile cum Matthæo conciliatur Michæas c. 5. v. 1. ubi habetur *in millibus Juda*.

Huc quadam analogia pertinet

1°. Cum *Deus* accipitur pro hoſtiis ipſi oblatis. Joſ. 13. v. 33. *Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, quoniam Dominus Deus Iſraël, ipſe eſt poſſeſſio ejus*, h. e. ut explicatur v. 14. quia *ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſraël, ipſa eſt ejus hæreditas*. Vide etiam Deut. 10. v. 9. Ezech. 44. v. 28. &c.

2°. Cum *Chriſtus* pro diſcipulis ſuis, aut Eccleſia ſua uſurpatur. Matth. 25. verſ. 35. *Eſurivi & dediſtis mihi manducare*; mihi, id eſt, diſcipulis meis; unde v. 40. *Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*.

Act. 9. v. 4. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* h. e. diſcipulos meos; nam v. 1. legitur: *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini*, &c.

1. Cor. 12. v. 12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus*, hoc eſt, ita & Eccleſia multa membra habet, & multi fideles unam Eccleſiam conſtituunt.

Hac etiam metonymia explicant quidam 1. Cor. 15. v. 28. *Tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia*, &c. hoc eſt, tunc Eccleſia ipſa erit ei plane ſubjecta; poſtquam ſcilicet ex ea ſublati fuerint improbi, qui ob contumaciam ſuam in cauſa ſunt, cur in hoc ſæculo tota illi non pareat.

§. IV.

Objectum pro eo, quod versatur circa illud, ponitur.

CHRISTUS JESUS, pro doctrina, qua prædicatur. 2. Cor. 11. v. 4. *Nam si is, qui venit, alium Jesum prædicaret*, h. e. aliam doctrinam de Jesu doceret.

Ephes. 4. v. 20. *Vos autem non ita didicistis Christum*, v. 21. *si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu*, h. e. non ita didicistis Christi seu de Christo doctrinam, si tamen illam audistis, & per ipsam edocti estis, quæ sit vera & recta vivendi ratio in Jesu; nempe v. 21. *deponere* &c.

DEUS, pro divino cultu in honorem ejus instituto. Exod. 32. v. 1. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*, &c. h. e. fac nobis sacra, quibus Deum colentes mereamur ut nos præcedat, ducatque incolumes in terram Chanaan. Vers. 4. *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, hoc est, is est cultus, quo Deum, qui eduxit te de terra Ægypti, prosequaris. Hinc v. 5. Aaron populo Israëlitico dixisse legitur: *cras sollemnitas* לַיהוָה *Domini est;* ubi observandum nomen יְהוָה, quod soli Deo vero tribuitur. Ideo autem vitulum Israëlitis dedit Aaron, quod vidissent Ægyptios Deum suum Serapidem colentes bove aut vitulo ipsi sacro, quem Apim vocabant. Eandem ob causam vitulos aureos in Dan & Bethel, cultus sacri gratia, constituit Jeroboamus. Hunc autem colendi sui modum rejecit Deus, tum quod à se imperatus non esset; tum quia timendi erat locus, ne ad idololatriam proclives Israëlitæ, cultum suum ad solos vitulos, minime vero ad Deum ipsum dirigerent. Quod & ab eis factum legitur Psal. 105. Heb. 106, vv. 19. 20. 21. Act. 7. v. 41.

GLORIA & ROBUR, pro laude ac celebratione gloriæ & roboris. Psal. 28. Heb. 29. v. 1. *Afferte Domino gloriam & robur*, Vulg. *gloriam & honorem*, h. e. laudate & celebrate gloriam & robur, vel honorem Domini. Vide etiam Psal. 8. v. 3. (conf. Matth. 21. v. 16.), Psal. 95. Heb. 96. v. 7.

ONUS, pro vaticinio de onere, seu pœna Divina infligenda. Isai. 21. v. 1. *Onus deserti maris.* Vers. 2. *Visio dura nunciata est mihi*, &c. S. Hieron. comm. in cap. 15. Isaiæ v. 1. tom. 3. nov. edit. col. 117. id discriminis ponit *visionem* inter & *onus*, quod *onus semper tristia consequantur, visionem autem vel statim læta, vel in fine læta post tristia.* Vide etiam c. 13. v. 1. &c. Malach. 1. v. 1.

PECCATUM, DELICTUM, &c. pro hostia, sive sacrificio, quod pro peccato expiando offerebatur. Exod. 29. v. 14. *Carnes vero vituli, & corium, & fimum combures foris extra castra;* חַטָּאת הוּא, Lxx. edit. Compl. ἁμαρτία γάρ ἐστι, *quia peccatum est*, i. sacrificium pro peccato. Vulg. *eo quod pro peccato sit.*

Ose. 4. v. 8. *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*, h. e. hostias, quas populus meus pro peccatis suis offert, comedunt; & ad sacrificia, sive ex sacrificiis pro iniquitate remittenda oblatis, animas suas sublevant; quæ est prioris hemistichii repetitio. Is itaque sensus est; peccandi licentiam invehunt improbi illi Sacerdotes, ut ex sacrificiis habeant unde laute vivere, & voluptatibus indulgere possint. Sic etiam accipitur חַטָּאת *peccatum*, Exod. 30. v. 10. Lev. 4. v. 3. c. 6. v. 25. Num. 8. v. 8. Psal. 39. Heb. 40. v. 7. &c. אָשָׁם *delictum, reatus*, Lev. 7. vv. 5. 7. 1. Reg. 6. vv. 3. 4. &c.

Isai. 53. v. 10. *Si posuerit peccatum animam suam*, &c. hoc est, si seipsum tradiderit hostiam pro peccato. Vulg. *Si posuerit pro peccato animam suam.*

2. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (Deus Pater), i. fecit hostiam pro peccato.

SANGUIS, pro hominibus sanguinis effundendi cupidis. Isai. 33. v. 15. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem*, h. e. ne auscultet iis, qui de fundendo sanguine, aut quovis alio scelere perpetrando, loquuntur.

§. V.

Signatum pro signo sumitur.

QUOD fit duplici modo; vel *materialiter*, vel *formaliter*. Materialiter, cum signatum ponitur loco rei, quæ signum est. Formaliter, quando signatum adhibetur pro signi termino & appellatione. Itaque signatum pro signo ponitur

MATERIALITER. Ezech. 7. v. 27. *Rex lugebit, & princeps induet* שְׁמָמָה *desolationem*, i. vestem desolationis indicem.

1. Cor. 11. v. 10. *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput* &c. h. e. potestatis signum, nempe velum, quo indicetur eam esse sub viri sui potestate constitutam.

FORMALITER. Exod. 8. v. 19. al. 23. *ponamque* פְּדֻת *redemtionem inter populum meum, & populum tuum,* i. redemtionis signum, nempe muscarum absentiam. Vide etiam Num. 6. v. 7. ubi *separatio* ponitur pro separationis signo.

Deut. 16. v. 3. *Non comedes in eo* (loco, in quo Phase celebrabis) *panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento, panem afflictionis*, &c. h. e. panem sine fermento, indicium afflictionis, quam in Ægypto pertulisti; unde sequitur: *quoniam in pavore egressus es de Ægypto.*

Ibid. c. 22. v. 15. *Tollent eam* (puellam) *pater & mater ejus, & ferent secum* בְּתוּלֵי *virginitatem puellæ*, &c. i. *signa virginitatis ejus*, ut optime vertit Vulg. Lxx. παρθένια τῆς παιδὸς, *signa virginitatis puellæ*, ut vulgo interpretantur. Conf. v. 17.

Hac Metonymiæ specie abutuntur Protestantes, ut probent his verbis: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, &c. indicari tantummodo symbola corporis & sanguinis Christi, adeo ut *corpus* intelligatur de signo corporis; & *sanguis* de signo sanguinis. Hujus pravæ interpretationis confutationem vide apud Theologos Catholicos. Dicere eo loci sufficiat, quod alibi jam monuimus, aliud esse signatum pro signo interdum usurpari; aliud in hoc vel in illo contextu usurpatum. Quibus in locis Scriptura figurate, aut ad literam explicanda sit, definire est Ecclesiæ Catholicæ, quæ in fidei & morum quæstionibus judex est omnis prorsus erroris expers.

ARTICULUS IV.

De Metonymia adjuncti.

ADJUNCTUM dividitur in *receptum* & *occupatum*.

Receptum illud est, quod in subjecto, vel ad subjectum recipitur; atque ita vel *internum* est, si in subjecto recipiatur, vel *externum*, si ad subjectum tantummodo accedat.

Occupatum dicitur, quod versatur & occupatur circa objectum; idque vel in *genere* & quovis modo; vel in *specie*, ut ejus *signum* & *nomen*.

Unde septuplicem adjuncti metonymiam statuere licet. I. Cum in genere accidens pro subjecto, & abstractum pro concreto suo ponitur. II. Cum contentum pro continente usurpatur. III. Cum tempus, accidens rerum externum, pro rebus in tempore factis, vel existentibus,

adhibetur. IV. Cum opinio hominum, accidens itidem externum, pro ipsa re venit. V. Cum occupatum pro objecto suo sumitur. VI. Cum signum pro signato ponitur. VII. Denique cum nomen rei vel personæ; pro ipsa re, vel persona, usurpatur.

§. I.

Accidens pro subjecto in genere ponitur.

ABSTRACTUM, pro concreto. Gen. 42. v. 38. *Deducetis canitiem meam* (Vulg. *canos meos*) *cum dolore ad inferos*, h. e. me jam canum præ senio factum, &c.

Job. 5. v. 16. *Iniquitas autem contrahet* (claudet) *os suum*, i. iniquus. Quidam ellipsin agnoscunt vocis אִישׁ *vir*, q. d. *vir iniquitatis*, h. e. iniquus.

Psal. 11. Heb. 12. v. 1. al. 2. *Salva me, Domine, quoniam defecit sanctus; quoniam diminuta sunt*, seu *defecerunt veritates à filiis hominum*, i. veraces ex filiis hominum; præcedit enim adjectivum חָסִיד *sanctus*, sive *beneficus*. Vide etiam Psal. 30. Heb. 31. v. 24. 2. Reg. 20. v. 19. &c.

Psal. 64. Heb. 65. v. 9. *Exitus matutini* (temporis) *& vespere* sive *vespertini temporis delectabis*, i. homines matutino tempore exeuntes, & vespertino redeuntes.

Alia exempla vide Gen. 31. v. 3. ubi est *sacrificium, mactatio*, pro animalibus mactatilibus. 1. Reg. 15. v. 29. *æternitas*, vel *victoria* pro Deo æterno & victore. 2. Reg. 9. v. 12. *habitatio*, pro familia. Ibid. c. 23. v. 23. *auscultatio*, pro satellitio auscultante. 2. Esd. seu Nehem. 5. v. 9. *probrum*, pro factis probrosis. Job. 31. v. 21. *auxilium*, pro auxiliatoribus. Ibid. cap. 32. v. 7. *dies*, pro hominibus dierum, seu senibus. Psal. 67. Heb. 68. v. 19. *captivitas*, pro captivis, vel captivantibus. Psal. 109. Heb. 110. v. 3. *nativitas*, pro natis. Prov. 23. v. 21. *rupturas*, pro ruptis, seu laceris vestibus; & *dormitatio* pro viro dormiente. Isai. 3. v. 4. *facinora*, pro facinorosis hominibus. Jerem. 2. v. 5. *vanitas*, pro idolis. Ibid. 40. v. 7. *tenuitas*, pro tenuibus. Ezech. 44. v. 6. *rebellio*, pro rebellibus. Amos. 8. v. 3. *cantica*, pro cantoribus.

Luc. 1. v. 78. *Visitavit nos, ἀνατολὴ oriens*, vel *ortus ex alto*, h. e. qui oritur sive prodit ex alto. Epitethum Messiæ, qui soli confertur, Isai. 9. v. 2. cap. 60. vv. 1. 2. Malach. 4. v. 2. &c.

Rom. 8. v. 19. *Nam exspectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exspectat*, h. e. creatura solicite exspectans, quæ est vocis Græcæ ἀποκαραδοκία emphatica significatio.

Ibid. c. 11. v. 7. *Quod quærebat Israël, hoc non est consequutus; electio autem consequuta est*, h. e. electi consequuti sunt. Sic Joan. 11. v. 40. *gloria*, pro gloriosis operibus. Ephes. 1. v. 21. *principatus*, &c. pro principatum, &c. obtinentibus. Col. 1. v. 16. *vincula*, pro vincto & captivo. Rom. 3. v. 30. c. 15. v. 18. *circumcisio*, pro circumcisis, &c.

CLYPEUS, pro milite clypeo armato. Ezech. 26. v. 8. *Et excitabit* (Vulg. *elevabit*) *contra te clypeum*, h. e. militem clypeo instructum.

LUX אוֹר, 1°. pro sole, Job. 31. v. 26. *Si vidi lucem cum fulgeret*, hoc est, ut reddunt LXX. ἥλιον, Vulg. *solem*; quam interpretationem confirmant sequentia: *& lunam incedentem clare*. Vide etiam Habac. 3. v. 4. &c. Ex Hebræo אוֹר *sol*, Ægyptiis *Orus* vocabatur.

2°. Pro igne. Marc. 14. v. 54. *Et sedebat cum ministris πρὸς τὸ φῶς, ad lucem*, i. *ad ignem*, Vulg. MSS. quidam codd. habent etiam πρὸς τὸ πῦρ, *ad ignem*. Vide D. Mill. pag. 112.

OLEUM, pro singulariter uncto. Isai. 10. v. 27. *Et computrescet jugum à facie olei*, h. e. Messiæ, qui speciali ratione unctus est à Deo. Paraph. Chald. *Et confringentur populi à facie Messiæ*.

PECCATUM, pro peccatore. Isai. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix*

dealbabuntur : & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, id est, si vos, peccatores, ob peccata vestra rubri fueritis ut coccinum, quasi nix dealbabimini, &c. non enim peccatum, sed peccator, dimissa iniquitate, albescit, seu mundatur.

PLAGA, pro homine plaga percusso. Lev. 13. v. 4. *Recludet Sacerdos* הַנֶּגַע *plagam, septem diebus*, i. hominem plaga affectum. Sic vv. 13. 31. 50.

§. II.

Contentum pro continente, & locatum pro loco usurpatur.

GEN. 28. v. 22. *Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei*, hoc est, locus hic, in quo erexi lapidem in titulum, vocabitur domus Dei.

Jos. 15. v. 19. *Terram australem & arentem dedisti mihi; da mihi* גֻּלֹּת מָיִם *scaturigines aquarum*, i. locum in quo sint scaturigines aquarum; vel, ut optime Vulg. *junge & irriguam*, terram scilicet. Unde sequitur: *Dedit itaque ei* (Caleb) אֵת גֻּלֹּת עִלִּית וְאֵת גֻּלֹּת תַּחְתִּית, Vulg. *irriguum superius, & irriguum inferius*. Lxx. vocem Hebræam retinent, sed corruptam, Γεναιθλάν. Paulo melius Alexand. mss. Γωλάθ.

Amos. 8. v. 5. *Quando transibit mensis, & venundabimus merces; Sabbathum, & aperiemus frumentum*, i. horrea, granaria.

Marc. 3. v. 11. *Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei*, &c. h. e. homines spiritibus immundis obsessi. Syrus habet: *& ii, quibus erant plagæ spirituum immundorum, cum viderent eum, procidebant*, &c.

Act. 16. v. 13. *Die autem Sabbathorum egressi sumus foras portam, juxta flumen, ubi videbatur* προσευχὴ *oratio esse*, i. locus orationis. Syrus: *quia ibi videbatur domus orationis*.

Apud Joseph. Epiph. &c. προσευχὴ idem significat ac προσευκτήριον, nempe *oratorium, orationis locum*. Juvenal. Sat. 3. v. 296.

Ede ubi consistas: in qua te quæro proseucha.

Confer 1. Macchab. c. 3. v. 46.

§. III.

Tempus cum suis partibus, pro rebus in eo factis, sive existentibus, accipitur.

TEMPUS. Esth. 1. v. 13. *Dixitque rex sapientibus scientibus tempora*, &c. i. qui noverant gesta, quæ singulis temporibus acciderant. Vel, qui prudentia quæque suo tempore agendi pollebant.

Job. 11. v. 17. *Et præ meridie exsurget tempus*, &c. hoc est, prosperitas meridiana luce clarior. Vulg. eodem sensu; *& quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*. Luce autem, prospera; tenebris vero, adversa significari videbimus infra.

Psal. 30. Heb. 31. v. 16. *In manibus tuis* עִתֹּתָי, S. Hieron. *tempora mea*, hoc est, vita, valetudo, & totius vitæ status & acta. Theodorethus in h. l. καιροὺς ἢ κλήρους καλεῖ τὰς τῶν πραγμάτων μεταβολὰς, πλοῦτον καὶ πενίαν, δεσποτείαν καὶ δουλείαν, εἰρήνην καὶ πόλεμον, *tempora, sive sortes appellat, rerum vicissitudines; divitias & paupertatem, dominatum & servitutem, pacem & bellum*. Lxx. κλῆροί μου, *sortes meæ*. Ceteri autem interpretes verterunt, καιροί μου, *tempora mea*. Sic etiam forte interpretati sunt & ipsi Lxx. quorum lectio KAIPOI amanuensium incuria depravata videtur, ac in ΚΛΗΡΟΙ, facili, ut videre est, lapsu commutata. Conf. Psal. 138. Heb. 139. v. 1. & seqq. Vide etiam alia exempla 1. Paral. 12. v. 32. c. 29. v. 30.

2. Tim. 3. v. 1. *Hoc autem scito, quoniam in novissimis diebus instabunt tempora periculosa*, i. maxima hominum malitia futura est, adeo ut plus difficile sit virtuti operam dare, ac immaculatos sese custodire.

SÆCULUM. Heb. 1. v. 2. *Per quem fecit &*

αἰῶνας, *sæcula*, i. mundum, & quidquid in eo existit. Vide etiam c. 11. v. 3.

Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari huic sæculo*, h. e. impietati hujus sæculi. Sicque *αἰὼν* accipitur. Matth. 13. v. 22. Marc. 4. v. 19. Luc. 16. v. 8. 2. Cor. 4. v. 4. Galat. 1. v. 4. Ephes. 2. v. 2. c. 6. v. 12. 2. Tim. 4. v. 10. &c.

ANNUS. Prov. 5. v. 9. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli*, i. ne marito zelotypo *σὸν βίον*, *vitam tuam* cedas, ut Lxx. interpretantur. Conf. c. 6. v. 32. & seqq.

DIES. Deut. 4. v. 32. *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te*, &c. i. res gestas seu historias priscorum temporum expende, &c.

1. Reg. 24. v. 20. *Dominus rependat tibi vicissitudinem, pro die hac, quam fecisti mihi*, i. pro eo beneficio, quod hodie in me contulisti. Vel, ut Vulg. *pro eo, quod hodie operatus es in me*. Ea de causa libri Paralipomenum vocantur Hebræis דִּבְרֵי הַיָּמִים *verba dierum*, h. e. rerum his temporibus gestarum historia.

Matth. 24. v. 22. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi*, h. e. nisi in diebus illis mala fuissent breviata, *neque enim dies ipsi mali sunt, sed quæ fiunt in eis*, inquit S. Aug. scribens ad Hesychium, tom. II. nov. edit. col. 752.

1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die*, &c. h. e. humano judicio, quod videtur Apostolus eo loci opponere ultimo judicio, quod *dies Domini* sæpius in Scripturis appellatur. Vide etiam Ephes. 5. v. 16.

Dies alicujus dicitur in Scriptura, tempus illud, quo insigne aliquid sive *in bonum*, sive *in malum* ei accidit.

In bonum. Ose. 1. v. 11. al. cap. 2. v. 2. *Et congregabuntur filii Juda, & filii Israël pariter . . . . quia magnus dies Jezrael*, h. e. quia magna populo Dei, (vel semini Dei, quod vox Hebræa יִזְרְעֶאל sonat) continget felicitas & gloria.

Luc. 19. v. 42. *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua*, &c. i. eo tempore, quo Deus singulare beneficium tibi confert, nempe visitando te, ut v. 44. exponitur.

In malum. Job. 18. v. 20. *In die*, vel *super diem ejus stupebunt novissimi*, &c. hoc est, propter calamitates ejus.

Psal. 136. Heb. 137. v. 7. *Memento, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem*; vel ut Heb. *Memor esto, Domine, contra filios Edom, diei Jerusalem*, h. e. temporis illius, quo Jerusalem subversa est, facque ut similem calamitatem experiantur. Vide etiam Eccle. 5. v. 19. Ezech. 21. v. 29. c. 22. v. 4. Abd. v. 12. Mich. 7. v. 4. &c.

Sic *dies Domini* vocatur tempus, in quo homines ob malitiam punit, Job. 24. v. 1. Isai. 13. v. 6. Joel 1. v. 15. cap. 2. vv. 1. 2. Amos. 5. v. 20. Sophon. 1. vv. 14. 15. 16. 18. c. 2. v. 2. Et *κατ' ἐξοχὴν*, *judicium extremum*, Joel 2. v. 31. al. 3. v. 4. Act. 2. v. 20. 1. Cor. 1. v. 18. 1. Thess. 5. v. 2. Sic *dies filii hominis*, i. dies, quo revelatur, Luc. 17. vv. 24. 26. conf. v. 30. Paulo aliter accipitur v. 22. ubi tranquillitatem significat.

HORA. Marc. 14. v. 35. *Et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora*, i. passio amarissima, quæ tunc temporis eum opprimebat.

Joan. 12. v. 27. *Pater, salva me ex hac hora*, h. e. ex illa anxietate, quam hora sive tempore passionis sustinebo.

FINIS seu NOVISSIMUM, pro præmio seu mercede, quæ in fine laboris dari solet. Prov. 23. v. 17. *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die*. Vers. 18. *quia* יֵשׁ אַחֲרִית *est novissimum*, i. merces, ut interpretatur Pagninus. Vide etiam c. 24. vv. 14. 20. Jerem. 29. v. 11.

1. Pet. 1. v. 9. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*, i. mercedem fidei vestræ. Huic interpretationi adstipulatur Syrus, qui vertit *præmium, retributionem*.

FESTUM, SOLLEMNITAS, pro hostia, quæ die festo immolabatur. Exod. 23. v. 18. *Nec remanebit adeps sollemnitatis meæ usque mane*, h. e. adeps sacrificii festi mei. Vide quoque Psal. 117. Heb. 118. v. 27. Isai. 29. v. 1.

Malach. 2. v. 3. *Dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum*, &c. id est, stercus victimarum, quas in sollemnitatibus vestris mihi immolatis.

PASCHA, ſeu PHASE, pro agno paſchali. Exod. 12. v. 21. *Immolate Phaſe*, id eſt, agnum paſchalem. Vide 2. Paral. 30. v. 17.

Marc. 14. v. 12. *Et primo die azymorum, quando Paſcha* (agnum paſchalem) *immolabant, dicunt ei diſcipuli: quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha?* Sic v. 14. Matth. 26. vv. 17. 18. 19. Luc. 22. vv. 8. 11. 13. 15.

ÆSTAS, pro æſtivis frugibus. Iſai. 16. v. 9. *Quonian ſuper* קֵיצֵךְ *æſtatem tuam*, i. *vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit.* Lxx. ἐπὶ τῷ θερισμῷ καὶ ἐπὶ τῷ τρυγητῷ σου, *ſuper meſſem tuam & ſuper vindemiam tuam*, vocibus θερισμῷ & τρυγητῷ tranſpoſitis; vel quia in ſuo exemplari legebant עַל־קְצִירֵךְ וְעַל־קֵיצֵךְ; vel quia vox קַיִץ *meſſem* etiam ſignificabat, & קָצִיר *vindemiam*; vel denique iſtud librariorum incuriæ tribuendum eſt, qui pro ἐπὶ τῷ τρυγητῷ καὶ ἐπὶ τῷ θερισμῷ σου, ſcripſerunt ἐπὶ τῷ θερισμῷ, καὶ ἐπὶ τῷ τρυγητῷ σου. Vide Jerem. 40. v. 10. ubi קַיִץ redditur à Vulg. per *meſſem*, & à Lxx. per ὀπώραν *fructus autumnales*; & Amos. 8. v. 1. Eadem vox 2. Reg. 16. vv. 1. 2. redditur à Lxx. edit. Complut. παλάθαι, à Vulg. *palathæ*, à Lxx. edit. Vatic. φοίνικες, *palmulæ*.

MESSIS, pro frugibus, quæ tempore meſſis colliguntur. Exod. 23. v. 10. Deut. 24. v. 19. Iſai. 16. v. 9. Joel 3. v. 18. Et pro *Meſſore*, Iſai. 17. v. 5.

§. IV.

Opinio hominum pro ipſa re uſurpatur.

HÆc Metonymiæ ſpecies locum habet in nominibus, in verbis, & in vocibus connexis, ſive in conjuncta phraſi.

In nominibus.

Jerem. 28. vv. 1. 5. 10. Hananias dicitur *Propheta*, quod talis exiſtimaretur, non quod re vera eſſet. Vide totum caput. Sic 1. Reg. 28. vv. 14. 15. 16. 20. ſecundum nonnullos, ſpectrum diabolicum vocatur Samuel.

Luc. 18. v. 48. Joſephus dicitur *pater Jeſu*, quia talis putabatur, ut expreſſe habetur cap. 3. v. 23.

1. Cor. 1. v. 21. *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*, h. e. per prædicationem crucis, quæ hominibus ſapientia hujus ſæculi præditis, videtur ſtultitia.

In Verbis.

Marc. 6. v. 48. *Et volebat* (Jeſus) *præterire eos*, i. videbatur velle præterire eos; ſeu talis erat corporis ejus ſpecies & motus, qualis fuiſſet, ſi voluiſſet præterire eos.

Act. 27. v. 27. *Sed poſteaquam quarta decima nox ſupervenit, navigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem ſuſpicabantur nautæ προσάγειν, appropinquare ſibi aliquam regionem*, h. e. appropinquare ſe ad aliquam regionem. Sic autem loquitur Scriptor ſacer, ob externam ſpeciem, qua navigantibus litora moveri, & loca remota appropinquare videntur, ſecundum illud Virgilii, Æneid. 3. v. 72.

Provehimur portu, terræque urbeſque recedunt.

In vocibus conjunctis.

Pſal. 71. Heb. 72. v. 9. *Inimici ejus terram lingent*, i. tam proni ſe in terram proſternent, ut eam lingere videantur. Sic Iſai. 49. v. 23. Mich. 7. v. 17. &c.

Iſai. 13. v. 5. *Venientibus de terra procul, à ſummitate cœli*, &c. i. de terra longinqua, cui cœli inniti videntur. Ea eſt enim vulgi opinio, ut hemiſphetii noſtri pars extrema, quæ cernitur, terram contingat. Extremitas igitur cœli pro extremitate terræ, ſeu locis longinquis ponitur. Eandem loquutionem legere eſt Deut. 4. v. 32. c. 30. v. 4. Nehem. 1. v. 9. Matth. 24. v. 31. &c. Hanc expoſitionem confirmare videtur, quod montes dicantur *fundamenta cœlorum*, 2. Reg. 22. v. 8. *& columnæ cœli*, Job. 26. v. 11. quia ipſis cœlum incumbere videtur.

§. V.

Occupatum pro objecto adhibetur.

SENSUS, pro ejus objecto, seu pro re, quæ sensu percipitur; ut,

AUDITUS, 1°. pro doctrina, sive verbo. Isai. 28. v. 9. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet* שְׁמוּעָה *auditum*, i. sermonem, seu doctrinam. Et cap. 53. v. 1. *Quis credidit auditui nostro?* h. e. sermoni nostro. Sic ἀκοὴ, Joan. 12. v. 38. Rom. 10. v. 16. Gal. 3. vv. 2. 5.

2°. Pro rumore vel fama. Psal. 111. Heb. 112. v. 7. *Ab auditu*, vel *auditione mala non timebit*, i. à mala fama. Vide Isai. 28. v. 19. Ezech. 7. v. 26. Abd. v. 1. Habac. 3. v. 2. Ita ἀκοὴ, Matth. 4. v. 24. cap. 14. v. 1. c. 24. v. 6. Marc. 1. v. 28. &c.

Sic *oculus*, pro colore, superficie. Lev. 13. v. 55. *Et inspiciet Sacerdos postquam lota fuerit plaga* (lepræ), *&, si non mutaverit plaga* עֵינוֹ *oculum suum*, &c. i. *colorem suum*, ut vertit Vulg. Vide etiam Num. 11. v. 7. Prov. 23 v. 31. Ezech. 1. v. 4. cap. 8. v. 2. c. 10. v. 9.

Affectus, & quæ ei analoga sunt, pro objecto ejus ponitur. Unde

FIDES, pro doctrina fidei. 1. Timoth. 4. v. 1. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide*, i. à doctrina fidei; sequitur enim: *attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.* Vide Gal. 1. v. 23. Ephes. 4. v. 5. Tit. 1. v. 13. Jud. v. 3. Apoc. 2. v. 13.

SPES, vel EXSPECTATIO, pro Deo, in quo speratur. Psal. 70. Heb. 71. v. 5. *Tu es* (ô Deus) *spes mea*, h. e. in quo spero, & à quo omne bonum exspecto.

Jerem. 14. v. 8. *Exspectatio Israël, salvator ejus in tempore tribulationis*, &c. h. e. in quo sperat Israël. Sic Psal. 64. Heb. 65. v. 6. Jerem. 17. vv. 7. 13. &c. Et in specie,

1°. Pro Christo. Act. 28. v. 20. *Propter spem enim Israël, catena hac circumdatus sum*, id est, propter Christum ab Israële speratum, ac desideratum. Conf. c. 26. vv. 6. 7. 8. Sic etiam Coloss. 1. v. 27. 1. Tim. 1. v. 1. *Christus spes nostra* dicitur.

2°. Pro hominibus, à quibus bona sperantur. Isai. 20. v. 5. *Et confundentur ab Æthiopia spe sua*, h. e. ἐφ' οἷς ἦσαν πεποιθότες, *in quibus* (Æthiopibus) *confidebant*, ut LXX. reddunt. Sic etiam v. 6.

3°. Pro re sperata. Prov. 13. v. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam*, &c. i. res sperata & desiderata, quæ differtur, affligit animam.

Rom. 8. v. 24. *Spes, si videatur, non est spes*, h. e. res sperata. Vide etiam Gal. 5. v. 5. Tit. 2. v. 13.

DILECTIO, seu AMOR, pro persona, vel re amata. Jerem. 2. v. 33. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam*, vel *quærendo dilectionem?* i. quærendo quod diligis.

Ibid. cap. 12. v. 7. *Dedi* יְדִדוּת *dilectionem animæ meæ in manu inimicorum ejus*, i. *populum dilectum coram me*, ut vertit Chaldæus. LXX. ἔδωκα τὴν ἠγαπημένην ψυχήν μου, &c. Vulg. *dedi dilectam animam meam*, quod idem est atque Heb. tum quod ad grammaticam, tum quod ad sensum pertinet. Grammaticam quod spectat; hic potest esse hypallage, *dilectio animæ*, pro *anima dilectionis*, i. dilecta. Sensum quod attinet; recte anima dilecta pro populo dilecto usurpatur, ut apud Latinos *cor*, *anima*, vel *animus*, pro persona efflictim amata. Vide Ose. 9. v. 10. ubi *amor* ponitur pro idolis.

DESIDERIUM, pro persona aut re desiderata. Ezech. 24. v. 16. *Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderium*, vel, ut Vulg. *desiderabile oculorum tuorum*, &c. i. uxorem desideratam ac impense dilectam; ut patet v. 18. Vide ibidem vv. 21. & 25.

Agg. 2. v. 8. *Et veniet* חֶמְדַּת *desiderium cunctarum gentium*, i. ut optime interpretatur Vulg. *desideratus cunctis gentibus*, nempe Messias. Conf. Gen. 49. v. 10. Isai. 11. v. 10. Mich. 4. vv. 1. 2. &c.

TIMOR, 1°. pro Deo, qui timetur. Gen. 31. v. 42. *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaaci adfuisset mihi*, &c. i. Deus, quem timu it

timuit Isaac. Vide etiam Isai. 8. v. 13.

2°. Pro malo, quod timetur. Prov. 1. v. 26. *Cum venerit timor vester*, h. e. *cum vobis id, quod timebatis, advenerit*, Vulg. Vide Psal. 52. Heb. 53. v. 6. &c.

ACTIO, pro ejus objecto. Gen. 43. v. 11. *Sumite de prædicatione terræ in vasis vestris*, i. *de optimis terræ fructibus*, Vulg. Vel *de eo, quod laudabile est in terra*, Chald.

Exod. 15. v. 2. *Fortitudo mea & laus mea Dominus*, &c. i. objectum laudis meæ. Vide etiam Psal. 117. Heb. 118. vv. 14. 15. 16. Jerem. 17. v. 4.

Deut. 28. v. 8. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnem missionem manus tuæ*, i. ut interpretantur LXX. ἐπὶ πάντα οὗ ἂν ἐπιβάλῃς τὴν χεῖρά σου, *super omnia, ad quæ mittes manum tuam*. Vel, ut Vulg. *super omnia opera manuum tuarum*. Sic etiam cap. 12. v. 7.

1. Reg. 1. v. 27. *Et dedit mihi Dominus petitionem meam*, id est, rem, quam ab ipso petii. Vide Job. 6. v. 8.

Heb. 11. v. 13. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*, &c. h. e. non acceptis bonis, quæ illis promissa fuerant.

Act. 1. v. 4.... *sed exspectarent promissionem Patris*, &c. h. e. Spiritum sanctum à Patre promissum. Vide 2. Thess. 1. v. 11. ubi *vocatio* ponitur pro gloria cœlesti, ad quam vocati erant Thessalonicenses.

§. VI.

Signum pro signato sumitur.

In nominibus.

GEN. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda*, &c. i. regia potestas per sceptrum significata. Sic Isai. 14. v. 5. Zach. 10. v. 11. &c.

Eodem sensu accipitur *thronus*, Psal. 88. Heb. 89. v. 5. &c. Et *cidaris*, seu *diadema*, Ezech. 21. v. 26. Psal. 88. Heb. 89. v. 40.

Num. 18. v. 8. *Omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi, & filiis tuis*, לְמָשְׁחָה *propter unctionem*, i. *pro officio Sacerdotali*, Vulg.

3. Reg. 19. v. 10. *Altaria tua* (Domine) *destruxerunt*, &c. i. Divinum cultum tuum, cujus signum altaria sunt; proprie enim altaria Dei non erant nisi Hierosolymis.

Psal. 22. Heb. 23. v. 4. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, i. studium tuum, & amor tuus erga me; virga enim & baculus, seu pedum pastorale, curæ & studii pastoritii signum sunt. Atque ita usurpantur *arma, gladius, arcus*, &c. pro *bello*, Psal. 43. Heb. 44. v. 7. Psal. 139. Heb. 140. v. 8. Exod. 18. v. 16. &c.

Matth. 10. v. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium*, i. bellum.

Ibid. cap. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, i. docendi potestatem habent, qua instructus erat Moyses.

In Verbis.

ABSCONDERE, 1°. pro tutari, protegere, &c. Job. 5. v. 21. *A flagello linguæ absconderis*, &c. i. tutus eris, protegêris. Vide Psal. 26. Heb. 27. v. 5. Psal. 30. Heb. 31. v. 21. Psal. 63. Heb. 64. v. 3. &c.

2°. Pro abire, recedere ab aliquo. Gen. 31. v. 49. *Cum absconditi fuerimus vir à socio suo*, i. *quando recesserimus ab invicem*, Vulg. *à nobis*. Vide Deut. 22. v. 1. Isai. 58. v. 7.

DORMIRE, pro securum esse. Psal. 3. v. 6. *Ego dormivi & soporatus sum*, &c.

Psal. 4. v. 9. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

Eodem sensu accipitur verbum RIDERE, Job. 5. v. 22. & pro *lætari*, cap. 8. v. 21. &c.

EFFLARE, SUFFLARE, pro contemnere. Psal. 9. v. 27. vel secundum Heb. 10. v. 5. *Omnes hostes suos sufflabit in eos*, i. contemnet. Vulg. *Omnium inimicorum suorum dominabitur*. Vide Psal. 11. Heb. 12. v. 6. &c.

OSCULARI, pro amare, obedire, obsequi. Gen. 41. v. 40. *Tu eris super domum*

meam, & super os tuum osculabitur omnis populus, i. *ad oris tui imperium cunctus populus obediet*, ut optime reddidit Vulg. Vide 3. Reg. 19. v. 18. Psal. 2. v. 12.

STARE, pro ministrare. Ezech. 8. v. 11. *Et Septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas*, i. ministrantium, ut patet ex verbis sequentibus. Vide Zach. 3. v. 1. & conf. Deut. 10. v. 8.

UNGERE, pro regem constituere. Jud. 9. v. 8. *Ierunt ligna ut ungerent super se regem*, h. e. constituerent.

In phrasi conjuncta.

APERIRE & CLAUDERE, est liberam administrationis potestatem habere. Isai. 22. v. 22. *Et aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.*

ALBEDINEM, sive MUNDITIEM DENTIUM DARE, pro famem immittere; fieri enim non potest, ut inter manducandum, aliquid cibi dentibus non adhæreat; cum è contrario, non sumto cibo, dentes mundi sint.

Amos. 4. v. 6. *Unde & ego dedi vobis* נִקְיוֹן שִׁנַּיִם, Aq. Sym. Theod. καθαρισμὸν ὀδόντων, munditiem dentium.

CAPUT, CERVICEM ELEVARE, pro animum erigere, gaudere, &c. Jud. 8. v. 28. *Humiliatus est autem Madian coram filiis Israël, nec potuerunt ultra cervices elevare.* Vide Psal. 82. Heb. 83. v. 2.

Luc. 21. v. 28. *Respicite, & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemtio vestra*, h. e. gaudete.

FACIEM ELEVARE ad aliquem, significat 1°. revereri, & honorare. Deut. 28. v. 49. *Adducet Dominus super te .... v. 50. gentem procacissimam, quæ faciem non elevet ad senem*, i. quæ non revereatur senem, vel, ut Vulg. *quæ non deferat seni.* Lxx. ὅστις οὐ θαυμάσει πρόσωπον πρεσβύτου, *quæ non revereatur faciem senis.*

2°. Propitium esse. Num. 6. v. 26. יִשָּׂא, Lxx. ἐπάραι, *elevet Dominus vultum suum ad te*, &c. i. propitius sit tibi Dominus. Vulg. eodem sensu: *convertat Dominus vultum suum ad te.*

FACIEM ALBESCERE, pro metuere; in metu enim sanguis ab exterioribus corporis partibus ad cor refugit, atque inde pallet facies. Isai. 29. v. 22. *Non modo* (nunc) *confundetur Jacob, nec modo* פָּנָיו יֶחֱוָרוּ *facies ejus albescet.* Theod. ἐντραπήσεται, *confundetur.* Lxx. μεταβαλεῖ, *immutabit faciem.*

FACIEM OPERIRE, OBTEGERE, pro condemnare; antiquitus enim eorum, qui condemnabantur, operiebatur vultus. Job. 9. v. 24. *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit*, &c. i. judices condemnat, à quibus ipse condemnandus fuisset. Alii sic intelligunt, quod improbus, in cujus manus terra data est, judices muneribus, assentatione, metu, &c. excæcet. Prior explicatio confirmatur Esth. 7. v. 8. *Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem ejus* (Aman), i. condemnarunt.

MANUM DARE, significat 1°. Subjectionem voluntariam. 1. Paral. 29. v. 24. *Sed & universi principes ... dederunt manum, & subjecti fuerunt Salomoni regi.* Vide 2. Paral. 30. v. 8.

2°. Supplicationem mendicam. Thren. 5. v. 6. *Ægypto dedimus manum & Assyriis, ut saturaremur pane.*

3°. Amicitiæ & fœderis pactionem. Jerem. 50. v. 15. *Clamate adversus eam* (Babylonem), *ubique dedit manum*, &c. Vide Ezech. 17. v. 18.

MANUS SUPER CAPUT ESSE, pro dolore, tristitia, calamitatibus, & miseriis obrutum esse. Jerem. 2. v. 37. *Nam & ab ista* (Ægypto) *egredieris, & manus tuæ erunt super caput tuum*, &c. Vide 2. Reg. 13. v. 19. ubi idem tristitiæ & doloris signum videre est.

MANUM IMPLERE, pro ad ministerium sanctum consecrare; qui ritus etiam in Ecclesia Catholica viget in sacrorum ministrorum ordinatione, Exod. 28. v. 41. *Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios ejus cum eo*, וּמָשַׁחְתָּ אֹתָם וּמִלֵּאתָ אֶת־יָדָם, Lxx. καὶ χρίσεις αὐτοὺς, καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας, *& unges eos, & implebis manus eorum*, vel instrumentis, vel quibusdam sacrificiorum partibus. Quam periphrasin feliciter expressit

Vulg. *& cunctorum consecrabis manus.* Vide cap. 29. v. 9. c. 32. v. 29. &c.

MANUM LEVARE, 1°. pro jurare. Exod. 6. v. 8. *Et induxerim in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, & Jacob*, &c. i. juravi.

Psal. 105. Heb. 106. v. 26. *Et elevavit manum suam super eos; ut prosterneret eos in deserto*, h. e. juravit. Et per ellipsin *manus*, Isai. 3. v. 7. יִשָּׂא *levabit*, (supp. manum) *in die illa dicens*, &c. Sic apud Virg. Æneid. l. 12. vv. 195. 196. 197.

——— *Sequitur deinde Latinus,*
Suspiciens cœlum, tenditque ad sydera dextram;
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sydera juro.

2°. Pro orare. Psal. 27. Heb. 28. v. 2. *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, vide Psal. 140. Heb. 141. v. 2.

1. Tim. 2. v. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus*, &c. Alias significationes hujus phraseos, utpote omnibus pervias, missas facio.

TEGERE PEDES honesto sermone dicitur, pro alvum purgare; qui enim id agit, pedes vestibus anterioribus tegit. Jud. 3. v. 24. *Forsitan* מֵסִיךְ הוּא אֶת־רַגְלָיו *tegit pedes suos in æstivo cubiculo.* Vulg. *purgat alvum.* Vide 1. Reg. 24. v. 4.

Huc pertinent sequentia.

COMEDERE & BIBERE, pro vivere. Exod. 24. v. 11. *Videruntque Deum, & comederunt ac biberunt*, i. vixerunt postquam Deum viderunt; antiquitus enim à visione Dei vel angeli mortem sequi existimabant, ut patet Gen. 32. v. 30. Jud. 13. v. 22. &c.

Verbum *videre* eodem sensu accipitur Gen. 16. v. 13. הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי *num etiam hîc vidi post videntem me?* i. numquid adhuc vivo, postquam Deus vidit me?

FEMUR PERCUTERE, pro summum dolorem testari. Jerem. 31. v. 19. *Postquam ostendisti mihi* (peccatum meum), *percussi femur meum*, i. summo dolore affectus sum. Qui mos apud ipsos etiam profanos receptus erat, ut ex Homero liquet, Iliad. π. vv. 124. 125.

——— αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
Μηρὼ πληξάμενος, Πάτροκλον προσέειπεν.
——— *at Achilles*
Femora percutiens, Patroclum alloquutus est.

Et Odyss. ν. v. 198.

Ὤιμωξέν τ' ἄρ ἔπειτα, καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ,
Flevitque postea, & sua percussit femora.

Idem affectus designatur etiam per *saccum*, Psal. 68. Heb. 69. v. 12. *calvitium*, Jerem. 47. v. 5. & cap. 48. v. 36. *pulverem capiti impositum*, *cilicium*, &c. Thren. 2. v. 10.

In toto sermone.

4. Reg. 4. v. 29. Eliseus Giezi famulo suo imperat, ut neminem in via salutet, nec salutanti respondeat. Idem imperat discipulis suis Christus Luc. 10. v. 4. qua phrasi, summa celeritas indicatur, non damnatur urbanitas, quæ etiam inter christiana officia numeratur.

Jerem. 9. v. 17. Lamentatrices, quæ lamentum assumant, advocari jubet Deus, non quod simulatum hujusmodi in funeribus luctum probet, sed ut adducta illa consuetudine, de instantium calamitatum acerbitate populum admoneat. Vide etiam Amos. 5. v. 16. &c.

Luc. 22. v. 36. *Sed nunc, qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Christi mens non est, ut Apostoli gladios emant; sed imminentis ab hostibus periculi gravitatem hoc symbolo innuit.

2. Cor. 7. v. 3. *In cordibus nostris estis* εἰς τὸ συναποθανεῖν, καὶ συζῆν, *ad commoriendum, & ad convivendum.* Alludit eo loci Apostolus ad id amicitiæ genus, quod apud veteres erat in usu; nempe ut *amico forte extincto, amicus ultro mortem sibi consciscereet... unde dicti* συναποθνήσκοντες; *non quod Paulus hujusmodi quippiam sentiat, quale legimus olim fuisse apud Ethnicos: verum hoc modo arctissimam amicitiam voluit indicare.* Sic Erasmus in suis ad h. l. adnotationibus. Galli, teste Cæsare, lib. 3. de bello Gal. ejusmodi amicos *Soldurios* appellabant, quos ipse *devotos* vocat.

§. VII.

Nomen pro re vel persona usurpatur.

NOMEN DEI, pro ipso Deo. Deut. 28. v. 58. *Ut timeas nomen istud gloriosum & terribile*, h. e. *Dominum Deum tuum*, ut statim subjicitur.

Psal. 19. Heb. 20. v. 1. *Protegat te nomen Dei Jacob*, i. Deus Jacob. Sic Psal. 115. v. 1. secundum Hebræos; vel 113. post versum octavum, secundum Latinos: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*, i. tibi ipsi da gloriam. Vide etiam Isai. 30. v. 27. Mich. 5. v. 4. &c.

Joan. 3. v. 18. *In nomine unigeniti filii Dei*, i. in ipso unigenito Dei filio. Vide c. 17. v. 6. Act. 3. v. 16. c. 10. v. 43. 1. Joan. 2. v. 12. &c.

NOMEN, pro homine. Act. 1. v. 15. *In diebus autem illis exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit; (ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν, erat autem turba nominum simul, fere centum viginti)*, i. *hominum*, Vulg. Quædam tamen exemplaria Græca habent ἀνδρῶν & ἀνθρώπων, *hominum*, Vide D. Mill. pag. 257.

Apoc. 3. v. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinaverunt vestimenta sua*, &c. hoc est, paucos homines, qui &c. Vide ibid. cap. 11. v. 13.

Sic apud Virgil. Æneid. l. 6. v. 763. *Silvius Albanum nomen*, i. Albanus homo. Et apud Æschylum: τὸ Θηβαῖον ὄνομα, *Thebanum nomen*, i. Thebanus, vel Thebani, &c. In Livio hoc loquendi genus frequens est.

NOMEN, pro posteritate. Deut. 25. v. 7... *Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui*, i. posteritatem, liberos. Vide etiam 1. Reg. 24. v. 22. 2. Reg. 12. v. 7.

NOMEN, pro re ipsa. Act. 4. v. 12.... *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, i. aliud salutis medium.

Ephes. 1. v. 21. *Supra omnem principatum... & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro*, i. supra id omne, quod exsistit sive in hoc sæculo, sive in futuro.

Huc referri possunt, quæ in tomo I. pag. 451. diximus de nomine proprio, quod interdum pro re ipsa ponitur; quandoque enim talis vocatur quis, qualis, qui vocetur, dignus est. Vide paginam mox laudatam.

CAPUT II.

De Ironia.

IRONIA [εἰρωνεία] tropus est, quo contrarium pro contrario, sive oppositum pro opposito ponitur; vel quo ex re nominata, res huic contraria aut opposita intelligitur. Hic tropus locum habet I. In vocibus per se consideratis, quæ vulgo *Antiphrasis* appellatur. II. In vocibus in oratione certa positis, & cum illusione, vel exprobratione quadam pronunciatis; quæ est *Ironia*, cujus species quædam est *Sarcasmus*; cum quis ironia acerbiore miseris, & calamitate oppressis insultat.

ARTICULUS I.

De vocibus per se consideratis, sive de Antiphrasi.

§. I.

De vocibus iisdem sensum oppositum, aut contrarium habentibus.

בָּרַךְ *benedixit*. Gen. 12. v. 3. אֲבָרְכָה *benedicam benedicentibus tibi*, &c. Vide c. 24. v. 35. 2. Reg. 8. v. 10. Psal. 33. Heb. 34. v. 2. &c. Et per antiphrasin,

Maledixit. 3. Reg. 21. v. 10.... בֵּרַכְתָּ *benedixisti*, i. *maledixisti Deo & regi*. Vide Job, 1. vv. 3. 11. cap. 2. vv. 5. 9.

הָיָה in niphál *fuit*, *factus est*. Joel. 2. v. 2. *Similis ei* לֹא נִהְיָה *non fuit ab initio*, &c. Vide 3. Reg. 1. v. 27. Deut. 4. v. 32. &c. Et

Defuit. Dan. 2. v. 1. *Et somnium ejus* נִהְיְתָה *defuit ei*, vel *fugit ab eo*, Vulg. Vide etiam c. 8. v. 27. ubi נִהְיֵתִי significat defeci. Vulg. *langui*; sequitur enim, וְנֶחֱלֵיתִי *& ægrotavi*.

הָלַל in piél, *laudavit*. Psal. 116. Heb. 117. v. 1. *Laudate Dominum omnes gentes*, &c. Vide etiam Isai. 64. v. 11. Et in sensu opposito,

Insanum reddidit, *infatuavit*. Job. 12. v. 17. *Adducit consiliarios in stultum finem*, *& Judices* יְהוֹלֵל *insanos reddit*, vel *infatuat*. Vulg. *in stuporem*, supple *adducit* ex membro præcedenti. Vide etiam Isai. 44. v. 25. Psal. 74. Heb. 75. v. 5. &c.

חֶסֶד *benignitas*, *misericordia*, &c. Deut. 5. v. 10. *Et faciens* חֶסֶד *misericordiam in millia*, &c. Et

Opprobrium, *scelus*, &c. Prov. 14. v. 34. *Justitia elevat gentem*, וְחֶסֶד *& opprobrium est populorum peccatum*. Ita Sym. qui חֶסֶד vertit. ὄνειδος. Lxx. ἐλαττοῦσι δὲ φυλὰς ἁμαρτίαι, *minuunt autem tribus peccata*. Legisse videntur חֶסֶר *defectus*, cum ר pro ד, vel חִסֵּר *minuit*. Vulg. *miseros autem facit populos peccatum*. Vel legit ut Lxx. vel sensum duntaxat attendit; miseri enim sunt populi, cum *opprobrio* afficiuntur.

יָרַשׁ in qál, *possedit*. Deut. 3. v. 20. &c. וְיָרְשׁוּ *& possideant ipsi etiam terram*, &c. In hiphil autem

Expulit è possessione. Deut. 11. v. 23. &c. וְהוֹרִישׁ *disperdet*, vel *expellet Dominus omnes gentes istas*, &c. i. è possessione ejiciet.

כֶּסֶל *stultitia*, *inconstantia*, *levitas*. Psal. 48. Heb. 49. v. 14. *Hæc via illorum* כֶּסֶל *stultitia ipsis*. Aq. τοῦτο, ὁδὸς ἀνοησίας αὐτοῖς, *hoc, via insipientiæ ipsis*. Sym. αὕτη ἡ ὁδὸς αὐτῶν ἀνοίας αὐτοῖς, *hæc via eorum stultitiæ est ipsis*. Lxx. σκάνδαλον, *scandalum*. Non male; stultitia enim, prout hîc accipitur, verum est scandalum. S. Hieronymus; *Hæc est via insipientiæ eorum*. Item

Constantia, *spes*, *fiducia*. Job. 31. v. 24. *Si putavi aurum* כִּסְלִי *fiduciam meam*. Vetus interpres Græcus ἰσχύν μου, Vulg. *robur, meum*. Lxx. εἰς χοῦν μου, *in aggerem meum*, h. e. in munitionem meam. Suspicari quis possit Lxx. olim interpretatos fuisse ἰσχύν μου, ut vetus interpres mox laudatus, cum Ald. & Compl. editione reddidit; ac librariorum incuria irrepsisse εἰς χοῦν μου. Si hæc interpretatio à Lxx. profecta est, pro כִּסְלִי videntur legisse סַלְלִי, à rad. סָלַל *aggerem extulit*.

נֶפֶשׁ *anima*, *corpus animatum*, *animal*. Gen. 1. v. 24. *Producat terra animam viventem*, *in genere suo*, *jumenta*, *& reptilia*, &c. Et

Corpus exanime, *cadaver*, Levit. 19. v. 28. *Et* לְנֶפֶשׁ *super mortuo non incîdetis carnem vestram*, &c. Sic cap. 21. v. 1. c. 22. v. 4. Num. 5. v. 2. c. 6. v. 11. c. 9. v. 6. Agg. 2. v. 13. al. 14. &c. Sic etiam Virg. Æneid. l. 3. vv. 67. 68. *animamque sepulchro condimus*.

עֶרְוָה *nuditas*. Gen. 42. v. 12. *Quibus ille respondit*.... עֶרְוַת *nuditatem terræ hujus considerare venistis*, h. e. *immunita*, ut optime reddit Vulg. Item

Verenda, quæ nunquam nuda esse debent, sed tecta. Gen. 9. v. 22. *Quod cum vidisset Cham* .... עֶרְוַת *nuditatem*, i. *verenda patris sui esse nudata*, &c.

קָדַשׁ *sanctificari*. Exod. 29. v. 37. *Septem diebus expiabis altare*, וְקִדַּשְׁתָּ *& sanctificabis illud*, &c. Et per antiphrasin,

Contaminari. Deut. 22. v. 9. *Non seres vineam tuam altero semine*, פֶּן־תִּקְדַּשׁ *ne sanctificetur plenitudo ejus*, &c. i. ne contaminetur. Chald. *Ne* תִסְתָּאַב *polluatur*. Vide etiam Exod. 29. v. 37. Levit. 6. vv. 18. 27. &c. Sic ἄγος *sanctitatem* & *impuritatem*, sive *scelus* significat. καθαγίζειν, *sanctificare*, & quandoque *polluere*, teste Hesychio. *Sacrum*, pro sancto & abominando. Unde Virg. Æneid. l. 3. vv. 56. 57.

———— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

Εὐτραπελία profanis autoribus est *urbanitas*; Apostolo autem, Ephes. 5. v. 4. *scurrilitas*. E contrario ἀρέσκεια, *complacentia*, Coloss. 1. v. 10. in bonam partem sumitur, à profanis vero in malam, nempe pro *assentatione*.

§. II.

De vocibus derivatis diversum à sua radice significantibus.

SÆPE vox derivata significatum habet contrarium, sive oppositum, ei, quod obtinet radix, sive thema.

יָעַף *deficere*, *laborare*, *defatigari*. Isai. 40. v. 28.... *Deus sempiternus Deus* .... *non* יִיעַף *deficiet*, *neque laborabit*, &c. Vide etiam vv. 29. 30. 31. Inde תּוֹעָפוֹת *fortitudo*, *robur*, &c. Num. 23. v. 22. *Deus eduxit illum* (Jacobum, vel Israëlem) *de Ægypto*, כְּתוֹעֲפֹת *cujus fortitudo similis est rhinocerotis*. Vide insuper Job. 22. v. 25. Psal. 94. Heb. 95. v. 4.

קָדַשׁ *sanctum esse*. Vide supra. At קָדֵשׁ *scortator*, & קְדֵשָׁה *meretrix*. Deut. 23. v. 17. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël*. Pro *scortatore* interpretantur *Cynædum*.

שֹׁרֶשׁ *radix*. Deut. 29. v. 18.... *Ne sit inter vos* שֹׁרֶשׁ *radix germinans fel & amaritudinem*. Et inde verbum שֵׁרֵשׁ *eradicavit*. Job. 31. v. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia* תְשָׁרֵשׁ *eradicat genimina*.

Huc pertinent verba, quæ in diversis conjugationibus contrariam significationem obtinent, quæque etiam ad §. præcedentem referri possunt.

בָּרָא *creavit*. Vide Gen. 1. v. 1. &c. In piël autem בֵּרֵא *exscidit*, &c. Josue 17. v. 15.... *Si populus multus es* ... וּבֵרֵאתָ *succide tibi spatia*, &c. Vide etiam v. 18.

תָּאַב *concupivit*, &c. Psal. 118. Heb. 119. v. 40. *Ecce* תָּאַבְתִּי *concupivi mandata tua*, &c. In piël, *abominari*, *detestari*, &c. Amos. 6. v. 8.... מְתָאֵב *detestor ego superbiam Jacob*, &c.

Sic verbum סָכַן in qál *profuit*, in niphál *incommodum passus est*. Et in derivatis, סֹכֵן *thesaurarius*, מִסְכֵּן *inops*; מִסְכֵּנֻת *penuria*, מִסְכְּנוֹת *penaria* sive *promptuaria*.

סָקַל *lapidibus obruit*, in piël סִקֵּל *lapides removit*.

חָטָא *peccavit*, in piël *à peccato expiavit*, &c.

Hæc antiphraseos exempla sufficiant. Plura alia suppeditabunt Lexica.

ARTICULUS II.

De Ironia vocum in certa oratione positarum.

I. *In sermone Dei & Christi.*

GEN. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*, &c. Præter ironiam, allusio fit ad v. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*.

Deut. 32. v. 37. *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Vers. 38. *Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.*

Jud. 10. v. 14. *Ite & invocate Deos, quos elegistis; ipsi vos liberent in tempore angustiæ.*

Isai. 17. v. 3. *Et cessabit adjutorium ab Ephraim, & regnum à Damasco: & reliquiæ Syriæ, sicut gloria filiorum Israël,* &c. *Gloriam per ironiam dictam accipe, pro ignominia,* scribit S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 122. versus finem.

Ezech. 28. v. 3. *Ecce sapientior es tu Daniele; omne secretum non est absconditum à te.* Vide Jerem. cap. 22. v. 23. Ezech. 20. v. 39. Amos. 4. v. 4. Nah. 3. v. 14. &c.

Zach. 11. v. 13.... *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Ironia de pretio, quo per Judam tradendus erat Christus.

Matth. 26. v. 45.... *dormite jam & requiescite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Quæ verba ὡ προστάττοντος ἐστιν, οὐδὲ συμβουλεύοντος, ἀλλὰ ὀνειδίζοντος, *jubentis non sunt, neque consilium dantis, sed exprobrantis,* scribit S. Chrysost. q. d. minime nunc dormiendi tempus est, sed vigilandi; per me tamen vobis dormire licet.

Marc. 7. v. 9. *Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis,* i. pessime irritum facitis. Vide etiam Joan. 3. v. 10. c. 7. v. 28. & conf. c. 8. v. 14.

In sermone Sanctorum.

3. Reg. 18. v. 27. *Cumque jam esset meridies, illudebat eis* (Sacerdotibus Baal) *Elias dicens; Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.*

4. Reg. 8. v. 10. *Dixit ei* (Hazaëli) *Eliseus: vade, dic ei* (Benadad) *sanaberis.* Quod ironice dictum est, ut indicant verba sequentia: *porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Revera etiam die altero mortuus est Benadad, v. 15. Conf. tom. I. pag. 437. col. 1.

Job. 12. v. 2. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia.* Sarcasmus. Vide c. 26. vv. 2. 3. Eccle. 11. v. 9. Isai. 2. v. 10. c. 21. v. 5. Jerem. 8. v. 14. cap. 46. v. 9. Thren. 4. v. 21. &c.

1. Cor. 4. v. 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis,* &c.

2. Cor. 10. v. 12. *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant,* &c.

Cap. 11. v. 19. *Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes,* &c. Vide etiam c. 12. v. 13. &c.

Ad ironiam referuntur

I. Quædam simulato animo & πειραστικῶς, i. *tentandi ergo* prolata.

Gen. 19. v. 2. *Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri,* (sic duos angelos alloquitur Lot).... *qui dixerunt: minime; sed in platea manebimus.* Ita loquebantur Angeli, ut Lot tentarent, eumque urgerent ad se compellendum, quod reipsa contigit; missi enim erant à Deo, ut apud eum diverterent, eumque cum ejus familia è Sodomitica conflagratione eruerent. Conf. vv. 12. 13.

Gen. 22. v. 2. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac; & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum,* &c. Quæ Abrahamum tentandi causâ à Deo prolata fuisse, cum ex versu 1. *tentavit Deus Abraham,* &c. tum ex ipso eventu liquet.

Matth. 15. v. 24. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël....* Vers. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Tentationem & hîc fuisse, & explorationem fidei mulieris, ex eventu & Christi elogio patet.

II. Quædam cum dissimulatione & hypocrisi prolata, quæ quidem in se vera sunt, verum à loquentis mente aliena.

Gen. 37. v. 19. *Ecce somniator venit.* Vers. 20. *Venite, occidamus eum.... & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Revera Josephus revelationibus Divinis per somnia θεόπεμπτα, *à Deo immissa*, informabatur; at longe aliter de eo fratres ejus sentiebant.

2. Reg. 6. v. 20. *Quam gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur unus de scurris.* In oculis Domini vere qui-

dem hac in cerimonia gloriosus fuit David; minime vero in oculis Michol, quæ eum levitatis, scurrilitatisque insimulabat. Vide Psal. 21. Heb. 22. v. 9. Isai. 5. v. 19.

Matth. 22. v. 16. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo*, &c. Talis quidem erat Christus, sed illud in animum suum minime inducebant Pharisæi, qui sic eum alloquebantur, ut ipsum caperent in sermone. Conf. Luc. 20. v. 20. Vide etiam Matth. 27. vv. 29. 40. 42. 43. Marc. 15. v. 29. &c.

III. Quædam manifeste falsa, & fallaci animo prolata, cum dicentes longe aliter scirent sentirentque, ac loquebantur.

Gen. 3. v. 4. *Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini.* Vers. 5. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Hoc Diabolo minime constabat, imo contrarium ipsi erat perspectum. Porro hîc oculorum apertione, mentis & intelligentiæ acumen innuitur.

Matth. 2. v. 8. *Et mittens illos in Bethleem, dixit: ite, & interrogate diligenter de puero; &, cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Animus erat Herodis puerum Jesum occidere, non adorare; quod immani & exsecranda innocentium cæde tentavit.

CAPUT III.

De Metaphora.

METAPHORA [μεταφορά] tropus est, quo vox à propria & genuina significatione ad aliam, sed cognatam, propter similitudinem, transfertur. Metaphoram *necessitas genuit inopia coacta & angustiis*, inquit Tullius lib. 3. de orat. num. vulg. 155. Grut. 38. *post autem delectatio jucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi cœpta est ad ornatum etiam corporis & dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiæ causa, frequentata delectationis.* Hinc tropus ille, uti reliquorum omnium frequentissimus, ita etiam florentissimus est & jucundissimus; utpote qui miram stylo sacrarum literarum ἐνέργειαν & evidentiam conciliet.

Tam late patet Metaphora, ut, teste eodem Tullio, ibid. *nihil sit in rerum natura, cujus nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo & nomine.* Ut autem ordo aliquis in hoc capite exponendo servetur, tropum istum considerabimus I. Cum ad Deum transferuntur, quæ proprie hominis sunt. II. Quando eidem affinguntur, quæ ad alias creaturas pertinent. III. Cum rebus, quæ personæ non sunt, tribuuntur ea, quæ personis proprie competunt. IV. Distinctos metaphorarum fontes & classes proponemus; tum earum, quæ à Deo & creaturis desumuntur; tum earum, quæ à personis & rebus sacris, atque Divinum cultum quacunque ratione attinentibus, deducuntur.

ARTICULUS

ARTICULUS I.

De Metaphoris ab homine ad Deum translatis, sive de Α'ΝΘΡΩΠΟΠΑΘΕΙ'Α.

ANTHROPOPATHEIA metaphora est, qua, quod creaturis & præsertim homini competit, ad Deum, & res Divinas per quandam similitudinem, (remota prius omni imperfectione) transfertur. Vocatur etiam συγκατάβασις, *condescensio*; quia in sermone sacro Deus quasi *descendit* ad nos, & propter captus nostri imbecillitatem, nobiscum veluti balbutire, & blandius humiliusque, quam Majestati tantæ convenit, colloqui non dedignatur.

Quæ autem ab homine desumuntur metaphoræ, ac Deo tribuuntur, spectant *tum* hominis partes ac membra, *tum* affectus, *tum* actiones, *tum* adjuncta.

§. I.

Partes & membra humana Deo tributa.

ANIMA Deo tribuitur, qua ipsa Dei vita, seu essentia & voluntas, adeoque ipse Deus intelligitur. Sicut enim per animam homo vivit & operatur: sic Deus in seipso vita essentialis est, & actus purissimus.

Levit. 26. v. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea*, i. ego vos non abjiciam. Vide Isai. 1. v. 14. c. 42. v. 1. Jerem. 5. vv. 9. 29. c. 15. v. 1. &c. Matth. 12. v. 18. Heb. 10. v. 38. &c.

Jerem. 51. v. 14. *Juravit Dominus exercituum per animam suam*, &c. i. *per seipsum*, ut explicatur Isai. 45. v. 23. Jerem. 22. v. 5. Heb. 6. v. 13.

Psal. 23. Heb. 24. v. 4. *Qui non accepit in vanum* נַפְשִׁי (ut legendum docent Massorethæ) *animam meam*, hoc est, qui non juravit in vanum per me, ita ut loquens inducatur Deus. Lxx. τ̀ ψυχὼ αὐτ̃, Vulg. Lat. & S. Hieron. *animam suam*, legebant נַפְשׁוֹ, ut fert כְּתִיב ו׳, seu textus lectio. Sic etiam legit Chald. *Qui non juravit in falsum ad damnationem animæ suæ*. In fine versus, post verba: *nec juravit in dolo*, Lxx. quod ipsis insolens non est, addunt sensus complendi gratia, τῷ πλησίον αὐτ̃, Vulg. Lat. *proximo suo*.

CORPUS Deo ratione essentiæ suæ incorporeæ, nuspiam tribuitur; at Christo Deo incarnato assignatur,

1°. Dum *corpus* opponitur figuris, umbris, & typis Vet. Test. & ipsa veritas, seu complementum rerum per umbras illas præfiguratarum, eo denotatur.

Col. 2. v. 17.... *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, versio Syriaca, *Christus*, id est, quorum veritas & complementum Christus est. Vide S. Hieron. epist. ad Algasiam, quæst. 10. tom. 4. nov. edit. part. 1. col. 205. & S. Leonem Serm. 7. de passione Domini, pag. 127. tom. 1. edit. Lugd. 1700. qui vocem *corpus* eodem sensu accipiunt. Sic v. 9. *Omnis plenitudo Divinitatis habitare corporaliter in Christo dicitur*, i. vere, perfectissime; non typice & umbratiliter, ut in V. T. Deus sese manifestavit.

2°. Dum Ecclesia dicitur corpus Christi, & plenitudo, seu complementum ejus.

Eph. 1. v. 22. *Et ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus*, &c. Ecclesia corpus

Christi nominatur, quia ab eo regitur, sensumque, vitam ac spiritualem motum recipit, ut corpus hominis à capite habet unde vivat, moveatur, &c. Præterea eo sensu Ecclesia complementum, sive plenitudo Christi dicitur, quod licet Christus perfectissimus sit, ac nostri non indigeat: tanto tamen amore Ecclesiam suam complectitur, ut sine ea nolit esse, perinde ut corpus non est sine membris suis. Conf. Ephes. 4. vv. 12. 15. 16. Quæ ad verum & humanum corpus Christi spectant, huc non pertinent.

CAPUT Christi dicitur Deus, 1. Cor. 11. v. 3.... *caput vero Christi, Deus.* 1°. Ratione humanæ naturæ, qua Christus minor est patre, Joan. 14. v. 28. 2°. Ratione officii mediatoris & redemtoris; omnia enim à Christo peracta regimen suum à Deitate obtinent.

VULTUS, sive FACIES Deo tribuitur, qua significatur 1°. Ejus manifestatio *in cœlo.* Psal. 15. Heb. 16. v. 11. *Adimplebis me lætitia cum vulto tuo.* Vide etiam Psal. 16. Heb. 17. v. 15.

Matth. 18. v. 10. *Angeli enim eorum* (parvulorum) *in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.*

2°. *In terra;* idque vel *in specie* vel *in genere.*

In specie, cum adspectabilis ejus præsentia notatur per columnam nubis & ignis ab Israëlitis in deserto visam. Exod. 33. v. 14. *Dixitque Dominus: facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Vers. 15. *Nisi facies tua præcesserit, ne educas nos de loco isto*, i. nisi columna nubis & ignis pro more præcesserit.

In genere, cum vel ipse *locus*, in quo se hominibus salutariter & gratiose patefacit Deus, intelligitur; vel ipsa Dei *operatio*, qua veluti conspicuum se & notum hominibus reddit.

Locus, Gen. 4. v. 16. *Egressusque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra, ad orientalem plagam Eden*, i. egressus è loco, in quo parentes ejus cultum Deo præstabant, & singularem ejus misericordiam experiebantur.

Jon. 1. v. 3. *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini*, &c. i. è terra Israëlis; putabat enim extra terram sanctam non esse Divinis revelationibus locum, ac proinde sperabat in peregrinis istis locis Deum sibi molestum amplius non futurum.

Huc pertinet Exod. 23. v. 15. *Non conspicietur facies mea vacue*, Vulg. *non apparebis in conspectu meo* (i. in loco sancto) *vacuus*, Hinc appellatio *panum faciei*, Vulg. *propositionis*, i. qui in Tabernaculo, vel in Templo coram Domino ponebantur.

Psal. 99. Heb. 100. v. 2. *Ingredimini ad faciem ejus cum cantu*, i. ingredimini in Tabernaculum ejus. Vulg. *introite in conspectu ejus in exsultatione.* Vide etiam Psal. 103. Heb. 104. v. 4.

2. Reg. 21. v. 1. *Et requisivit David faciem Domini*, i. & consuluit David Dominum in loco sancto. Vulg. *Et consuluit David oraculum Domini.*

Ipsa Dei operatio, quæ vel est *generalis*, vel *specialis.*

Generalis, qua Dei providentia ubique præsentissimi significatur.

Psal. 138. Heb. 139. v. 7. *Quo à facie tua fugiam?* i. à præsentia tua, quæ ubique est, Vide sequentia.

Specialis, videlicet *ira* & vindicta, vel *gratia* & misericordia.

Ira, Lev. 17. v. 10. *Ponam*, vel *dabo faciem meam contra animam, quæ comederit sanguinem, & disperdam eam de populo suo*, i. iram meam ut experiatur, faciam.

Psal. 20. Heb. 21. v. 10. *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui*, i. iræ tuæ, Vide Psal. 33. Heb. 34. v. 17. Psal. 67. Heb. 68. v. 3. Thren. 4. v. 16. 2. Thess. 1. v. 9. 1. Pet. 3. v. 12. &c.

Gratia, Psal. 30. Heb. 31. v. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, i. gratiæ, & misericordiæ tuæ. Vide Psal. 88. Heb. 89. v. 16. 1. Paral. 29. v. 12. &c.

Hinc loquutiones istæ:

1°. De DEO. *Elevare faciem, lucere facere faciem super aliquem*, idem est quod gratiam & misericordiam ei exhibere, Num. 6. vv. 25. 26. Psal. 4. v. 7. Psal. 30. Heb. 31. v. 17. Psal. 66. Heb. 67. v. 2. Psal. 79. Heb. 80. vv. 4. 8. 20. Dan. 9. v. 17. *Abscondere faciem ab aliquo*, ei gratiam denegare, & iratum se exhibere significat, Psal. 12. Heb. 13. v. 2.

Psal. 26. Heb. 27. v. 9. Psal. 29. Heb. 30. v. 8. Ezech. 39. v. 24.

2°. De HOMINIBUS. *Faciem Domini requirere*, est gratiam ejus expetere, Psal. 26. Heb. 27. v. 8. 2. Paral. 7. v. 14. &c. *Ambulare ante faciem Domini*, secundum beneplacitum ejus vitam instituere significat, 2. Paral. 7. v. 17. Isai. 38. v. 3. &c.

OCULI Deo tribuuntur, quibus intelligitur,

1°. Accuratissima ejus notitia. Psal, 10. Heb. 11. v. 4. *Oculi ejus* (Dei) *respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Lxx. ante verbum *respiciunt*, addunt εἰς τὸν πένητα, *in pauperem*, quod ab Origene obelo notatum est. Hinc cod. Vatic. in h. l. hæc habet: τὸ, εἰς τὸν πένητα, ἐν τῇ σελίδι τῶν Ο ἔκειτο μόνον ἀμφιβόλως, i. *illud*, in pauperem, *in sola Lxx. Interpretum columna dubie jacebat*; quia licet Origenis tempore in Hebræo non jaceret, ibi tamen exstare potuerat Lxx. interpretum ævo, ut scribit noster D. Bernard. *de Montfaucon*, Prælim. in Hexapla, tom. I. pag. 40. Duo illa verba à Lxx. explicationis & sensus complendi gratia adjici etiam potuerunt, ut supra pag. 65. col. 1. in Psal. 23. Heb. 24. v. 4. voces *proximo suo* eadem de causa ab eis sunt additæ.

Job. 34. v. 21. *Oculi enim ejus sunt super vias hominum, & gressus eorum considerat.* Vide Isai. 1. v. 16. Ose. 13. v. 14. Amos. 9. v. 3.

Eccli. cap. 23. v. 27. *Et non intelligit* (homo), *quoniam omnia vidit oculus illius* (Dei). Vers. 28. *Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum*, &c. Vide etiam Heb. 4. v. 13.

2°. Providentia ejus inter homines; idque vel *in bonum* vel *in malum.*

In bonum; tuncque gratia & benevolentia Divina notatur. Deut. 11. v. 12. *Quam* (terram) *Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni usque ad finem illius*, hoc est, quam terram curat, fovet ac fertilem reddit.

3. Reg. 9. v. 3. *Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Vide 2. Paral. 16. v. 9. Esd. 5. v. 5. Psal. 31. Heb. 32. v. 8. Psal. 33. Heb. 34. v. 16. 1. Pet. 3. v. 12. Inde phrases: *Oculum Dei parcere*, i. propitium fieri, Ezech. 5. v. 11. cap. 7. v. 4. c. 20. v. 17. *Projici à facie oculorum Dei*, est cura & favore ejus privari, Psal. 30. Heb. 31. v. 23. *Tanquam pupillam oculi Dei custodiri*, peculiari ejus gratia & tutela frui denotat, Deut. 32. v. 10. Confer Psal. 16. Heb. 17. v. 8. Zach. 2. v. 8. &c.

In malum, quo ira Dei, & pœnæ ab eo infligendæ significantur. Amos. 9. v. 4. *Ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.*

Isai. 3. v. 8. *Oculi Majestatis Divinæ provocari* dicuntur, h. e. ad iram ipsum concitari.

AURES Deo tribuuntur, quibus significatur non *in genere* solum cognitio rerum omnium, quæ in terris aguntur; sed in *specie*,

1°. Precum, quæ ipsi à fidelibus & credentibus, ut par est, offeruntur. Psal. 9. Heb. 10. v. 17. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Vide Psal. 30. Heb. 31. v. 3. Psal. 54. Heb. 55. v. 2. Psal. 70. Heb. 71. v. 2. Psal. 129. Heb. 130. v. 2. &c.

2°. Gravissimorum peccatorum, quæ ut *clamantia in cœlum* alias proponi solent, cognitio. Isai. 5. v. 9. *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum*, &c.

Jac. 5. v. 4. *Ecce merces operariorum... clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

Aures perforare, pro in servum fidelem adsciscere, dicitur de promissio Messia.

Psal. 39. Heb. 40. v. 7. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perforasti mihi.* Sic Aq. ὠτία δὲ ἔσκαψάς μοι, *auriculas*, S. Hieron. *aures autem fodisti mihi.* Sym. ὠτία δὲ κατεσκεύασάς μοι, *auriculas autem præparasti mihi.* Theod. V^a. & VI^a. edit. ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, *auriculas*, Vulg. Lat. *aures autem perfecisti mihi.* Sive interpreteris *aures perforasti*, vel *aures præparasti*, aut *perfecisti mihi*, idem sensus est; his enim loquutionibus innuitur aurium perfectio, & metaphorice prompta obedientia. Cum enim aures bene perforatæ, aut perfectæ sunt, exquisitus est auditus, proindeque in mandatis exsequendis nulla, hac ex parte, interponitur mora.

Neque hæc interpretatio omnino diversa est ab ea, quam supra retulimus, & in qua alludi putant ad loca Exod. 21. v. 7. & Deut. 15. v. 17. in quibus legere est subula perforari aurem servi, qui septimo anno liber exire nolebat, quique illa auris perforatione perpetuam Domino suo servitutem profitebatur. Quare metaphora illa perfectissimam obedientiam Deo Patri à filio incarnato præstitam significabit. Lxx. autem & Apostolus ad Heb. 10. v. 5. interpretantur: σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, *corpus autem aptasti* vel *perfecisti mihi*. Vel quia per synecdochen posuerunt totum pro parte, corpus nimirum pro auribus; vel quia Lxx. quidem interpretati erant ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, *aures autem perfecisti mihi*, ut liquet ex cod. Coisliano, Vulg. Latina editione, & scholiasta mox laudando, Apostolus autem vocem *aures* in *corpus* mutavit, quia ad propositum suum faciebat, ut observat vetus scholiastes, τὸ, ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, ὁ μακάριος Παῦλος εἰς τὸ σῶμα μεταβαλὼν εἴρηκεν, οὐκ ἀγνοῶν τὸ Ἑβραϊκὸν, ἀλλὰ πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν χρησάμενος, *illud*: aures autem perfecisti mihi, *beatus Paulus in* corpus *commutans dixit, non quod Hebræum ignoraret, sed ad suum scopum usus*. Secundum hanc expositionem sensus erit: hostiam & oblationem, quæ tibi in veteri lege offerebantur, noluisti; corpus autem aptasti mihi, quod tibi in sacrificium pro peccatis humani generis offerrem. Syrus: *corpore vero induisti me*.

Doctissimus *Lambertus Bos* in proleg. ad editionem suam Lxx. interpretum, cap. 3. existimat interpretes illos quondam vertisse ὠτία, *aures*, sive *auriculas*; sed librariorum incuria vocem illam corruptam fuisse ac mutatam in σῶμα; repetita videlicet ultima vocis præcedentis ἠθέλησας litera, & facto Μ ex Τ & Ι dictionis ὠτία, sic: ΗΘΕΛΗϹΑϹϹΩΜΑ, pro ΗΘΕΛΗϹΑϹΩΤΙΑ; antiquitus enim voces omnes literis, ut vocant, uncialibus, & sine ulla distinctione scribebantur. Alia literæ hujus repetitæ exempla affert vir idem sagacissimus ex Eccle. 10. 15. ubi pro μόχθος τῶν ἀφρόνων κακώσει αὐτοὺς, mſ. Alex. habet, μόχθος τοῦ ἄφρονος σκοτώσει αὐτὸν, pro τοῦ ἄφρονος κοπώσει αὐτὸν, ubi insuper Π mutatur in Τ, hoc modo: ΑΦΡΟΝΟϹϹΚΟΤΩϹΕΙ, pro ΑΦΡΟΝΟϹΚΟΠΩϹΕΙ, Isai. 40. v. 3. pro τὰ ἄβατα, mſ. Marchal. præfert τὰ σάββατα. Denique apud Julianum epist. ad Athen. pro ἐπὶ τὰς Κοττίας Ἄλπεις, legitur ἐπὶ τὰς σκοτίας Ἄλπεις.

NASUS Deo tribuitur. Deut. 33. v. 10. *Ponent* (Levitæ) *thymiama* בְּאַפֶּךָ *in naso*; vel *ad nasum tuum*, h. e. ut sit odor gratissimus naribus tuis. Lxx. Vatic. ἐν ὀργῇ σου, Vulg. *in furore tuo*, i. ad placandum furorem tuum cum iratus fueris. Heb. אַף & *nasum*, & *furorem* significat. Chald. קֳדָמָךְ, Lxx. Complut. ἐνώπιόν σου, *coram te*, seu *ad faciem tuam*, quæ est etiam vocis אַף significatio.

Os, ORIS Deo tribuitur, quo intelligitur, 1°. *In genere* ejus voluntas, verbum, sententia, mandatum, &c. Jos. 9. v. 14. *Os Domini non interrogaverunt*, i. sententiam Domini non requisierunt.

1. Reg. 15. v. 24. *Peccavi, quia transgressus sum* פִּי־יְהוָה *os Domini*, i. *sermonem Domini*, ut optime reddidit Vulg. Vide etiam 4. Reg. 24. v. 3. Isai. 30. v. 2. &c.

Notandus est locus Deut. 8. v. 3. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni* (verbo), *quod egreditur de ore Dei*, i. in qualibet alia re, quam Deus ad sustentandam hominis vitam statuerit; *verbum* enim, quod hic subintelligitur, Hebræis idem est ac τὸ πρᾶγμα Græcis, & *negotium* Latinis. Christus Matth. 4. v. 4. eundem versum objicit Diabolo tentanti eum, ac postulanti, ut ex lapidibus panes conficeret; eaque responsione se Dei filium esse neque asserit, neque negat.

2°. *In specie*, quando familiari & intima ratione alicui se patefacit.

Num. 12. v. 8.... *ore enim ad os loquor ei* (Moysi), Sic:

LABIA Deo tribuuntur, tum cum de loquela sermo est, Job. 11. v. 5. *Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi*. Tum cum de ira Divina agitur. Isai. 30. v. 27. *Labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans*.

Isai. c. 11. v. 4. de Christo dicitur, quod *spiritu labiorum suorum interfecturus sit im-*

pium, seu Anti-Christum. Confer 2. Thess. c. 2. v. 8.

CERVIX, seu DORSUM Deo tribuitur, quo *faciei*, i. favoris & gratiæ denegatio significatur:

Jerem. 18. v. 17. *Cervicem, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*, i. iram meam, non misericordiam experientur. Vulg. *Dorsum & non faciem*, &c. Vox Hebraica עֹרֶף & *cervicem* & *dorsum* significat. LXX. octies eam νῶτον *tergum, dorsum*; toties τράχηλον *collum*; ter αὐχένα *cervicem*, interpretantur. Vetus etiam interpres eo loci αὐχένα reddidit.

BRACHIUM Deo tribuitur, quo robur ejus ac potentia innuitur; quia in hominibus corporis robur in labore, pugna, &c. brachiis potissimum exseritur.

Exod. 15. v. 16. *Irruat super eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui*, &c. i. potentiæ tuæ. Vide Job. 40. v. 4. Psal. 76. Heb. 77. v. 16. Psal. 78. Heb. 79. v. 11. Psal. 88. Heb. 89. vv. 11. 14. Isai. 30. v. 30. c. 51. v. 9. c. 59. v. 16. c. 62. v. 8. c. 63. v. 5. &c.

Psal. 135. Heb. 136. v. 12. *In manu potenti & brachio* נְטוּיָה *extento*, Vulg. *excelso*. Metaphora sumta à pugnantibus, vel aliis vehementius labori alicui incumbentibus; illi enim brachium omni vi atque impetu exserere solent, quandoque etiam denudare ad impedimenta vestium removenda. Hinc

Ezech. 4. v. 7. *Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, & brachium tuum erit* חֲשׂוּפָה *denudatum*, Vulg. *extentum*. LXX. sensum non verba sequuti, καὶ τὸν βραχίονά σου στερεώσεις, *& brachium tuum firmabis*, h. e. instar fortis & ardentis bellatoris, concionibus tuis contra Jerusalem pugnabis.

Isai. 52. v. 10. חָשַׂף *nudavit Dominus brachium suum in oculis omnium gentium*, &c.

Ibid. c. 53. v. 1. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Sunt tamen, qui hac loquutione significari velint doctrinam Evangelii, *qua est potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16. Alii autem hic & Isai. 51. v. 9. c. 59. v. 16. Messiam *virtutem Dei & sapientiam*, 1. Cor. 1. v. 24. intelligunt. Vide etiam Joan. 12. v. 38.

Luc. 1. v. 51. *Fecit* (Deus) *potentiam in brachio suo*, hoc est, maximam suam potentiam exseruit.

MANUS Deo tribuuntur, quibus itidem potentia ejus intelligitur; idque

1°. In potentissima ac mira admodum operatione. Num. 11. v. 23. *Nunquid manus Domini invalida est?* i. potentia Domini. Vide Job. 10. v. 8. c. 12. vv. 9. 10. Psal. 8. v. 7. Psal. 94. Heb. 95. v. 5. &c.

2°. In protectione singulari. Psal. 30. Heb. 31. v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum*, &c. Vide Psal. 143. Heb. 144. v. 7. Sap. 3. v. 1. Joan. 10. vv. 28. 29. Act. 4. v. 30.

3°. In pœnarum inflictione. Exod. 9. v. 3. *Ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos & asinos ... pestis valde gravis.* Vide Job. 19. v. 21. Psal. 16. Heb. 17. v. 14. Psal. 20. Heb. 21. v. 9. Psal. 37. Heb. 38. v. 3. Act. 13. v. 11.

4°. Metonymice pro ipsa pœna Divinitus inflicta. Job. 23. v. 2. *Manus mea aggravata est super gemitum meum*, i. plaga mea, ut Chald. reddidit; vel *manus plagæ meæ*, ut Vulg. hoc est, manus, quæ mihi plagam inflixit. Vide Ezech. 39. v. 21. Et inde phrases:

Manum extendere, pro pœnas immittere. Exod. 7. v. 5. *Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus, qui manum extenderim super Ægyptum*, i. qui afflixerim Ægyptum. Vide Isai. 5. v. 25. cap. 9. vv. 12. 17. 21. cap. 10. v. 4. c. 14. v. 27. &c.

Manum mittere, eodem sensu, Job. 1. v. 11. c. 2. v. 5. Psal. 137. Heb. 138. v. 7.

Manum movere, Isai. 19. v. 16. *Et timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam* (Ægyptum).

Manum Dei gravari, vel *aggravari*, gravius ab ipso castigari significat. Psal. 31. Heb. 32. v. 4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*, &c.

Manum Dei alleviari, vel *relevari*, mitioribus pœnis affici, vel illis liberari denotat. 1. Reg. 6. v. 5. *Si forte relevet* (Deus) *manum suam à vobis*, &c.

Manum suam avertere dicitur Deus, cum plagam, seu pœnam non infligit. Ezech. 20. v. 22. *Averti autem manum meam*, &c. i. pos-

nam. Et contrario significatu, *manum convertere*, est pœnas repetere. Isai. 1. v. 25. *Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam*, &c. i. iterum pœnis & afflictionibus eliquabo te, &c.

Manum levare ad gentes dicitur, cum eas advocat. Isai. 49. v. 22.

Manum extendere, cum ad resipiscentiam misericorditer vocat, Prov. 1. v. 24. Isai. 65. v. 2.

Manus complodere, detestari atque aversari innuit. Ezech. 21. v. 17. c. 22. v. 13.

Manus levare, seu *extollere*, est jurare. Exod. 6. v. 8. Deut. 22. v. 4. &c. Vide supra pag. 59. col. 1.

Denique *manus Domini* afflatum quendam propheticum significat, quem sanctis suis hominibus ad opera quædam & effata indidit. Vide 3. Reg. 18. v. 46. 4. Reg. 3. v. 15. &c. quibus in locis Paraph. Chald. phrasi *requiescere spiritum prophetiæ* utitur.

DEXTERA Deo tribuitur, qua pariter Divina ejus potentia intelligitur.

Exod. 15. v. 6. *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua, Domine, percussit inimicum.*

Psal. 76. Heb. 77. v. 11. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Psal. 117. Heb. 118. v. 16. *Dextera Domini fecit virtutem*, &c. vide Isai. 48. v. 13. &c. Hinc phrasis: *sedere ad dexteram Dei*, dicitur de Christo secundum humanam naturam exaltato, Psal. 109. Heb. 110. v. 1. Matth. 26. v. 64. Marc. 16. v. 19. Act. 2. vv. 33. 34. c. 7. vv. 55. 56. Rom. 8. v. 34. Coloss. 3. v. 1. &c. qua etiam loquutione intelligitur dominium præsentissime ac potentissime operantis gubernantisque, ut explicat Apost. ad Eph. c. 1. vv. 20. 21. 22. Heb. 1. vv. 3. 4. c. 8. v. 1. &c.

DIGITUS Deo tribuitur, quo itidem potentia & virtus ejus operantis denotatur.

Exod. 8. v. 19. *Et dixerunt malefici ad Pharaonem: digitus Dei est hic*, &c. i. potentia Divina. Vide Psal. 8. v. 4. &c.

Item *Spiritus sanctus*, Luc. 11. v. 20. *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, &c. quod Matth. per *Spiritum Dei* exprimit c. 12. v. 28. *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia*, &c. Et in hymno Pentecostes, *Digitus paternæ dexteræ*, &c.

COR Deo tribuitur, quo 1°. viva ejus essentia significatur, quemadmodum in homine cor principium vitæ censetur. Gen. 6. v. 6. *Et doluit* (Deus) *in corde suo*, &c. hoc est, doluit in semetipso.

2°. Voluntas, & decretum Divinum, &c. intelligitur. Gen. 8. v. 21. *Odoratusque est Dominus odorem quietis*, Vulg. *suavitatis*, *& Dixit Dominus in corde suo*, &c. i. statuit, decrevit.

Jerem. 19. v. 5. *Quæ nec præcepi, nec loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum*, i. nec cogitavi; cor enim, secundum Scripturam, ut diximus supra pag. 45. col. 2. sedes est animæ, cujus est cogitare, velle, decernere, &c.

3°. Beneplacitum & approbatio Dei indicatur. 1. Reg. 13. v. 14. *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum*, &c. hoc est, secundum beneplacitum suum. Vide Act. 13. v. 22. Jerem. 32. v. 41. &c.

VISCERA Deo tribuuntur, quibus misericordia, & dilectio ejus ardentissima exprimitur.

Isai. 63. v. 15. *Ubi est zelus & fortitudo tua, & multitudo viscerum tuorum?* i. amoris tui ardentissimi. Vide etiam Jerem. 31. v. 20.

Luc. 1. v. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, &c. Hinc verbum σπλαγχνίζεσθαι, *misericordia commoveri*, quod de Christo sæpius usurpatur. Vide Matth. 9. v. 36. c. 14. v. 14. c. 15. v. 32. Marc. 1. v. 41. c. 6. v. 34. &c.

SINUS Deo tribuitur in tribus Scripturæ locis.

1°. Psal. 73. Heb. 74. v. 11. *Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo perfice*, vel *confice*, i. ne sinito amplius dexteram tuam in sinu tuo otiosam residere, sed ex eo eductam exsere contra hostes tuos, & perfice opera tua; vel confice, consume hostes tuos. Vulg. *de medio sinu tuo in finem*, h. e. educ eam (dexteram) de medio sinu tuo ad finem imponendum afflictioni nostræ. Chaldæus: *Cur avertis manum tuam & dexteram tuam a redimendo? E medio sinu extrahe eam, & finem impone af-*

flictioni. Conf. Prov. 19. v. 24. c. 26. v. 15.

2°. Isai. 40. v. 11. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit*, vel *portabit*, h. e. summa benignitate ac misericordia erga eos utetur. Metaphora sumta est à pastoribus, qui solent parvos & imbecilles agnos in sinu molliter gestare, sicut oves grandiores in cervice aut tergo.

3°. Joan. 1. v. 18. *Unigenitus filius, qui est in sinu patris*, &c. qua metaphora intima communio filii Dei cum Deo Patre innuitur, quæ consistit tum in æterna generatione, tum in unitate essentiæ, tum in ardentissima dilectione, tum denique in secretissimorum communicatione; solus enim Filius novit & perfecte videt Patrem; unde solus eum, & mysteria ejus cœlestia patefacere potest; ad quod ultimum Joannes potissimum respicit, ut ex ipso contextu liquet.

PEDES Deo tribuuntur, quibus denotatur,

1°, Ejus immensitas, sive in quovis loco præsentia. Isai. 66. v. 1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, &c. i. & in cœlis & in terra habito simul, sive præsens sum.

2°. Ejus operatio tum in hostibus supplantandis & conterendis. Psal. 109. Heb. 110. v. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Vide Thren. 3. v. 34. Tum in Ecclesia salvanda & glorificanda. Isai. 60. v. 13. *Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul.... & locum pedum meorum glorificabo*, i. Ecclesiam, quæ pedibus meis assidet, ut verba mea, sive doctrinam meam audiat; unde Deut. 33. v. 3. legitur: *Omnes sancti in manu illius sunt, & , qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Metaphora desumitur à ritu discipulorum, qui magistrorum suorum pedibus assident. Vide Luc. 10. v. 39. Act. 22. v. 3.

Nahum. 1. v. 3. *Nebulæ* dicuntur *pulvis pedum Dei;* quo tropo maxima ejus inter gradiendum celeritas indicatur. Ut enim homines, qui currunt, ingentem pulverem excitant: sic Deus, dum in cœlis ambulat, nubes quasi pulverem pedibus suis commovet. Conf. Isai. 19. v. 1. cap. 60. v. 8. Psal. 103. Heb. 104. v. 3.

§. II.

Affectus humani Deo tributi.

CUM Deo affectus humani tribuuntur, videndum est in primis, ut omnis imperfectio ab eis removeatur; longe enim aliter se habet Deus irascens, v. g. & homo eodem affectu correptus. *Ira hominis*, inquit August. lib. 2. ad Simplicianum, quæst. secunda, tom. 6. nov. edit. col. 113. *turbida est, & non sine cruciatu animi; ira vero Dei, de qua dicitur in Evangelio*, (Joan. 3. v. 36.) *sed ira Dei manet super eum; & Apostolus;* (Rom. 1. v. 18.) revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, *illo in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam,... Ita zelum humanum non sine peste livoris intelligimus, zelantem vero Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.* Quare Theologis dicitur Deus irasci, odisse, pœnitere, &c. quod effectus attinet, non quod affectus. Quidam tamen distingunt inter affectus, quorum nonnulli ita Deo tribuuntur, ut vere in ipso sint; sed non ratione imperfecta, & per modum accidentis, ut in homine: verum ratione longe puriori & eminentiori, adeoque per modum ipsius essentiæ, seu substantiæ, ut *charitas, misericordia, gaudium*, &c. Psal. 103. Heb. 104. v. 31. *Lætatur Dominus in operibus suis*, h. e. complacet sibi. Hac etiam phrasi significatur gratuitus & propensissimus ejus in suam Ecclesiam amor. Isai. 62. v. 5. *Et gaudebit sponsus super sponsam; & gaudebit super te Deus tuus*, id est, sicut sponsus gaudet propter sponsam; sic gaudebit propter te Deus tuus, ô Ecclesia!

Quidam vero affectus humani, propriè

loquendo, in Deo non sunt, sed ad Divinum quiddam significandum per similitudinem ad eum referuntur. Hujus generis sunt,

TRISTITIA & DOLOR, sive AFFLICTIO ANIMI, quibus gratiæ Divinæ substractio denotatur.

Isai. 63. v. 10. *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt*, וְעִצְּבוּ *& dolore affecerunt*, Vulg. *& afflixerunt Spiritum sanctitatis ejus*, i. Spiritum Sanctum ejus; q. d. talia perpetrarunt, quibus Spiritus Sancti gratia sese indignos præstiterunt.

Psal. 77. Heb. 78. v. 40. *Quoties* ... יַעֲצִיבוּהוּ *dolore affecerunt eum in solitudine*, sive *in inaquoso*, Vulg. h. e. quoties ita se gesserunt erga Deum, ut suam eis gratiam denegaverit, ac pœnis affecerit.

Ephes. 4. v. 30. *Et ne* λυπῆτε, *contristetis Spiritum Sanctum*, &c.

Sic Gen. 6. v. 6. *Et doluit Deus in corde suo*, &c. i. malitia hominum ipsi valde displicuit, ac de pœna immittenda Divinum decretum tulit.

Huc pertinet illud Jud. 10. v. 16..... וַתִּקְצַר נַפְשׁוֹ *& abbreviata est anima ejus*, i. doluit super miseriis eorum, ut optime Chald. & Vulg. interpretantur; quo dolore commiseratio Divina hic significatur. Vide eandem loquutionem Zach. 11. v. 8. sed ibi de indignatione & aversatione Divina usurpatur.

POENITENTIA Deo tribuitur, qua denotatur,

1°. Divina displicentia adversus peccata, & pœnarum inflictio. Gen. 6. v. 6. *Pœnituit eum* (Deum) *quod hominem fecisset*. Vide 1. Reg. 15. v. 11. & 35. Jerem. 18. v. 10.

2°. Divina commiseratio & pœnarum ablatio, si agatur de hominibus seria pœnitentia ad eum conversis. Exod. 32. v. 12. *Et pœniteat te* (ô Deus) *super nequitia populi tui*, Vulg. *& esto placabilis*. Vers. 14. *Et pœnituit Dominum, ne faceret malum*, &c. Vulg. *Placatusque est Dominus*, &c. Vide etiam 2. Reg. 24. v. 16. Psal. 105. Heb. 106. v. 45. Jerem. 18. v. 8. &c. Hæc autem Dei pœnitentia nullam in eo mutationem arguit, sed tantum in rebus, quas immotus mutat; utrumque enim ab æterno decrevit, & facere aliquod opus, & illud rursum mutare propter peccata, vel resipiscentiam hominum.

IRA, ULTIO, ODIUM, Deo tribuuntur, quibus justa ejus vindicta innuitur, teste Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 16. tom. 8. nov. edit. col. 942. *Ira Dei nihil est aliud*, inquit, *quam justa vindicta; non enim sicut hominis animi perturbatio est ira Dei, sed illius ira est, cui dicit alio loco S. Scriptura* (Sap. 12. v. 18.) *Tu autem, Domine Deus virtutum, cum tranquillitate judicas.* Vide eundem in Enchir. ad Laurentium cap. 33. tom. 6. nov. edit. col. 209.

Exod. 15. v. 8. *In Spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ*, &c. Sumta est metaphora ab iratis hominibus, qui in vehementi iræ commotione spiritum è naribus fortius emittunt. Unde quidam volunt אַף primario *nasum* significare, secundario vero & metaphorice *iram*, quod ea in naribus potissimum appareat. Sed falluntur; hujus enim nominis radix אָנַף pro *irasci*, *succensere*, &c. ubique accipitur; & אַף ab ipso etiam Aquila (*contentioso interprete, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est*, ut scribit Hieron. epist. XXXIII. ad Pammach. tom. 3. nov. edit. col. 255.) redditur θυμὸς, *ira*, Psal. 6. v. 1. &c.

LÆTITIA, sive GAUDIUM Deo punienti tributum, celeritatem ejus in suppliciis infligendis denotat.

Deut. 28. v. 63. *Sic lætabitur* (Dominus) *disperdens vos atque subvertens*, &c. i. cum celeritate disperdet vos.

CONSOLATIONEM ACCIPERE dicitur Deus, cum ab hostibus suis ultionem sumit, quemadmodum iratis hominibus vindicta solet esse suavissima.

Isai. 1. v. 24. *Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Vide etiam c. 57. v. 6. & Ezech. 5. v. 13.

ONUS, DEFATIGATIO, LABOR, Deo tribuuntur, quibus odium ejus significatur.

Isai. 1. v. 14. *Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta* (Heb. *fuerunt mihi oneri*), *laboravi sustinens.*

ZELUS,

ZELUS, seu ZELOTYPIA Deo tribuitur, innuiturque,

1°. Ardentissima ejus dilectio erga credentes, conjuncta cum indignatione adversus hostes eorum. Isai. 9. v. 7. *Multiplicabitur ejus* (Messiæ) *imperium ..... zelus Domini exercituum faciet hoc.* Vide Joel. 2. v. 18. &c.

2°. Vehemens ira adversus improbos. Exod. 20. v. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*, &c. Vide Num. 25. v. 11. Zach. 8. v. 2. &c. Sic in hiphil, cum dicuntur homines *zelare Deum facere*, seu ad zelum, sive zelotypiam provocare, idololatria & peccatis aliis, Deut. 32. vv. 16. 21. 3. Reg. 14. v. 22. Ezech. 8. v. 3. &c.

§. III.

Actiones humanæ Deo tributæ.

EX actionibus humanis aliæ sunt, quæ ad facultatem animæ *intelligentem*, sive rationalem, pertinent; aliæ, quæ ad *sentientem*, sive animalem. Actiones, quæ ad intelligentiam spectant, sunt vel *internæ*, vel *externæ*.

Actiones internæ Deo tributæ.

COGNITIO, non in genere; ea siquidem Deo propriissime & perfectissime omniscio competit; sed quasi experimentalis, & speciali quodam actu novo acquisita.

Gen. 18. v. 21. *Descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Hic more hominum loquitur Deus, qui, ut rem sciant & cognoscant, ad locum, ubi facta est, se conferunt, & oculorum inspectione, aliisque mediis, de ea certi fiunt.

Ibid. c. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*, i. nunc manifesto & externo indicio comperta est mihi cordis tui fiducia & obedientia, quam antea ex infinita scientia mea cognoscebam. Innuitur insuper Divina facti hujus approbatio; nam scientia Dei duplici ratione consideratur; & ut notitia futuri, & ut approbatio facti, ut 2. Tim. 2. v. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, &c.

Huc etiam referri potest Philip. 4. v. 6. ubi Philippenses hortatur Apostolus, ut *petitiones eorum innotescant apud Deum*, h. e. ipsi gratæ sint ac probatæ.

IGNORANTIA, &c. Deo tribuitur, qua innuitur ipsius displicentia, odium, ira, & aversatio.

Isai. 40. v. 27. *Quare dicis, Jacob, & loqueris, Israël: abscondita est via mea à Domino*, &c. h. e. odio habemur & negligimur à Domino, nec is curat res nostras.

Matth. 7. v. 23. *Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem*, i. odi vos. Conf. c. 25. v. 12. Luc. 13. vv. 25. 27.

1. Cor. 14. v. 38. *Qui ignorat ignorabitur*, i. improbabitur. Hic Glassius Latinum interpretem male carpit, *quod in fonte Græco non sit passivum, sed activum* ἀγνοείτω *ignoret*; nam in exemplari, quo utebatur Vulg. interpres, procul dubio legebatur ἀγνοηθήσεται *ignorabitur*, ut habent mss. quidam codices, quos vide apud D. Mill. pag. 394. Recte itaque August. epist. ad Evodium, tom. 2. nov. edit. col. 604. hunc Apostoli contextum affert ad idiotismum, de quo agitur, explicandum.

Huc referuntur,

1°. Interrogationes quædam à Deo institutæ tanquam ignorante, cum revera nihil ipsi lateat, nec ulla opus habeat interrogatione. Gen. 3. v. 9. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: ubi es?* S. Ambros. de Parad. c. 14. tom. 1. nov. edit. col. 177. *Interrogatio non est*, inquit, *sed increpatio: de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti?*

Ibid. c. 4. v. 9. *Et ait Dominus ad Caïn: ubi est Abel frater tuus?* S. August. contra Faustum, l. 12. cap. 10. tom. 8. nov. edit. col. 231. *Interrogat Deus Caïn, non tanquam ignarus eum, à quo discat; sed tanquam ju-*

dex, reum quem puniat. Vide etiam cap. 32. v. 27. Num. 22. v. 9. 3. Reg. 19. vv. 9. 13.

Sic interrogationes à Christo factæ, Matth. 22. v. 20. *Et ait illis Jesus: cujus est imago hæc & superscriptio?* Vide etiam v. 45. Luc. 8. v. 45. &c. Hujusmodi quæstiones instituebat Christus, non quod ignoraret, quod quæreret; sed ut inde occasionem haberet docendi, vel increpandi, quos sic interrogabat.

2°. Cum Deus inducitur deliberans, quasi nesciret, quid sibi agendum sit.

Ose. 11. v. 8. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam,* (vel, ut quidam interpretantur, *tradam*) *te Israël? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.* Vers. 9. *Non faciam furorem iræ meæ: non revertar ut disperdam Ephraim*, &c.

3°. Cum dicitur Deus *scrutari corda & renes*, quasi ea, quæ scrutatur, sibi cognita prius non essent. Hac itaque loquutione accuratissima ejus scientia significatur; ut apud homines sine scrutinio & indagatione locum vix habere potest certissima rerum notitia. Vide Psal. 7. v. 10. Jerem. 11. v. 20. Apoc. 2. v. 23. &c. Sic *Spiritus Sanctus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, 1. Cor. 2. v. 10.

RECORDATIO, sive REMINISCENTIA Deo tribuitur, vel in *bonam*, vel in *malam partem.*

In bonam, significaturque 1°. Eum hominibus opitulari post aliquas calamitates, in quibus eorum oblitus fuisse videbatur. Gen. 8. v. 1. *Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium*, &c. Vide c. 30. v. 22. Exod. 2. v. 24. 1. Reg. 1. vv. 11. 19. 2°. In genere recordatio Divina denotat benevolum ejus affectum, gratiam, beneficium, erga homines. 2. Esd. 5. v. 19. *Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia, quæ feci populo huic.* Vide c. 13. vv. 22. 31. &c.

Luc. 23. v. 42. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Sic *recordatio fœderis*, cujus intuitu Deus hominibus benefacit. Gen. 9. vv. 15. 16. &c. *Recordatio verbi*, Psal. 118. Heb. 119. v. 49. *Recordatio misericordiæ*, Psal. 24. Heb. 25. v. 6.

In malam partem, cum peccata hominum punit. Psal. 24. Heb. 25. v. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*, i. ne punias.

Psal. 78. Heb. 79. v. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, &c. Vide etiam Psal. 136. Heb. 137. v. 7. Isai. 43. v. 25. Apoc. 18. v. 5. Sic etiam *recordari* dicitur Deus *sanguinis innocentium*, cum eum ulciscitur, Psal. 9. v. 13.

OBLIVIO Deo tribuitur, *quando*, inquit S. August. in Psal. 118. Heb. 119. tom. 4. nov. edit. col. 1313. *tardare videtur adjutorium vel promissum, vel non retribuere digna peccantibus, vel si quid hujusmodi, tanquam ejus memoria sit elapsum, quod speratur, sive timetur, & non fit.*

Psal. 9. v. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis*, &c.

Psal. 12. Heb. 13. v. 1. *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* &c. Vide etiam Psal. 41. Heb. 42. v. 10. Psal. 73. Heb. 74. v. 23. Isai. 49. v. 15. Jerem. 23. v. 39. Amos. 8. v. 7. &c.

COGITATIO Deo tribuitur, qua voluntas, sententia, & decretum ejus significatur.

Gen. 50. v. 20. *Vos cogitastis de me malum: sed Deus cogitavit illud in bonum*, hoc est, decrevit, sive *vertit*, ut optime interpretatur Vulg. Vide Psal. 39. Heb. 40. v. 6. Psal. 91. Heb. 92. v. 6. Isai. 55. vv. 8. 9. Jerem. 4. v. 28. &c.

Hactenus de *internis* hominis actionibus; nunc de *externis*, quæ vel *ore*, vel *manibus*, vel *pedibus* peraguntur.

Actiones externæ Deo tributæ.

Oris actiones.

SIBILATIO Deo tribuitur, qua hominum in certum locum advocatio innuitur, sive *in bonum*, Zach. 10. v. 8. *Sibilabo eis* (Judæis in orbe terrarum dispersis), *& congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati.* Quod de Ecclesiæ credentium collectione intelligendum. Sive *in malum*; Isai. 5. v. 26. *Et elevabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum* (populum in longinquis regionibus habi-

tantem) *de finibus terræ; & ecce festinus velociter veniet*, h. e. citissime veniet. Vide etiam cap. 7. v. 18.

EFFLATIO, seu SPIRATIO, quæ ex proposito fit, Deo tribuitur. Gen. 2. v. 7. *Et inspiravit in faciem ejus* (hominis) *spiraculum vitæ*, &c.

Ira quoque significatur; sumta metaphora ab iratis hominibus, qui fortius spirant. Ezech. 21. v. 31. *Effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te.*

RISUS, & SUBSANNATIO Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς; solent enim viri prudentes, eos, qui immensa & ἀδύνατα peragenda suscipiunt, irridere. Psal. 2. v. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Psal. 36. Heb. 37. v. 13. *Dominus autem irridebit eum* (peccatorem), *quoniam prospicit, quod veniet dies ejus.* Vide etiam Prov. cap. 1. v. 26.

OSCULATIO Deo tribuitur, cum de filio ejus incarnando sermo est. Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, sic loquitur Ecclesia Christi sponsa. *Quousque mihi sponsus meus mittit oscula per Moysen, mittit oscula per prophetas? Jam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat*, &c. Orig. hom. 1. in Cant. interprete Hieronymo, tom. 2. nov. edit. col. 89. Et ipse Hieronymus epist. ad Damasum, tom. 4 nov. edit. part. 1. col. 154. hæc verba sic exponit: *Ecclesia de sponsi precatur adventu:* osculetur me osculo oris sui. *Nolo mihi, dicens, per Moysen, nolo per prophetas loquatur. Ipse meum corpus assumat, ipse osculetur in carne.* Et de osculo dando ipsi Dei filio, Psal. 2. v. 12. *Osculamini filium, ne quando irascatur*, &c. i. subditi estote illi filio, de quo dicitur v. 7. *filius meus es tu, ego hodie genui te;* osculum enim antiquitus erat subjectionis & obedientiæ signum, ut patet ex Gen. c. 41. v. 40. 1. Reg. 10. v. 1. 3. Reg. 19. v. 18. Ose. 13. v. 2. Qui mos etiamnum viget in India, teste Aben-Esra in Psal. 2. v. 12.

LOQUUTIO, sive SERMO Deo tribuitur. Quod eo loci intelligendum non est de loquutione Dei sive *immediata*, sive *mediata*. Deus loquutus est immediate ad primos parentes, Gen. 2. v. 16. &c. Ad Noë, c. 6. v. 13. Ad Abrahamum, cap. 12. v. 1. &c. Ad Moysen, Exod. 3. vv. 4. 5. &c. Mediate vero loquutus est Deus per Divinitus inspiratos homines, in quorum scriptis nihil hac phrasi frequentius: *Hæc dicit Dominus*, &c. itemque per angelos Dei ministros. In his, inquam, locis non metaphorice, sed proprie loqui censetur Deus, quanvis longe alia ratione, quam ab hominibus fit, Divinam illam loquelam fieri, sentiendum sit.

Pertinet autem ad Anthropopatheian,

1°. Cum efficax Divinæ voluntatis decretum, ejusque exsequutio per modum loquelæ humanæ exprimitur. Gen. 1. v. 3. *Et dixit Deus: fiat lux; & facta est lux.* Vide vv. 6. 9. 11. 14. 20. 24. &c. ubi humano more de Deo loquitur Moses, non autem humano more loquutus est Deus. Unde Aug. l. 11. de civitate Dei c. 8. tom. 7. nov. edit. col. 277. *Dixit* (Deus), *& facta sunt, verbo intelligibili & sempiterno, non sonabili & temporali.* In his itaque locis verbum *dixit* idem est ac *jussit*. Sic Gen. 8. v. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait* (Heb. *in corde suo*)*: nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*, &c. h. e. decrevit, statuit apud se.

2°. Cum SS. Trinitatis decreta per modum sermocinationis, sive colloquii inter ipsas Divinas personas, exprimuntur. Gen. 1. v. 26. *Et dixit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, &c. Vide c. 2. v. 18. cap. 3. v. 22. cap. 11. vv. 6. 7. Vulgo tamen pluralitatem illam numeri de Deo solo, sive de Deo creante intelligunt, neque arbitrantur ex iis locis personarum in Trinitate pluralitatem demonstrari; aiuntque Deum honoris causa de se ipsum loqui in plurali numero; quam sententiam confutavimus in tom. I. pag. 548. col. 2. in fine, & 549. col. 1. initio.

Psal. 109. Heb. 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*, i. decrevit, simulque effecit Deus omnipotens, ut Dominus meus Messias, sive Christus, à dextris ejus sedeat.

Ad loquutionem divinam pertinent etiam INCREPATIO, qua realis vel *effectio*, vel *perditio* notatur.

Effectio. Psal. 17. Heb. 18. v. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Vers. 17. *Ab increpatione tua, Domine*, &c. i. increpatio tua effecit, ut apparerent fontes aquarum, &c. Vide etiam 2. Reg. 22. v. 16. Psal. 103. Heb. 104. v. 7. Confer Gen. 1. v. 9. Sic Christus, Luc. 8. v. 24. *Increpavit ventum & tempestatem aquæ, & cessavit; & facta est tranquillitas;* ex quo ejus Divinitas comprobatur.

Perditio. Psal. 9. v. 6. *Increpasti gentes, & periit impius*, &c. Vide insuper Psal. 67. Heb. 68. v. 31. Psal. 75. Heb. 76. v. 7. Isai. 17. v. 13. Nahum. 1. v. 4. Zach. 3. v. 2.

VOCATIO, qua realis itidem productio, vel effectio, designatur. 4. Reg. 8. v. 1.... *vocavit enim Dominus famem super terram*, &c. Vide Psal. 104. Heb. 105. v. 16.

Rom. 4. v. 17..... *qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.*

PRÆCEPTIO, seu mandatum, quo Dei in creatura etiam rationis experte, ad certum opus peragendum, vel omittendum, directio innuitur. Isai. 5. v. 6. *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*, i. ita nubes disponam, &c. Vide etiam cap. 45. v. 12. Porro ex eo, quod Deus stellis imperare dicatur, quidam concludebant eas esse rationis participes, quos erudite confutat S. Hieronymus comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 337. *Non recordantur*, inquit, *quod in Jona* (c. 4. vv. 7. 8.) *scriptum sit:* Præcepit Dominus Spiritui comburenti. *Et rursum:* Præcepit vermi matutino. *Et quod in Evangelio Salvator ventos & mare increpaverit, in quibus sensum atque rationem non esse perspicuum est.* In horum textuum allegatione, Lxx. versionem sequitur S. Doctor. Vers. 7. Καὶ προσέταξεν ὁ θεὸς σκώληκι ἑωθινῇ, *& præcepit Dominus vermi matutino.* Vers. 8.... καὶ προσέταξεν ὁ θεὸς πνεύματι καύσωνι συγκαίοντι, *& præcepit Dominus Spiritui comburenti*, &c. Quare immerito reprehenditur à Glassio, quasi *exempla incongrua* retulerit, propterea quod in Hebræo non sit וַיְצַו *præcepit*, sed וַיְמַן *præparavit;* non enim textum Hebræum laudat S. Doctor, sed, ut diximus, Lxx. versionem.

RESPONSIO, cum ad preces hominum respondere dicitur Deus. 1. Reg. c. 7. v. 9. *Et clamavit Samuel ad Dominum,* וַיַּעֲנֵהוּ *& respondit ei Dominus*, i. *exaudivit eum*, Vulg. Vide Psal. 3. v. 5. Isai. 58. v. 8. &c.

E contrario *silere* dicitur Deus, cum vocibus clamantium non respondet, quo silentio mora ejus in consolando & adjuvando innuitur. Psal. 27. Heb. 28. v. 1. *Ad te, Domine, clamabo, ne sileas à me: ne quando taceas à me*, &c. consolationem & auxilium tuum diutius ne protrahas. Vide etiam Psal. 82. Heb. 83. v. 2.

TESTIFICATIO Deo tribuitur, cum veritatem rei ipso facto declarat, vel mendaciter loquentibus pœnas immittit. 1. Reg. 12. v. 5. *Dixitque* (Samuel) *ad eos: testis est Dominus adversum vos.... quia non inveneritis in manu mea quippiam.* Vide etiam Jerem. 42. v. 5. Malach. 3. v. 5. &c.

NUMERATIO Deo affingitur, qua

1°. Maxima Dei cura ac providentia significatur; quæ enim diligenter curamus, ea in numerato habere solemus. Psal. 55. Heb. 56. v. 9. נֹדִי סָפַרְתָּה *migrationem meam*, vel *motionem meam numerasti*, i. motus meos curasti. Sym. τὰ ἔνδον μου ἐξηριθμήσας, S. Hieronym. *secretiora mea enumerasti*, pro נֹדִי videntur legisse סֹדִי *secretum meum*, vel in plur. סֹדַי *secreta mea.* Lxx. τὴν ζωήν μου ἐξήγγειλά σοι, Vulg. Lat. *vitam meam annuntiavi tibi;* forte pro נֹדִי *motum meum*, legebant נֵרִי *lucernam meam*, & metaphorice *vitam meam.* Et pro סָפַרְתָּה *numerasti*, סְפַרְתִּךָ *recensui tibi*, contracte pro סָפַרְתִּי לְךָ.

Matth. 10. v. 30. *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.*

2°. Rerum nobis innumerabilium accurata scientia. Psal. 146. Heb. 147. v. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum*, &c. Vide quoque Isai. 40. v. 26. Huc etiam pertinet

EMTIO & VENDITIO, quæ sermone contractuum indice, fieri solet. Et *venditione* quidem traditio in potestatem hostium notatur; quare verbum מָכַר *vendidit*, in qui-

busdam ex locis mox indicandis, per vocem *tradidit*, à Vulg. redditur. Deut. 32. v. 30. *Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* Vide Jud. 2. v. 14. cap. 4. v. 9. Psal. 43. Heb. 44. v. 13. Isai. 50. v. 1. Ezech. 30. v. 12. &c.

Emtionis autem voce, redemtionis nostræ per Christi sanguinem factæ beneficium non raro exprimitur. 1. Cor. 6. v. 20. *Emti enim estis pretio magno*, &c. Vide cap. 7. v. 23. Gal. 3. v. 13. cap. 4. v. 5. 2. Pet. 2. v. 1. Apoc. 14. vv. 3. 4.

Manuum actiones.

Actiones, quæ manibus, ut plurimum, peragi ab hominibus solent, quæque Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur, dividi possunt in *generales* & *speciales*. Generales sunt,

LABOR *tum* in opere creationis. Job. 10. v. 8. *Manus tuæ* עִצְּבוּנִי *elaboraverunt me*, Vulg. *fecerunt me.* At verbum Hebræum proprie significat magno labore, arte, & diligentia aliquid formare. Vide etiam Psal. 138. Heb. 139. v. 15. ubi Deus hominem *acu pingere* dicitur, ob mirabilem venarum, arteriarum, ossium, &c. quasi contexturam. *Tum* in opere redemtionis. Isai. 53. v. 11. *Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur*, &c. quæ de molestia & anxietate Christi in passione dicuntur.

Quies, vel *cessatio* labori opponitur. Gen. 2. v. 2. *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* S. Chrysost. hom. 10. in Genesim, tom. 4. nov. edit. col. 79. D. *Requievit, hoc est, substitit, cessavit à formandis producendisve ex nihilo rebus*, &c.

Speciales hominum actiones quamplurimæ Deo tribuuntur, quibus varia ipsius opera tum gratiæ, tum justitiæ & iræ designantur. Ex his præcipuas eo loci afferre sufficiat.

LAVARE, vel ABLUERE dicitur Deus sordes & peccata, cum ea gratia sua remittit. Psal. 50. Heb. 51. v. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea*, &c. Vide Isai. 4. v. 4. Ezech. 36. v. 25.

ABSCONDERE pro defendere. Psal. 30. Heb. 31. v. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, &c. Vide Psal. 63. Heb. 64. v. 3. Psal. 90. Heb. 91. v. 1.

ABSTERGERE, vel DELERE, pro perdere. 4. Reg. 21. v. 13. *Et delebo Jerusalem sicut deleri solent tabulæ*, &c. *Abstergere lacrymas ab oculis*, pro lætificare, & glorificare. Isai. 25. v. 8. *Et absterget Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra.* Vide etiam Apoc. 7. v. 17.

ACCINGERE, &c. fortitudine, vel lætitia, pro confortare & lætificare. Psal. 17. Heb. 18. v. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute*, &c. Vide etiam Psal. 29. Heb. 30. v. 12.

ÆDIFICARE pro creando producere. Gen. 2. v. 22. *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adamo, in mulierem.* Item pro benedicere, benefacere, &c. Psal. 27. Heb. 28. v. 5. *Destrues illos, & non ædificabis eos*, i. non benedices, non benefacies eis.

ALLIGARE, nimirum vulnera fasciis, pro spiritualiter sanare, & ex malis eripere. Isai. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me*, לַחֲבֹשׁ *ut alligarem contritos corde*, &c. hoc est, ut sanarem, Vulg. ut *mederer contritis corde.* Hic de se ipse loquitur Christus cœlestis animarum nostrarum medicus. Conf. Luc. 4. v. 18.

Job. 5. v. 18. *Quia ipse* (Deus) *vulnerat & alligat* תֶּחְבָּשׁ, i. *medetur*, Vulg. Vide quoque Psal. 146. Heb. 147. v. 3. Ose. 6. v. 1. &c.

APERIRE januas cœli dicitur Deus, cum cœlitus benefacit. Psal. 77. Heb. 78. v. 23. *Et mandavit nubibus desuper, & januas cœli aperuit.* Et cum pluviam demittit; Deut. 28. v. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo*, &c.

Aperire ostium sermonis, cum occasionem, & media prædicandi Evangelii ministris suis suppeditat. Col. 4. v. 3. *Orantes simul, & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi.* Vide 1. Cor. 16. v. 9. 2. Cor. 2. v. 12.

Aperire ostium fidei, cum ad fidem homines vocat. Act. 14. v. 26. al. 27. *Retulerunt* (Paulus & Barnabas) *quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei,*

Aperire cor, sensum, &c. cum salutarem verbi sui intellectum præbet. Luc. 24. v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Vide Act. 16. v. 14.

APPREHENDERE manum alicujus, cum eum confirmat, ducit, ac prospero successu donat. Isai. 45. v. 1. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes*, &c.

CONCLUDERE sub peccato dicitur Deus, cum homines peccato obnoxios, ac æternæ damnationis reos declarat. Rom. 11. v. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Confer Gal. 3. v. 32.

CONFLARE more metallicorum & aurifabrorum,

1°. Cum pios afflictionibus probat, & purificat. Psal. 16. Heb. 17. v. 3. *Igne me conflasti*, (Vulg. *examinasti*) *& non est inventa in me iniquitas.* Vide Psal. 65. Heb. 66. v. 10. Zach. 13. v. 9.

2°. Cum doctrinam salutis & morum repurgat. Malach. 3. v. 2. *Ipse enim* (Christus) *quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.* Vers. 3. *Et sedebit conflans, & emundabit argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino sacrificia offerentes in justitia.*

3°. Cum improbos plane exscindit. Ezech. 22. vv. 18. 19. 20. 21. 22. ubi elegans metaphora continuatur.

CONFRINGERE, cum castigat & perdit. Psal. 2. v. 9. *Conteres eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*, Lxx. ποιμανεῖς αὐτοὺς, *pasces eos*, vel *reges eos*, pro תְּרֹעֵם *conteres eos*, legebant תִּרְעֵם *pasces eos*, à רָעָה *pascere, regere.* Vide Psal. 3. v. 8. Isai. 38. v. 13. Thren. 3. v. 4. &c.

CRIBRARE, cum suos calamitatibus explorat, & tamen conservat. Amos. 9. v. 9. *Concutiam in omnibus gentibus domum Israël, sicut concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus super terram.* Et è contrario cum impios disjicit & disperdit. Isai. 30. v. 28. *Ad agitandas gentes in cribro vanitatis*, i. ita ut in vanitatem seu in nihilum abeant. Vulg. sensum optime reddidit: *ad perdendas gentes in nihilum.*

DECALVARE CAPUT, cum ornamentis spoliat. Isai. 3. v. 17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Vide v. 24. Præcipuus mulierum ornatus in capillis consistit, 1. Petr. 3. v. 3.

DELERE EX LIBRO VIVENTIUM, cum inter salvandos non censet. Exod. 32. v. 32. *Aut si non hoc facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, hoc est, è numero salvandorum tolle me.

Psal. 68. Heb. 69. v. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.*

Delere peccata, cum ea remittit & abolet. Psal. 50. Heb. 51. v. 3. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Sic loquitur Scriptura, quasi in libro aliquo peccatorum debita scriberentur, ac post pœnitentiam expungerentur ac delerentur. Huc pertinet Col. 2. v. 14. *Delens, quod adversus nos erat, chirographum*, &c.

DEGLUTIRE, DEVORARE, ABSORBERE dicitur Deus, cum penitus perdit. Exod. 15. v. 7. *Misisti iram tuam, quæ devoravit eos.*

Isai. 25. v. 8. בִּלַּע *absorpsit mortem in sempiternum*, &c. Vulg. *præcipitabit*, ex Aquila, qui interpretatus est καταποντίσει τὸν θάνατον εἰς νῖκος, *præcipitabit mortem in victoriam*, seu in finem. Sym. καταποθῆναι ποιήσει τὸν θάνατον εἰς τέλος, *absorberi faciet mortem in finem.* Theod. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, *absorpta est mors in victoria.* Sic Apost. 1. Cor. 15. v. 54. Lxx. sensu prophetæ contrario, κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, *devoravit mors prævalens.* S. Paulus & Theodotio, qui interpretantur κατεπόθη in passiva voce *absorpta est*, legebant בֻּלַּע pro בִּלַּע. Vel, si in activa voce legerunt, per passivam reddidere eodem sensu; nihil enim interest utrum interpreteris, (Deus) *absorpsit mortem in victoria*, vel *mors absorpta est* (à Deo) *in victoria.* Actio illa, quam hîc reponit Glassius, ad os magis quam ad manus pertinet.

DILATARE, cum solatur & ex angustiis liberat. Psal. 4. v. 2. *In tribulatione dilatasti mihi*, supple *locum*, vel *cor*, ut Psal. 118. Heb. 119. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Conf. Gen. 26. v. 22.

DIRIGERE, seu COMPLANARE viam, quando conatus hominum secundat ac felices reddit. Psal. 5. v. 9. *Dirige in conspectu meo viam tuam.* Sic Aq. κατεύθυνον εἰς πρόσωπόν μου τὴν ὁδόν σου, *dirige in faciem meam*, vel *in facie mea viam tuam.* Sym. ὁμάλισον ἔμπροσθέν μου τὴν ὁδόν σου, *complana in conspectu meo viam tuam.* Ita quoque Theodotio, ut scribit S. Hieron. epist. ad Suniam & Fretelam, tom. 2. nov. edit. col. 630. *Pro quo*, inquit, *habetur in Græco* κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, *dirige in conspectu tuo viam meam, quod nec septuaginta habent* (in editione scilicet Hexaplari), *nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotio; sed sola* κοινὴ *editio* (i. editio Lxx. quæ omnium manibus terebatur; quamque emendavit Origenes in Hexaplis). *Denique & in Hebræo ita scriptum reperi, OSER LAPHANAI DARCHACH, quod omnes voce simili transtulerunt*, dirige in conspectu meo viam tuam. Sic D. Hieron. qui & ipse interpretatur, *dirige ante faciem meam, viam tuam.* Tres tamen mss. cum Drusio Theodotionis lectionem τοῖς Lxx. similem exhibent: κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, *dirige in conspectu tuo viam meam.* At fides potius habenda Hieronymo, qui Origenis Hexapla nocturna diurnaque manu versabat.

DISCINGERE, seu DISSOLVERE LUMBOS, cum inermes & imbelles homines efficit. Isai. 45. v. 1. *Ut subjiciam ante faciem ejus gentes, &* מָתְנֵי מְלָכִים אֲפַתֵּחַ *discindam*, seu *dissolvam lumbos regum*, &c. i. ut Lxx. interpretantur, καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω, *& fortitudinem regum diffringam.* Vulg. sensum non verba sequutus interpretatur; *& dorsa regum vertam.*

EFFUNDERE IRAM, sive FUROREM dicitur Deus, cum pœnas gravissimas immittit. Psal. 78. Heb. 79. v. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, &c. Vide Ezech. 9. v. 8. cap. 20. vv. 13, 21. 33.

Effundere spiritum suum, cum ejus dona largiter concedit. Joel. 3. v. 1. al. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ*, &c. Vide Zach. 12. v. 10. Act. 2. vv. 17. 18. 33. Tit. 3. vv. 5. 6.

EVACUARE CONSILIUM, cum illud irritum facit. Jerem. 19. v. 7. וּבַקֹּתִי *& evacuabo consilium Juda & Jerusalem in loco isto*, &c. i. irritum faciam, sive *dissipabo*, Vulg.

Evacuare benedictionem, cum copiose benefacit. Malach. 3. v. 10. *Si non aperuero vobis cataractas cœli*, וַהֲרִקֹתִי *& evacuavero vobis benedictionem*, עַד־בְּלִי־דָי *usque dum non sufficiant*, supple vasa, ad continenda bona, quæ vobis largiturus sum. Lxx. καὶ ἐκχεῶ τὴν εὐλογίαν μου ὑμῖν ἕως τοῦ ἱκανωθῆναι, Vulg. *Et effudero vobis benedictionem meam, usque ad abundantiam.*

EXCIDERE, vel DOLARE PER PROPHETAS, cum crebris monitis minisque homines perterret. Ose. 6. v. 5. *Propter hoc dolavi in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei*, &c. ubi & occisio spiritualis memoratur. Vel *occidi*, i. fore ut occiderentur prædixi, minatus sum, nisi resipiscerent.

EXTENDERE LINEAM, sive MENSURAM DESOLATIONIS & LAPIDEM, sive PERPENDICULUM VACUITATIS, cum regna & regiones per hostes desolandos curat. Isai. 34. v. 11. וְנָטָה עָלֶיהָ קַו־תֹהוּ וְאַבְנֵי־בֹהוּ *Et extendet super eam* (Idumæam) *lineam desolationis; & lapides vacuitatis.* Vulg. *Et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum ad desolationem.* Ducta est isthæc metaphora ab architectis, qui inter ædificandum, lineis, perpendiculis, & funiculis utuntur: qui mos Deo hic per antiphrasin tribuitur, ut significetur, quod ædificaturus non sit, sed è contrario destructurus.

FRANGERE CAPUT dicitur Deus, cum in ira sua perdit impios. Psal. 109. Heb. 110. v. 6. *Franget*, seu *conquassabit capita in terra multa*, Lxx. *multorum.* Vide Habac. 3. v. 13.

FUNDA ANIMAM PROJICERE, cum violenter eam eripit. 1. Reg. 25. v. 29. *Et animam inimicorum tuorum funda jaciet, in medio curvaturæ*, sive *sedis fundæ positam.* Lxx. verbum in secunda persona interpretantur, ac de Davide intelligunt: καὶ ψυχὴν ἐχθρῶν σου σφενδονήσεις ἐν μέσῳ τῆς σφενδόνης, *& animam inimicorum tuorum funda projicies, in medio fundæ.* Sed librariorum error videtur, in Heb. enim est tertia persona יְקַלְּעֶנָּה *funda*

projiciet eam. Vel Lxx. de ſuo hanc perſonæ mutationem induxerunt, quod ipſis inſolens non eſt. Vulg. *Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu & circulo fundæ.* Verbum activum *imperſonaliter* accepit. E contrario, *animam ligare in faſciculo vitæ*, ſeu *viventium*, ſignificat eam curare, ab hoſtibus defendere, atque adeo ſecuram præſtare, ut avelli à quopiam nequeat. Ibidem, *Erit anima Domini mei* צְרוּרָה *ligata*, Lxx. ἐνδεδεμένη, *illigata*, Vulg. *cuſtodita quaſi in faſciculo viventium*, vel *vitæ*, ut Lxx. חַיִּים enim & *vitam* & *viventes* ſignificat. Cum Vulg. interpretatus eſt, *cuſtodita*, vel ſenſum reſpexit, vel aliam radicem, nempe נָצַר *cuſtodivit.* Verba enim imperfecta non formam ſolum, ſed & ſignificatum inter ſe non raro commutant.

LIBRARE, ſeu PONDERARE VIAM AD IRAM SUAM, cum injuſtam impiorum contumaciam, juſtis ſuis judiciis & ſuppliciis compenſat. Pſal. 77. Heb. 78. v. 50. יְפַלֵּס נָתִיב לְאַפּוֹ *& libravit ſemitam ad iram ſuam*, vel *iræ ſuæ.* Lxx. ὡδοποίησε τρίβον τῇ ὀργῇ αὐτοῦ, Aq. ὡδοποίησεν ἀτραπὸν τῷ θυμῷ αὐτοῦ, Vulg. *viam fecit ſemitæ iræ ſuæ*, Symm. διέστρωσεν ἀτραπὸν τῇ ὀργῇ αὐτοῦ, *ſtravit callem iræ ſuæ*, i. viam facillimam iræ ſuæ aperuit. S. Hieron. *Munivit ſemitam furori ſuo.*

Librare, ſeu *ponderare in ſtatera montes*, & *colles in bilancibus* dicitur Deus, qua phraſi maxima ejus potentia, & ſuſtentationis Divinæ in toto hoc univerſo facilitas innuitur. Iſai. 40. v. 12. *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in* פֶּלֶס, Lxx. σταθμῷ *ſtatera*, Vulg. *pondere montes, & colles in* מֹאזְנַיִם, Lxx. ζυγῷ *lancibus*, Vulg. *ſtatera.* Manifeſtum eſt פֶּלֶס & מֹאזְנַיִם eſſe nomina impoſita inſtrumentis, quæ ad ponderabilia elevanda facta ſunt. פֶּלֶס quidem volunt eſſe virgam ferream ſignis diſtinctam, in quibus ponitur lapis vel aliud pondus; quod inſtrumentum in Gallia Narbonenſi *Romanam* vocant. מֹאזְנַיִם autem Latinis bilances ſunt, quæ duas habent lances, in quarum altera ſunt pondera, in altera vero venalia. פֶּלֶס, ſive *ſtatera*, magnis ponderibus; מֹאזְנַיִם autem, ſive *lances*, parvis librandis inſerviunt. Vide Pagnini Lexicon cum notis Merc. & Cev. ad rad. פָּלַס.

PONDERARE SPIRITUS, cum accuratiſſime corda hominum explorata habere innuitur. Prov. 16. v. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus, & ſpirituum ponderator eſt Dominus.* Huc pertinet, cap. 21. v. 2. *Appendit autem corda Dominus*, &c. Vide c. 24. v. 12. Metaphora deſumta eſt à rebus, quæ ponderantur, ut quanti ſint pretii, cognoſcantur.

PONERE HAMUM, ſive CIRCULUM IN NARRIBUS, & FRENUM IN LABIIS, cum furorem hoſtium inhibet, & contumelioſe tractat. Ducta metaphora ab equis, in quorum maxillis imponitur camus, & in ore frenum, ut ad nutum equitis huc illuc flectantur. 4. Reg. 19. v. 28. *Ponam itaque* חַחִי *circulum*, vel *hamum meum in narribus tuis*, & מִתְגִּי *frenum meum*, Vulg. *camum in labiis tuis.* Vulg. pronomina poſſeſſiva neglexit, quia ſpectavit (י) ut antiquam vocalem *e*, cui nunc reſpondet (ִ) ſubintellectum ſub ח & ג. Vide etiam Iſai. 37. v. 29.

Ponere lacrymas piorum in utre ſuo, cum non patitur inaniter eas profundi, ſed earum quaſi memoriam ſervans, poſtea in gaudia æterna convertit. Pſal. 55. Heb. 56. v. 9. *Pone lacrymas meas* בְנֹאדֶךָ *in utre tuo.* Lxx. & Sym. neglecta metaphora, & ſolo ſenſu reddito, ἔθου τὰ δάκρυά μου ἐνώπιόν σου, *poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* Vel pro בְנֹאדֶךָ legebant בְנֶגְדֶּךָ. S. Hieron. *pone lacrymam meam in conſpectu tuo.* Lxx. & Symm. imperativum שִׂימָה reddiderunt per præteritum, qui Modus pro illo Tempore nonnunquam uſurpatur. Vide tom. I. pag. 542. can. II.

PORTARE dicitur Deus,

1°. Cum defendit & clementer gubernat. Exod. 19. v. 4. *Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas ventorum*, &c. Vide Deut. 1. v. 31. Iſai. 40. v. 11. c. 46. vv. 3. 4.

2°. Cum ea, quæ creavit, ſuſtentat ac potenter conſervat. Heb. 1. v. 3. . . . . *portanſque omnia verbo virtutis ſuæ*, &c.

Peculiari autem ratione Chriſtus peccata noſtra portaſſe dicitur, cum ea in ſe ſuſcepit expianda

expianda. Isai. 53. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, &c. Vers. 12. ... *Et ipse peccata multorum tulit.*

PROJICERE POST TERGUM SUUM PECCATA, cum ea condonat, & pœnas eorum aufert. Isai. 38. v. 17. *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Illa è contrario ante se ponere dicitur, cum ea vindicat. Psal. 89. Heb. 90. v. 8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, &c.

RADERE CAPUT ET PILOS PEDUM, &c. cum terram vastari curat, ex eaque homines tam summos quam infimos disperdit. Isai. 7. v. 20. *In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput & pilos pedum, & barbam universam.* Ad vocem *novac u*, addit *conducta*, ad significandum novaculam istam mercedem suam flagitaturam, i. Assyrios prædæ aviditate omnia diligentius spoliaturas esse, atque abrepturos. Per *pedes* eo loci, interpretes quidam *αἰδοῖα* significari volunt, ut dicitur *aqua pedum*, pro lotio; conferuntque Isai. c. 6. v. 2. Jerem. 2. v. 25. Ezech. 16. v. 25. &c.

RUMPERE, DIVIDERE, DIFFINDERE, &c. cum dispergit, pessundat & occidit. 2. Reg. c. 5. v. 20. *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ.* Cap. 6. v. 8. *Contristatus est autem David, eo quod divisisset*, vel *rupisset Dominus Ozam*, &c. Vulg. optime, *percussisset.*

SAGITTIS PETERE dicitur Deus, cum judicia sua velocissime in impios exserit. Psal. 63. Heb. 64. v. 8. וַיֹּרֵם אֱלֹהִים חֵץ פִּתְאוֹם הָיוּ מַכּוֹתָם *& jaculatus est eos Deus sagitta subito, fuerunt percussiones*, sive *plagæ eorum.* Aq. καὶ ῥοιζήσει αὐτοὺς ὁ Θεὸς, βέλη παραχρῆμα, ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν, *& sagittabit eos Deus, sagittæ subito, facta sunt plagæ eorum.* Sym. ἀκοντίσει δὲ αὐτοὺς ὁ Θεὸς, βέλος ἀφνίδιον, ἔσονται αἱ πληγαὶ αὐτῶν, *jaculabitur ergo illos Deus, sagitta repente, erunt plagæ eorum.* Quas omnes versiones optime omnium expressit S. Hieronymus: *Sagittabit ergo illos Deus jaculo repentino; inferentur plagæ eorum*, h. e. eis; nam מַכּוֹתָם contractum est pro מַכּוֹת לָהֶם. Lxx. aliter legentes sic interpretati sunt: καὶ ὑψωθήσεται ὁ Θεός, βέλος νηπίων ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν, Vulg. Lat. *& exaltabitur Deus: sagitta*, Lat. *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Pro וַיֹּרֵם *& sagittabit eos*, legebant וַיָּרֻם *& exaltabitur*; & pro פִּתְאוֹם *subito*, פְּתָאִים *parvulorum*, vel *simplicium.*

SCRIBERE, qua metaphora ejus scientia, vel providentia innuitur *tum* respectu gratiæ & benignitatis, ut cum pios scribere dicitur in libro suo, Isai. 4. v. 3. *Omnis, qui scriptus est in vita*, vel *ad vitam in Jerusalem.* Vide Dan. 12. v. 1. Jerem. 31. v. 33. Heb. 8. v. 10. Isai. 49. v. 16. *tum* respectu iræ & pœnarum. Job. c. 13. v. 26. *Scribis contra me amaritudines*, i. decernis, sumta metaphora ex usu forensi. Isai. 65. v. 6. *Ecce scriptum est coram me; non tacebo, sed reddam & retribuam in sinum eorum.*

In terra scribi, è cœlo extorrem esse significat. Jerem. 17. v. 13. *Recedentes à te, in terra scribentur*, &c.

SCRUTARI JERUSALEM LUCERNIS, cum quævis peccata latentia in apertum producit & punit. Soph. 1. v. 12. *Et erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.*

SCULPERE SCULPTURAM, cum Christum vulneribus vibicibusque pertusum in passione effecit. Zach. 3. v. 9. *Super lapidem unum* (i. Christum) *septem oculi sunt*, (hoc est, ad eum, tanquam ad mediatorem & salutis auctorem respiciunt omnes gentes; omnium oculi in eum sunt intenti; adeo ut numerus finitus pro indefinito ponatur) *ecce ego cælabo sculpturam ejus*, (i. vulneribus perforabo eum) *& auferam iniquitatem terræ illius in die una*, nempe passionis, qua sanguis Christi ad omnium peccatorum emundationem effusus est.

SEPIRE, vel SEPEM PONERE dicitur Deus, cum protegit, Job. 1. v. 10. *Nonne tu* שַׂכְתָּ *sepivisti eum* (Jobum), Vulg. *vallasti eum.*

E contrario *sepem removere* dicitur, cum auxilium suum substrahit ac beneficia denegat. Isai. 5. v. 5. *Auferam sepem ejus* (vineæ) *& erit in direptionem.* Confer Psal. 79. Heb. 80. v. 13. & Psal. 88. Heb. 89. v. 41.

Item *sepire*, vel *concludere viam lapide exciso*, vel *quadrato*, cum pœnis & calamitatibus undique constringit. Thren. 3. v. 9. *Sepsit*, Vulg. *conclusit vias meas lapidibus quadris*, &c.

Denique *sepire viam spinis*, &c. dicitur cum afflictionibus, & alia quavis ratione à pravo proposito avertit. Ose. 2. v. 6. *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis*, *&* *sepiam eam maceria*, &c.

Signare, sigillo munire, 1°. Cum præstantiæ & auctoritatis concessæ argumenta prodit. Joan. 6. v. 27. *Hunc enim* (filium hominis) *signavit Deus* Pater, hoc est, illi Divinitatis & potentiæ suæ sigillum impressit, ut ei auctoritatem conciliaret & fidem; quomodo reges sigillo literis impresso solent: aut legatorum auctoritatem obsignato diplomate sanciunt.

Cant. 4. v. 12. Sponsa dicitur *fons signatus*, i. præstantissimus, ex quo libare nulli permissum est, nisi sponso. Vide c. 8. v. 6. Agg. 2. v. 24.

2°. Cum sigillo veluti impresso promissiones suas confirmat Deus, dando futuræ hæreditatis pignus, nempe gratiam, qua nos unxit & signavit in filios Dei, discrevitque à filiis Diaboli: quod sigillum Deo plane certum est, nobis vero non item. 2. Cor. 1. v. 22. *Qui* (Deus) *& signavit nos*, *& dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Vide Eph. 1. v. 13. cap. 4. v. 30. In Sacramento autem Confirmationis signamur, ungimur, & Spiritu Sancto confirmamur.

3°. Cum immissa pluvia, homines domi continet, & ab operibus arcet, quasi manus eorum signarentur. Job. 37. v. 7. *Qui* (Deus) *in manu*, vel *manum omnium hominum signat*, Heb. *ut cognoscat omnis* (i. quilibet) *homines operis sui*, h. e. operarios suos; q. d. ita ut possit quilibet paterfamilias operarios suos domi recensere, vel recreare & ad novos labores suscipiendos instaurare, quod verbum יָדַע interdum significare volunt. Alii sic exponunt, quod Deus in manibus omnium hominum sigillum suum impresserit, quo opus suum, h. e. illos à se conditos esse cognoscatur; sumta metaphora à consuetudine Orientalium, qui, ut servos suos agnoscerent, signum quoddam vel in fronte, vel in alia corporis parte ipsis imprimebant.

Trahere ad Christum dicitur Deus, cum voluntatem à Deo aversam, non violenta coactione, sed benevola flexione convertit. Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*, Conf. vv. 45. 65. & vide Cant. 1. v. 4. Ose. 11. v. 4. Joan. 12. v. 32. &c.

Ventilare ventilabro, cum impios dispergit ac disperdit. Jerem. 15. v. 7. *Et ventilabo eos ventilabro in portas* (i. extremitates) *terræ; interfeci & disperdidi populum meum*, &c. Vulg. *& dispergam eos ventilabro*, &c. Matth. 3. v. 12. & Luc. 3. v. 17. *Ventilabro aream suam permundare* dicitur Christus, id est, pios ab impiis segregare, quemadmodum ventilabro palea à frumento secernitur.

Verrere scopis, cum terram aliquam desolari & incolis spoliari curat. Isai. 14. v. 23. *Et ponam eam* (Babylonem) *in possessionem ericii*, *& in paludes aquarum*, *& scopabo eam in scopa*, &c.

Vindemiare spiritum, cum vitam momento eripit. Psal. 75. Heb. 76. v. 13. *Et ei, qui* יִבְצֹר *vindemiat*, Vulg. *aufert spiritum principum*, &c. ubi anima cum botris, corpus vero cum palmitibus contenditur.

Ungere, cum animum erigit, solatur, lætificat, & confortat. Psal. 22. Heb. 23. v. 5. *Unxisti*, Vulg. *impinguasti in oleo caput meum*, &c.

Psal. 91. Heb. 92. v. 11. *Et senectus mea* בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן *in oleo viridi*, id est, senectutem meam lætificabis, sive in senectute mea consolaberis me. Symm. καὶ ἡ παλαίωσίς μου ὡς ἐλαία εὐθαλὴς, *& senectus mea sicut oliva florida*; pro בְּשֶׁמֶן legebat כְּשֶׁמֶן. S. Hieron. *in oleo uberi.* Lxx. καὶ τὸ γῆράς μου ἐν ἐλίῳ πίονι, Vulg. *& senectus mea in misericordia uberi*; ubi est librariorum mendum, nempe ἐλέῳ pro ἐλαίῳ, ut habent Ald. & Complut. editt. Longe autem augustissima est unctio Christi Salvatoris ipsi à Deo patre præstita, Psal. 44. Heb. 45. v. 8. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, &c. Vide etiam Isai. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. Heb. 1. v. 9. &c.

Pedum actiones.

Tertii generis actiones, quæ pedibus peragi ab hominibus solent, istæ Deo tribuuntur.

Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius; ipsum* (semen) vel *ipse* (Christus, unde LXX. interpretantur αὐτὸς) *conteret caput tuum*, pedibus scilicet; sequitur enim: *& tu insidiaberis calcaneo ejus.* Huc respexit Paulus, Rom. 16. v. 20. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*, &c.

Isai. 63. v. 3. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum*, ubi per torcular intelliguntur hostes, quos Christus in passione sua calcavit. Vide sequentia, & Thren. 1. v. 15.

Hactenus de actionibus, quæ facultatem animæ *rationalem* sive intelligentem spectant; sequuntur, quæ ad *animalem* pertinent.

Triplicis autem generis statui possunt (quantum ad præsentem scopum attinet) I. Actiones quinque sensuum exteriorum. II. Actiones *locomotivæ* facultatis, sive motus atque situs localis. III. Actio procreatrix.

I. *Sensuum actiones Deo tributæ.*

VISIO Deo tribuitur, qua significatur,

1°. Accuratissima ejus notitia, ut supra pag. 67. col. 1. de *oculis* ipsi tributis dictum est. Exod. 32. v. 9. *Vidi populum hunc, & ecce populus duræ cervicis est.* Vulg. *Cerno, quod populus iste duræ cervicis sit*, i. perfectissime scio, &c.

1. Reg. 16. v. 7. *Homo enim videt, quæ parent; Dominus autem intuetur cor*, i. occultissimas cordis cogitationes perspectissimas habet.

2°. Beneplacitum, approbatio. Gen. 1. v. 4. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona*, &c. i. approbavit. Vide vv. 10. 12. 18. 21. 25. 31. conf. Psal. 103. Heb. 104. v. 31. Sap. 11. vv. 25. 26. &c.

3°. Providentia. Gen. 22. v. 8. *Deus videbit sibi victimam holocausti*, &c. h. e. *providebit*, Vulg. Vide v. 14.

1. Reg. 16. v. 1. *Veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem; vidi enim*, Vulg. *providi enim in filiis ejus mihi regem.*

4°. Approbatio signo aliquo externo declarata.

Gen. 4. v. 4. *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Vers. 5. *Ad Cain vero & ad munera ejus non respexit*, hoc est, illum cum sacrificio suo probavit, hunc vero nequaquam; quod signo aliquo manifestavit, forte igne cœlitus demisso, qui Abelis victimam absumserit, ut Lev. 9. v. 24. 3. Reg. 18. v. 38. 2. Paral. 7. v. 1. &c. Unde Theod. ἐνεπύρισεν *inflammavit.* Vide etiã Num. 16. v. 15.

5°. Misericordia, cura, auxilium. 1. Reg. 1. v. 11. *Si respiciens videris afflictionem ancillæ tuæ*, &c. i. si misertus ejus fueris, opemque ei tuleris, &c. Vide Psal. 9. v. 14. Psal. 112. Heb. 113. v. 6. Isai. 66. v. 2. Thren. 4. v. 16. c. 5. v. 1. Luc. 1. vv. 25. 48. &c.

Hinc phrasis: *respicere de cœlo*, Deut. 26. v. 15. Psal. 70. Heb. 80. v. 15. &c.

Ex dictis patet τὸ *respicere* in Deo, quandoque adponi ipsi *objecto*, cum respicere dicitur in hominem ejusque oblationem, &c. quandoque *causæ externæ*, cum respicit afflictionem, humilitatem, orationem, &c. quandoque *causæ internæ*, cum respicit *pactum*, sive *Testamentum suum*, Psal. 73. Heb. 74. v. 20. *faciem Christi sui*, mediatoris & salvatoris nostri, Psal. 83. Heb. 84. v. 10. In quibus loquutionibus, amor, benevolentia, auxilium, &c. denotantur.

6°. Ira, vindicta, pœna, &c. Exod. 14. v. 24. *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum*, &c. Vide 1. Paral. 12. v. 17. Psal. 103. Heb. 104. v. 32. Jerem. 3. v. 8. Thren. 3. v. 36. Ezech. 16. v. 50. &c.

AUDITUS Deo tribuitur, quo significatur ejus benevolentia, gratia, misericordia, &c. dum fidelium optatis, precibus, suspiriis, &c. annuit. Gen. 16. v. 11. .... *eo quod audierit Dominus afflictionem tuam*, h. e. eo quod misertus fuerit tui Dominus. Sic Exod. 2. v. 24. 4. Reg. 20. v. 5. Psal. 4. v. 4. &c.

Exaudire cœlum dicitur Deus, cum *benefacit de cœlo, dans pluvias & tempora frugifera*, ut loquitur Paulus, Act. 14. v. 16. quia

tacito quasi desiderio Deum invocat cœlum. Ose. 2. v. 21. *Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram.* Vers. 22. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Jezraël*, i. semen Dei, sive populum ipsi acceptum.

Attendere etiam dicitur, quo major ipsius miserationis vis significatur. Psal. 129. Heb. 130. v. 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Contrarium huic est *obstruere* (aures) *orationi*. Thren. 3. v. 8. *Sed & cum clamavero & rogavero*, שָׂתַם תְּפִלָּתִי *obstruxit* (aures) *orationi meæ*. Vulg. *exclusit orationem meam.* Sic v. 44. *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* Conf. Isai. I. v. 15. c. 59. v. 2. &c.

ODORATUS Deo tribuitur, quo ejus *εὐωδίας complacentia*, & gratia denotatur. Gen. 8. v. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis*, &c. i. ut explicat Chald. *Et accepit Deus in beneplacito sacrificium ejus.* Hæc phrasis: *odor suavitatis*, sæpe in Scriptura sacrificiis Deo oblatis tribuitur; quia in his omnibus ad Messiæ sacrificium, cujus typi fuerunt Veteris Testamenti sacrificia, respectus habebatur; unde Ephes. 5. v. 2. dicitur, quod Christus *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*; neque enim odor, quem edebant holocausta pecorum, bonæ erat fragrantiæ, imo gravis erat & molestus. Sic Apostolus 2. Cor. 2. v. 15. se aliosque Evangelii ministros, *bonum Christi odorem* dicit non tantum Deo, sed iis etiam, qui salvantur & qui pereunt: sed diversa ratione; nam idem odor, qui credentes recreat salvatque, incredulos interficit & damnat. *Quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt:* Vers. 16. *aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam*, &c.

GUSTUS Deo tribuitur, Psal. 103. Heb. 104. v. 34. יֶעֱרַב *dulcescat*, vel *jucundum sit ei eloquium meum*, &c. i. gratum & acceptum.

Ose. 9. v. 4. *Non libabunt Domino vinum, nec* יֶעֶרְבוּ *dulcescent*, Vulg. *placebunt ei sacrificia eorum*, &c. h. e. non probabit ea. Conf. Malach. 3. v. 4. Vide etiam Joan. 4. v. 34. ubi Christus dicit cibum suum esse, ut faciat voluntatem Patris sui, & opus ejus perficiat.

TACTUS, Psal. 103. Heb. 104. v. 32. Heb. *Tangit montes & fumigant*, q. d. solo tactu res summas & firmissimas perdit. Sic Psal. 143. Heb. 144. v. 5. ubi quidam respici putant ad fumantem montem Sinai, quando promulgata est Lex, Exod. 19. & 20.

Huc etiam referri possunt, quæ de *manu Dei*, supra pag. 69. col. 2. allata sunt.

Sensuum exteriorum affectiones sunt *somnus* & *vigilia*. Utrumque Deo tribuitur; ac somno quidem, auxilii dilatio: vigilia autem, potentiæ contra hostes, & gratiæ erga Ecclesiam exhibitio innuitur. Psal. 43. Heb. 44. v. 23. al. 24. *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, & ne repellas in finem*, id est, quare auxilium tuum, protrahis? exsere nunc potentiam tuam in hostes meos. Vide etiam Psal. 77. Heb. 78. v. 65. Jerem. 31. v. 26. cap. 51. v. 9. &c. *Vigilare* etiam dicitur Deus, ejusque assiduitas & festinatio vel in pœnis infligendis, vel in exhibendis beneficiis intelligitur. Vide Jerem. I. v. 12. cap. 31. v. 28. c. 44. v. 27.

II. *Actiones locomotivæ facultatis Deo tributæ.*

ADVENTUS Deo tribuitur, quo significatur,

1°. Gratiæ & beneficentiæ exhibitio. Exod. 20. v. 24. *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.*

Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & apud eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

2°. Judicium & pœna. Isai. 3. v. 14. *Dominus ad judicium veniet... vos enim depasti estis vineam meam*, &c.

Ose. II. v. 9. *Non faciam furorem iræ meæ .... & non ingrediar civitatem*, scilicet ad perdendam eam.

AMBULATIO IN POPULO SUO, qua innuitur,

1°. Ejus præsentia, necnon beneficentia. Levit. 26. v. 12. *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester*, &c. Vide etiam Deut. 23. v. 14. 2. Cor. 6. v. 16.

2°. Pœna & supplicium. Lev. 26. v. 28. *Et ego ambulabo*, Vulg. *incedam adversus vos in*

furore contrario, & corripiam vos septem plagis, &c. i. plurimis.

DESCENSUS, quo Dei propositum de singulari aliquo opere inter homines efficiendo notatur. Idque *tum* in bonum, & respectu gratiæ. Exod. 3. v. 8. *Sciens dolorem ejus* (populi mei) *descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum*, &c. *Tum* in malum, respectu iræ & pœnæ. Gen. 11. v. 5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim*, &c. Aug. de hoc loco, lib. 16. de Civ. Dei, c. 5. tom. 7. nov. edit. col. 420. sic scribit: *Non loco movetur Deus, qui semper ubique est totus: sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodammodo ejus ostendat.* Vide etiam v. 7. Psal. 17. Heb. 18. v. 10. Isai. 64. v. 1. Sap. 18. v. 15. &c.

Descendere de cœlo Filius Dei dicitur, cum naturam humanam assumsit, quod sine ulla mutatione loci factum. Joan. 3. v. 13. cap. 6. vv. 38. 42. 50.

Spiritus Sanctus *descendere etiam de cœlo* dicitur, cum in columbæ specie super Christo, dum baptizaretur, manifestavit se requiescens, Matth. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10. Luc. 3. v. 22. Joan. 1. vv. 32. 33.

Alia ratione Deus descensurum se in Ægyptum cum Jacobo promisit, nempe ut gratia sua & patrocinio in via illa ipsi adesset, Gen. 46. v. 4. terra enim Chanaan, ex qua proficiscebatur Jacob, editior est Ægypto.

EQUITATIO, qua innuitur,

1°. Gloriosa Dei operatio in cœlis, tempestatibus, &c. Deut. 33. v. 26. *Non est Deus alius, ut Deus rectissimi*, רֹכֵב *equitans*, vel *equitator*, Vulg. *ascensor cœli, auxiliator tuus*, &c. Vide etiam Psal. 67. Heb. 68. v. 34.

2°. In exsequendis suis judiciis celeritas. Psal. 17. Heb. 18. v. 11. וַיִּרְכַּב *& equitavit*, Vulg. *& ascendit super cherubim & volavit*, &c. Vide Isai. 19. v. 1.

OCCURSUS, quo *vel* Dei manifestatio denotatur. Num. 23. v. 4. *Cumque abiisset* (Balaam) *velociter*, (al. *in clivum*,) *occurrit illi Dominus*, &c. h. e. illi seipsum manifestavit, Vide v. 16. *Vel* gratia & beneficentia. Isai. 64. v. 5. *Occurristi lætanti & facienti justitiam*, &c. h. e. favore tuo prosequutus es.

REVERSIO Deo tribuitur,

1°. In locum suum, eaque innuitur auxilii Divini substractio. Ose. 5. v. 15. *Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis*, &c.

2°. In altum, qua in solium judiciarium conscensus, seu ipsum Dei judicium indicatur. Psal. 7. v. 8. *Congregatio populorum circumdabit te: & propter hanc in altum regredere*, i. in solium, sive suggestum.

3°. Ad pios, qua pœnarum ablatio, & gratiæ exhibitio significatur. Psal. 6. v. 5. *Revertere*, Vulg. *convertere, Domine, & eripe animam meam.* Vel, iterum eripe animam meam; cum enim duo verba sese consequuntur, prius sæpe in adverbium transit. Vide tom. I. pag. 535. can. IV.

SURRECTIO, qua Divinum de magnis operibus exsequendis propositum innuitur; cum enim res vulgares perficit Deus, sedere; cum vero magnas & insolitas efficit, surgere dicitur. Num. 10. v. 35. *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui*, &c. Vide Psal. 11. Heb. 12. v. 6. Psal. 43. Heb. 44. v. 27. Psal. 67. Heb. 68. v. 2. Psal. 101. Heb. 102. v. 14. Isai. 2. vv. 19. 21. cap. 33. v. 10. &c.

SUPERVENIRE hominem Spiritus Sanctus dicitur, cum singulari & mirabili ratione in eo & per eum operatur. Luc. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Act. 1. v. 8. *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos*, &c. quod Luc. 24. v. 49. dicitur *indui virtute ex alto.*

TRANSITIO, qua *vel* pœna Divinitus inflicta significatur, Exod. 12. v. 12. *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti.* Vide v. 23. Amos 5. v. 17. *Vel* è contrario dissimulatio, qua non punit. Amos. 7. v. 8. *Non adjiciam ultra* עֲבוֹר לוֹ, Lxx. παρελθεῖν αὐτόν, *pertransire eum*, populum Israëliticum. Vide Mich. 7. v. 18. *Vel* denique cum parcit Deus, pœnasque à populo suo avertit. Exod. 12. v. 13. *Et videbo sanguinem, & transibo vos: & non erit in vobis plaga disperdens*, &c. Vide Isai. 31. v. 5.

VISITATIO denique, qua innuitur *tum*

gratia & beneficium exhibitum, Gen. 21. v. 1. *Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat*, &c. Vide Psal. 64. Heb. 65. v. 10. Psal. 105. Heb. 106. v. 4. Jerem. 29. v. 10. Luc. 19. v. 44. &c. *Tum* ira & supplicium inflictum, Exod. 34. v. 7. פֹּקֵד *visitans*, Vulg. *qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem.* Vide Psal. 58. Heb. 59. v. 6. Isai. 27. v. 1. Jerem. 6. v. 6. cap. 15. v. 3.

Non solum autem *locomotivæ* actiones, sed & earum fines & effectus quidam Deo tribuuntur, ut:

EXPLORATIO, quæ circumambulando perficitur, quaque Divina cura ac providentia innuitur. Ezech. 20. v. 6. *In die illa levavi manum meam pro eis*, (i. juravi) *ut educerem eos de terra Ægypti, in terram, quam* תַּרְתִּי *exploraveram eis.* LXX. ἡτοίμασα, *præparaveram*, Vulg. *provideram.* Vide Num. 10. v. 33. ubi infinitivum לָתוּר *ad explorandum*, de arca fœderis usurpatum, LXX. κατασκέψασθαι, *ad providendum*, Vulg. *providens*, interpretantur.

QUÆSITIO, qua Dei voluntas ac desiderium significatur. Ezech. 22. v. 30. *Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem*, &c. id est, desideravi. Vide Joan. 4. v. 23. Et quæsitionis effectus, nempe *inventio*, quæ *in bonam* & *in malam partem* accipitur.

In bonam, qua significatur singularis Dei cura ac providentia. Psal. 88. Heb. 89. v. 21. *Inveni David servum meum*, &c. h. e. elegi. Vide Act. 13. v. 22. Quo sensu etiam *quæsivisse* illum dicitur 1. Reg. 13. v. 14. *Non quasi nesciat ubi sit*, scribit August. l. 17. de Civit. Dei, cap. 6. tom. 7. nov. edit. col. 468. *ita Deus sibi hominem quærit: sed per hominem more hominum loquitur.... Quæret sibi ergo, dixit*, [*pro eo, ac si diceret, quem suum esse jam novit, sibi esse familiarem aliis ostendet.*] Quæ uncinis includuntur, in editis habentur: at codd. mss. magno consensu præ se ferunt: *Quæret sibi ergo, dixit, suum habebit.*

In malam, eaque innuitur ira Dei ac supplicium. Gen. 44. v. 16. *Deus invenit iniquitatem servorum tuorum*, &c. h. e. castigavit. Vide Psal. 20. Heb. 21. v. 6. &c.

III. *Actio procreatrix Deo tributa.*

GENERATIO Deo tribuitur non æterna illa, qua Deus Pater ex substantia sua ab æterno filium sibi coæternum & consubstantialem genuit; hæc enim propria est, non metaphorica: sed spiritualis & mystica, qua populum suum & credentes gignere dicitur, cum dimissis peccatis, eos in filios, propter Christum Salvatorem, adoptat. Psal. 21. Heb. 22. v. 32. *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.* Vide Joan. 1. v. 13. cap. 3. vv. 5. 6. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 1. vv. 3. 23. 1. Joan. 3. v. 9. Jacob. 1. v. 18. &c.

Interdum etiam in SS. Scripturis generatio Deo tribuitur respectu inanimatorum, ut: Job. 38. v. 28. *Quis est pluviæ pater, & quis genuit stillas roris?* Vers. 29. *De cujus utero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?* i. quis pluviam, stillas, rorem, glaciem, & gelu produxit, nisi solus Deus?

§. IV.

Adjuncta humana Deo tributa.

ADJUNCTA illa distingui possunt in *privativa* & in *positiva.*

Adjuncta privativa.

Ad adjuncta privativa pertinet, cum *impotentia efficiendi aliquid* Deo tribuitur, quasi veritate, bonitate, & sanctitate sua prohibitus esset, ac veluti constrictus. Gen. 19. v. 22. *Festina, & salvare ibi; quia non potero quidquam, donec ingrediaris illuc*, &c. i. non potero delere urbem, antequam in tuto sis collocatus; Deus enim te ex incendio eripere ac salvare decrevit. Sic loquitur ad Lot angelus legatione Dei fungens; vel, ut aliis placet, ipse Dei Filius, qui ab Abrahamo digressus faciem suam versus Sodomam direxerat.

Isai. 1. v. 13. *Non possum* (ferre) *iniquitatem & cœtum*, h. e. iniquitatem cœtus vestri; idque ob sanctitatem meam, cui vestra adversatur iniquitas.

Huc referendum est Exod. 32. v. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, &c. Verba sunt Dei Mosen alloquentis, quasi fide ac precibus illius veluti alligatus & constrictus, populum delere non posset. Tantæ virtutis est deprecatio justi apud Deum, Jac. 5. v. 16. Conf. Gen. 32. v. 28. Jos. 10. vv. 12. 13. 14. Psal. 105. Heb. 106. v. 23. Ose. 12. v. 4. &c.

Ad hanc adjunctorum classem pertinet,

1°. Membrorum *luxatio* in homine, quæ Deo etiam ἀνθρωποπαθῶς tribuitur. Jerem. 6. v. 8. *Erudire, Jerusalem, ne forte* תֵּקַע *luxetur anima mea à te*, i. *ne recedat*, Vulg. Vide etiam Ezech. 23. v. 18. eaque loquutione intima Dei cum fidelibus conjunctio indicatur.

2°. Morbi, sive dolores, quibus peccatorum pœnæ notantur, quasque pro nobis pertulit Christus. Isai. 53. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Vide etiam v. 10.

3°. Pestis, sive mors, aut excisio, à quibus describit se Christus. Ose. 13. v. 14. אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל *ero pestes tuæ, ô mors: ero excisio tua, ô inferne.* LXX. ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη; *ubi est causa tua, ô mors? ubi est aculeus tuus, ô inferne?* Apost. 1. Cor. cap. 15. v. 55. ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; *ubi est, mors, stimulus tuus? ubi est, inferne, victoria tua?* Vel, ut habent quidam manuscripti codices, quos vide apud D. Mill. pag. 399. ποῦ σου, θάνατε, τὸ νῖκος; ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; Vulg. interp. Lat. *ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Aq. & V^a. edit. ποῦ εἰσιν οἱ λόγοι σου, *ubi sunt sermones tui*, pluralem numerum דְבָרֶיךָ accipiebant à sing. דָּבָר *sermo*, non à דֶּבֶר *pestis, perditio*, &c. Vulg. *Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne.* LXX. Aq. & V^a. edit. qui cum interrogatione interpretantur ποῦ, *ubi?* in suis codicibus legebant אַיֵּה pro אֱהִי transpositis literis ה & י. Christus autem mortem destruxit, cum ut Sacerdos & victima, Heb. 2. v. 14. *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum.* Tum ut propheta, 2. Tim. 1. v. 10. *Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium.* Denique ut rex potentissimus, qui Ecclesiam suam defendit ut *portæ inferi non prævaleant adversus eam*, Matth. 16. v. 18.

Adjuncta positiva.

Adjuncta positiva distingui quoque possunt in *interna* & *externa*. Interna sunt, respectus & status hominum diversi, qui Deo affinguntur; unde dicitur

AGRICOLA, i. synecdochice VINITOR, Joan. 15. v. 1. *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est*, sive vinitor, &c. Vide Isai. 5. & Matth. 20. quibus in capitibus comparationis ratio fusius explicatur.

ARTIFEX, Prov. 8. v. 30. *Cum eo* (Deo) *eram* אָמוֹן *artifex*, LXX. ἁρμόζουσα, Vulg. *componens.* Sic loquitur de seipsa Sapientia æterna, Dei filius, *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est*, Joan. 1. v. 3. Unde in *Bereschith rabba* אָמוֹן dicitur *organum artificii Dei benedicti.* Aq. τιθηνουμένη *nutritia*, artis scilicet, h. e. in arte peritissima. Sym. Theod. ἐστηριγμένη, *firmata*, vel *firmans.* Quæ omnia significata à rad. אָמַן proficiscuntur. Heb. 11. v. 10. Dicitur Deus τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, *artifex & conditor* civitatis fundamenta habentis, i. vitæ æternæ, sive gaudii cœlestis causa, fons, & auctor.

BELLATOR, Exod. 15. v. 3. *Dominus* אִישׁ מִלְחָמָה *vir belli*, sive *bellator*, &c. quia prælia moderatur; & quem vult victorem efficit. Confer Psal. 45. Heb. 46. & Psal. 75. Heb. 76.

CONSILIARIUS, ita Christus vocatur Isai. 9. v. 6. *tum* ob sapientissimum salutis nostræ reparandæ decretum sive propositum, quod in Christo Jesu ante tempora sæcularia dispositum est, 2. Tim. 1. v. 9. *tum* ob sanctissimum officium in voluntatis Divinæ ad salutem patefactione, & obedientia Patri præstita, &c. *tum* denique quod nobis consilia & præcepta, simulque & media ad æternam

ſalutem adipiſcendam neceſſaria dederit.

MEDICUS, quia ex omnibus periculis ac malis cum animarum, tum corporum, in ſe confiſos liberat. Exod. 15. v. 26. *Si audieris vocem Domini Dei tui.... cunctum languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te; ego enim Dominus medicus tuus.* Vide etiam Pſal. 146. Heb. 147. v. 3. &c. Id muneris Chriſto ob ſanationis ſpiritualis beneficium peculiariter tribuitur, Matth. 9. v. 12. Marc. 2. v. 17. Conf. Iſai. 61. v. 1.

PASTOR, Pſal. 22. Heb. 23. v. 1. *Dominus* (eſt) רֹעִי *paſtor meus*, &c. Lxx. Κύριος ποιμαίνει με, *Dominus paſcit me*, &c. Vulg. Lat. eodem ſenſu, *Dominus regit me.* Speciali ratione ob Salvatoris officium, *Paſtoris* nomen & actiones Chriſto tribuuntur, Ezech. 34. v. 23. *Et ſuſcitabo ſuper eas* (oves) *paſtorem unum, qui paſcat eas*, &c. Vide c. 37. v. 24. Mich. 5. v. 3. cap. 7. v. 14. Zach. 13. v. 7. Joan. 10. v. 11. Heb. 13. v. 20. 1. Pet. 2. v. 25. cap. 5. v. 4. &c.

PATER, qua appellatione conſolationis & gaudii pleniſſima, præpotentis Dei affectus erga homines declaratur. Deut. 32. v. 6. *Numquid non ipſe* (Deus) *eſt pater tuus*, &c. Vide Pſal. 67. Heb. 68. v. 6. Iſai. 64. v. 8. Matth. 6. vv. 1. 6. 8. 9. Rom. 8. v. 15. &c.

Pater æternitatis dicitur Chriſtus, Iſai. 9. v. 6. quia electos in beata æternitate glorificat, unde eleganter Lxx. verterunt: πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, Vulg. *pater futuri ſæculi.* Quæ verba non habentur quidem in edit. Vaticana: ſed leguntur in mſ. Alexand. editt. Ald. & Complut. apud Euſeb. lib. 7. & 9. Demonſt. Evang. & in Miſſa Nativ. Domini. In Divinis autem officiis, Vetus Latina editio ad Lxx. adornata ſervata eſt. Quare dubium non eſt, quin & in Lxx. verſione illa verba exſtiterint, ſicuti in Hebræo leguntur, niſi quod Lxx. ad ſenſum complendum vocem μέλλοντος *futuri* addiderint; quod nonnunquam ab eis factum jam monuimus.

PRIMOGENITUS vocatur Chriſtus, qua voce maxima ejus potentia, dignitas, præſtantia, &c. ſignificatur; deſumta enim eſt iſta loquutio ex nobilitate & præſtantia juris primogenitorum. Pſal. 88. Heb. 89. v. 28. *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ.* Vide Coloſſ. 1. vv. 15. 18. Apoc. 1. v. 5.

PRINCEPS, REX, DUX, Deus & Chriſtus ad Majeſtatem, & cœleſte dominium ejus denotandum ſæpius vocatur. Vide Iſai. 9. v. 6. cap. 32. v. 1. cap. 33. v. 22. cap. 55. v. 4. &c. Item

SPONSUS, Matth. 9. v. 15. c. 25. v. 1. Marc. 2. v. 19. Luc. 5. v. 34. Joan. 3. v. 29. Atque ita Chriſtus vocatur multas ob cauſas, maxime vero ob ineffabilem erga Eccleſiam ſuam amorem, quam ſpiritualiter ſibi deſponſavit. Oſe. 2. v. 19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia*, &c. Verſ. 20. *Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus.* Vide etiam Epheſ. 5. v. 26. ſeqq. &c.

TESTIS dicitur Chriſtus, Iſai. 43. v. 10. *Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſervus meus, quem elegi*, &c. h. e. & ſervus meus Chriſtus teſtificabitur. Vide c. 55. v. 4. Apoc. 1. v. 5. cap. 3. v. 14. Id autem nominis ei tribuitur, tum quia certiſſima ratione veritatem cœleſtem nobis protulit ac teſtatus eſt, Joan. 18. v. 37. tum quia omnia de ſe per Prophetas prædicta accuratiſſime complevit, Joan. 1. v. 17. &c.

Adjuncta externa ſunt vel *inſeparabilia*, vel *ſeparabilia.* Inſeparabilia ſunt *locus* & *tempus.* Utrumque Deo *illocali* & æterno ἀνθρωποπαθῶς tribuitur; ac 1°. quidem locus *in genere*, & *in ſpecie.*

In genere, cœlum dicitur LOCUS SANCTITATIS EJUS, Pſal. 23. Heb. 24. v. 3. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſanctitatis*, Vulg. *ſancto ejus*, h. e. in cœlo, in quo habitationem Dei Scriptura conſtituit; non quod illic incluſus ſit; ubique enim præſens eſt, & omnia ut locus complectitur, & omnem ipſe locum implet, unde à Rabbinis appellatur מָקוֹם *locus:* ſed ut amplior ejus majeſtas & gloria denotetur. Sicut enim terrenis regibus inter ſubditos altior ſedes tribuitur, ut omnibus conſpicui ſint ac venerabiles: ita cum inter corporea loca, non ſit in humanis oculis locus cœlo altior,

altior, in eo Deum regem regum & Dominum dominantium collocamus. Alii tamen per *montem Domini* intelligunt montem Sion, & per *locum ſanctitatis ejus*, Tabernaculum vel Templum; & myſtice Eccleſiam.

EGREDI E LOCO SUO dicitur Deus, cum inſigni aliquo opere præſentiam ſuam manifeſtat. Iſai. 26. v. 21. *Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ, contra eum.* Vide etiam Mich. 1. v. 3.

REVERTI AD LOCUM SUUM, cum gratiæ ſuæ beneficium ſubſtrahit, vide ſupra pag. 85. col. 2.

In ſpecie,

SEDES, SOLIUM, ſeu THRONUS Deo tribuitur, quo majeſtas, ſublimitas, & auctoritas ejus excellentiſſima ſignificatur. Pſal. 9. v. 8. *Paravit in judicio*, ſive *ad judicandum, thronum ſuum*, &c. Vide etiam Pſal. 10. Heb. 11. v. 4. Pſal. 46. Heb. 47. v. 9. Iſai. 66. v. 1. Matth. 5. v. 34.

Jerem. 14. v. 21. *Ne des nos in opprobrium, propter nomen tuum*, אַל־תְּנַבֵּל כִּסֵּא כְבוֹדֶךָ *ne vilipendas*, vel *dejicias ſolium gloriæ tuæ.* LXX. μὴ ἀπολέσῃς θρόνον δόξης σου, *ne perdas thronum gloriæ tuæ*, i. Judæam, quæ eſt regnum tuum, & in qua peculiari ratione, gratiæ & potentiæ tuæ præſentiam oſtendis. Vel Templum tuum, in quo tanquam in ſolio reſides; *omnis enim locus, quem Deus ad manifeſtationem ſplendoris & gloriæ ſuæ deſtinavit, vocatur* כִּסֵּא, inquit R. Maimonides in More Nevochim, parte prima, cap. 9. Sic Chriſto Servatori thronus, vel ſedes, aut ſolium aſſignatur, quod Divinum ejus regnum ac imperium denotat. Pſal. 44. Heb. 45. v. 7. *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi*, &c. Vide etiam Iſai. 16. v. 5. Matth. 19. v. 28. Heb. 1. v. 8. c. 4. v. 16. c. 8. v. 1. &c.

SCABELLUM PEDUM Deo tribuitur, quo ſignificatur,

1°. Terra, ejuſque in ea, ut infima mundi parte, præſentiſſimi immenſitas. Iſai. 66. v. 1. *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*, &c. Vide etiam Matth. 5. v. 35.

2°. Arca fœderis, in qua ſpeciali revelatione ſuam ſe præſentiam declaraturum promiſit Deus. 1. Paral. 28. v. 2. *Cogitavi* (inquit David) *ut ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*, hoc eſt, in qua requieſceret arca, quæ eſt ſcabellum pedum Dei noſtri. Vide quoque Pſal. 98. Heb. 99. v. 5. Pſal. 131. Heb. 132. v. 7. Thren. 2. v. 1. Chriſto quoque tribuitur ſcabellum, Pſal. 109. Heb. 110. v. 2. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, qua phraſi innuitur omnimoda hoſtium Chriſti ſubjectio. Vide inſuper 1. Cor. 15. v. 25. Heb. 1. v. 13. Sic *omnia ſub pedibus ejus ſubjecta* dicuntur, Pſal. 8. v. 7. Epheſ. 1. v. 22. Heb. 2. v. 8. &c.

Non ſolum autem *locus* Deo tribuitur, verum etiam *locatio*, ſive ſitus localis. Hinc dicitur

STARE E LONGINQUO, vel LONGE RECEDERE, quo indicatur Divini auxilii dilatio. Metaphora ab hominibus ſumitur, qui, cum longe abſunt, manus auxiliares porrigere nequeunt. Pſal. 9. v. 22. Heb. 10. v. 1. *Ut quid, Domine,* תַּעֲמֹד בְּרָחוֹק *ſtas in*, vel *è longinquo?* Vulg. *Ut quid, Domine, receſſiſti longe?*

Stare ad dexteram, eſt ope ac favore potenter defendere. Pſal. 15. Heb. 16. v. 8. *Quoniam à dextris eſt mihi* (Deus), *ne commovear.* Vide etiam Act. 2. v. 25.

SEDERE dicitur Deus, quo ejus imperium, judiciique Divini exercitium in peculiaribus actis ſignificantur. Pſal. 28. Heb. 29. v. 10. *Et ſedebit Dominus in æternum.* Atque ita intelligenda ſunt alia Scripturæ loca, in quibus ſolium ei tribuitur. Vide col. præced. ad voces, SEDES, SOLIUM, THRONUS.

SEDERE SUPER CHERUBIM (arcæ) dicitur, ob peculiarem præſentiæ ſuæ eo in loco manifeſtationem. Pſal. 79. Heb. 80. v. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe.* Vide Pſal. 98. Heb. 99. v. 1. &c.

Sedere ſuper orbem, vel *gyrum terræ*, ob majeſtatem & gloriam terrena omnia longiſſime ſuperantem. Iſai. 40. v. 22. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores ejus ſunt ſicut locuſtæ*, &c.

HABITARE denique dicitur Deus *in ex-*

celsis, in Sion, in Ecclesia, in contritis cordibus, &c. qua loquutione gratiosæ ejus præsentiæ manifestatio, actio, defensio, illuminatio, consolatio, salvatio, &c. intelligitur. Vide Psal. 67. Heb. 68. v. 17. Psal. 131. Heb. 132. vv. 13. 14. Psal. 134. Heb. 135. v. 21. Isai. 57. v. 15. Ezech. 37. v. 27. Joan. 14. v. 23. 2. Cor. 6. v. 16. &c. Valde emphaticum est illud Apost. 2. Cor. 12. v. 9. *ἵνα ἐπισκηνώσῃ, ut inhabitet in me virtus Christi*, h. e. ut in me, tanquam in tabernaculo, habitet virtus, seu gratia Christi.

Huc referendum, cum *Spiritus Sanctus requiescere super aliquo* dicitur, quo donorum ejus largitio, & operatio innuitur. Vide Num. 11. vv. 25. 26. 4. Reg. 2. v. 15. Si de Christo agatur, ut Isai. 11. v. 1. cap. 61. v. 1. tota Spiritus Sancti, ac donorum ejus plenitudo intelligitur, quæ Servatori nostro secundum humanitatem communicata est, Psal. 44. Heb. 45. v. 8. Joan. 3. v. 4. & cujus visibile symbolum fuit mansio Spiritus Sancti super eo in specie columbæ, Matth. 3. v. 16. &c.

TEMPUS in Scripturis Deo assignatur, quo ejus æternitas intelligitur. Seu Dei æternitas quandoque à nominibus & differentiis temporis describitur. Unde ipsi tribuuntur

ANNI, qui tamen ita describuntur, ut sint in generationem & generationem, nec deficiant. Psal. 101. Heb. 102. v. 25. *In generationem & generationem anni tui*. Vers. 28. *Tu autem ipse es, & anni tui non deficient*. Lxx. Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, Vulg. Lat. *Tu autem idem ipse es*, &c. Conf. Heb. 1. v. 12. Sive quod *numerus eorum sit inæstimabilis*, Job. 36. v. 26.

DIES, Dan. 7. v. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, qui *dies æternitatis* dicuntur, Mich. 5. v. 1. 2. Pet. 3. v. 18.

Interdum duæ vel tres temporis differentiæ conjunguntur, ut æternitas initio, intermissione, & termino carens exprimatur. Heb. 13. v. 8. *Jesus Christus heri, & hodie, & ipse in sæcula*, i. ab æterno & in æternum.

Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est*, i. qui æternus est Deus. Vers. 8. *Ego sum α & ω*, id est, *principium & finis*, ut ibidem explicatur; sive principium sine principio, & finis sine fine; h. e. absolute æternus. Vide etiam cap. 21. v. 6. c. 22. v. 13.

Huc etiam pertinet, cum verbis *futurum tempus* respicientibus, Scriptura de Deo utitur, cum in Divina æternitate nec præteritum, nec futurum proprie sit; sed omnia sint præsentia. Psal. 138. Heb. 139. v. 2. *Intellexisti cogitationes meas de longe*, &c. i. longe antequam in anima mea formarentur. Conf. v. 4. Sic Deus præscire dicitur, Rom. 8. v. 29. *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, &c. Non quod futurum tempus Deo proprie competat, in quem ut loci, sic temporis conditio nulla cadit; sed quia sic Scriptura de Deo ob intellectus nostri imbecillitatem loquitur. Vide etiam cap. 11. v. 2. 1. Pet. 1. v. 2. & 20.

Adjuncta separabilia varia sunt, quorum nonnulla tantum eo loci recensebimus, quibus cognitis, cetera facile intelligentur.

ARMA Deo tribuuntur, quibus iræ ejus & vindictæ operatio innuitur. Psal. 34. Heb. 35. v. 2. *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi*. Vide Isai. 59. vv. 17. 18. Sap. 5. v. 18. seqq. &c.

Jerem. 51. v. 20. Rex, sive populus Babylonis, dicitur מַפֵּץ *malleus dispergens, & instrumenta bellica*; quia per eum varias terras desolavit Deus. מַפֵּץ־אַתָּה לִי כְּלֵי מִלְחָמָה *malleus dispergens*, sive *verutus fuisti mihi; vasa*, vel *instrumenta bellica*, &c. Lxx. διασκορπίζεις σύ μοι σκεύη πολέμου, *dispergis tu mihi vasa belli*, &c. Vulg. *Collidis tu mihi vasa belli*, &c. vocem מַפֵּץ, ut participium hiphil acceperunt.

In specie autem ex armis Deo assignantur

ARCUS & NERVI, sive FUNES, arcuum scilicet. Thren. 2. v. 4. *Tetendit arcum suum quasi inimicus*, &c. Vide c. 3. v. 12.

Psal. 20. Heb. 21. v. 13. *Quoniam pones eos dorsum*, בְּמֵיתָרֶיךָ *in funibus tuis præparabis super facies eorum*. Aq. ἐν τοῖς κάλοις σου ἑδράσεις ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, *in funibus tuis firmabis super*, vel *contra faciem eorum*. Sym. περιλειπομένοις σου ἑδράσεις κατὰ πρόσωπον αὐτῶν, *reliquiis tuis firmabis ad facies eorum*. Lxx. ἐν

τοῖς ἐγκαταλοίποις σε ἑτοιμάσεις τὸ πρόσωπον αὐτῶν, Vulg. Lat. *in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.* Vox Hebræa מֵיתָרִים significare potest & *reliquias*, & *nervos*, sive *funes*. Optime omnium S. Hieron. *funes tuos firmabis contra facies eorum.*

Habac. 3. v. 9. עֶרְיָה תֵעוֹר קַשְׁתֶּךָ *nudatione nudabitur arcus tuus.* Sic interpretantur recentiores, qui vocem תֵעוֹר deducunt à verbo עָרָה, sed in forma quiesc. Aiin ו in niphál. At Lxx. ἐντείνων ἐνέτεινας τόξον σε, *intendens intendisti arcum tuum.* Vulg. eodem sensu, *suscitans suscitabis arcum tuum.* Legebant עֶרְיָה תֵעוֹר à rad. עוּר *evigilavit*, *excitavit*, *suscitavit*, &c. Vox tamen עֶרְיָה formam habet ab עָרָה *nudatus est*; illa enim verba, & quiescentia Aiin ו, suam interdum formam commutant.

SAGITTÆ, quibus magnæ & improvisæ calamitates divinitus immissæ significantur. Deut. 32. v. 23. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis*, h. e. nullum erit calamitatum genus, quo eos non affligam. Vide etiam v. 42. Job. 6. v. 4. Psal. 37. Heb. 38. v. 3. Psal. 63. Heb. 64. v. 8. Zach. 9. v. 14. Thren. 3. v. 13.

Specialius *sagittæ* Dei dicuntur fulmina & grandines. Psal. 17. Heb. 18. v. 15. *Misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit*, vel *jaculatus est, & conturbavit eos*; ubi prius hemistichium in posteriori repetitur, ut sæpe fit in Psalmis. Vide insuper Psal. 143. Heb. 144. v. 6. Habac. 3. v. 11.

Quandoque etiam Verbi Evangelici Divina vis in piis salvandis, & impiis judicandis condemnandisque, voce *sagittarum*, significatur. Vide Psal. 44. Heb. 45. v. 6. Isai. 49. v. 2. Conf. Joan. 12. vv. 47. 48. 2. Cor. 2. vv. 15. 16.

GLADIUS & FRAMEA, iræ ac vindictæ Divinæ index & symbolum. Deut. 32. v. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum .... reddam ultionem hostibus meis*, &c. Vide Jud. 7. v. 20. Psal. 16. Heb. 17. v. 13. Isai. 27. v. 1. cap. 34. vv. 5. 6. &c.

Psal. 34. Heb. 35. v. 3. *Effunde frameam*, וּסְגֹר *& conclude adversus eos, qui persequuntur me*, &c. Aq. Symm. Theod. Vᵃ. edit. γύμνωσον λόγχην, καὶ σύγκλεισον ἐξ ἐναντίας τῶν καταδιωκόντων με, *nuda lanceam, & circumvalla ex adverso persequentium me.* S. Hieron. *Evagina gladium, & praeoccupa ex adverso persequentem me*, pro רֹדְפָי, legebat רֹדְפִי in sing. numero. Vox itaque סְגֹר, secundum veteres illos interpretes, verbi סָגַר imperativus est, non gladii genus σάγαρις, *acinaces*, ut vult Glassius & quidam recentiores. Neque accentus *Tiphhhá* eorum sententiæ favet, cum non semper distinguat.

HASTA FULGURANS Deo tribuitur, qua, sicut *sagittis*, de quibus supra, significantur lapides grandinis cum fragore, tonitribus, & fulgetris immissi. Habac. 3. v. 11. *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Vide historiam hanc Josue 10. v. 11. & seqq.

SCUTUM & CLYPEUS sæpe dicitur Deus, cum homines protegit, omnesque hostium impetus instar clypei excipit, & avertit. Gen. 15. v. 1. *Noli timere, Abram, ego sum* מָגֵן לָךְ *clypeus tuus*, i. *protector tuus*, ut optime interpretatur Vulg. Vide Deut. 33. v. 29. Psal. 3. v. 4. Psal. 17. Heb. 18. v. 3. Psal. 27. Heb. 28. v. 7. &c.

Psal. 83. Heb. 84. v. 12. כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים Aq. ὅτι ἥλιος καὶ θυρεὸς κύριος ὁ θεὸς, S. Hieron. *quia sol & scutum Dominus Deus.* Vᵃ. edit. ὅτι ἥλιος καὶ σκεπαστὴς κύριος ὁ θεὸς, *quia sol & protector Dominus Deus.* Sym. ὅτι ἥλιος, &c. *quia sol*, &c. ut Vᵃ. editio. Lxx. & Theod. ὅτι ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος ὁ θεὸς, *quia misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus.* Hîc librarii mendum est, qui pro ἥλιον, ut interpretantur Aq. Symm. Vᵃ. edit. & ipse etiam Theod. in quibusdam mss. codicibus, scripsit ἔλεον; cumque librarius alter animadverteret voces ἔλεον & θυρεὸν non bene inter se cohærere, pro ultima dictione θυρεὸν, reposuit ἀλήθειαν, & verbum ἀγαπᾷ ad sensum pleniorem, ut ipsi videbatur, efficiendum, adjecit; sicque nata est phrasis: ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος ὁ θεὸς, *misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus.* Misericordia autem & veritas sæpe in Scripturis conjunguntur.

ARRHA, sive ARRHABO, aut PIGNUS, vocatur Spiritus Sanctus, quo dato, confir-

mantur promiſſiones à Deo factæ; is enim benevolentiæ Divinæ pignus eſt, & felicitatis æternæ in electis arrhabo. 2. Cor. 1. v. 22. *Qui* (Deus) *& ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Vide cap. 5. v. 5. Epheſ. 1. v. 14.

CALIX Deo tribuitur, quo afflictiones ab eo immiſſæ ſignificantur. Pſal. 74. Heb. 75. v. 9. *Quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.... veruntamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Vel, ut S. Hieron. veritatem Hebraicam ſequutus, *veruntamen fæces ejus epotabunt bibentes omnes impii terræ.* Vide etiam Iſai. 51. vv. 17. 22.

CURRUS Deo tribuuntur, quibus declaratur,

1°. Divina ejus potentia, Habac. 3. v. 8. *Qui aſcendes ſuper equos tuos, & currus tui,* Vulg. *quadrigæ tuæ, ſalvatio.*

2°. Miniſtrantium angelorum myriades denotantur. Pſal. 67. Heb. 68. v. 18. *Currus Dei duæ myriades, millia iterationis*, hoc eſt, iterata, ſive duplicata; numerus finitus pro infinito. Lxx. *τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ μυριοπλάσιον, χιλιάδες εὐθηνούντων, currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Symm. *ὄχησις τοῦ θεοῦ μυριάδων, χιλιάδες ἠχούντων, currus Dei myriadum, millia ſonantium*, ſeu *reſonantium.* S. Hieron. *Currus Dei innumerabilis, millia abundantium.* Is & Lxx. in ſuo exemplari legiſſe videntur שַׁאֲנָן *tranquillus felix, abundans*, & forte etiam *tranquillitas, proſperitas, abundantia*, &c. pro שִׁנְאָן *iteratio*, formæ בִּנְיָן *ædificium*; ſed tertia radicali ה mutata in א loco (י) in שִׁנְאָן, pro שִׁנְיָן. Senſus itaque ſecundum Lxx. & S. Hieron. is eſt: currus Dei componitur ex myriadibus, multiſque millibus abundantium, pace ſcilicet vel gaudio, i. innumerabili angelorum multitudine, qua ſtipatus in monte Sinaï apparuit. Neque Symmachus aliter hunc verſum intellexiſſe videtur, qui vocem שִׁנְאָן tranſtulit *ἠχούντων reſonantium*, præ gaudio ſcilicet; quare Lat. reddidit *lætantium.* Vero itaque ſimile eſt in textu Hebræo lectum olim fuiſſe cum literarum metatheſi שַׁאֲנָן *proſperitas, abundantia*, &c. pro שִׁנְאָן *iteratio.*

ORBITÆ etiam Deo tribuuntur, quibus nubes ſignificantur. Pſal. 64. Heb. 65. v. 12. *Et orbitæ tuæ ſtillabunt pinguedinem*, i. nubes, quæ ſunt currus tui orbitæ, ſtillabunt pluviam, quæ terram fœcundabit. Lxx. ſenſum duntaxat reddiderunt, *καὶ τὰ πεδία σου πλησθήσονται πιότητος, & campi tui replebuntur ubertate.* Conf. Pſal. 17. Heb. 18. vv. 11. 12. Pſal. 103. Heb. 104. v. 3. Iſai. 19. v. 1.

DIVITIÆ Deo tribuuntur, quibus Divinæ majeſtatis, gloriæ, miſericordiæ, gratiæque abundantia intelligitur. Prov. 8. v. 18. *Mecum ſunt divitiæ, & gloria*, &c. Vide Rom. 2. v. 4. c. 9. v. 23. c. 10. v. 12. c. 11. v. 33. 2. Cor. 8. v. 9. Eph. 1. vv. 7. 8. 18. c. 2. vv. 4. 7. c. 3. vv. 8. 16. Col. 1. v. 27. Philip. 4. v. 19.

FENESTRÆ Dei habitaculo, quod cœlum in Scripturis dicitur, tribuuntur, ex quibus Deus proſpiciens, bona vel mala hominibus porrigit, illa faciendo, hæc non prohibendo. Gen. 7. v. 11. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, &* אֲרֻבֹּת Lxx. *καταῤῥάκται*, Vulg. *cataractæ*, Aq. Sym. *αἱ θυρίδες, feneſtræ cœli apertæ ſunt.* Vide cap. 8. v. 2. 4. Reg. 7. v. 2. Iſai. 24. v. 18. Malach. 3. v. 18. Proſpectum Dei de cœlis quod attinet, confer Deut. 26. v. 15. Pſal. 13. Heb. 14. v. 2. Pſal. 101. Heb. 102. v. 20. Thren. 3. vv. 8. 50.

FURNUS, ſive CAMINUS, quo Divina vindicta innuitur. Iſai. 31. v. 9. *Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, &* תַּנּוּר *furnus*, Vulg. *caminus ejus in Jeruſalem.* Confer c. 30. vv. 30. 33. Pſal. 20. Heb. 21. vv. 9. 10. Sunt tamen qui hoc de altari jugiter ardente intelligant.

HÆREDITAS Deo tribuitur, dum de populo & terra Iſraël dicitur, quod ſit *hæreditas Domini*; eaque loquutione amor ipſius & ſingularis cura ſeu providentia innuitur. Deut. 32. v. 9. *Pars autem Domini, populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Vide etiam Jerem. 2. v. 7. cap. 12. vv. 7. 8. c. 16. v. 18. &c.

Heb. 1. v. 2. Chriſtus dicitur *hæres univerſorum*, quia omnia ipſi à Patre ſuo tradita ſunt, Matth. 11. v. 27.

LIBER Deo tribuitur, quo accuratiſſima ejus ſcientia ac providentia denotatur; idque vel *in genere*, vel *in ſpecie.*

In genere, Pſal. 138. Heb. 139. v. 16. *In*

libro tuo omnes, vel *omnia scribentur*, &c.

In specie, notaturque providentia specialis, quæ Ecclesiam & credentes attinet. Malach. 3. v. 16. *Et scriptus est liber monumenti coram eo* (Deo) *timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus.*

Huc pertinet *liber vitæ*, de quo interdum in Scripturis fit mentio, quique nihil aliud est, quam singularis illa salvandorum cognitio, de qua 2. Tim. 2. v. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

Isai. 4. v. 3. *Omnis, qui relictus fuerit in Sion ... sanctus vocabitur; omnis, qui scriptus in vita*, vel *ad vitam in Jerusalem.* Vide Dan. 12. v. 1. Psal. 68. Heb. 69. v. 29. Luc. 10. v. 20. Philipp. 4. v. 3. Apoc. 3. v. 5. c. 13. v. 8. c. 17. v. 8. c. 20. vv. 12. 15. c. 21. v. 27.

Deleri ex libro vitæ, non solum reprobationem æternam significat, sed etiam interdum mortem temporalem. Exod. 32. v. 32. *Aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Vide v. 33. Confer etiam Num. 11. v. 15. & quæ superius diximus, pag. 81. col. 2.

OLEUM Deo tribuitur, quo Spiritus Sanctus cum suis donis intelligitur. Psal. 44. Heb. 45. v. 8. *Propterea unxit te Deus* (ô Christe) *Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, i. Spiritus Sancti muneribus, quæ animam lætificant, cumulavit te. Vide etiam Heb. 1. v. 9. Cant. 1. v. 3. & confer Isai. 61. v. 1. Joan. 3. v. 34. Act. 10. v. 38. &c.

PANIS Deo tribuitur, quo sacrificia innuuntur. Num. 28. v. 2. *Oblationem meam, panem meum .... custodietis, ut offeratis mihi in tempore statuto suo.* Quid sit autem panis ille, quem Deus sibi offerri præcepit, declaratur v. 3. & seqq. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis; agnos anniculos immaculatos*
» *duos*, &c. Sacrificia autem Deus vocat
» panem suum, more hominum; quod si-
» cut homines carnibus, vino, oleo, pani-
» bus, &c. potissimum vescuntur, & de-
» lectantur: ita & Deus illa in sacrificiis suis
» habere voluit, non quod illis, ut homo,
» vesceretur, ac delectaretur; sed quod
» ipsi grata essent propter aliud, nempe ob
» fidem in dilectum filium suum, qui per
» omnia sacrificia adumbrabatur. Ita Vatabl. comment. in h. l. Confer versum 24.

Joan. 6. v. 35. & sæpius in hoc capite, Christus dicitur *panis vitæ*, quia iis, qui eum in SS. Eucharistiæ Sacramento digne recipiunt, vitam æternam confert.

SIGILLUM, sive ANNULUS SIGNATORIUS tribuitur Deo, quo singularis ejus amor & cura significatur. Jerem. 22. v. 24. *Quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum*, h. e. tametsi mihi charissimus fuerit, tamen abjiciam illum ob ejus facinora.

Agg. 2. v. 24. *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus .... & ponam te quasi signaculum; quia te elegi*, &c. id est, curabo te, amore in te conquiescam, te quasi in manibus oculisque semper feram, &c.

Heb. 1. v. 3. Christus dicitur *character substantiæ Dei*, quia Pater totam suam essentiam & majestatem filio, quem ab æterno genuit, intime quasi insculpsit, & seipsum in eo, ut sit substantialis imago ejus, quasi *effigiavit.*

THESAURI Deo tribuuntur, idque *tum* in bonum, Deut. 28. v. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo.* Vide Act. 14. v. 17. *Tum* in malum, Deut. 32. v. 34. *Nonne hæc* (mala) *condita sunt apud me, & signata in thesauris meis.* Vers. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.*

Producere ventos de thesauris suis dicitur Deus, Psal. 134. Heb. 135. v. 7. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Vide Jerem. 10. v. 13. cap. 51. v. 16. quo non solum occulta eorum origo declaratur, ut Joan. 3. v. 8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat*: sed & utilitas & efficacia. Eadem ratione, Job. 38. v. 22. *thesauri nivis*, & *thesauri grandinis* memorantur.

Bona cœlestia & æterna dicuntur etiam *thesaurus*, Isai. 33. v. 6. Matth. 6. v. 20. cap. 19. v. 21. Marc. 10. v. 21. Luc. 12. v. 33. c. 18. v. 22. 2. Cor. 4. v. 7.

Sap. 7. v. 14. Cœlestis sapientia dicitur *thesaurus hominibus* ἀνεκλειπὴς, *indeficiens*, sive

infinitus, quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.

Coloss. 2. v. 3. *Omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* dicuntur in Christo, i. tota sapientiæ Divinæ plenitudo.

Vestitus Deo tribuitur, quo signatur infinita & admiranda ejus majestas, quæ in magnis operibus se quasi conspiciendam hominibus præbuit. Psal. 92. Heb. 93. v. 1. *Dominus regnavit, decorem*, seu *gloriam induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Vide Psal. 103. Heb. 104. vv. 1. 2.

Amictus quidam gloriæ Dei in ultione adversus hostes proponitur, Isai. 51. v. 9. & cap. 59. v. 17. utrobique autem Christum Salvatorem intelligi, ex textu ipso patet.

Christus indui dicitur à credentibus, cum per fidem in eorum cordibus habitat. Rom. 13. v. 14. *Sed induimini Dominum Jesum Christum*, h. e. sed habitet in cordibus vestris Dominus Jesus, Ephes. 3. v. 17. Vide etiam Gal. 3. v. 27.

Virtute ex alto indui dicuntur Apostoli, Luc. 4. v. 49. quando accipiunt virtutem Spiritus Sancti in eos supervenientis, ut explicatur Act. 1. v. 8. Et loquutione contraria, *induere hominem* Spiritus Dei dicitur, cum potenter in eo, & per eum loquitur & operatur. Jud. 6. v. 34. *Spiritus autem Domini induit Gedeonem*, &c. Vide 1. Paral. 12. v. 18. 2. Paral. 24. v. 20.

Vexillum vocatur Dominus à Mose, Exod. 17. v. 15. *Ædificavitque Moyses altare, & vocavit nomen ejus, Dominus* נִסִּי *vexillum meum*, &c. Vulg. *exaltatio mea*, i. Dominus adjutor meus est nunc & erit in posterum contra Amalecitas, & alios omnes adversarios.

Isai. 11. v. 10. *Radix Jesse*, (Christus Messias) *qui stat in vexillum*, Vulg. *in signum populorum*, &c. i. qui imperat populis; præsens pro futuro. Hinc Rom. 15. v. 12. per futurum redditur: *Erit radix Jesse, & qui exsurget regere gentes*, &c. Præterea Christus unicum est vexillum, ad quod vera fide confugientes salvabuntur, sicut in bello ad imperatoris vexillum tuto recurrunt milites.

De Christo etiam recte intelligi potest, quod Psal. 59. Heb. 60. v. 6. habetur. *Dedisti metuentibus te* נֵס *vexillum*, לְהִתְנוֹסֵס *ut elevent se* מִפְּנֵי קֹשֶׁט *à facie veritatis*, sive *propter veritatem.* Sic textus Heb. hodiernus. Antiqui interpretes paulo aliter legentes, & ad alias radices attendentes, alium sensum exhibent. Lxx. ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σε σημείωσιν, τοῦ ἐκφυγεῖν ἀπὸ προσώπου τόξου, Vulg. Lat. *Dedisti metuentibus te significationem*, sive *vexillum, ut fugiant à facie arcus.* Sym. ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σε σημεῖον, εἰς τὸ ἐκφυγεῖν ἀπὸ προσώπου τοξεύματος, *dedisti metuentibus te signum, ut fugerent à facie sagittæ*, vel *sagittationis*, S. Hieron. *arcus.* Vocem לְהִתְנוֹסֵס τοῦ ἐκφυγεῖν, vel εἰς τὸ ἐκφυγεῖν, *ut fugerent*, retulerunt ad radicem נוּס *fugere*; & pro קֹשֶׁט *veritas*, legerunt קֶשֶׁת *arcus.* Vel, quod verosimilius est, si legerunt קֹשֶׁט, existimarunt ט positum esse loco ת, proindeque in illud, utpote ejusdem organi literam, commutandum. Aquila sequitur textum hodiernum: ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σε σύσσημον, τοῦ σημειοῦσθαι ἀπὸ προσώπου βεβαιότητος, *dedisti metuentibus te signum, ad signum erigendum à facie firmitatis.* Vox קֹשֶׁט & *veritatem*, & *firmitatem* significat. Hujus autem versiculi sensus secundum Lxx. Sym. & S. Hieron. is est: *Dedisti metuentibus te vexillum* (Christum scilicet) *ut fugiant* (ad eum) *à facie arcus*, i. afflictionum, sive in afflictionibus. Qui vero textum Hebræum sequuntur, sic versiculum istum explicant: *Dedisti à facie veritatis* (tuæ), i. propter veritatem tuam, seu promissiones tuas verissimas, *vexillum timentibus te, ut elevent se* contra hostes suos.

Virga, seu baculus Deo & Christo tribuitur, quo innuitur,

1°. Ejus cura & amor. Psal. 22. Heb. 23. v. 4. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Vide supra pag. 57. col. 1 in fine.

2°. Verbum Evangelicum, quo regnum & Ecclesiam suam regit Christus. Psal. 44. Heb. 45. v. 7. *Virga directionis, virga* sive *sceptrum regni tui.* Vide Psal. 109. Heb. 110. v. 2. Heb. 1. v. 8. & confer Isai. 2. v. 3.

3°. Castigatio & pœna. Job. 9. v. 34. *Auferat à me* (Dominus) *virgam suam*, &c. hoc est, pœnam, seu *plagam*, ut vertit Para-

phrastes Chaldæus hîc & cap. 21. v. 9.

Isai. 10. v. 5. Assur dicitur *virga furoris Dei*, quia per eum, tanquam per virgam, populum suum castigaturus erat Deus. Confer v. 24.

Psal. 2. v. 9. De Messia dicitur, quod hostes suos, sive Judæos, sive Gentiles, qui sceptro gratiæ ejus salutiferæ sese non subjicient, in *virga ferrea* contriturus sit. Ad hunc locum respexit Ezech. c. 21. v. 15. cum dicit de virga filii Dei, quod מֹאֶסֶת כָּל־עֵץ *spernens sit*, sive *spernat omne lignum*, h. e. quod longe durior sit virga lignea quantumvis dura, cum ferrea sit, proindeque durissima.

ARTICULUS II.

De Metaphoris ab aliis creaturis ad Deum translatis.

RES in natura præter hominem exsistentes, sunt vel *animatæ*, vel *anima destitutæ*. Animatæ vel anima *sentiente* prædictæ sunt, ut bestiæ; vel *vegetante*, ut plantæ.

§. I.

Metaphora à bestiis ad Deum translatæ.

I. QUÆDAM animalium nomina Deo tribuuntur.

AGNUS vocatur Christus, Joan. 1. v. 29. Apoc. 13. v. 8. *tum* ob mansuetudinem, patientiam, innocentiam, &c. *tum* propter ejus immolationem pro peccatis totius mundi factam, quam, ut typi, præfigurarunt agni in Vet. Test. immolati. Vide 1. Cor. 5. v. 7. 1. Pet. 1. v. 19. Apoc. 5. v. 6.

LEO dicitur idem Christus, Apoc. 5. v. 5. *Vicit leo de tribu Juda.* Sic autem appellatur ob summam & Divinam fortitudinem, quam exseruit in resurrectione ex mortuis, & in victoria à Diabolo, mundo & inferno, reportata. Quidam etiam respici putant ad insigne seu vexillum tribus Juda, ex qua oriundus est Christus secundum carnem, in quo vexillo depictus erat *leo*. Rabbini enim nonnulli in præcipuis quatuor vexillis Israëlitici exercitus has exstitisse figuras scribunt: in vexillo Judæ, *faciem leonis*; in vexillo Ruben, *faciem hominis*; in vexillo Ephraim, *faciem bovis*; denique in vexillo Dan, *faciem aquilæ*. Confer Ezech. 1. v. 10. & vide comment. Qimhii in hoc caput.

VERMEM dicit se Christus ob infimæ exinanitionis & contemtus statum, cui in passione sua fuit obnoxius. Psal. 21. Heb. 22. v. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis.*

II. Actiones quædam animalium Deo affinguntur, ut:

RUGIRE, quod leonum proprium est, & quo iræ verbique Divini potentia & efficacitas innuitur. Joel. 3. v. 16. al. 21. *Et Dominus de Sion rugiet*, &c.

Amos. 1. v. 2. *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam.* Confer Amos. 3. v. 8. Ose. 11. v. 10. Isai. 5. v. 29. &c.

Jerem. 25. v. 30. *Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam*, &c. ad finem usque capitis, ubi per allegoriam comparatur Deus cum leone, reges & principes cum pastoribus, populi cum gregibus, regiones cum pascuis & caulis.

Psal. 21. Heb. 22. v. 2. רָחוֹק מִישׁוּעָתִי דִּבְרֵי שַׁאֲגָתִי Aq. μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου, οἱ λόγοι τοῦ βρυχήματός μου, S. Hieron. *longe à salute mea, verba rugitus mei*, h. e. cur à rugitu meo tam longe abest salus mea? cur me in rugitu meo non exaudis & salvas? Symm. ἀφεστήκασιν μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου, οἱ λόγοι

τῶν ὀδυρμῶν μου, *longe steterunt*, seu *recesserunt à salute mea, verba gemituum meorum.* Theod. & V^a. edit. *μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου, οἱ λόγοι τῆς βοήσεώς μου*, *longe à salute mea, verba clamoris mei.* VI^a. edit. *μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου, οἱ λόγοι τῶν δεήσεών μου*, *longe à salute mea, verba supplicationum mearum.* Lxx. soli, *μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου, οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου*, *longe à salute mea, verba delictorum meorum*, שַׁאֲגָתִי retulerunt ad radicem שָׁגָה *erravit, deliquit*, & א pro vocali, non pro litera radicali acceperunt. Confer Heb. 5. v. 7. ubi de Christo dicitur, quod *preces supplicationesque* ad Deum patrem *cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

VOLARE instar avium, quo celeritas in judiciorum suorum exsequutione significatur. 2. Reg. c. 22. v. 11. *Et ascendit super cherubim & volavit, & lapsus est* (Psal. 17. Heb. 18. v. 11. *volavit*) *super pennas ventorum.*

INCUBARE aquis, Gen. 1. v. 2. Spiritus Sanctus dicitur, secundum quosdam interpretes, ut vi sua *δημιουργικῇ* ac vitali eas fovendo, ad productionem omnium rerum aptas redderet; metaphora ab avibus incubantibus, & pullos suos calore vitali excludentibus, desumta. In eandem quoque sententiam concedunt Judæi quidam, ut Paraphrastes Chaldæus Jerosolymitanus, Rabbi Salomon, R. Jacob filius Ascher auctor Baal Turim, &c. Alii autem de vento valido flante, & terram exsiccante intelligunt.

III. Membra quædam animalium Deo tribuuntur, puta

CORNU, quo potentia & robur significatur; animalium enim fortitudo in eorum cornibus, quibus se contra adversa & inimica tutantur, sita est potissimum. 2. Reg. 22. v. 3. *Deus ... scutum meum, & cornu salutis meæ.*

Psal. 17. Heb. 18. v. 3. *Protector meus, & cornu salutis meæ*, h. e. salus mea certissima, vel salvator meus potentissimus. Vide etiam Luc. 1. v. 69.

ALÆ Deo tribuuntur, quibus singulare ejus præsidium, tutela, patrocinium, &c. significatur; eaque metaphora desumitur ex avibus, gallinis præsertim, quæ pullos suos sub se colligunt, fovent, & ab insidiis hostilibus protegunt. Isai. 31. v. 5. *Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem.* Vide etiam Psal. 16. Heb. 17. v. 8. Psal. 35. Heb. 36. v. 8. Psal. 56. Heb. 57. v. 2. Psal. 60. Heb. 61. v. 5. Psal. 90. Heb. 91. v. 4. Matth. 23. v. 37.

§. II.

Metaphora à plantis ad Deum translata.

A Plantis desumuntur Metaphoræ quædam, ac Deo tribuuntur, cum *in genere*, tum *in specie*.

In genere Messias vocatur,

GERMEN, VIRGA, sive SURCULUS. Isai. 4. v. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exsultatio his, qui salvati fuerint de Israël.* Vide etiam cap. 11. v. 1. Jerem. 23. v. 5. c. 33. v. 15. Zach. 3. v. 8. cap. 6. v. 12. Quæ loca à Paraph. Chaldæo de Messia diserte explicantur. Denotant autem Messiæ ortum temporalem, sicut germen, sive surculus, terream habet originem, & terram quasi matrem agnoscit.

LIGNUM VIRIDE vocat se Christus, Luc. 23. v. 31. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, quid in arido fiet?* h. e. ut explicat Theophylactus, pag. 532. edit. Paris. 1635. *εἰ ἐν ἐμοὶ ταῦτα ἐπεδείξαντο, ἐν ἐμοὶ τῷ ὑγρῷ ξύλῳ, τῷ ἐγκάρπῳ καὶ ἀειθαλεῖ, καὶ ἀειζώῳ διὰ τὴν θεότητα, καὶ διὰ τῶν καρπῶν μου τῆς διδασκαλίας τρέφοντι πάντας· ἐν ὑμῖν, τῷ λαῷ, φημὶ, τῷ ξηρῷ ξύλῳ, τῷ πάσης δικαιοσύνης ζωοποιοῦ ἐστερημένῳ, καὶ μηδένα καρπὸν φέροντι, τί οὐκ ἂν ἐπιδείξαιντο;* *si enim in me talia fecerunt, in me ligno humido, feraci, & semper virenti, & semper vitali propter Deitatem, & per doctrinæ meæ fructus alente omnes: in vobis populo, inquam, arido, ligno sterili ab omni vivifica justitia, &*

nullum fructum afferente, quid non facient?

RADIX JESSE, & DAVID dicitur Christus. Isai. 11. v. 10. *In die illa radix Jesse, qui* (refertur enim ad Christum) *stat in signum populorum*, &c. Vide etiam Rom. 15. v. 12. Apoc. 5. v. 5. c. 22. v. 16. Quod quidam per metonymiam explicant, adeo ut radix sit posita pro eo, quod ex radice nascitur, sive pro surculo. Vide v. 1. hujusce Isaiæ capitis.

Alii ratione Divinitatis id dictum volunt, ut S. Bernardus in die Paschæ, sermone 1. tom. 1. col. 896. edit. Paris. 1690. *Radix*, inquit, *David. Non David radix ejus, sed ipse radix David: quia portat & non portatur. Merito, David sancte, filium tuum vocas Dominum tuum; quia non tu radicem portas, sed radix te.* Quidam denique sic explicant, quod Christus sit fundamentum & radix spiritualis Davidicæ familiæ, id est, Ecclesiæ; unde vocatur *primogenitus ex multis fratribus*, Rom. 8. v. 29. Hanc explicationem probant ex Isai. 14. v. 30. *Interire faciam in fame radicem tuam*, Lxx. σπέρμα σε, *semen tuum*, hoc est, *filium tuum*, ut interpretatur Chald. Et ex Malach. 3. v. 19. al. 4. v. 1. *Et inflammabit eos* (impios) *dies veniens .... quæ non derelinquet eis radicem* עָנָף *& ramum;* Lxx. ἐδὲ κλῆμα, *neque palmitem*, sive *virgam vitigineam*, aut *surculum*, Vulg. *germen;* Chald. *filium filii*, sive *nepotem*. Unde patet filium, maxime primogenitum, esse quasi *radicem* familiæ; qui autem ex eo nascuntur, instar ramorum sese habere.

In specie Messias vocatur

CEDRUS ILLUSTRIS. Ezech. 17. v. 22. *Hæc dicit Dominus exercituum: sumam ego* מִצַּמֶּרֶת *de surculo, ramo summo*, (Vulg. *de medulla cedri sublimis*) *& ponam; de vertice ramorum ejus tenerum distringam* (vel *discerpam*) *& plantabo super montem excelsum & eminentem.* Vers. 23. *In monte sublimi Israël plantabo illud* (tenerum), vel *illum* (ramum tenerum), *& erumpet in germen* (sive *ramum*), *& faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit.* Vers. 24. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile: & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus loquutus sum & feci.* Quem locum de Messia ipse etiam R. Salomon exponit. Vide quoque paraphrasin Chaldaïcam, quæ de Messia intelligi posse videtur Qimhhio, qui tamen de Zorobabele Salathielis filio huncce Ezechielis contextum perperam explicat.

VITEM vocat se Christus, Joan. 15. v. 1. *Ego sum vitis, & pater meus agricola est.* Vide etiam v. 5. Qua metaphora innuitur præcipue arctissima Christi cum suis discipulis, aliisque credentibus, conjunctio. Sicut enim vitis & palmites ejusdem sunt naturæ: sic Christus, secundum naturam humanam, credentibus, quos ipse palmites appellat, ὁμοέσιΘ- est. Vide Ephes. 5. v. 30. Heb. 2. v. 14. Denique, ut vitis copiosum imbibit humorem, quem cum palmitibus communicat: ita de plenitudine Christi nos omnes accepimus, Joan. 1. v. 16. Mitto alias Christi cum vite similitudines, utpote quæ sint omnibus perviæ.

FASCICULUM myrrhæ sponsum suum Christum vocat Ecclesia, Cant. 1. v. 13. Myrrha enim amara quidem est; at fragrantissima, & utilitate insigni in mundandis & sanandis vulneribus, expellendis pravis ex corpore humoribus, sedandis doloribus, confortando corde, corporibus à putrefactione servandis, &c. conspicua. Quæ omnia ad Salvatoris passionem, ejusque ac totius meriti sacrosancti fructus & efficaciam pulchre omnino accommodantur.

BOTRUS cypri vocatur etiam v. 14. ob suavitatem, fragrantiam, & abundantissimam cœlestium fructuum copiam. *Cyprus in Ægypto est arbor zyziphi foliis, semine coriandri, flore candido, odorato .... Quidam hanc esse dicunt, quæ in Italia Ligustrum vocetur*, inquit, Plin. l. 12. hist. nat. cap. 24. tom. 3. edit. Paris. 1685. pag. 41. Ligustri autem flores instar uvarum in botros coeunt, unde sponsus vocatur à sponsa *botrus cypri*. Denique c. 2. v. 1. vocatur *flos Scharon, & lilium convallium.* Pro *Scharon* Lxx. habent πεδίε, Vulg. *campi*, quod significare etiam potest vox Heb. שָׁרוֹן. Vide nostrum Lexicon.

§. III.

Metaphora à rebus inanimatis ad Deum translata.

QUÆ ab inanimatis desumuntur metaphoræ, vel *universim* vel *divisim* res illas animæ expertes attinent; id est, vel à toto hoc universo, vel à singularibus, quæ in eo continentur, procedunt.

I. Ad priorem classem pertinet, cum Dei infiniti & immensi quædam instituitur dimensio, & cum toto hoc universo collatio; cum tamen infinitum inter & finitum nulla sit analogia.

Job. 11. v. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum*, seu *perfectionem, omnipotentem reperies?* Vers. 8. *Excelsior cœlo est... profundior inferno...* Vers. 9. *Longior terra mensura ejus, & latior mari.*

Ephes. 3. v. 18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*, nimirum dilectionis Christi, ut ex versu seq. patet; quæ dilectio latior est orbe terrarum, longior omni tempore (utpote quæ æternitatem duret), sublimior cœlis, & mari profundior.

Sic *Magnitudo* Deo tribuitur, qua non molis corporeæ quantitas, ut in creaturis, sed ipsa essentiæ ejus, ac proprietatum essentialium infinitas denotatur. Exod. 15. v. 16. *Irruat super eos formido & pavor in magnitudine brachii tui*, &c. i. in infinita potentia tua. Vide c. 18. v. 11. Num. 14. v. 19. Deut. 3. v. 24. Esd. 5. v. 8. Psal. 47. Heb. 48. v. 2. Psal. 146. Heb. 147. v. 5. Jerem. 32. vv. 17. 18. 19. &c.

1. Joan. 3. v. 20. *Major corde nostro Deus esse dicitur*, id est, in sua scientia infinitus.

Ibid. c. 4. v. 4. *Major Antichristo*, hoc est, potentissimus.

Joan. 10. v. 29. ὁ πατήρ μου, ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστὶ, *Pater meus, qui dedit mihi* (oves meas), *major est omnibus*, &c. i. infinita potentia ac majestate omnia, quæ sunt in hoc mundo, superat. Vulg. *Pater meus, quod dedit mihi, majus est omnibus*, pro ὃς, *qui*, legebat ὃ, *quod*; & pro μείζων, *major*, μεῖζον, *majus*, ut habent mss. quidam codd. Vide D. Mill. pag. 227.

Eadem est ratio, cum quantitas discreta, sive multitudo, Deo tribuitur. Psal. 85. Heb. 86. v. 15. *Et tu, Domine Deus, miserator & misericors, patiens, &* רַב *multus misericordia*, sive ut Vulg. *& multæ misericordiæ*, id est, infinitus in misericordia, sicut & in aliis attributis; unde Psal. 146. Heb. 147. v. 5. *Magnus Dominus noster, &* רַב *multus virtute*, Vulg. *& magna virtus ejus, & intelligentiæ*, seu *sapientiæ ejus non est numerus.*

Huc pertinet cum *altitudo*, sive *profunditas*, *abyssus*, & *vorago*, Deo tribuuntur, quibus infinitas ac incomprehensibilitas ejus denotatur. Vide Psal. 35. Heb. 36. v. 7. Rom. 11. v. 33. 1. Cor. 2. v. 10. &c.

II. Res inanimatæ singulares, sive divisim sumtæ, ex quibus metaphoræ ducuntur, dividi possunt in *cœlestes* & in *elementares*. Ad cœlestes pertinet, cum

Lux dicitur Deus, 1. Joan. 1. v. 5. *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*; qua loquutione Dei majestas, sanctitas, perfectio, & beatitudo significantur; luce enim cœlesti ad nos transmissa, nihil pulchrius, & clarius, nihil purius est, nihilque homines lætificat magis. Conf. Eccle. 11. v. 7.

1. Tim. 6. v. 16. Deus dicitur *lucem inhabitare inaccessibilem*, h. e. ad quam videndam nulli hominum patet accessus.

Jacobi cap. 1. v. 17. Dicitur *pater luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, i. qui omnimoda ratione immutabilis est; respicit enim D. Jacobus ad solem corporeum, qui dum se ad oppositum hemisphærium convertit, obumbratum & obscuratum relinquit hemisphærium à se derelictum; quæ tenebrarum & lucis vicissitudo in Deum non cadit.

Heb. 1. v. 3. Christus dicitur ἀπαύγασμα τ

δόξης, *splendor gloriæ* Dei; *tum* quia ab æterno per ineffabilem generationem, *lumen de lumine* à Deo Patre resplenduit; sicut enim splendor à sole non divellitur, eique coævus est: sic à *Patre luminum* hoc ἀπαύγασμα, qui filius est, nunquam divellitur, eique coæternus est. Confer Sap. cap. 7. vv. 25. 26. 27. *Tum* ratione beneficiorum, quæ hominibus per eum impartitus est Deus; nam quemadmodum splendor solis dimittitur in terram ad eam collustrandam, fovendam, vegetandam, fœcundandam, &c. ita Christus Dei filius ab eo missus est in mundum, ut nos illuminaret, vivificaret, salvaret, &c.

LUX & SOL dicitur etiam Deus ratione suæ inter homines operationis. Psal. 26. Heb. 27. v. 1. *Dominus illuminatio mea*, sive *lux mea*, i. veram & salutarem spiritus sui, gratiæ, & salutis lucem mihi præstat; unde statim subjungitur: *& salus mea... fortitudo vitæ mea*, &c.

Psal. 83. Heb. 84. v. 12. *Sol & scutum Dominus Deus est*, h. e. ut sequitur explicatio: *gratiam & gloriam dabit* vel *dat Dominus*. Vide Isai. 10. v. 17. Hinc diversæ illæ phrases, quibus *lux Dei* significat *vel* ejus favorem & gratiam, Num. 6. v. 25. יָאֵר Lxx. ἐπιφάναι, *lucere faciat Dominus faciem suam super te*, *& misereatur tui*. Vide Psal. 79. Heb. 80. v. 4. &c. *Vel* salutarem ejus cognitionem, Psal. 66. Heb. 67. v. 2. *Deus misereatur nostri.... illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri*. Vers. 3. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Vel* denique glorificationem æternam, Isai. 60. v. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Vers. 20. *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui.* Quod Apoc. 22. v. 5. ad vitam æternam refertur, *& nox ultra non erit; & non egebunt* (beati) *lumine lucernæ, neque lumine solis; quoniam Deus illuminabit illos.*

In genere, *lumine Dei*, beneficia quælibet cœlestia, quibus ad veram beatitudinem pervenitur, intelligi possunt, ut: Psal. 35. Heb. 36. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*, h. e. per gratiam tuam ad veram beatitudinem perveniemus; quem sensum declarant, & quæ præcedunt, & quæ sequuntur. Veteres Rabbinos per *lumen Dei*, Messiam intellexisse observarunt Galatinus lib. 8. cap. 11. & Drusius lib. 15. observ. cap. 4.

Speciali ratione Salvator noster in Sacris Literis vocatur

LUX & SOL, non solum ratione essentiæ Divinæ, ut vidimus supra, sed etiam ratione beneficiorum ejus & operationum; *lucis* enim metaphora significatur mentis informatio, qua tenebræ intellectus discutiuntur, & peccata, quæ comparantur tenebris, auferuntur. Quæ omnia Christus Dominus eminentissime præstitit. Isai. 9. v. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Vide etiam cap. 42. v. 6. c. 49. v. 6. c. 60. v. 1. Matth. 4. v. 16. Luc. 2. v. 32. Joan. 1. vv. 4. 9. c. 3. v. 19. c. 8. v. 12. c. 12. vv. 35. 36. Act. 13. v. 47. Sed præ aliis locis conspicui sunt hi duo: Malach. 4. v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*, h. e. in radiis ejus. Pulcherrima autem & jucundissima solem materialem inter & spiritualem, nempe Christum, instituitur comparatio; eaque cum in *unitate*, tum in *efficacitate*.

In unitate, 1°. Unicus mundi oculus est sol, qui omnibus illuminandis fovendisque sufficit: sic *unus mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus*, 1. Tim. 2. v. 5. 2°. Unus ille sol luce sua splendet, & lunæ lumen impertit: sic fons veræ lucis Christus, Ecclesiam luce sua collustrat. 3°. Uti unus sol est, idemque reliqua sydera & stellas longe superat & excellit: sic Christus est in omnibus πρωτεύων, *primatum tenens*, Coloss. 1. v. 18.

In efficacitate, 1°. Sol fugat tenebras, & omnia illustrat: ita Christus tenebras mentis, verbi sui luce; tenebras peccatorum, luce meriti sui sanctissimi; tenebras calamitatum, luce gratiæ & consolationis suæ dispellit, Ephes. 5. v. 14. 2. Tim. 1. v. 10. 1. Pet. 2. v. 9. 2°. Communicatio solaris luminis fit



ἀφθόνως, *sine invidia*, *large*, *copiose*, *affatim*, omnibus sublunaribus, Matth. 5. v. 45. quo tamen non fruuntur cœci & in die dormientes: sic Christus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1. v. 9. qua tamen luce cœlesti privantur, idque sua culpa, increduli, à Diabolo excœcati, & securi peccatorum somno indulgentes, Joan. 3. v. 19. 2. Cor. 4. v. 4. Unde Malachias dicit *timentibus nomen Domini solem justitiæ exoriturum*, 3°. Solis cursum & efficaciam nemo sistere, vel impedire potest: ita Evangelii de Christo sole justitiæ cursum ac *ἐνέργειαν* nullus Dæmonum vel tyrannorum retardare valet. 3°. Sol mundum vegetat, & vivificat calore suo: sic Christus spiritualiter nos mortuos vivificat, Ephes. 2. v. 5. & calorem pietatis ac amoris Dei in nobis efficit, Luc. 24. v. 32. 5°. Solis ortus ægrotis levamen affert: ita Christus morbos spirituales non lenit modo, verum etiam sanat, & à morte ipsa eripit; unde *sanitas in pœnis ejus*. 6°. Sole exoriente, omnia lætantur, quæ per noctem quasi tristitiæ nebulis immersa mœrebant; hinc Martialis lib. 8. Epig. 21. exclamat: *Phosphore, redde diem; quid gaudia nostra moraris?* ita per justitiæ solem cœlestem, verum gaudium hominibus est redditum, Isai. 9. vv. 2. 3. Luc. 2. vv. 10. 11. 7°. Denique sol terræ fructus maturos reddit, quibus primum etiam vegetationis initium dederat: sic Christus *fidei nostræ auctor & consummator*, Heb. 12. v. 12. *operatur in nobis & velle & perficere*, Ephes. 2. v. 13. atque efficit, *ut ambulemus digne Deo per omnia placentes; in omni opere bono crescentes & fructificantes in scientia Dei*, Coloss. 1. v. 10.

Alter locus est, Luc. 1. v. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, oriens ex alto*, h. e. Christus Dominus, cœlitus à Deo Patre missus *ἐπιφᾶναι illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Sic 1. Cor. 15. v. 47. Christus dicitur *ἐξ οὐρανοῦ*, *de cœlo*; & Joan. 3. v. 31. *ἄνωθεν* *καὶ* *ἐξ οὐρανοῦ*, *desursum*, *& e cœlo* venisse. Respexit autem Zacharias ad vaticinia Isai. 9. v. 2. cap. 60. vv. 1. 2. Malach. 4. v. 2.

Præter metaphoram, metonymia in hoc contextu notanda est, qua vox *ἀνατολή*, quæ proprie *ortum*, id est orientis solis actionem, vel regionem etiam significat, pro ipso sole oriente sumitur. Messias vocatur quoque

STELLA, Num. 24. v. 17. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israël*, i. filius Dei humana carne indutus ex hoc populo prodibit, & radios doctrinæ ac miraculorum longe lateque sparget. Paraph. Chald. *Surget rex ex Jacobo, & exaltabitur Messias ex Israël.* Eandem explicationem ex R. Salomone, & R. Mose Hadarschan adducit Galatinus l. 8. c. 1. confer Matth. 2. v. 2.

Apoc. 22. v. 16. *Stellam splendidam & matutinam* vocat se Christus.

Res elementares secundum elementorum in natura discrimen dividuntur. Hinc Deus dicitur

IGNIS, quo innuitur ira Divina, quæ peccatores, velut ignis stipulas, consumit. Deut. 4. v. 23. *Cave ne unquam obliviscaris pacti Domini Dei tui*... Vers. 24. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Vide etiam c. 9. v. 3. c. 32. v. 22. Isai. 10. v. 17. c. 66. v. 15. 16. Ezech. 21. v. 3. &c. Consule insuper Psal. 17. Heb. 18. v. 9. ubi fulgura & fulmina, iræ Dei externa indicia memorantur. Igni proximus est

FUMUS, quo itidem ira Divina notatur, Deut. 29. v. 20. *Dominus non ignoscat ei*, (qui fœdus Domini violaverit) *sed tunc quam maxime furor ejus fumet*, &c. Vide Psal. 17. Heb. 18. v. 9.

Psal. 73. Heb. 74. v. 1. *Ut quid repulisti in finem, fumabit*, Vulg. *iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?* Vide insuper Psal. 79. Heb. 80. v. 5. Ad ignem pertinet cum Deus dicitur

LUCERNA, quando videlicet gratiam suam, & favorem suum hominibus exhibet. 2. Reg. 22. v. 29. *Quia tu lucerna mea, Domine*, &c. quod Psal. 17. Heb. 18. v. 29. ita enunciatur: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine*, &c. i. lucis, fœlicitatis, & salutis meæ auctor es. Vide Job. 29. v. 3. Verbum Dei *lucerna* dicitur, Psal. 118. Heb. 119. v. 105. Prov. 6. v. 23. 2. Pet. 1. v. 19. ob institutionis salutiferæ lucem, quam credentibus exhibet.

Ad AERIS elementum pertinet, cum Deo tribuitur *flatus* ſive *halitus*, quo innuitur,

1°. Divina ejus gratia & refectio; ſicut frigidus æſtivo æſtu halitus, ſive ventus, hominem recreat. Iſai. 57. v. 16. *Non enim in ſempiternum litigabo, neque uſque ad finem iraſcar; quia ſpiritus à facie mea* יַעֲטוֹף *operiet ſe, & flatus ego faciam*, i. Spiritus Sanctus, quem contriſtatis & contritis mittam, iis quaſi ſe operiet, & in illis gratia ſua habitabit; atque ita afflictos, & tentationum æſtu deficientes, ſuavi veluti afflatu & ſpiraculo recreabo. Aq. Sym. Theod. יַעֲטוֹף interpretantur *περιελεύσεται circuibit*, h. e. Spiritus meus circuibit & refrigerabit eos. Lxx. *πνεῦμα γὰρ παρ' ἐμοῦ ἐξελεύσεται, καὶ πνοὴν πᾶσαν ἐγὼ ἐποίησα, Spiritus enim à me egredietur, & flatum omnem ego feci*, vel *faciam*. Vulg. *Quia Spiritus à facie mea egredietur & flatus ego faciam.* Ex quibus interpretationibus liquet verbum עָטַף (ſaltem eo loci) non ſignificare *operire ſe*, ut volunt recentiores plerique interpretes, ſed *circuire*, *egredi*, & in lingua Syra, *redire*.

2°. Divina ira & vindicta; ſicut ventus validus quævis obvia dejicit, ignemque excitat ac fovet. Job. 4. v. 9. *A flatu Dei peribunt* (impii), *& à ſpiritu furoris ejus conſumentur.* Vide etiam Pſal. 17. Heb. 18. v. 16.

Iſai. 30. v. 33. *Nutrimenta ejus* (Topheth) *ignis & ligna multa; flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*, i. quemadmodum ventus ignem accendit: ſic flatus Dei non ſolus, ſed cum torrente ſulphuris conjunctus, inferni, qui per *Topheth* ſignificatur, ignem accendet. Vel flatus Dei æque inferni ignem accendet, ac ſi in eum torrens ſulphuris derivaretur.

Ad AQUÆ elementum ſpectat, cum Deus dicitur *ſcaturigo*, ſeu *fons aquarum viventium*, Jerem. 2. v. 13. cap. 17. v. 13. quia omnis vitæ & refectionis, tum in hac, tum in æterna vita, eſt auctor. Vide Pſal. 35. Heb. 36. v. 10.

Chriſtus gratiam ſuam, ſeu beneficia ſua vocat *aquam vivam*, Joan. 4. vv. 10. 14. ipſe enim eſt fons vitæ abundantiſſimus, Joan. 1. v. 16. & inſtar aquæ emundat, reficit, ſitim reſtinguit, &c.

Spiritus Sanctus ejuſque dona, *flumen aquæ vivæ* dicuntur Joan. 7. vv. 38. 39.

Huc pertinet *effuſionis* vox, quæ de eodem Spiritu Sancto uſurpatur, quæque donorum ejus abundantiam denotat, Iſai. 44. v. 3. Joel. 3. v. 1. Zach. 12. v. 10. Act. 2. vv. 17. 18. 33. Tit. 3. vv. 5. 6.

Denique *cœlum*, ſive *nubes* dicuntur *flumen Dei plenum aquis*, Pſal. 64. Heb. 65. v. 10.

Ad TERRAM referuntur, quæ in ea exſiſtunt, & ad Deum metaphorice traducuntur, ſive naturaliter ea producta ſint, ſive arte ab hominibus confecta. Hinc Chriſtus vocatur

LAPIS, Pſal. 117. Heb. 118. v. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes* (Sacerdotes & proceres Judæorum, qui ædificare debebant, non deſtruere) *hic factus eſt in caput anguli*, ſive lapis angularis, cui innititur Eccleſia ex Judæis & gentilibus compoſita. Hæc autem ad Chriſtum expreſſe referuntur, Matth. 21. v. 42. Act. 4. v. 11. 1. Pet. 2. v. 7. Vide etiam Iſai. 8. v. 14. cap. 28. v. 16. Zach. 3. v. 9. Luc. 2. v. 34. Rom. 9. vv. 32. 33. 1. Pet. 2. vv. 4. 6. 7. 8. quibus in locis Chriſtus proponitur tum ut *lapis offenſionis*, in quem increduli & improbi impingent ac collidentur; tum ut *lapis reſurrectionis & vitæ*; ad quem lapidem, tanquam ad rupem & arcem munitiſſimam credentes ac pii confugientes ſalvabuntur.

PETRA vocatur Deus, Deut. 32. v. 31. כִּי לֹא כְצוּרֵנוּ צוּרָם *Quia non ſicut petra noſtra, petra eorum.* Aq. οὐχ ὡς στερεὸς ἡμῶν, στερεὸς αὐτῶν, *non ſicut ſolidus noſter, ſolidus eorum.* Sym. οὐ γὰρ ὡς ὁ φύλαξ ἡμῶν, ὁ φύλαξ αὐτῶν, *non enim ſicut cuſtos noſter, cuſtos eorum.* Theod. ὅτι οὐχ ὡς φύλαξ ἡμῶν, φύλακες αὐτῶν, *quia non ſicut cuſtos noſter, cuſtodes eorum.* Lxx. ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς ἡμῶν, ὡς οἱ θεοὶ αὐτῶν, Vulg. *non enim eſt Deus noſter, ut dii eorum.* Hi, relicta metaphora, ſenſum naturalem reddiderunt. Vide etiam Pſal. 17. Heb. 18. v. 3. Pſal. 30. Heb. 31. vv. 3. 4. Pſal. 41. Heb. 42. v. 10. Pſal. 72. Heb. 73. v. 26. Iſai. 26. v. 4. &c. Hac autem loquutione certiſſimum ac invictiſſimum Dei auxilium notatur; reperiebantur enim his in locis petræ ob alti-

tudinem, soliditatem, accessum difficilem, &c. inexpugnabiles.

1. Cor. 10. v. 4. Christus dicitur *petra spiritalis*, quæ potum in deserto, populo Israëlitico dederit, & cujus typus erat *petra corporalis* à Mose percussa, Exod. 17. v. 16. Vide tom. I. pag. 604. col. 1.

LATIBULUM Deo tribuitur, quo singularis ejus protectio innuitur. Psal. 90. Heb. 91. v. 1. *Qui habitat* בְּסֵתֶר *in latibulo*, Vulg. optime, *in adjutorio Altissimi*, *in protectione Dei cœli commorabitur.* Vide etiam Psal. 118. Heb. 119. v. 114.

ABSCONSIO, TEGMEN, TUGURIUM, TABERNACULUM, &c. eadem de causa dicitur Deus, Isai. 4. v. 6. *Et tabernaculum erit* (Deus) *in umbraculum diei ab æstu . . . , & in absconsionem à turbine & pluvia*, i. in defensionem, in protectionem, &c. Eandem ob rationem vocatur

MURUS IGNIS, seu IGNEUS, Zach. 2. v. 5. *Et ego ero ei* (Jerusalem), *ait Dominus, murus ignis in circuitu ejus*, &c. quo indicatur Deum fore Ecclesiæ suæ protectorem, simulque terribilem hostium ejus ultorem, quos instar ignis consumet.

TURRIS FORTITUDINIS, Psal. 60. Heb. 61. v. 4. *Quia tu es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Vide etiam Prov. 18. v. 10.

Item *turris salutis*, 2. Reg. 22. v. 51. secundum τὸ קְרִי, seu lectionem Massorethicam, מִגְדּוֹל יְשׁוּעוֹת מַלְכּוֹ *turris salutum regis sui.* LXX. *μεγαλύνων τὰς σωτηρίας βασιλέως αὐτοῦ*, Vulg. Lat. *magnificans salutes regis sui.* Pro מִגְדּוֹל *turris*, legebant מַגְדִּיל *magnificans*, secundum τὸ כְּתִיב, sive ut in textu legitur, & in Psal. 17. Heb. 18. v. 51.

TEMPLUM civitatis cœlestis dicitur Deus omnipotens, & agnus. Apoc. 21. v. 22. *Et templum non vidi in ea* (civitate cœlesti); *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & agnus.* Quod dicitur respectu opposito ad templum externum & terrenum habito; q. d. in æterna vita non erit amplius locus visibilis, in quo, sicut in templo Jerosolymitano, externis signis sese manifestabit Deus: sed facie ad faciem sanctis & electis suis videndum se præbebit, uti & agnus, qui eo loci cum Deo conjunctus, Deus & ipse demonstratur.

VIAM vocat se Christus, Joan. 14. v. 6. nimirum qua itur ad Patrem cœlestem & vitam æternam, ut ex verbis sequentibus patet: *Ego sum via, & veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Qua autem ratione via nostra factus sit Christus, docetur Heb. 10. v. 19. *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi.* Vers. 20. *Quam initiavit nobis viam novam & viventem, per velamen, id est, carnem suam*, &c.

Alias, *via Domini Dei* significat, 1°. Cœlestem doctrinam, Psal. 24. Heb. 25. v. 4. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Vide vv. 9. 10. & Psal. 66. Heb. 67. v. 3. Psal. 118. Heb. 119. vv. 3. 14. 30. &c. Isai. 2. v. 3. Ose. 14. v. 10. Matth. 22. v. 16. Act. 13. v. 10. cap. 18. v. 25. &c. Inde phrasis: *custodire vias Domini*, Psal. 17. Heb. 18. v. 22. pro, vitam secundum verbum & præcepta Dei instituere. 2°. Providentiam & gubernationem Divinam, *vel* in genere, *vel* in specie.

In genere; totusque voluntatis, consiliorum, actionum, &c. Dei quasi cursus notatur. Psal. 24. Heb. 25. v. 10. *Universæ viæ Domini, misericordia & veritas requirentibus testamentum ejus.* Vide etiam Psal. 76. Heb. 77. v. 14. Isai. 55. vv. 8. 9. Huc pertinet

Habac. 3. v. 6. *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus*, i. à Deo, cujus decreta, consilia, &c. æterna sunt.

In specie; & singulares quædam actiones Dei significantur. Psal. 102. Heb. 103. v. 7. *Notas fecit vias suas Moysi*, &c. Vide etiam Job. 40. v. 14. Prov. 8. v. 22. &c.

Viam Domini parare dicitur S. Joannes, Malach. 3. v. 1. Luc. 1. v. 76. h. e. de adventu ejus instante, verbi præconio, & Baptismi sancto ritu inchoato, serio testari. Metaphora autem à magnatibus sumitur, quorum prænuntiatur adventus, & quibus honoris causa, via sterni ac complanari solet. Confer Isai. 40. vv. 3. 4. 5. &c.

UMBRA vocatur Deus, qua singularis ejus protectio innuitur. Psal. 120. Heb. 121. v. 5. *Dominus custodit te, Dominus* צִלְּךָ *um-*

bra tua, Lxx. *σκέπη σε*, Vulg. *protectio tua*. Vide Psal. 90. Heb. 91. v. 1. in altero hemistichio.

Duplicatur metaphoræ hujus emphasis, cum dicitur *umbra alarum Dei*. Psal. 16. Heb. 17. v. 8. Psal. 56. Heb. 57. v. 2. Vid. sup. p. 96. c. 2.

Dicitur & *umbra manus Dei*, qua loquutione protectionis Divinæ robur & potentia adversus quosvis hostes significatur; ea enim est *manus* Deo *ἀνθρωποπαθῶς* tributæ significatio, ut diximus supra pag. 69. col. 2.

Miræ emphaseos est, quod legitur Luc. 1. v. 35. *Et respondens angelus dixit ei* (Mariæ): *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi ἐπισκιάσει σοι, obumbrabit tibi*, h. e. singularissima, potentissima, & occultissima, quod vox *obumbrabit* indicat, Spiritus Sancti in te supervenientis, & Altissimi operatione fiet istud, quod quæris; nempe quomodo concipere possis, cum virum non cognoscas. Divina hæc *umbra* nos etiam à temeraria mysterii hujus perscrutatione deterreat.

ARTICULUS III.

De Metaphoris, quibus ut personæ proponuntur, quæ non sunt; quod loquendi genus προσωποποιΐαν prosopopœïan *vocant.*

PROSOPOPOEÏA metaphora est, qua res quælibet, quæ persona non est, ut persona proponitur. Sive, ut loquitur Aristot. ὅταν τὰ ἄψυχα ἐνεργοῦντα εἰσάγηται, καθάπερ ἔμψυχα, *cum res inanimæ inducuntur agentes, tanquam anima & sensu prædita*. Tropus ille, cujus mira est sublimitas & ἐνέργεια, non solum apud profanos auctores frequens occurrit, ut apud Virg. lib. 8. Æneid. v. 728. *pontem indignatus Araxes*; verum etiam apud Scriptores Sacros. οἶδε ἡ γραφὴ προσωποποιεῖν, καὶ ὡς ἐπὶ ἐμψύχων, περὶ τῶν ἀψύχων διαλέγεσθαι, *novit Scriptura personam facere* (i. prosopopoeïa uti) *& tanquam animata essent, de inanimatis disserere*, inquit S. Joan. Damasc. lib. 2. de Fid. Orthod. cap. 6. pag. 163. tomi I. edit. Paris. 1712.

§. I.

Membris quibusdam humani corporis tribuitur, quod ipsius hominis est.

GEN. 48. v. 14. *Qui* (Jacob) *extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraïm minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat*; (atque ita) שִׂכֵּל אֶת־יָדָיו *intelligere fecit manus suas*, id est, scite, consulto, direxit manus suas. Lxx. ἐναλλὰξ τὰς χεῖρας, mss. quidam codices cum editione Complut. ἐναλλάξας τὰς χεῖρας, Vulg. *commutans manus*; sensum, non vim metaphoræ expresserunt.

Job. 29. v. 11. *Audiens auris beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.*

Psal. 34. Heb. 35. v. 10. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?*

Psal. 50. Heb. 51. v. 10. *Exsultabunt Domino ossa humiliata.* Vide etiam Psal. 102. Heb. 103. v. 1.

Psal. 67. Heb. 68. v. 32. *Æthiopia* תָּרִיץ *currere faciet*. Vulg. *præveniet manus ejus Deo*, i. celeriter extendet manus suas ad orandum Deum, ut Chald. interpretatur. Vel ad præbendum aurum, ut Rabbi Aben-Esra

& Rabbi Salomon explicant. Conf. Psal. 71. Heb. 72. vv. 10. 15. Quidam enim *manus* pro muneribus manibus datis metonymice accipiunt, ut vidimus supra pag. 35. col. 2.

Psal. 72. Heb. 73. v. 9. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra*, vel *in terram*, h. e. in Deum blasphemant (impii), & homines calumniantur.

Psal. 136. Heb. 137. v. 5. *Si oblitus fuero tui, Jerusalem*, תִּשְׁכַּח *obliviscatur dextera mea* sui, vel artis psallendi; unde sequitur: *Adhæreat lingua mea faucibus meis*. Lxx. ἐπιλησθείη ἡ δεξία μου, Vulg. Lat. *oblivioni detur dextera mea*. Pro תִּשְׁכַּח in voce activa, legerunt תִּשָּׁכַח aut תִּשָּׁכַח in passiva.

Prov. 10. v. 32. *Labia justi* יֵדְעוּן *sciunt*, Vulg. *considerant placita, & os impiorum perversa*, hoc est, labia justi prudenter loquuntur, quasi scientia pollerent. Conf. Job. cap. 34. v. 35.

Matth. 6. v. 3. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*.

Huc pertinet, cum oculis tribuitur, 1°. Concupiscentia, sive desiderium. 3. Reg. 20. v. 6. *Omne desiderium oculorum tuorum ponent in manibus suis, & auferent*, i. quidquid tibi placet. Vide etiam Ezech. 24. vv. 16. 21. 1. Joan. 2. v. 16. Hinc dicitur cor *sequi*, vel *abire post oculos*, Job. 31. v. 7. hoc est, sequi desideria & cupiditates, quas oculi externis objectis moti, excitare solent in corde. 2°. Ira. Gen. 31. v. 35. *Ne ira exardescat in oculis Domini mei*, h. e. *ne irascatur Dominus meus*, Vulg. Vide etiam cap. 45. v. 5. Isai. 3. v. 8. 3°. Offensiones sive abominationes. Ezech. 20. v. 7. *Et dixi ad eos: unusquisque offensiones*, vel *abominationes oculorum suorum abjiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui*, &c. Vide etiam v. 8. hoc est, unusquisque abjiciat idola, in quæ continuo offendunt oculi ejus; vel quæ deberent esse offensiones, & abominationes oculis ejus; aut quorum, utpote abominationum, intuitu oculi ejus deberent offendi. 4°. Adulterium. 2. Pet. 2. v. 14. *Oculos habentes plenos adulterii*. 5°. Miseratio. Deut. 13. v. 8. *Neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum*. Vide Isai. 13. v. 18. &c. 6°. Spes, seu exspectatio. Psal. 144. Heb. 145. v. 15. *Oculi omnium in te sperant, Domine*, &c.

§. II.

De animalibus brutis verba usurpantur, quæ proprie hominum sunt.

JOB. 12. v. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi*. Vers. 8. *Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris*. In quibus locis *interrogare* & *loqui* idem est ac disquirere, contemplari, &c. Vide cap. 41. v. 20. Prov. 30. vv. 25. 26. Joel. 1. v. 6. &c.

Huc pertinet,

1°. Cum vox *filius*, de bestiis usurpata, pullum, seu fœtum animalis significat. Exod. 29. v. 1. *Tolle vitulum* בֶּן־בָּקָר *filium bovis*, Vulg. *de armento*.

Gen. 49. v. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem* בְּנִי אֲתֹנוֹ *filium asinæ suæ*. Lxx. τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ, *pullum asinæ suæ*. Vulg. *ô fili mi, asinam suam*; spectavit (י) in voce בְּנִי, tanquam pronomen affixum, cum sit potius vocalis *e*, quæ subintelligitur sub ו, ut in primo hujusce versiculi vocabulo, אֹסְרִי pro אֹסֵר *ligans*. Vide tom. I. pag. 164. בְּנִי itaque est pro בֶּן־; atque ita visum est τοῖς Lxx. qui pronomen & metaphoram neglexerunt.

Zach. 9. v. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi .... ascendens super asinam, & super pullum*, בֶּן־אֲתֹנוֹת Aq. υἱοῦ ὀνάδων. Vª. edit. υἱὸν ὄνων, *filium asinarum*, i. unius ex asinabus; unde Symm. υἱὸν ὀνάδος, Theod. υἱὸν ὄνου, Vulg. *filium asinæ*. Lxx. πῶλον νέον, *pullum juvenem*: sensum non verba reddidere. Matth. 21. v. 5. *pullum filium subjugalis*, h. e. prolem asinæ subjugis.

Alia ratione Deut. 32. v. 14. arietes dicuntur *filii Basan*, i. pingues, eo quod in Basan, monte fertili, nutriti essent.

2°. Cum *manus* tribuitur *cani*, Psal. 21. Heb.

Heb. 22. v. 21. *leoni* & *urso*, 1. Reg. 17. v. 37. Et in genere *cuivis bestiæ*, Gen. 9. v. 5. quibus in locis voce *manus*, potestas, robur, violentia, &c. intelligitur. In ultimo tamen exemplo quibusdam abundare videtur. Vide tom. I. pag. 493. col. 1.

Prov. 30. v. 28. שְׂמָמִית, Lxx. *χαλαβώτης*, Vulg. *stellio manibus nititur*, vel *prehendit*, i. pedibus, qui fortasse hîc manus appellantur; quod earum similitudinem referant; pares enim numero, & eodem situ dispositos habent digitos, ut observavit Gesnerus. Vide Bochart. de animal. sacris, tom. I. col. 1085. & seqq.

§. III.

Nascentibus ex terra tribuuntur, quæ hominibus tantum competunt.

LEV. 19. v. 23. arboribus præputium tribuitur. *Et cum ingressi fueritis ad terram hanc, & plantaveritis omnem arborem cibi, præputiabitis præputium ejus*, (nempe) *fructum ejus; tribus annis erunt vobis præputiata* (illæ arbores), *non comedetur* (ex eis fructus.) Vulg. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* Voces *tribus annis* neglexit, quas tamen in Heb. & Lxx. legere est; quia in versu sequenti includuntur. Vers. 24. *Quarto autem anno omnis fructus eorum* (lignorum pomiferorum) *sanctificabitur laudabilis Domino.*

Job. 14. vv. 7. & 9. iisdem arboribus tribuitur *spes*, *senectus*, *mors*, & *odoratus aquarum*. Sic Psal. 77. Heb. 78. v. 47. terræ nascentia *occidi* & *mori* dicuntur. E contrario 1. Cor. 15. v. 36. semini in terram projecto *vivificatio* assignatur.

Ezech. 31. v. 9. *æmulatio*, v. 14. *bibitio aquarum*, v. 15. *tristitia*, v. 16. *consolatio*, arboribus affingitur. Vide insuper Ose. 9. vv. 2. 6. Joel. 1. v. 10. Habac. 3. v. 17. &c.

Huc etiam referunt Psal. 57. Heb. 58. v. 10. *Priusquam intelligerent* vel *intelligant spinæ vestræ rhamnum: sicut viventem*, Lxx. *viventes; sic* (in) *ira absorbet eos*, i. quemadmodum spinæ vestræ demeti & abscindi solent priusquam in rhamnum spinosam & aculeatam excreverint: sic ira Divina, vel Deus in ira sua quasi in turbine, abripiet improbum viventem adhuc, & antequam bonis extremam perniciem intulerit. Hæc interpretatio confirmatur Symmachi versione, πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὑμῶν, ὥστε γενέσθαι ῥάμνον, ἔτι ζῶντα ὡς ὁλόξηρον λαίλαψ ἀρεῖ, *priusquam crescant spinæ vestræ, ita ut fiant rhamnus, adhuc viventem, quasi penitus siccum, turbo auferet.* Et S. Hieron. *Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum, quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos.* Aq. λαιλαπιεῖ, *turbine auferet.* Theod. ut Lxx. καταπίεται, *absorbet*, vel *absorbebit*. Exempla sunt Sennacherib, Antiochus Epiphanes, &c.

§. IV.

Quæ vivi hominis, vel in genere, animatorum propria sunt, ea de inanimatis usurpantur.

I. DE mortuis hominibus prædicatur, quod vivis tantum competit.

Gen. 4. v. 10. *Dixitque* (Deus ad Caïn) *quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Qua metaphora sceleris immanitas significatur. Heb. habet in plur. num. *vox sanguinum fratris tui clamantium ad me de terra*, quo innuitur multos in Abele interfectos fuisse; unde Chald. *vox sanguinis seminum, quæ futura erant, ut egrederentur ex fratre tuo, clamant coram me de terra.* Aliis isthæc expositio subtilior videtur, quam solidior; pluralis enim numerus *sanguines* cædem tantummodo significat. Conf. Heb. 12.

v. 24. ubi Chriſti ſanguis effuſus cum Abelis ſanguine collatus, *melius loquens* inducitur. Sanguis enim Abelis de terra vindictam efflagitat; Chriſti vero de cœlo, pacem, vitam, & cum Deo reconciliationem loquitur, quam etiam credentibus impertit.

Iſai. 14. vv. 9. 10. &c. excitati ex inferno, ſive ſepulchro, mortui finguntur, qui regem Babylonis illudant, eique turpem interitum exprobrent.

Jerem. 31. v. 15. Rachel mater Joſephi & Benjamin, diu mortua, amare plorans ob populum in captivitatem abductum, inducitur. Quæ prophetia ad exprimendum infanticidium ab Herode perpetratum, ob convenientiam tum loci, tum facti, à Matth. 2. v. 18. allegatur. Vide etiam Ezech. c. 32. v. 21. &c.

II. Aliis rebus anima deſtitutis affingitur quod animatorum eſt proprium. Hinc tribuitur

ANIMA & OS, oris, inferno, ſive ſepulchro, Iſai. 5. v. 14. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino.* Hieron. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 52. *Infernus animam habere dicitur, non quod animal ſit, juxta errorem quorumdam, ſed quod verbis humanæ conſuetudinis, rerum inſenſibilium exprimamus affectum: quod inſatiabilis ſit, & nunquam mortuorum multitudine impleatur.*

AUDITUS lapidi, Joſ. 24. v. 27. *Et dixit* (Joſue) *ad omnem populum: en lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ loquutus eſt vobis*, &c.

Oſe. 2. vv. 21. 22. cœlo, terræ, tritico, & oleo, exaudiendi facultas tribuitur. *Et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum; & hæc exaudient Jezraël.* Præter gratioſam Dei benedictionem, cauſæ primæ & ſecundarum connexio hac proſopopœia pulchre innuitur. *Jezraël* (h. e. ſemen Dei, cœtus piorum) invocat, ſive exſpectat triticum, muſtum, & oleum. Hæc invocant, ſive inclamant terram, ut ſuccum & vigorem ab ea accipiant. Terra inclamat cœlum, calorem, rorem, pluviam, &c. expetens. Et cœlum quaſi Deum inclamat, ſine quo nihil cauſæ ſecundæ efficere poſſunt, & quo volente ac puniente, *cœlum fit aneum, & terra ferrea*, Deut. 28. v. 23. Rurſus, *exaudit Deus cœlum*, vim ei conferens, ut ex collectis vaporibus nubes conficere poſſit; *& cœlum exaudit terram*, dando pluviam aliaque ad fructus producendos neceſſaria; *& terra exaudit triticum, muſtum, & oleum*, dum à cœlo madefacta, ſuccum & vigorem eis confert; *& hæc* denique *exaudiunt Jezraël*, i. votis piorum reſpondent.

CANTUS, 1°. Aſtris, Job. 38. v. 7. בְּרָן־ *cum cantarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*, i. corpora cœleſtia. Vulg. *cum me laudarent*, quod de prima eorum creatione intelligendum, qua ſingularis Dei potentia commendatur. Conf. Pſal. 148. v. 3. 2°. Cœlo & terræ, Jerem. 51. v. 48. וְרִנְּנוּ *& cantabunt*, Vulg. *laudabunt ſuper Babylonem cœli & terra, & omnia, quæ in eis ſunt*, &c. qua proſopopœia hyperbolica, innuitur lætitiæ immenſitas ob regnum Babylonicum deſtructum, & liberatum populum Iſraëliticum. 3°. Montibus & collibus, Iſai. 55. v. 12. *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem; & omnia ligna regionis plaudent manu.* Confer cap. 43. v. 13.

CLAMOR terræ, Job. 31. v. 38. *Si adverſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent.* Sequitur explicatio v. 39. *Si fructus ejus comedi abſque pecunia*, &c. Quidam terram & ſulcos metonymice pro incolis, ſive agricolis, hîc accipiunt.

COGITATIO navi, Jon. 1. v. 4. *Et facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis* חִשְּׁבָה *cogitabat frangi*, vel *ad frangendum.* Sic nos Galli loquimur: *Le vaiſſeau penſa ſe briſer.* Vulg. *periclitabatur conteri*, h. e. minabatur fracturam, parum aberat, quin frangeretur.

COGNITIO, 1°. Loco, Pſal. 102. Heb. 103. v. 16. *Quoniam ſpiritus pertranſibit in illa, & non ſubſiſtet: & non* יַכִּירֶנּוּ *cognoſcet eum* (hominem) *amplius* מְקוֹמוֹ *locus ejus*, h. e. non exſiſtet amplius homo in loco ſuo; imo & memoria ejus eo loci interibit. LXX. καὶ οὐκ ἐπιγνώσεται ἔτι τὸν τόπον αὐτοῦ, *& non cognoſcet*

amplius locum suum. Heb. utrumque sensum patitur. S. Hieron. *& non cognoscet eum ultra locus ejus.* 2°. Soli, Psal. 103. Heb. 104. v. 19. *Sol cognovit occasum suum*, h. e. certissimum occidendi tempus constantissime tenet. Eidem tribuitur aspectus, Cant. 1. v. 5. al. 6. *Nolite me considerare, quod fusca sim; quia* שֶׁזְּפַתְנִי *aspexit me sol*, h. e. *decoloravit me*, ut optime transtulit Vulg. Aq. ὅτι συνέκαυσέ με, *quia adussit me.* Symm. ὅτι καθήψατό μου ὁ ἥλιος, *quia tetigit me sol.* Alius & Lxx. ὅτι παρέβλεψέ με, *quia despexit me.* Theod. ὅτι ἐφλόγισέ με, *quia torrefecit me.*

DOLOR agro, 4. Reg. 3. v. 19. *Omnem agrum egregium* תַּכְאִיבוּ *dolore afficietis lapidibus* illuc comportatis. Vulg. optime sensum reddidit: *operietis lapidibus.* Sic etiam Pagninus. Lxx. ἀχρειώσετε, *inutilem reddetis*, sensum non verbum expressere.

ENARRATIO cœlis, Psal. 18: Heb. 19. v. 1. al. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, i. cœlorum opificium, gloriam ac potentiam Dei omnium oculis ingerit. Vers. 2. al. 3. *Dies diei eructat verbum; & nox nocti indicat scientiam*, i. dies diei, nox nocti certa & constanti vicissitudine succedens, verbum & scientiam de omnipotente eorum creatore nobis indicat; quanvis enim cœlis (v. 3. al. 4.) *non sint loquelæ neque sermones* proprii, & *non audiatur vox eorum* auribus personans: tamen (v. 4. al. 5.) *in omnem terram exivit sonus eorum* metaphoricus, *& in fines orbis terræ verba eorum* suo modo prolata. Sic Lxx. & Apost. ad Rom. 10. v. 18. Ita etiam Symm. qui interpretatur ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν, S. Hieron. *in omnem terram exivit sonus eorum.* Hi legisse videntur קוֹלָם *vox*, sive *sonus eorum*, pro קַוָּם *linea eorum*, cum ל loco ו. Et certe huic lectioni & interpretationi favere videtur pars altera versiculi, *& in fines orbis terræ verba eorum;* in psalmis enim sæpius pars prior versiculi, sensum quod attinet, repetitur in altera, mutatis solum vocibus. Aq. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ κανὼν αὐτῶν, *in omnem terram exivit linea, sive regula eorum*, legebat קַוָּם, ut habent Hebræi codices hodierni. Eodem modo legebat Chald. Paraph. מְתַח עֲנִינְהוֹן *extensio negotii eorum.* Ex hac interpretationum varietate colligi ad summum potest diversam olim fuisse in Hebræo textu lectionem; non vero dedita opera eum à Judæis depravatum, ut clamitant nonnulli.

EXSULTATIO collibus, Psal. 64. Heb. 65. v. 13. *Exsultatione colles accingentur.* Vers. 14. *Induta sunt* כָּרִים *pascua ovibus, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.* Hac metaphora significatur abundantia singularis, quæ ex Dei benedictione provenit. Pro *induta sunt pascua ovibus*, Lxx. verterunt ἐνεδύσαντο οἱ κριοὶ τῶν προβάτων, Vulg. Lat. *induti sunt arietes ovium.* Vox כָּרִים (unde forsitan κριοὶ) & *arietes* & *pascua* significat.

GEMITUS, EXSPECTATIO, DOLOR, & PARTURITIO, creaturæ rationis experti, Rom. 8. vv. 19. 20. 21. 22. tribuuntur; hisque metaphoris innuitur præstantia gloriæ ac felicitatis æternæ, qua in cœlis fruituri sunt electi; quæquidem tanta erit, ut eam tacito sensu exspectet vel omnis creatura ratione destituta, quæ vanitati Dæmonis, & impiorum, invita subjicitur. Unde Chrysost. homil. 14. in hanc epist. p. 197. tom. 4. edit. Paris. 1636. ὥστε ἐμφατικώτερον γενέσθαι τὸν λόγον, προσωποποιεῖ τὸν κόσμον τὸν ἅπαντα τοῦτον, *ut oratio significantior fieret, mundum hunc universum loquentem inducit* Apostolus.

INEBRIATIO sagittis, qua maxima sanguinis effusio denotatur. Deut. 32. v. 42. *Inebriabo sagittas meas sanguine*, &c. Confer Isai. 34. v. 5. Jerem. 46. v. 10.

LUCTUS, 1°. Terræ, Isai. 24. v. 4. *Luxit & defluxit terra, & infirmata est*, &c. Hic de terra vastata & desolata, uti de homine ægroto & lugente, loquitur vates. Vide etiam c. 33. v. 9. Jerem. 4. v. 28. cap. 12. v. 4. Thren. 2. v. 8. Ose. 4. v. 3. Joel. 1. v. 10. Amos. 1. v. 2. &c. 2°. Viis Sion, Thren. 1. v. 4. *Viæ Sion lugent eo, quod non sint, qui veniant ad solemnitatem;* qua prosopopœia cultus Dei desertissimus innuitur, 3°. Portis ejusdem Sionis, Isai. 3. v. 26. *Et mærebunt atque lugebunt portæ ejus, & desolata in terra sedebit.* Quæ metaphora desumta est ab usu

lugentium, qui solebant in terra sedere. Vide Job. 1. v. 20. cap. 2. v. 13. &c.

NUDITAS terræ, qua loca infirmiora significantur. Gen. 42. v. 12. *Nuditatem terræ considerare venistis.* Lxx. τὰ ἴχνη, *vestigia.* Aq. & Sym. τὰ κρυπτὰ, *occulta.* Optime omnium Vulg. *immunita terræ hujus*, vel *infirmiora*, ut idem reddidit vers. 9. ejusdem capitis.

Os, oris, terræ, Gen. 4. v. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Hac metaphora scelus Caïni exageratur, quasi diceret Deus: terra ipsa scelus tuum exsecrata, ore aperto sanguinem fratris tui suscepit, ne cum horrore aspectui hominum pateret; quapropter eam ubique tibi infensam experieris.

PALPEBRÆ auroræ, quibus intelliguntur radii diluculi, seu primus splendor radiorum ab exorituro sole assurgentium. Sumta est metaphora vel ab homine, qui, cum expergiscitur, palpebras attollit; vel à celeri motu & vibratione palpebrarum; quia radii diluculi jugiter moventur, donec ad extrema orbis diffundantur. Job. 3. v. 9. *Exspectet lucem* (illa nox) *& non* (veniat), *& non videat* בְּעַפְעַפֵּי־שָׁחַר *palpebras auroræ.* Lxx. ὑπομείναι, καὶ εἰς φωτισμὸν μὴ ἔλθοι, καὶ μὴ ἴδοι ἑωσφόρον ἀνατέλλοντα, *exspectet, & in lucem non veniat, nec videat luciferum exorientem.* Quæ verba trajecta videntur, pro ὑπομείναι εἰς φωτισμὸν, καὶ μὴ ἔλθοι, καὶ μὴ ἴδοι, &c. *exspectet lucem, & non veniat, nec videat*, &c. Vocem ἔλθοι *veniat* apposite suppleverunt. Vulg. *exspectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Vide etiam c. 41. v. 9. ubi eædem voces עַפְעַפֵּי־שָׁחַר, à Lxx. necnon ceteris interpretibus Græcis redduntur εἶδος ἑωσφόρου, *species luciferi*, à Vulg. *palpebræ diluculi.*

PLAUSUS MANUUM, 1°. Fluminibus, Psal. 97. Heb. 98. v. 8. *Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt à conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.* Hæc per prosopopœiam inanimatis creaturis tribuuntur, ad excitandum in hominibus advenientis Domini desiderium. Confer Psal. 95. Heb. 96. vv. 11. 12. &c. 2°. Lignis, sive arboribus regionis, Isai. 55. v. 12. *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.* Hac metaphora lætitia spiritualis in regno Christi figuratur.

PUGNA stellis, Jud. 5. v. 20. *De cœlo pugnatum est, stellæ* מִמְּסִלּוֹתָם *ex elevationibus suis pugnaverunt.* Translata est isthæc loquutio à militibus ex editiore loco pugnantibus. Lxx. ἐκ τρίβων αὐτῶν, *ex semitis suis.* Alius ἐκ τῆς τάξεως αὐτῶν, *ex ordine suo.* Vulg. utraque versione expressa, *in ordine & cursu suo manentes pugnaverunt cum Sisara*, i. adversus Sisaram. Stellæ autem eo loci pugnasse dicuntur; quia grandinum, & procellarum, quibus adversus Chananæos Deum usum fuisse scribit Josephus lib. 5. antiq. cap. 6. pag. 152. edit. Genev. 1611. excitandarum instrumenta fuere; *ab influxu enim astrorum*, scribit Bonfrerius comm. in h. l. *manant tempestates, tonitrua, grandines*, &c.

RUBOR lunæ, & CONFUSIO sive PUDOR soli, Isai. 24. v. 23. *Et erubescet luna, & confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum*, &c. h. e. nulla plane erit lux solis & lunæ, si cum gloria & splendore regnantis Dei conferatur.

VISIO & TIMOR aquis, Psal. 76. Heb. 77. v. 17. *Viderunt te aquæ, Deus; viderunt te aquæ, & timuerunt*, &c. qua prosopopœia innuitur maxima Dei potentia. *Viderunt*, id est, expertæ sunt potentiam tuam; cum scilicet vento valido & urente scissæ sunt, & fundum maris nudum ostenderunt: *timuerunt* vero, cum ad nutum tuum, trepidantium instar, de loco suo fugerunt, & præter naturam suam instar muri hinc inde constiterunt. Quod miraculum Exod. 14. describitur. Confer Psal. 113. Heb. 114. vv. 3. 5.

VOLUNTAS spiritui, seu vento, Joan. 3. v. 8. *Spiritus ubi vult, spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat; sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* Hoc est, quemadmodum ventum, cujus vocem sive stridorem audis, quanvis nullum corpus videas, nec sit, quod manibus possis apprehendere, sentis præsentem, nec vides venientem, nec vides quo se proripiat abiens; sic Spiritus Sancti vis & effectus ineffabilis

ſentitur quidem; at, quod agitur, id oculis minime cernitur. Sic fere Eraſm. in h. l. Aër autem dicitur *ſpiritus*, quod cum noſtris corporibus collatus, ſubtilior ſit.

VOMITIO HABITATORUM SUORUM terræ, qua eorumdem ex ea, propter ſceleratam vitam, expulſio à Deo facta intelligitur. Lev. 18. v. 25. *Cujus* (terræ) *ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos.* Vide etiam v. 28.

Huc pertinent alia quædam cum *nomina*, tum *verba*.

I. *Nomina.*

FILIUS & FILIA inanimatis tribuuntur, Thren. 3. v. 13. *Miſit in renibus meis*, vel *in renes meos, filias pharetræ ſuæ*, h. e. ſagittas, quæ in pharetra, quaſi filiæ in matre gravida, continentur; unde Horat. lib. 1. Carm. Od. 22. *gravida ſagittis pharetra.* Hebræus habet בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ *filios pharetræ ſuæ*, quia nomen חִצִּים *ſagitta*, hac in lingua maſculinum eſt.

Job. 5. v. 7. *Homo naſcitur ad laborem*, וּבְנֵי רֶשֶׁף יַגְבִּיהוּ עוּף *& filii prunarum* (i. ſcintillæ) *exaltant volare*, ſeu *volatum*, h. e. homo naſcitur ad laborem, ſicut ſcintillæ in altum natura ſua feruntur. Aq. καὶ υἱοὶ πτήνους, *& filii volucris.* Sym. τὰ τέκνα τῶν πετεινῶν ὑψῶσι πτερὰ, *filii volatilium extollunt alas.* Lxx. νεοσσοὶ δὲ γυπὸς τὰ ὑψηλὰ πέτονται, vel πέτανται, *pulli autem vulturis* (ſpecies pro genere) *alte volant.* Vulg. *& avis ad volatum.* Has omnes interpretationes vox רֶשֶׁף patitur; ea ſiquidem, ut monet R. Salomo, intelligitur quidquid volitat, ſive *aves* ſint, ſive *ſcintillæ*, ſive *ſagittæ.* Alia exempla vide in tom. I. pag. 489. & ſeqq.

LINGUA tribuitur igni & flammæ; idque ob ſimilitudinem quandam tum *figuræ*; eſt enim externa ignis flamma ad inſtar linguæ projecta; tum *actionis*; quia, ut homo, vel animal lingua cibum apprehendit ac lambit: ſic ignis, projecta flamma, combuſtionis materiam; unde *comedere* vel *devorare* dicitur, ut in ſequenti columna videbimus.

Iſai. 5. v. 24. *Propter hoc, ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi favilla erit.* Vide Act. 2. v. 3. ubi linguarum velut ignis fit mentio.

Lingua mari etiam tribuitur, qua ſignificatur ſinus ejuſdem in terram excurrentis. Vide Joſ. 15. vv. 2. 5. Iſai. 11. v. 15.

Lingua auri, Joſ. 7. v. 21. redditur à Vulg. *regula aurea.* Aliis eſt ornamentum aureum ad inſtar linguæ confectum.

MANUS tribuitur, 1°. Gladio, Job. 5. v. 20. 2°. Flammæ ignis, Iſai. 47. v. 14. 3°. Inferno, שְׁאוֹל, Lxx. ᾅδου, Vulg. *morti*, Oſe. 13. v. 14. qua metaphora eorum poteſtas & violentia intelligitur. Quandoque tamen vox יָד *manus*, pleonaſtica eſt. Vide tom. I. pag. 493. col. 1.

MATRIS vox viæ tribuitur, eaque bivium ſignificatur; q. d. principium, ex quo duæ viæ naſcuntur. Ezech. 21. v. 21. al. 26. *Stetit enim rex Babylonis* אֶל־אֵם הַדֶּרֶךְ *ad matrem*, vel *in matre viæ.* Vulg. optime, *in bivio*; ſequitur enim, *in capite duarum viarum.*

II. *Verba.*

ABIRE dicitur panis, 1. Reg. 9. v. 7. *Panis abiit de vaſis noſtris*, h. e. ut eleganter interpretatur Vulg. *defecit.* Confer Apoc. 18. v. 14.

CLAMARE dicitur, 1°. Civitas, Iſai. 14. v. 31. *Ulula porta, clama civitas*, &c. Ibi metonymia continentis pro contento, ſive urbis pro ejus civibus. 2°. Lapis, Habac. 2. v. 11. *Quia lapis de pariete clamabit*, &c.

Luc. 19. v. 40. *Si hi* (diſcipuli mei) *tacuerint, lapides clamabunt*, inquit Chriſtus, quia tempus revelationis meæ advenit. 3°. Merces operariorum defraudata, Jacob. 5. v. 4. *Ecce merces operariorum ... quæ fraudata eſt à vobis, clamat*, &c. Qua metaphora gravitas vel peccati, vel pœnæ innuitur.

COMEDERE ſeu DEVORARE tribuitur, 1°. Igni, Lev. 10. v. 2. *Egreſſuſque ignis à Domino, devoravit eos.* Vide Job. 1. v. 16. Nahum. 3. v. 15. 2°. Gladio, 2. Reg. 2. v. 26. *Nunquid uſque in finem* תֹּאכַל *comedet gladius.* Vulg. *Num uſque ad internecionem tuus mucro deſæviet?* Vide Iſai. 1. v. 20. Jerem. 2. v. 30. 3°. Terræ, ſeu regioni, Num. 13. v. 33. *Terra, quam luſtravimus, comedit*, Vulg. *devorat habitatores ſuos.* Vel ſoli conditione, q. d. terra illa duriſſima eſt, ita ut in ea colenda hominum vires conſumantur: vel aëris &

loci intemperie; ita ut sensus sit: etsi fertilis terra illa est, tamen est insalubris.

CURARE, MEDICARI, VIVIFICARE dicitur, 1°. De ædificio, 1. Paral. 11. v. 8. *Joab autem reliqua urbis* יְחַיֶּה *vivificavit*, Vulg. *extruxit.* Vide 2. Paral. 24. v. 13. Nehem. 4. v. 7. 2°. *Lapidibus*, Nehem. 3. v. 34. al. 4. v. 2. *Nunquid* יְחַיּוּ *vivificabunt lapides de acervis pulveris?* Vulg. *ædificare poterunt?* Hac loquutione instauratio, vel ædificatio nova intelligitur. Vide etiam 3. Reg. 18. v. 30.

SANARE, dicitur Deus, 1°. Terram, cum benedictionem ipsi, post inflictam pœnam, iterum impertit. 2. Paral. 7. v. 14. *Et ego exaudiam de cœlo, & sanabo terram eorum.* Vide etiam Psal. 59. Heb. 60. v. 4. 2°. Aquas, cum eas salubres reddit. 4. Reg. 2. v. 21. *Hac dicit Dominus: sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.* Vers. 22. *Sanatæ sunt ergo aquæ*, &c. Vide etiam Ezech. 47. v. 8.

TRANSIRE tribuitur 1°. Argento, cum probatum est, ac in negotiatione communi receptum. Gen. 23. v. 16. *Quod cum audisset Abraham, appendit .... quadringentos siclos* כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר *argenti transeuntis inter mercatores.* Lxx. ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις, *argenti probati mercatoribus.* Vulg. *argenti probatæ monetæ publicæ.* 2°. Myrrhæ, Cant. 5. v. 5. *Digiti mei pleni myrrha* עֹבֵר *transeunte*, h. e. ut optime reddidit Vulg. *probatissima.* 3°. Vino, Jerem. 23. v. 9. *Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo* עֲבָרוֹ יָיִן *quem transiit vinum*, h. e. inebriavit. Vulg. *madidus à vino.* Lxx. συνεχόμενος ἀπὸ τοῦ οἴνου, *vino correptus*, ut Gallice dicimus, *pris de vin.*

Huc refert Glassius illud Jerem. 5. v. 28. עָבְרוּ דִבְרֵי רָע *transierunt verba* seu *facta improbi*, h. e. probata sunt, obtinuerunt, &c. verba improbi. Aliis autem hîc non videtur esse metaphora, eaque verba sic explicant: nequitia & improbitate quemlibet hominem nequam ac improbum superaverunt. Vulg. *præterierunt sermones meos pessime.* Symm. & Theod. παρέβησαν τοὺς λόγους μου εἰς πονηρόν, *transgressi sunt sermones meos in malum*, pro דִבְרֵי legebant דְּבָרַי *sermones meos*, & præpositionem ל supplebant ante רָע, ut alias sæpe supplenda deficit. Vide tom. I. pag. 597. col. 2.

§. V.

De regnis, provinciis, & civitatibus, ut de singulis hominibus, Scriptura interdum loquitur.

PROSOPOPOEIÆ hujus ratio est, quod homines simul consociati, unum veluti corpus efficiant. Itaque

I. De toto populo, ut de homine in genere, id est, sive sit masculus sive femina, in SS. Scripturis quandoque fit sermo. Isai. 1. v. 5. *Super quo percutiemini ultra .... omne caput languidum, & omne cor mœrens.* Vers. 6. *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Hic populi Judaïci instar unius hominis ad mortem usque percussi, & lethaliter vulnerati ægrotantisque, curatione insuper, & medicamentis destituti, castigationes enarrantur. Explicatio autem versibus 7. 8. 9. propriis verbis subjungitur. Vide etiam cap. 7. v. 20. cap. 8. v. 8. c. 30. v. 28. Deut. 33. v. 13. Habac. 3. v. 12. &c.

II. De toto populo in specie, ut de viro, loquitur Scriptura, sed rarius. Thren. 3. v. 1. *Ego vir videns paupertatem meam*, vel *afflictionem meam, in virga indignationis ejus.* Totus populus hîc & in seqq. in specie unius viri, calamitates suas & perpessiones commemorat.

Isai. 7. v. 20. *In die illa radet Dominus .... caput & pilos pedum, & barbam universam.* Per caput, principes & magnates; per pedes vero, plebeii homines intelliguntur. Præterea S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 74. recte monet rasione barbæ, quæ viri decor est, & virilitatis indicium, significari nihil in Judæa forte & pulchrum remansurum; sed eam effeminatis hominibus, imo ignominiosis mulieribus comparandam.

III. De toto populo, ut de femina, Scriptura sermonem instituit. Isai. 32. v. 9. *Mulieres opulentæ, surgite, & audite vocem meam; filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum.* Hic per *mulieres*, majores urbes; per *filias* autem, minores intelliguntur. Eodem modo interpretatur Chald. Paraph. *Civitates magnæ, quæ habitatis securæ, surgite, audite vocem meam*, &c. Vide Thren. capp. 1. 2. & Isai. 3. v. 26. ubi civitati Jerusalem lugentium actus & ritus tribuuntur.

Isai. cap. 32. v. 11. *Pavor, tremor, denudatio, cinctura super lumbos*, fugæ & deportationis causa civitatibus tribuitur, quæ instar mulierum v. 9. proponuntur.

Mich. 7. vv. 8. 10. regnum Babyloniorum & Assyriorum dicitur אֹיַבְתִּי *inimica* Judææ, atque ita sub mulieris imagine proponitur. Vers. 8. *Ne læteris inimica mea, quia cecidi*, &c. Vers. 10. *Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione*, &c.

Huc pertinet, cum populus Judaïcus ut mulier perfida & adultera describitur, Jerem. 3. vv. 1. 3. 4. cap. 4. v. 30. Ezech. capp. 16. & 23. Ose. 2. &c. Deus enim rempublicam Judaïcam quasi in uxorem sibi acceperat; quare cum ab eo recessit ut idola coleret, adulteræ nomine donata est; adulteria enim & scortationes spirituales, quas per prophetas suos tam sæpe reprehendit & detestatur Deus, idololatria sunt, & graviora peccata cum impœnitentia conjuncta. Vide Exod. 34. vv. 15. 16. Deut. 31. v. 16. Jud. 2. v. 17. Isai. 1. v. 21. c. 57. v. 3. &c. Eodem etiam nomine interdum objurgantur Gentiles ac idolorum cultus addictæ civitates, ut *Ninive*, Nahum. 3. v. 4. *Tyrus*, Isai. 23. vv. 15. 16. 17.

IV. MATRIS nomen civitati primariæ tribuitur, ex qua aliæ quasi natæ & productæ sunt, quæque idcirco בְּנוֹת *filiæ* ejus appellantur. 2. Reg. 20. v. 19. *Et tu quæris subvertere civitatem, & evertere matrem in Israël*, i. metropolim.

Num. 21. v. 25. *Tulit*, seu *cepit ergo Israël omnes urbes illas, & habitavit in omnibus urbibus Amorrhæi, in Hesebon, & in omnibus* בְּנֹתֶיהָ *filiabus ejus*, Vulg. *viculis ejus.* Vide etiam Jos. 17. v. 16. Jud. 11. v. 26. &c.

Eodem matris nomine insignitur respublica Judaïca. Isai. 50. v. 1. *Hæc dicit Dominus: quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam*, &c. Vide etiam Ose. 2. v. 2.

Huc pertinet Ezech. 23. v. 2. *Fili hominis, duæ mulieres*, (Israël & Juda) *filiæ matris unius*, (reipublicæ Judaïcæ) *fuerunt.* Vers. 3. *Et fornicatæ sunt in Ægypto*, &c. Hic, ut vides, respublica Judaïca dicitur *mater* ratione duorum regnorum Israëlis & Judæ, quæ cum filiabus comparantur.

V. FILIÆ & VIRGINIS nomen non raro toti populo, vel civitati, *divisim* vel *conjunctim*, tribuitur.

Divisim, Psal. 136. Heb. 137. v. 8. *Filia Babylonis misera*, &c. i. populus, sive regnum Babylonicum. *Filia Sion*, Thren. 1. v. 6. c. 2. v. 1. &c. Isai. 1. v. 8. cap. 10. v. 32. c. 16. v. 1. Jerem. 6. v. 2. Mich. 4. vv. 10. 13. Sophon. 3. v. 14. Zach. 9. v. 9. &c. *Filia Judæ*, Thren. 2. v. 2. *Filia Jerusalem*, Zach. 9. v. 9. *Filia Tyri*, Psal. 44. Heb. 45. v. 13.

Divisim quoque accipitur *virgo*, Jerem. 31. v. 4. *Rursumque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël*, &c. Vide etiam versum 21. Amos. 5. v. 2.

Conjunctim, VIRGO & FILIA reperiuntur, Isai. 23. v. 12. *Non adjicies ultra ut glorieris, virgo filia Sidonis.* Vide etiam c. 37. v. 22. c. 47. v. 1. Jerem. 46. v. 11. &c.

Cur populus Israëliticus appelletur *virgo*, varias afferunt rationes, quæ minus solidæ videntur eruditis. Quod enim ait S. Hieron. comm. in cap. 37. Isai. tom. 3. nov. edit. col. 290. Sion & Jerusalem ideo virginem & filiam appellari, quod *cunctis gentibus simulachra adorantibus hominum mortuorum, hæc sola conservet castitatem religionis Dei, & unius Divinitatis cultum*, illud non videtur stare posse cum Amos. 5. v. 2. & Jerem. 18. v. 13. ubi Israël appellatur *virgo*, cum idola coleret. Præterea Babylon & Ægyptus, Isai. 47. v. 1. Jerem. 46. v. 11. *virgines* vocantur, quæ tamen plenæ fuerunt idololatria & impietate.

Drusius lib. 16. observ. c. 5. putat *virginem* dici populum Israëliticum ante captivitatem, qui virgo esse desierit, cum jam exterorum jugum subiisset; at expositionem illam pes-

fundat locus Thren. 2. v. 13. ubi idem ille populus *virgo filia Sion* post Babylonicam devastationem appellatur. Vox itaque *virginis* pro cœtu hominum, quacunque ratione se habeat, per prosopopœiam accipienda est; unde Chald. his in locis vel *cœtum*, vel *populum*, vel *regnum* eam interpretatur. Ea autem usurpata videtur ob pulchritudinem, ornatum, &c. maxime si de urbe, aut regno, vel regione sit sermo.

Quod autem בַּת *filia*, & בְּתוּלַת *virgo*, in regimine ponantur, id fit, vel enallage status constructi pro absoluto positi, cujus exempla non pauca attulimus in tom. I. pagg. 122. 123. Itaque *filia Israëlis* est pro, *filia Israël*; *virgo Israëlis*, pro, *virgo Israël.* Vel cum adjicitur nomen loci, ut *filia Sionis*, *filia Jerusalem*, *filia Tyri*, *filia Babylonis*, &c. vox *filia* populum vel incolas locorum illorum significat. Eodem sensu accipitur *filius*, Isai. 11. v. 14. *filii Orientis*, i. incolæ Orientis, seu Orientales populi; Jerem. 2. v. 16. *filii Mempheos & Taphnes*, h. e. cives; Psal. 149. v. 2. *filii Sion*, i. incolæ Sionis seu Jerusalem; Ezech. 16. v. 26. *filii Ægypti*, h. e. Ægyptii, &c.

Denique cum duæ illæ voces *virgo* & *filia* simul conjunguntur, id fit vel ἐκ παραλλήλου, ut existimat Drusius, qui affert in exemplum, *lutum cœni*, Psal. 39. Heb. 40. v. 3. Vide tom. I. pag. 485. can. III. ubi plura alia constructionis hujus exempla posuimus. Vel alterutra ex his dictionibus redundat, quare sæpius omittitur, ut diximus in tom. I. pag. 123. col. 2.

§. VI.

De accidentibus quibusdam, ut de hominibus, Scriptura interdum loquitur.

ACCIDENTIA quædam quasi corpore induta nonnunquam exhibentur; quod Metaphoræ genus σωματοποιΐαν vocant.

AFFLICTIONIBUS, MALIS, CALAMITATIBUS, &c. tribuitur, quod hominem inveniant, quasi circumambulantes eum quæsivissent. Deut. 31. v. 17. *Invenient eum* (Israëlem) *omnia mala & afflictiones; ita ut dicat in illo die: vere, quia non est Dominus mecum, invenerunt me hæc mala*, i. mihi contigerunt. Sic vv. 21. 29.

Jerem. 10. v. 18. *Et tribulabo*, vel *coangustiabo eos*, לְמַעַן יִמְצָאוּ *ut inveniant*, supple eos mala; vel *ut accipiant vindictam peccatorum suorum*, ut explicat Paraph. Chald. Vulg. *ita ut inveniantur*; legebat יִמָּצְאוּ in passiva voce niphal; vel personam illam activam passive accepit. Vide etiam Exod. 18. v. 8. & confer Deut. 28. v. 45.

Idem verbum מָצָא in bonam etiam partem sumitur, Jos. 2. v. 23. *Venerunt* (exploratores) *ad Josue filium Nun, narraveruntque ei* אֵת כָּל־הַמֹּצְאוֹת אוֹתָם *omnia, quæ invenerant eos*, i. *omnia* (bona), *quæ acciderant sibi*, Vulg. Hic femininum pro neutro ponitur. Vide tom. I. pag. 475. coll. 1. 2.

2. Reg. 18. v. 22. וּלְכָה אֵין־בְּשׂוֹרָה מֹצֵאת *& te non bonum nuntium* (i. boni nuntii præmium) *inveniet.* Vulg. *non eris boni nuntii bajulus.*

CHARITATI personæ qualitates & actiones assignantur, 1. Cor. 13. v. 4. *Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, &c. Vide vv. 5. 6. 7. ubi hominem vera charitate præditum sub hac imagine pingit Apostolus.

DOLORI tribuitur exsultatio, Job. 41. v. 13. *In collo ejus* (Behemoth, sive Leviathan) *moratur fortitudo, & ante faciem ejus* תָּדוּץ דְּאָבָה *exsultat dolor*, hoc est, gaudens obvios quoslibet dolore afficit. LXX. ἔμπροσθεν αὐτοῦ τρέχει (mſ. Alex. προτρέχει) ἀπώλεια, *ante eum currit*, vel *præcurrit perditio*, Aq. ἐνδεία, *esuritio.* Vulg. *Et faciem ejus præcedit egestas.* LXX. & Vulg. pro תָּדוּץ *exsultat*, legebant תָּרוּץ *currit, præcurrit, præcedit.*

JUSTITIÆ tribuitur, 1°. Responsio, sive testificatio, Gen. 30. v. 33. וְעָנְתָה־בִּי *respondebitque mihi* (h. e. pro me) *justitia mea*; vel *testificabitur pro me*, ut vertunt recentiores. 2°. Prospectus, Psal. 84. Heb. 85. v. 12. *Justitia de cœlo prospexit*, &c. 3°. Ambulatio,

v. 14.

v. 14. *Justitia ante eum ambulabit.* 4°. Osculatio, v. 11. *Justitia & pax osculatæ sunt.* In præced. hemistichio, misericordiæ & veritati tribuitur occursus. 5°. Statio à longe, Isai. 59. v. 14. *Et conversum est retrorsum judicium, & justitia longe stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Pulcherrima hac ultima prosopopœïa, sive somatopœïa, judicii, justitiæ, veritatis, & æquitatis inter homines raritas significatur.

PECCATO tribuitur, 1°. Ad fores præsentia, sive cubatio, Gen. 4. v. 7. *Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit,* Heb. *cubabit?* Quidam *peccatum* eo loci interpretantur pœnam peccati, hoc modo: si male egeris, statim pœnam peccati sustinebis. 2°. Clamor, Gen. 18. v. 20. *Clamor* (peccatorum) *Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus est*, &c. qua metaphora eorum gravitas innuitur. Conf. Jac. 5. v. 4. 3°. Responsio, sive testificatio, ut supra justitiæ tribuitur, Isai. 59. v. 12. *Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te* (Domine) *& peccata nostra responderunt nobis*, vel *testificata sunt contra nos; quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognovimus;* quo in loco de accusatione peccatorum ex conscientia agnitorum agitur. Vide etiam Jerem. 14. v. 7. 4°. Crucifixio, Rom. 6. v. 6. *Vetus homo noster* (peccatum) *simul* (i. cum Christo) *crucifixus est, ut corpus peccati destruatur,* hoc est, vis ac imperium; sequitur enim: *& ultra non serviamus peccato.* Vide c. 7. v. 24. imo & totum illud caput; in eo siquidem peccato tribuitur *operatio omnis concupiscentiæ*, & *mors*, v. 8. *reviviscendi facultas*, v. 9. *seductio* & *occisio*, v. 11. *operatio mortis*, v. 13. ubi etiam *supra modum peccans* & ipsum dicitur. Vers. 14. instar sævi tyranni proponitur, qui peccatorem veluti mancipium ære coemtum misere detineat. Vide etiam vv. 17. 20. 5°. Generatio mortis, Jacob. 1. v. 15. *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem;* cui divina *regeneratio per verbum veritatis*, v. 18. opponitur. 6°. 1. Pet. 2. v. 11. Carnalia desideria *adversus animam militare* dicuntur. Vide etiam Jacob. 4. v. 1. 7°. Denique peccatis aliorum post alia consequutio tribuitur, Apoc. 18. v. 5. *Quoniam ἠκολούθησαν, sese consequuta sunt peccata ejus* (Babylonis) *usque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus*, h. e. alia ex aliis nata sunt, ac in immensum cumulum accrevêre; ita ut ad cœlum usque pertigerint. Pro ἠκολούθησαν, quædam exemplaria manuscripta habent ἐκολλήθησαν, *agglutinata sunt*, alia aliis adhæserunt. Vulg. *pervenerunt*, legebat ἔφθασαν, ut habet cod. Veles. Vide D. Mill. pag. 624. col. 1.

ARTICULUS IV.

De variis Metaphorarum fontibus; speciatimque de Metaphoris à Deo desumtis.

EXPLICATA in præcedentibus articulis metaphora, qua Deo affinguntur, quæ hominis aliarumque creaturarum sunt propria; quaque rebus tribuuntur, quæ personis competunt: superest ut varios metaphorarum fontes aperiamus.

Entia generatim dividuntur in *creatorem* & *creaturas*. A Deo creatore aliquot, à creaturis plures desumuntur Metaphoræ, quas in hoc & sequentibus articulis exponemus.

Quæ à Deo deducuntur Metaphoræ, ab ejus *nomine*, sive Hebræo, sive Græco, vel ab ejus *actionibus*, desumuntur.

§. I.

Metaphora à Dei nomine desumta.

NOMEN Dei Hebræum אֱלֹהִים metaphorice creaturis, propter similitudinem quandam, & congruentiam cum ipso Deo, tribuitur; & quidem,

1°. ANGELIS primariis ejus ministris, Psal. 8. v. 6. *Minuisti eum* (hominem, vel potius Christum) *paulo minus* מֵאֱלֹהִים *ab angelis*, &c. Ita Lxx. Chald. Apost. Heb. 2. v. 7. (quocum conf. v. 9.) Vulg. Pagninus, &c. Aq. autem, Sym. Theod. Vª. & VIª. editt. παρὰ θεὸν, *à Deo*. Vide etiam Psal. 85. Heb. 86. v. 8. & conf. Paraph. Chald. Item Psal. 96. Heb. 97. v. 7. & Apost. Heb. 1. v. 6.

2°. HOMINIBUS dignitate præstantibus, Deique in terra vicariis, per quos gubernat, judicat, &c. alios homines. Gen. 6. v. 2. *Videntes filii* אֱלֹהִים *Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Chald. *filii magnatum*, qui tam doctrina, quam exemplis debebant aliis præesse, puellas ex familiis Caïnitarum, & indiscriminatim ex vulgo sibi in uxores acceperunt. Atque inde, ut verosimile est, contigit neglectus consanguinitatis, parentum & majorum, divortiorum temeritas, & alia id genus scelera, quæ in ipsos iram divinam concitarunt, ut liquet ex sequentibus. Alii per *filios Dei*, Semi posteros; per *filias hominum*, filias ex Caïni prosapia ortas intelligunt. Vide interpretes.

Exod. 4. v. 16. *Ipse* (Aaron) *erit os tuum*, i. *pro te loquetur*, Vulg. *& tu eris ei* לֵאלֹהִים *Deus*, Chald. לְרַב *princeps*, seu *dux*, ipsi demandans, quæ loquuturus sit ad populum.

Ibid. c. 7. v. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, &c. hoc est, legatione Divina apud Pharaonem fungeris.

Ibid. c. 21. v. 6. *Adducet eum* (servum) *Dominus ejus ad* הָאֱלֹהִים *Deos*, Chald. *Judices*. Vide etiam c. 22. vv. 8. 9. 28.

1. Reg. 28. v. 13. אֱלֹהִים *Deos vidi ascendentes de terra*, Chald. *angelum Dei*, i. hominem magnum & venerabilem. Vide v. 14. Psal. 81. Heb. 82. vv. 1. 6. & confer Joan. 10. vv. 34. 35. 36.

Psal. 137. Heb. 138. v. 1. *In conspectu* אֱלֹהִים *Principum*, Chald. *Judicum*, *psallam tibi*, h. e. laudem tuam coram proceribus & principibus non tacebo. Confer Psal. 118. Heb. 119. v. 46. Hinc vetus interpres reddidit: παῤῥησίᾳ, θεὲ, ᾄσω σε, *fiducialiter, Deus, cantabo te*. Alius, παῤῥησιάσω σοι, *fiducialiter agam tibi*. Lxx. ἐναντίον ἀγγέλων ψαλῶ σοι, Vulg. Lat. *in conspectu angelorum psallam tibi*. Aq. ἔναντι θεῶν μελῳδήσω σοι, Sym. ἐναντίον θεῶν ᾄσω σοι, S. Hieron. *in conspectu Deorum cantabo tibi*.

3°. IDOLIS, sed per metonymiam adjuncti, qua opinio hominum pro ipsa re ponitur, vide supra pag. 55. §. IV. *Idolum* (enim) *nihil est in mundo*, 1. Cor. 8. v. 4. quare idola vocantur אֱלִילִים *res nihili*, & *inanes*, Levit. 19. v. 4. Psal. 96. Heb. 97. v. 7. Isai. 10. v. 10. c. 19. v. 3. Idola itaque Dii non sunt, nisi in mente eorum qui illa colunt.

Exod. 23. v. 24. *Non adorabis* לֵאלֹהֵיהֶם *deos eorum*, Amorrhæorum, Hethæorum, &c. Vide etiam Isai. 36. v. 18. Vulgo tamen huic voci אֱלֹהִים additur aliquid, quo ad idola significanda determinetur; ut, *Dii alieni*, Exod. 20. v. 3. Deut. 5. v. 7. Josue 23. v. 16. *Dii conflatiles*, Lev. 19. v. 4. *Dii novi*, Jud. 5. v. 8. *Dii præter Dominum solum*, Exod. 22. v. 20.

Græcum Dei nomen Θεὸς, metaphorice etiam tribuitur,

1°. DIABOLO, 2. Cor. 4. v. 4. *Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium*, &c. h. e. Diabolus, *qui non est simpliciter Deus, sed illis est Deus, qui illum anteponunt Christo. Velut avaris pecunia sive mammona Deus est; nepotibus gula Deus est*, &c. ut scribit Erasmus annot. in h. l.

2°. IDOLIS, idque per metonymiam, ut supra de nomine Hebraïco אֱלֹהִים dictum. Act. 7. v. 43. *Et suscepistis tabernaculum Mo-*

loch, & sidus Dei vestri Rempham, &c. Vide cap. 14. vv. 10. 11. Metonymiæ hujus sensum recte explicat Apost. Galat. 4. v. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, qui natura non sunt Dii* (sed ex prava idololatrarum imaginatione) *serviebatis.* Et 1. Cor. 8. v. 5. *Nam etsi sunt λεγόμενοι θεοὶ, qui dicantur Dii* (ab hominibus idololatris), v. 6. *nobis tamen unus* (est) *Deus*, &c.

3°. VENTRI, Philipp. 3. v. 19.... *quorum Deus venter est*, h. e. quorum summum bonum voluptas est carnis; Deus enim id unicuique est, quod summo habet in pretio, & cui verum Deum postponit.

§. II.

Metaphora à Dei actionibus desumta.

AD Metaphoras ab actionibus Dei desumtas pertinet *creatio*; quanvis enim verbum בָּרָא, quod soli Deo proprie competit, *ex nihilo aliquid condere* significet, ut Gen. 1. v. 1. metaphorice tamen ad alia etiam eximia Dei opera transfertur.

Exod. 34. v. 10. *Signa* vel *mirabilia faciam, quæ non* נִבְרְאוּ *creata sunt*, Vulg. *visa sunt super terram*, &c.

Num. 16. v. 30. וְאִם־בְּרִיאָה יִבְרָא יְהוָה *Sin autem creationem creavit Dominus*, &c. Vulg. *novam rem fecerit Dominus*, &c. Vide Isai. 45. v. 8.

In specie autem verbum istud de renovatione & instauratione hominum tam in præsenti, quam in altera vita accipitur.

Psal. 50. Heb. 51. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus*, h. e. ut explicat ipse propheta, *spiritum rectum innova in visceribus meis*; tam enim solius Dei est creare cor mundum, id est, hominem regenerare, à peccatis mundare, justificare, ac salvare; quam ipsum creare. Conf. Joan. 1. v. 12.

Psal. 101. Heb. 102. v. 9. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, hoc est, Ecclesia instauranda & colligenda à Christo. Vide Isai. 65. vv. 17. 18. ubi de cœlesti gloria & gaudio sempiterno potissimum agitur.

Ephes. 2. v. 10. *Ipsius enim* (Dei) *sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, h. e. regenerati in Christo ad exercenda opera bona, quæ præparavit Deus, &c. Vide 2. Cor. 5. v. 17. ubi facta per Spiritum Sanctum renovatio, dicitur καινὴ κτίσις, *nova creatura.*

Sic verbum עָשָׂה *fecit*, quod generale quidem est, at in specie de creationis opere sæpius usurpatur, ut: Gen. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat* (i. creaverat), *& erant valde bona.* Vide etiam c. 2. v. 3. &c.

Ad alia quoque eximia Dei opera, præsertim hominum redemtionem, conversionem, sanctificationem, & glorificationem transfertur. Deut. 32. v. 6. *Nunquid non ipse* (Deus) *est pater tuus, qui possedit te, fecit te* (populum sibi peculiarem), *& constituit* seu *fundavit te* eum, qui nunc es. Vide etiam 1. Reg. 12. v. 6. Psal. 36. Heb. 37. v. 5. Psal. 85. Heb. 86. v. 10. Psal. 99. Heb. 100. v. 3. Isai. 44. v. 23. & confer ejusdem Isaiæ c. 43. v. 7. ubi de gentium ad Christi regnum vocatione sermo est, & ut synonyma, *creare, formare*, & *facere*, conjunguntur.

ARTICULUS V.

De Metaphoris ab Angelis desumtis.

EX angelis, alii boni sunt, alii mali. Ab utrisque metaphoræ, sed paucæ, deducuntur, quas in hoc articulo proponemus.

I. Ab angelis bonis, Ezech. 28. v. 14. de rege Tyriorum dicitur: אַתְּ־כְּרוּב מִמְשַׁח הַסּוֹכֵךְ *tu es cherub unctio* vel *unctus protegens*, h. e.

constitutus ad protegendum; quo in loco respicit propheta vel ad cherub, quem Deus post Adami lapsum horto Eden custodiendo præfecerat; versu enim præcedenti, *in deliciis paradisi Dei fuisse* memoratur, h. e. in deliciis, quasi in paradiso Eden, sive voluptatis. Vel ad Cherub, qui arcam fœderis extentis alis operiebat protegebatque; sequitur enim: *& posui te in monte sancto Dei*, h. e. & posui te quasi cherubinum illum, qui est in monte sancto Dei. Hinc S. Hieron. interpretatur, *extentus & protegens*. Is forte pro ממשח legebat מִמְשַׁךְ *protractus, extentus*, nempe alis. Ex vocibus Hebraicis אֶת־כְּרוּב מִמְשַׁח הַסּוֹכֵךְ Lxx. Vatic. duas tantum priores אֶת־כְּרוּב σὺ μετὰ τοῦ χερούβ, *tu cum cherub* interpretati sunt; ac insuper את duplici versione donarunt, nempe σὺ *tu*, quod est אַתְּ, & μετὰ *cum*, quod significat אֵת. Nisi, quod verosimilius est, altera ex his versionibus, sit Sym. vel Theod. quæ cum Lxx. interpretatione, ut fit interdum, conjuncta sit. Duas autem posteriores voces omiserunt, vel quia in eorum exemplaribus desiderabantur; vel quia eas interpretati sunt quidem, sed postea ex eorum interpretatione, vitio librariorum, exciderunt. Sym. & Theod. μετὰ χερούβ κεχρισμένου κατασκηνοῦντος, *cum cherub uncto inhabitante*, vel *protegente*. Quidam tamen codices mss. pro κατασκηνοῦντος, Symmacho tribuunt καταμεμετρημένου, *commensurato*. Complut. κεχρισμένος παρὰ θεοῦ, *unctus à Deo*. In hoc autem versu, אַתְּ *tu*, fem. positum est pro אַתָּה *tu*, masc. quod, observantibus Massorethis, ter accidit; hîc nempe, Num. 11. v. 15. & Deut. 5. v. 27. Vide tom. I. pag. 72. col. 2. & pag. 73. col. 1.

2. Reg. 22. v. 11. & Psal. 17. Heb. 18. v. 11. Venti, procellæ, nubes, & tempestates, ob earum vehementiam, celeritatem, &c. *cherubim*, appellantur. *Et ascendit* (Deus) *super cherubim & volavit*, h. e. ut sequitur, *volavit super pennas ventorum*; in Psalmis enim, ut jam monuimus, pars altera versus sæpe est prioris repetitio. Chald. *Et revelatus est in magnificentia sua super cherubim velocissimis, & duxit in fortitudine super alas venti.*

II. Ab angelis malis hæ desumuntur metaphoræ. Matth. 16. v. 23. & Marc. 8. v. 33. Petrus à Christo vocatur *Satanas*, ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, *vade post me, Satana*; quia passioni ejus ex amore nimio adversabatur; sicuti Diabolus ex odio voluntati Divinæ opponitur; Satanas enim *adversarium* significat.

Joan. 6. v. 70. Judas Iscariotes dicitur *Diabolus*, quia mendaciis & homicidio ei similis erat, quod *ex Diabolo esse* Scriptura dicit, Joan. 8. v. 44. 1. Joan. 3. v. 8. *& filium Diaboli*, Act. 13. v. 10.

ARTICULUS VI.

De Metaphoris à cœlo, &c. desumtis.

COELI nomine in Scripturis intelligitur, *tum* corpus illud cœleste elementa claudens & ambiens, ac syderum stellarumque sedes, Gen. 1. v. 14. *Fiant luminaria in firmamento cœli*, &c. Vide etiam cap. 15. v. 5. Psal. 8. v. 4. Isai. 14. v. 13. &c. *Tum* regio aërea, quæ supra nos est, eaque *vel* conjuncta cum ætherea, seu cœlo stellato; unde Gen. 1. vv. 6. 7. 8. 9. *aquarum, quæ sub cœlo sunt*, fit mentio. *Vel* separata ab ea, adeoque solum aërem significat; hinc Gen. 1. v. 7. *aquæ super firmamentum*, sive cœlum memorantur. Levit. 26. v. 19. *Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.* Vide Deut. 28. v. 23. 3. Reg. 8. v. 35. 2. Paral. 7. v. 13. Job. 1. v. 16. c. 2. v. 12. Psal. 8. v. 9. Matth. 6. v. 26. Luc. 9. v. 54. cap. 12. v. 56.

Cœlum autem metaphorice sumitur,

I. Pro Divina gloria & majestate. Psal. 2. v. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos*, &c. i. *qui habitat lucem inaccessibilem*, ut dicitur 1. Tim. 6. v. 16. qui est omnipotens, &c. Vide 3. Reg. 8. vv. 39. 43. &c.

Deut. 26. v. 15. *Respice de sanctuario tuo*,

& de excelso cœlorum habitaculo, &c. id est, de excelsa gloria tua. Ita de Christo dicitur, quod *de cœlo descenderit*, Joan. 3. v. 13. cap. 6. vv. 33. 50. 51. 1. Cor. 15. v. 47. h. e. ex inaccessa majestatis Divinæ luce quasi prodierit, & in assumta carne sese manifestarit. De eodem etiam prædicatur, quod *excelsior cœlis factus sit*, Heb. 7. v. 26. quod *ascenderit super omnes cœlos*, Ephes. 4. v. 10. quibus verbis non tam altitudo loci, quam Divinæ majestatis sublimitas exprimitur.

II. Pro spirituali Dei regno, ac fœlicitatis æternæ statu, quo Deus sese angelis & hominibus manifestat; idque *tum* gratiæ est; scilicet. Ecclesiæ in hac vita militantis collectio, & gubernatio; unde *regnum cœlorum* appellatur, Matth. 13. vv. 11. 24. 31. 33. cap. 20. v. 1. cap. 22. v. 1. &c. Isai. 51. v. 16. *Cœlum plantari*, cap. 65. v. 17. *novum cœlum creari* dicitur, qua metaphora Ecclesiæ instauratio per Christum denotatur, quæ in hac vita incipit, in altera consummabitur, 2. Petr. 3. v. 13. *Tum* gloriæ, angelorum scilicet & hominum beatorum in perfecta Dei visione ac fruitione fœlicitas æterna ac ineffabilis. Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum* (pusillorum) *in cœlis*, (h. e. in cœlesti beatitudinis statu) *semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.* Sic Matth. 6. v. 20. *Thesauri reconditi* (dicuntur) *in cœlo*, id est, in cœlesti gloria. Vide etiam Luc. 18. v. 22. Philipp. 3. v. 20.

Luc. 10. v. 18. *Satan de cœlo sicut fulgur cecidisse* dicitur, h. e. de summa fœlicitate, in summam miseriam, &c.

A cœli ornamentis, h. e. luminaribus, *sole, luna & stellis* desumuntur etiam sequentes metaphoræ.

SOL & LUNA indesinenter splendentes, æternam beatitudinem in cœlis denotant. Isai. 60. v. 20. *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non deficiet*, Vulg. *non minuetur*; sequitur explicatio: *quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui.* Confer Apoc. 25. v. 5.

E contrario, solis occasus & obscuratio, calamitates, mœrorem, & ærumnas significat. Jerem. 15. v. 9. *Infirmata est, quæ peperit septem* (i. multos), *defecit anima ejus, occidit ei sol, cum adhuc esset dies*, &c.

Amos. 8. v. 9. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*, id est, plagis & calamitatibus repentinis obruam te. Vide Mich. 3. v. 6. Joel. 2. v. 10. cap. 3. v. 4. Isai. 13. v. 10.

STELLARUM nomine significantur, 1°. Viri illustres ac præcipui. Dan. 8. v. 10. *Et magnificatum est* (cornu illud parvum, nempe Antiochus) *usque ad exercitum cœli*, Vulg. *fortitudinem cœli* (i. populum Judaïcum), *& dejecit in terram de fortitudine, & de stellis* (i. principibus, virisque inter ceteros illustribus), *& conculcavit eas.* Vers. 24. *Interficiet robustos & populum sanctorum.* Conf. 1. Mach. 1. v. 25. seqq. 2°. Doctores, & ecclesiarum præsides. Apoc. 1. v. 16. *Et habebat* (Christus) *in dextera sua stellas septem*, &c. sequitur explicatio v. 20. *Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum*, id est, Episcopi, Doctores, &c. Sicut enim stellas posuit Deus *in firmamento cœli, ut lucerent super terram*, Gen. 1. v. 17. sic verbi Divini ministri ad aliorum mentes luce à Deo profecta illuminandas constituuntur. Alias similitudines, quæ stellas inter & Episcopos, Doctores, &c. intercedunt, quasque facile percipere potest lector pius & eruditus, missas facio.

Stellarum, sicut solis & lunæ, obscuratione interdum calamitates significantur. Isai. 13. v. 10. *Quoniam stellæ cœli & splendor earum, non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.* Hoc in capite agitur de ingenti Babyloniorum per Medos vastatione. Vide etiam Ezech. 32. v. 7. Joel. 2. v. 10.

Isai. 14. v. 12. Rex Babylonis, cujus repentinus casus & ruina describitur, *lucifer* sive stella matutina, ob pristinum ejus splendorem appellatur. *Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, fili auroræ*, vel, ut Vulg. interpretatur, *qui mane oriebaris?*

Eodem nomine insignitur Christus, 2. Pet. 1. v. 19. *Donec illucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus nostris.*

Cœli autem luminarium duo sunt effectus præcipui; 1°. Lucem mundo præbere,

Gen. 1. vv. 15. 16. 17. 18. 2°. Tempora distinguere, ibidem v. 14. ex quibus etiam metaphoræ deducuntur, quas in duobus sequentibus articulis juvat exponere.

ARTICULUS VII.

De Metaphoris à luce & tenebris desumtis.

LUx in genere accipitur,

1°. Pro ipsa vita. Job. 3. v. 20. *Quare misero data est lux*, h. e. vita; sequitur enim: *& vita his, qui in amaritudine animæ sunt?* Unde phrases: *videre lucem*, c. 3. v. 16. *ambulare in luce viventium*, Psal. 55. Heb. 56. v. 14. quæ *vivere* significant. Conf. Psal. 12. Heb. 13. v. 14.

2°. Pro quavis prosperitate, & inde exorta mentis lætitia. Esth. 8. v. 16. לַיְּהוּדִים הָיְתָה אוֹרָה וְשִׂמְחָה וְשָׂשֹׂן וִיקָר *Judæis fuit lux, & lætitia, & gaudium, & honor.* Vulg. *Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* Hac synonymorum congerie, prosperitatis & lætitiæ Judæorum abundantia significatur. Vide etiam Psal. 111. Heb. 112. v. 4. Prov. 13. v. 9. Isai. 45. v. 7. cap. 58. v. 8. cap. 59. v. 9.

Psal. 96. Heb. 97. v. 11. *Lux orta est justo*, sequitur explicatio, & (id est) *rectis corde lætitia.* Heb. *Lux* זָרֻעַ *sata est justo*, &c. q. d. latet veluti semen terræ mandatum, sed suo tempore certo prodibit. Confer Isai. 61. v. 11.

3°. Pro aperto & manifesto rerum statu. Matth. 10. v. 27. *Quod dico vobis in tenebris*, (id est, in secreto) *dicite in lumine*, hoc est, in propatulo, in publico. Sequitur ibidem & alia de hac publicatione metaphora: *& quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Vide Soph. 3. v. 5. Joan. 3. v. 21. 1. Cor. 4. v. 5.

4°. Pro gratia & benevolentia. Prov. 16. v. 15. בְּאוֹר *in luce vultus regis vita est;* sequitur explicatio: *& benevolentia ejus est veluti nubes serotinæ pluviæ.* Vulg. eodem sensu: *in hilaritate vultus regis, vita* (est): *& clementia ejus, quasi imber serotinus.*

5°. Lux in specie, mysterium regenerationis, renovationis, & salutis nostræ sæpius significat; idque *vel* ratione causæ organicæ sive instrumentalis, quod est verbum Dei. Prov. 6. v. 23. *Mandatum* (Dei) *lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.* Vide etiam Psal. 42. Heb. 43. v. 3. Isai. 2. v. 5. cap. 5. v. 20. 2. Cor. 4. v. 6. Joan. 1. v. 8. Unde ob prædicationem cœlestis verbi, Apostoli dicuntur *lux mundi*, Matth. 5. v. 14. *Vel* ratione causæ formalis, quæ est salutaris Christi cognitio, & vera fides, quæ per dilectionem operatur, Act. 26. v. 17. *Mitto te* .... v. 18. *aperire oculos eorum* (infidelium), *ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ, ad Deum; ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem, quæ est in me.* Vide Ephes. 5. v. 8. 1. Petr. 2. v. 9. 1. Joan. 1. v. 7. Unde credentes *filii lucis* dicuntur, Luc. 16. v. 8. Ephes. 5. v. 8. 1. Thess. 5. v. 5. Et bona opera vocantur *arma lucis*, Rom. 13. v. 12. *Vel* denique ratione causæ finalis, & ultimi fidei effectus, nempe vitæ æternæ, quæ *lucis* voce sæpius exprimitur. Isai. 60. v. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem .... sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Vide v. 20. Joan. 8. v. 12. Act. 26. v. 23. 2. Tim. 1. v. 10. &c.

Idem dicendum de verbis quibusdam ad *lucem* pertinentibus, ut: Psal. 12. Heb. 13. v. 4. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, h. e. illumina oculos mentis meæ, *tum* lumine cœlestis sapientiæ, *tum* lumine vigilantiæ & circumspectionis, quo technas hostium effugere valeam. Alludit Psaltes ad externam dormitationem, quæ facile obrepit iis, qui vel in tenebris sedent, vel oculos claudunt. Cum vero lumen in oculos fulget, haud facile somnus nos occupat.

Psal. 18. Heb. 19. v. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, mentis scilicet, eique ostendens tum voluntatem Divinam,

tum propriam corruptionem; dansque præterea rerum agendarum prudentiam, &c.

Psal. 33. Heb. 34. v. 6. הַבִּיטוּ אֵלָיו וְנָהָרוּ וּפְנֵיהֶם אַל־יֶחְפָּרוּ *aspexerunt in eum* (Deum) *& illuminati sunt* (hoc est, exhilarati sunt), *& facies eorum non confundentur*, vel *non sunt confusæ.* Lxx. προσέλθετε πρὸς αὐτὸν καὶ φωτίσθητε, καὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν οὐ μὴ καταισχυνθῇ, Vulg. Lat. *accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Pro הַבִּיטוּ *aspexerunt*, videntur legisse הָבִיאוּ in imperat. hiph. verbi בּוֹא *venire*, quod in hac conjugatione ut neutrum acceperunt, quanvis in ea sit vulgo transitivum. Præterea pro נָהֲרוּ aut in pausa נָהָרוּ *illuminati sunt*, legerunt נַהֲרוּ, vel in pausa נְהָרוּ in imperativo, *illuminamini.* Denique pro פְּנֵיהֶם *facies eorum*, legerunt פְּנֵיכֶם *facies vestræ.* Vel legerunt quidem ut habet textus Hebræus hodiernus, sed cum verba præcedentia in secunda persona transtulissent, in eandem mutaverunt & pronomen illud tertiæ; quæ metathesis apud eos insolens non est. Ceterum primum verbum per imperativum interpretatus est etiam Aquila, ἀποβλέψατε, & S. Hieron. *aspicite*, &c.

Prov. 4. v. 18. *Semita justorum quasi lux splendens, vadens & illuminans usque ad paratam*, Vulg. *perfectam diem*, h. e. tota justorum vita illustris est; & ipsi gratia Dei, pace conscientiæ, & gaudio spiritus magis magisque donantur, donec ac beatissimæ æternitatis paratam perfectamque diem perveniant: Patet hæc explicatio ex antithesi cum versu seq. *Via improborum tenebrosa*, &c.

Eccle. 8. v. 1. *Sapientia hominis lucet in facie ejus*, vel, secundum Heb. *illuminat faciem ejus, & fortitudo faciei ejus* יְשֻׁנֶּא *duplicabitur.* Vulg. *& potentissimus faciem illius commutabit.* Pro יְשֻׁנֶּא in passiva voce, legebat יְשַׁנֶּא in activa. Lxx. alio sensu .... καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται, *& impudens facie sua odio habebitur*, legeb. יְשֻׂנָּא in puàl verbi שָׂנֵא *odio habuit.* Hujus versiculi secundum Heb. & Vulg. sensus est: Sapientia hominem ita illustrem, hilarem, & beatum reddit; ut vultus ejus serenitas magis magisque in dies augescat & confirmetur; adeoque *ad imaginem Dei transformetur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*, ut loquitur Apost. 2. Cor. 3. v. 18.

Isai. 60. v. 5. *Tunc videbis* וְנָהַרְתְּ *& splendebis*, id est, lætitia impleberis, ut explicant Chald. Qimhhi, &c. Vulg. *& afflues* deliciis, voluptatibus, &c. Verbum נָהַר & *splendere* & *affluere* significat.

Luci opponuntur,

I. UMBRA, qua significatur præsidium contra omnis generis adversa, sicuti umbra contra solis æstum tuetur. Isai. c. 30. v. 2.... *sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Vers. 3. *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Vide etiam Thren. 4. v. 20. &c.

Alia ratione ceremoniæ & typi Vet. Test. dicuntur *umbræ*; eaque metaphora desumitur à pictoribus, qui σκιὰν & umbratilem quandam delineationem præmittunt; & postmodum vivis quasi coloribus imaginem absolvunt, umbra illa & delineatione prima evanescente. Ita se habuerunt omnia veteris Legis sacrificia & ceremoniæ, quæ Christum eminus figurabant; quæque, eo adventante, cessarunt. Vide Coloss. 2. v. 17. Heb. 10. v. 1.

II. TENEBRÆ & CALIGO, quæ cum rerum omnium pulchritudinem & nitorem occultent, distinctionemque, separationem, & definitionem confundant ac perturbent; nonnisi mali notionem & significationem in Scripturis sanctis offerunt. His itaque significatur,

1°. Mors simpliciter. Job. 10. v. 21. *Antequam vadam, & non revertar, ad terram caliginis*, &c. i. mortis, seu antequam moriar. Vide vers. 22.

Psal. 87. Heb. 88. v. 13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?* id est, in morte. Confer vv. 11. 12.

2°. Quævis mala, & exinde orta mœstitia, luctus, mœror, &c. Job. 15. v. 22. *Non credit* (impius), *quod reverti possit de tenebris ad lucem*, h. e. de adversa fortuna ad prosperam. Voces *ad lucem* in Heb. & Lxx. desiderantur; easque, ut videtur, sensus

complendi gratia addidit Vulg. Vide insuper c. 5. v. 14. c. 17. v. 12. c. 18. vv. 5. 6. Psal. 43. Heb. 44. v. 20. Psal. 87. Heb. 88. v. 13. Psal. 142. Heb. 143. v. 3. Isai. 5. v. 30. cap. 47. v. 5. c. 50. v. 10. c. 59. v. 9. Jerem. 8. v. 21. cap. 13. v. 16. Thren. 3. vv. 2. 6. Ezech. 32. vv. 7. 8. Joel. 2. v. 2. c. 3. v. 4. Amos. 5. v. 18. Mich. 7. v. 8. Nah. 1. v. 8. Soph. 1. v. 15. &c.

3°. Occultum, secretum, incognitum. Job. 12. v. 22. *Qui revelat profunda de tenebris*, h. e. de occultis. Vide Isai. 45. v. 19. Eccle. 6. v. 4. Matth. 10. v. 27. &c. Confer Joan. 3. vv. 20. 21. Ephes. 5. vv. 11. 12. 13.

4°. Errores, mendacia, & perversitates doctrinæ. Isai. 5. v. 20. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras*, &c. i. quibus error pro veritate, & veritas pro errore habetur. Vide c. 9. v. 2. c. 60. vv. 2. 3. Joan. 12. v. 35. Rom. 1. vv. 21. 22.

5°. Infidelitas & peccatorum studium, quæ ex erroribus, &c. oriuntur. Psal. 81. Heb. 82. v. 5. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris* (infidelitatis, vel peccatorum) *ambulant*, &c. Vide etiam Prov. 2. v. 13. Joan. 1. v. 5. c. 3. v. 19. Act. 26. v. 18. Rom. 13. v. 12. 2. Cor. 6. v. 14. Ephes. 4. vv. 17. 18. 19. cap. 5. vv. 8. 11. 1. Joan. 1. v. 6. c. 2. vv. 9. 11.

6°. Denique mors æterna sive damnatio. Matth. 8. v. 12. *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Hæc tenebrarum exteriorum metaphora desumitur ex aula, in qua veteres vespere convivia agitare solebant, quamque multis facibus accensis illuminabant. Quare, qui ex ea ejiciebantur, in tenebras exteriores projici dicebantur. Vide etiam c. 22. v. 13. 2. Petr. 2. v. 4. Jud. 5. v. 6. Hinc Diabolus, cum sit omnium horumce malorum auctor, vocatur *potestas tenebrarum*, Luc. 22. v. 53. Ephes. 6. v. 12. Coloss. 1. v. 3.

ARTICULUS VIII.

De Metaphoris à tempore desumtis.

ALTER luminarium cœli effectus est temporis discretio. Ab his autem differentiis metaphoræ aliquot desumuntur.

DIES accipitur,

1°. Pro tempore opportuno. 1. Reg. 25. v. 8. *Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis; in die enim bona venimus*, &c. id est, *εὐκαίρως*, *commode*. Vide Joan. 9. v. 4. & confer Luc. 13. vv. 31. 33. Joan. 11. vv. 9. 10. cap. 12. v. 35. Rom. 13. vv. 11. 12. 13. 2. Cor. 6. v. 2.

2°. Pro cognitione Dei, & tempore gratiæ. Rom. 13. v. 12. *Nox præcessit* (i. infidelitas, peccatum, &c.) *dies autem appropinquavit*, h. e. fides & gratia. Vide etiam 1. Thess. 5. v. 5.

2. Petr. 1. v. 19. *Donec illucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus vestris*, h. e. donec Christus mentes vestras plenissima luce collustret.

Partes diei præcipuæ sunt, *tempus matutinum, meridianum*, & *vespertinum*.

MATUTINO TEMPORE innuitur diligentia, sedulitas, cura, & solicitudo; quæ enim nobis curæ sunt, ea diluculo surgentes peragimus. Job. 8. v. 5. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus*, &c. h. e. si enixe Deum deprecatus fueris, &c. Vide Psal. 5. v. 4. Psal. 91. Heb. 92. v. 3. Psal. 100. Heb. 101. v. 8. Prov. 8. v. 17. 2. Paral. 36. v. 15. Jerem. 35. v. 14. Soph. 3. vv. 5. 7. Matutini temporis adjunctum & signum est

AURORA, qua significatur,

1°. Subitaneus rei cujuslibet ortus; sol enim in aurora primum oriens, radiorum quasi primitias puncto temporis emittit. Isai. 47. v. 11. *Et veniet super te malum, & nescies auroram ejus*, Vulg. *ortum ejus*, i. adventum ejus repentinum non cognosces: quæ explicatio verbis sequentibus confirmatur: *& veniet super te repente miseria, quam nescies.* Vide Ose. 10. v. 5.

2°. Divina gratia, ob exortæ lucis pulchritudinem & suavitatem. Psal. 109. Heb. 110. v. 3.

v. 3. עַמְּךָ נְדָבֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ *populus tuus* (erit) *voluntates*, seu *spontaneitates*, (i. sponte, voluntarie aderit tibi) *in die virtutis tuæ*, vel *exercitus tui* (quando exercitum educes adversus hostes tuos, vel in die triumphi tui), *in splendoribus sanctitatis*, vel *sanctuarii*, (h. e. splendide apparatus), *ex utero auroræ* (i. Divinæ gratiæ, erit) *tibi ros juventutis tuæ*, i. nascetur tibi juventus, sive populus instar roris guttarum innumerabilis; quo Christi Ecclesia per omnes orbis partes diffusa intelligitur. Lxx. μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου, ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε, Vulg. Lat. *Tecum principium* (i. principatus, non initium) *in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Pro עַמְּךָ *populus tuus*, legebant עִמְּךָ *tecum*; & pro מִשְׁחָר *aurora*, מִשְּׁחַר *ab aurora*, vel *ante auroram*, sive *luciferum*; nam præpositio מ significat etiam *ante*. Vide tom. I. pag. 600. col. 1. Denique pro יַלְדֻתֶךָ *juventutis tuæ*, legebant יְלִדְתִּיךָ *genui te*, & duas voces לְךָ טַל *tibi ros* omiserunt; vel ex librariorum oscitantia ex eorum codicibus exciderant.

Cum versus ille sit difficillimus, non abs re fuerit, qua ratione ceteri interpretes Græci maximam ejus partem transtulerint, ostendere; neque enim omnium ejus vocum interpretationes expiscari hactenus eruditis licuit.... בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ Aq. ἐν διαπρεπείαις ἡγιασμέναις, *in decoribus sanctificatis.* Sym. ἐν ὄρεσιν ἁγίοις, *in montibus sanctis*, pro בְּהַדְרֵי legebat בְּהַרְרֵי. Idem in alia versione, seu in eadem, sed recognita, ἐν δόξῃ ἁγίων, *in gloria sanctorum.* Theod. & V[a]. edit. ἐν εὐπρεπείᾳ ἁγίου, *in decore sancti*, vel *sanctuarii.* מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ, Aq. ἀπὸ μήτρας ἐξωρθρισμένης σοι δρόσος παιδιότητός μου, *à vulva matutina tibi ros puerilitatis meæ.* Symm. ὡς κατ' ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης μου, *quasi in diluculo tibi ros juventus mea.* Theod. ἐκ μήτρας ἀπὸ πρωῒ νεότητός μου, *de vulva, à matutino juventutis meæ.* Tres illi interpretes pro יַלְדֻתֶךָ *juventutis tuæ*, legebant יַלְדֻתִי *juventutis meæ.* Vel potius librariorum oscitantia in eorum versiones irrepsit μου pro σου. V[a]. edit. ἐκ μήτρας, ἀπὸ ὄρθρου σοι δρόσος ἐν νεότητί σου, *de vulva, à matutino tibi ros in juventute tua.* VI[a]. edit. ἐκ γαστρὸς ζητήσουσί σε, δρόσος νεανιότητός σου, *ex utero quærent te, ros juventutis tuæ.* Versionis hujus auctor pro מִשְׁחָר *aurora*, legebat מְשֻׁחָר *quæsitus* (eris), quod idem est ac *quærent te.* S. Hieron. hunc versum integrum sic reddidit: *Populi tui spontanei in die fortitudinis tuæ, in montibus sanctis, quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ.* Pro בְּהַדְרֵי *in splendoribus*, legebat cum Symm. בְּהַרְרֵי *in montibus.* Missis aliis interpretationibus, quas apud commentarios videsis, & neglecta metaphora, is potest esse hujus versiculi secundum Hebræum sensus: *Populus tuus spontaneus* (aderit tibi) *in die exercitus tui* (adversus hostes tuos congregandi) *in splendoribus sanctuarii*, vel *præparationis*, (h. e. splendide apparatus, armis splendidis instructus; קָדַשׁ enim significat etiam præparari, & speciatim ad bellum) *ex utero auroræ* (i. summo mane aderit) *tibi ros juventutis tuæ*, h. e. juventus tua, seu juvenes & electi tui convenient te innumerabiles, quasi guttæ roris. Ita loquitur Deus Pater ad Filium suum Messiam, cui victoriam de hostibus suis promittit. Secundum vero Lxx. planus est sensus de æterna Christi generatione, interprete Apostolo ad Heb. 1. v. 5.

Isai. 8. v. 20. לְתוֹרָה וְלִתְעוּדָה אִם־לֹא יֹאמְרוּ כַּדָּבָר הַזֶּה אֲשֶׁר אֵין־לוֹ שָׁחַר *ad legem & testimonium* (recurrendum, non ad Pythones & Divinos); *si non dixerint* (faciendum) *secundum verbum hoc; non erit illi* (h. e. unicuique illorum) *aurora*, i. gratia, &, quod ex ea sequitur, solatium. In hac expositione negligitur vox אֲשֶׁר, quam etiam omisit Vulg. nec male; interdum enim abundat; ut 2. Reg. 1. v. 4. Zach. 8. vv. 9. 17. 20. &c. Alii hunc locum sic explicant: *Ad legem magis & ad testimonium* (recurrendum, quam ad Pythones); *sin minus* (i. si aliter sentiant improbi, & ad Pythones recurrendum contendant); *loquantur*, h. e. agant (concessio irronica cum indignatione conjuncta) *secundum verbum hoc* (Pythonum), *cui non est aurora*, i. solatium; sed calamitas, miseria, &c. ut sequitur vv. 21. & 22. Alias subobscuri

hujus versiculi expositiones vide apud interpretes.

MERIDIES accipitur,

1°. Pro rebus evidentissimis. Deut. 28. v. 28. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, & furore mentis.* Vers. 29. *Et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Vide etiam Job. 5. v. 14.

2°. Pro felicitate. Job. 11. v. 17. וּמִצָּהֳרַיִם יָקוּם חָלֶד תָּעֻפָה כַּבֹּקֶר תִּהְיֶה *& præ meridie surget tempus* (h. e. maxima felicitate major adhuc tibi continget) *splendebis, sicut mane eris*, h. e. illustrissima gloria fulgebis. Vulg. eundem sensum reddidit, sed παραφραστικῶς: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cum te consumtum putaveris, orieris ut lucifer.* תָּעֻפָה ut nomen accepit, & interpretatus est *ad vesperam*, quæ est etiam significatio verbi עוּף *splendere*, & per antiphrasin *obtenebrescere.* Confer Psal. 36. Heb. 37. v. 6.

VESPERA matutino tempori opponitur, cum de vicissitudine calamitatum & consolationum agitur. Psal. 29. Heb. 30. v. 6. *Ad vesperam demorabitur* vel *demoratur fletus, & ad matutinum lætitia*, h. e. in calamitatibus & miseriis fletus est; sed statim succedit prosperitas, quæ affert lætitiam. Quanvis in hoc versiculo metaphoram agnoscere necesse non sit, cum præcedat: *momentum in ira ejus* (Dei), *vespere pernoctabit fletus, sed mane lætitia* revertetur.

Isai. 24. v. 11. *Clamor erit super vino in plateis*, עָרְבָה כָּל־שִׂמְחָה *obscurata est omnis lætitia.* Vulg. *deserta est.* Pro עָרְבָה videtur legisse חָרְבָה; aut ע in ח commutandum existimavit. Vel, quod verosimilius est, עָרַב olim etiam significabat *deseri*, ut liquet ex nomine derivato עֲרָבָה *desertum, solitudo.*

NOX, quæ diei opponitur, eodem fere modo accipitur, quo tenebræ; significatque,

1°. Calamitates, miserias, &c. Job. 17. v. 12. לַיְלָה לְיוֹם יָשִׂימוּ אוֹר קָרוֹב מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ *noctem pro die posuerunt* (mihi focii mei, vel cogitationes meæ; h. e. fecerunt ut dies, qua mihi quietem & à malis relaxationem pollicebar, verteretur in noctem, h. e. ut calamitas pro felicitate mihi contingeret; quod in sequenti hemistichio aliis & inversis verbis repetitur) *lucem propinquam à facie tenebrarum*, repete ex præcedenti hemistichio, *posuerunt*, h. e. fecerunt ut lux propinqua seu vicina esset tenebris, i. ut lucem statim sequerentur tenebræ; atque ita calamitas calamitati continuo succederet. Alii: cogitationes meæ noctem verterunt in diem, & diem in noctem, sive tenebras, h. e. diu noctuque vexarunt me. Alii: noctem mihi posuerunt vel subrogarunt in locum diei; q. d. sperabam lucem, & successit nox: & lucem propinquam posuerunt ante tenebras, h. e. exspectabam diluculum sive auroram, & adfuerunt tenebræ. Conf. cap. 30. v. 26. in quo sensus naturalis & metaphoricus conjunguntur: *Exspectabam bona, & venerunt mihi mala, præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.* Vulg. in exponendo hoc, de quo agitur, Jobi versiculo, nonnulla paraphrasi utitur: *Noctem verterunt in diem: & rursum post tenebras spero lucem.* Theodotio versum illum in duos tributum sic ad verbum interpretatur:

> Νύκτα εἰς ἡμέραν ἔθηκαν,
> φῶς ἐγγὺς ἀπὸ προσώπου σκότους.
> *Noctem in diem posuerunt,*
> *Lucem prope à facie tenebrarum.*

Hunc versum ex Theodotione in LXX. interpretationem ab Origene sub asterisco translatum monet codex Colbertinus num. 1952. in cujus margine legitur: ἐκ Θ οἱ β, i. *hi duo versiculi ex Theodotione.* Pro ἔθηκαν, ut habet msf. Alexand. vitiose in LXX. Varic. est ἔθηκα. Non solus autem is versus ex Theodotionis versione in LXX. translatus est, verum etiam alii quamplurimi, qui in hac editione Græca desiderabantur, cum ex hoc interprete, tum etiam ex aliis, sed rarius, ab Origene adjecti sunt, ut ipse testatur in sua ad Africanum epistola, ubi ait πολλάκις μὲν ἔπη τέσσαρα ἢ τρία, ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ δεκατέσσαρα, καὶ δεκαεννέα καὶ ἑξ, *sæpe quatuor vel tria, interdum vero quatuordecim, novemdecim, & sexdecim* commata sive versiculos in Jobi LXX. interpretum translatione deesse. Vide hanc epistolam. S. Hieron. præfat. in Jobum, tom. I. nov. edit. col. 795. versus illos in Itala

veteri, proindeque in Græca Lxx. versione deficientes septingentos ferme aut octingentos numerat. Hic autem versuum nomine S. Doctor intelligit versiculos, quales in editione mox laudata Martianæus noster edidit; & quales sunt duo Theodotionis versiculi supra descripti: non vero quales eos exhibent Vulgata Biblia versibus distincta. Hi autem plerique omnes versiculi ab Origene in Græcam Lxx. interpretationem ex Theodotione præsertim translati, in editione Vaticana leguntur; quod argumento est versionem illam, maxime in hoc Jobi libro, purum putumque non esse Lxx. interpretum opus, uti opinati sunt viri quidam alias eruditissimi. Vide etiam præfat. tom. I. pag. xix.

Hactenus de cœlo, & iis, quæ ad illud pertinent. Sequuntur vulgaria quatuor elementa, nempe *ignis*, *aër*, *terra*, & *aqua*, ex quibus, uti ex rebus, quæ vel in iis continentur, vel quæ ipsis analogæ sunt, metaphoræ ducuntur.

ARTICULUS IX.

De Metaphoris ab igne, &c. desumtis.

IGNIS ob claritatem, puritatem, splendorem, & alia ejus attributa transfertur,

1°. Ad angelos. Psal. 103. Heb. 104. v. 4. *Qui* (Deus) *facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.* Aq. πῦρ λάβρον, *ignem voracem.* Symm. πνεῖν φλόγα, *flammam igneam*, h. e. ut Hebræi exponunt, qui flatibus, sive ventis, & fulmine igneque cœlesti utitur tanquam ministris, ut in subversione Sodomæ, &c. Interp. Lat. per secundum personam reddidit: *Qui facis angelos tuos*, &c. Lxx. vero & Apost. Heb. 1. v. 7. Hebræum sequuntur. Ab igne dicuntur quoque angeli שְׂרָפִים *Seraphim*, Isai. 6. vv. 2. 6. hoc est, *flammantes* & *ignei*, à שָׂרַף *incendit.*

2°. Ad Verbum Evangelicum. Luc. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram*, &c. i. verbum Evangelii, ut interpretatur Theophylactus, quod mentes illuminat, & corda accendit, &c. Luc. 24. v. 32. (unde Spiritus Sanctus in ignis symbolo apparet, Act. 2. v. 3.) incredulos consumit, perdit, judicat, & condemnat. Vide Jerem. 5. v. 14. cap. 23. v. 29. Joan. 12. v. 48.

3°. Ad ea, quæ perditionem, noxam, damnum, &c. inferunt. Sic Deo justo judici, & hostium suorum ultori tribuitur, Psal. 49. Heb. 50. v. 3. *Ignis in conspectu ejus exardescet*, &c. Vide etiam Psal. 96. Heb. 97. v. 3. Isai. 26. v. 11. cap. 29. v. 6. c. 30. v. 33. c. 66. vv. 15. 16. 24. 2. Thess. 1. vv. 7. 8.

Huc referendum, cum ignis nomine hostes irrumpentes & bella desolantia intelliguntur. Isai. 42. v. 25. *Et effudit* (Deus) *super eum* (Israëlem) *indignationem furoris sui, & forte bellum; & combussit* (bellum istud; verbum enim femininum est sicut מִלְחָמָה) *eum in circuitu, & non cognovit: & succendit eum, & non intellexit.* Vide Psal. 77. Heb. 78. v. 63. Jerem. 48. v. 45. c. 50. v. 32. Ezech. 21. v. 32. cap. 30. v. 8. (ubi Chald. pro igne, interpretatur, *populos fortes sicut ignis*) Amos. 1. vv. 4. 7. 10. 12. 14. c. 2. vv. 2. 5.

Ignis tribuitur etiam aliis, quæ terrorem, incommoda, necemque inferunt. Abd. v. 18. *Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esaü stipula*, &c. Vide Jac. 3. vv. 5. 6. Jud. v. 23. &c.

Phrasis, *laborare pro igne*, Jerem. 51. v. 58. est frustra omnino laborare, oleum & operam perdere.

4°. Denique ad quævis adversa, calamitates, & afflictiones ignis transfertur. Psal. 65. Heb. 66. v. 12. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, id est, varias calamitates experti sumus, quibus nos liberasti. Vide etiam Psal. 139. Heb. 140. v. 11. Isai. 9. vv. 18. 19. c. 10. v. 16. c. 24. v. 6. c. 43. v. 2. Thren. 1. v. 13. c. 4. v. 11. Hac autem metaphora ad vim ignis purgatoriam quandoque respicitur; calamitatibus enim credentes, ut aurum per ignem, Deus sæpe

probat & emundat. Vide Zach. 13. v. 9. 1. Petr. 4. v. 12. Confer Psal. 16. Heb. 17. v. 3. Psal. 65. Heb. 66. v. 10. 1. Pet. 1. vv. 6. 7.

Ad elementum ignis pertinent & alia ipsi analoga, eaque sunt vel *nomina*, vel *verba*.

I. *Nomina.*

FLAMMA, quæ laminam politam ac fulgentem significat. Gen. 3. v. 24. *Ejecitque* (Dominus) *Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammam gladii versatilem*, &c. i. laminam gladii versatilem. Vulg. *flammeum gladium atque versatilem.*

Isai. 13. v. 8. Babyloniis tribuuntur *facies flammarum*, Vulg. *combustæ*, i. rubore maximo suffusæ ob cruciatus & dolores, quorum descriptio præcedit.

Ibid. c. 47. v. 14. *flamma* gravissimas pœnas à Deo inflictas significat. *Non liberabunt* (augures) *animam suam de manu flammæ*, i. de pœnarum violentia, quas sustinebunt. Flammam ibi metaphorice non proprie accipi, probare videntur sequentia: *non sunt prunæ, quibus calefiant; nec focus, ut sedeant ad eum.*

Jud. 3. v. 22. *Tam valide* (sicam in ventrem Eglonis infixit Aod) *ut capulus sequeretur flammam*, h. e. laminam, sive *ferrum*, ut interpretatur Vulg.

1. Reg. 17. v. 7. *Hastile autem hastæ ejus* (Goliath) *erat quasi liciatorium texentium, ipsa autem flamma*, (i. lamina) *hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri.* Vide Job. 39. v. 23.

LUCERNA, CANDELA, LAMPAS, quibus significatur,

1°. In genere, prosperitas & felix in rebus successus. Job. 29. v. 3. *Quando splendebat lucerna ejus* (Dei) *super caput meum, & ad lucem ejus ambulabam in tenebris*, h. e. quando in prosperitate agebam, cum res ex sententia mea succedebant, & singulari Dei benevolentia à calamitatibus, quæ hîc per tenebras designantur, immunis eram, &c. Vide Psal. 17. Heb. 18. v. 29. Hinc *lucernæ exstinctio*, ingruentium calamitatum nota est, Job. 21. v. 17. *Quoties lucerna impiorum exstinguetur*, sequitur explicatio: *& superveniet eis inundatio* (h. e. miseriarum caterva), *& dolores dividet* (Deus) *furoris sui?* Vide ibid. c. 13. v. 9. c. 20. v. 20.

2°. In specie, regni felicitas. 2. Reg. 21. v. 17. *Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne exstinguas lucernam Israël*, h. e. ne te interfecto, regnum pereat, & tota Israëlis tranquillitas.

Eadem metaphora regni Davidis in ejus posteritate conservatio quandoque innuitur. 3. Reg. 11. v. 36. *Filio autem ejus* (Davidis) *dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo, cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate*, &c. Vide c. 15. v. 4. 4. Reg. 8. v. 19. 2. Paral. 21. v. 7. Psal. 131. Heb. 132. v. 17. quo postremo in loco ad Christum filium Davidis secundum carnem respicitur.

3°. Vox *lucerna* ad verbum Dei eleganter transfertur. Vide supra pag. 100. col. 2. Joan. 5. v. 35. Joannes Baptista vocatur *lucerna ardens & lucens*, quia *non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*, nempe Christo, qui *erat lux vera*, &c. Joan. 1. vv. 8. 9. Joannes itaque Christum præcessit, ut lucerna solem aut diem. Quemadmodum autem lucente, vel sole exorto, lampas exstinguitur; ita Joannes, Christo hominibus manifestato, occiditur.

4°. Lucerna, vigilantiæ & pietatis studium denotatur. Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

CARBONES IGNITI, sive PRUNÆ, quibus significantur,

1°. Graves pœnæ à Deo inflictæ. Psal. 139. Heb. 140. v. 11. *Cadent super eos* (peccatores) *carbones, in ignem dejicies* (Heb. *dejiciet*) *eos*; sequitur explicatio; בְּמַהֲמֹרוֹת בַּל־יָקוּמוּ *in foveis non subsistent.* Lxx. ἐν ταλαιπωρίαις οὐ μὴ ὑποστῶσιν, Vulg. Lat. *in miseriis non subsistent*, optime; nam *foveæ* eo loci, nihil aliud significant quam *miserias.* Vetus interpres Græcus vocem Hebraicam בְּמַהֲמֹרוֹת reddidit ἐσπευσμένως *festinanter*; alius, μετὰ πολλοῦ τοῦ τάχους, *cum multa festinatione.* Eam deducebant à verbo מִהֵר, in piël *festinavit.* Præterea Lxx. Aq. Theod. V^a. & VI^a. editt. necnon S. Hier. יַפִּילֵם in secunda persona interpretantur; Lxx. quidem, Theod. V^a. & VI^a. editt. καταβαλεῖς

αὐτοὺς, S. Hieron. & Vulg. Lat. *dejicies eos;* Aq. vero πτωματίσῃς αὐτοὺς, *cadere facias eos.* Pro יַפִּילֵם *dejiciet eos*, Deus; legerunt תַּפִּילֵם *dejicies eos*, ô Deus. Vel tertiam personam in secundam mutarunt, quod hac enallage sensum commodiorem effici crediderunt. Præterea Lxx. Vatic. adhibita alia interpunctione, & vocibus aliquot additis, hunc versum sic transtulerunt: πεσοῦνται ἐπ' αὐτοὺς ἄνθρακες πυρὸς ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καταβαλεῖς αὐτοὺς ἐν ταλαιπωρίαις, οὐ μὴ ὑποστῶσιν, *cadent super eos carbones ignis in terra*, vel *super terram;* & *dejicies eos in miseriis*, vel *in miserias, non subsistent.* Theod.... καταβαλεῖς αὐτοὺς εἰς βοθύνους, οὐ μὴ ὑποστῶσιν.... *dejicies eos in foveas, non subsistent.* Mſ. Alexand. Ald. & Complut. Hebræo propius: πεσοῦνται ἐπ' αὐτοὺς ἄνθρακες, ἐν πυρὶ καταβαλεῖς αὐτοὺς, ἐν ταλαιπωρίαις οὐ μὴ ὑποστῶσιν, Vulg. Lat. *cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.* S. Hieron. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in foveas, ut non consurgant.*

2°. Fulgura. Psal. 17. Heb. 18. v. 9. *Carbones succensi sunt ab eo*, i. fulgura.

3°. Fulgetra. Psal. 77. Heb. 78. v. 48. *Tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum* לָרְשָׁפִים *prunis*, seu *scintillis*, i. fulgetris. Alii tamen hîc ignem mistum cum grandine intelligunt, conferuntque Exod. 9. v. 24. Heb. *Et erat grando & ignis interceptus in medio grandinis.* Vulg. eleganter, & *grando & ignis mista pariter ferebantur.*

4°. Sagittæ, quæ instar ignis penetrant. Psal. 75. Heb. 76. v. 4. *Ibi confregit* רִשְׁפֵי־קָשֶׁת *prunas*, sive *scintillas arcus*, i. sagittas, sive *potentias*, ut interpretantur Lxx. & Vulg. Lat. Alii *scintillas arcus* hypallagen esse volunt, pro, *arcum scintillarum*, i. præ nitore scintillantem.

5°. Pestis, ut quibusdam placet, seu morbus instar carbonis igniti ardens & urens. Deut. 32. v. 24. *Consumti* (erunt) *fame, & exesi* רֶשֶׁף *carbone*, sive *peste*, quæ sæpius cum fame conjungitur. Vulg. *consumentur fame, & devorabunt eos aves*, &c. Vox Hebræa רֶשֶׁף *avem* etiam significat, ut monuimus supra pag. 109. col. 1. Sic etiam interpretantur Lxx. τηκόμενοι λιμῷ καὶ βρώσει ὀρνέων, *consumti* (erunt) *fame & esu avium.* Sic & Chald. Paraphrastes, qui רֶשֶׁף transtulit עוֹף *avem.*

Habac. 3. v. 5. *Et egredietur* רֶשֶׁף *ante pedes ejus*, Aq. teste Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 1624. *volatile*, Symm. Theod. & V[a]. edit. *volucris.* S. Hieron. *Diabolus.* Vide S. Doctoris comment. ubi ait רֶשֶׁף Hebræis vocari Diabolum, qui principatum teneat inter alios. Metaphorice autem eo loci est *pestis*, vel quodlibet exitium.

6°. Filius unicus. 2. Reg. 14. v. 7. *Quærunt exstinguere* אֶת־גַּחַלְתִּי *prunam meam*, vel, ut Vulg. *scintillam meam, quæ relicta est*, &c. h. e. filium meum superstitem. Sicut enim prunæ reconduntur in cinere, ut sint semen ignis: ita unicus ille filius poterat propagare ejus familiæ posteritatem, ne exstingueretur; unde sequitur: *ut non sit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.*

7°. Beneficentia hosti præstita. Prov. 25. v. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.... prunas enim congregabis super caput ejus*, h. e. ita eum afficies, movebis, & ures, ut eadem celeritate odium in te conceptum deponat, qua prunas in caput ejus congestas excuteret. Vide etiam Rom. 12. v. 20.

8°. Amor ferventissimus. Cant. 8. v. 6. *Prunæ ejus* (amoris) *prunæ ignis, flammæ vehementissimæ.* Vulg. *Lampades ejus, lampades ignis*, quæ interpretatio desumta est ex versione Græca, quæ videtur esse Aquilæ; λαμπάδες αὐτῆς (ἀγάπης) λαμπάδες πυρός. Lxx. περίπτερα αὐτῆς, περίπτερα πυρὸς, *alæ ejus, alæ ignis.* Vox רֶשֶׁף, ut diximus supra pag. 109. col. 1. significat quidquid *volat.* Sym. αἱ ὁρμαὶ αὐτῆς, ὁρμαὶ πύρινοι, *impetus ejus, impetus ignei*, metaphoræ sensum, non metaphoram ipsam expressit. VI[a]. edit. ἀνθρακες αὐτῆς, ἄνθρακες πυρὸς, *scintillæ ejus, scintillæ ignis.* His omnibus interpretationibus ardor amoris mutui sponsi & sponsæ, id est, Christi & Ecclesiæ, denotatur.

TITIO, TORRIS, quo significatur,

1°. Contemtus, ob ignis lucisque privationem. Isai. 7. v. 4. *Noli timere* (Achaz)

& cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum, Rasin scilicet regis Syriæ, & Phacee regis Israël, qui non modo titiones vocantur, sed *caudæ titionum*, h. e. titiones ad caudas & extremitates usque absumti, quique nonnisi fumum cito desiturum emittunt. Aliam hujus metaphoræ rationem historicam affert S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 67. *Nimirum, quod in illis finitum sit regnum Syriæ, id est, Damasci; & regnum Samariæ, id est decem tribuum, quæ alio nomine appellabantur Ephraim.* Vide hanc historiam 4. Reg. 15. v. 29. c. 16. vv. 7. 8. 9. c. 17. v. 5. & seqq.

2°. Divina liberatio ex malis, quasi ex igne. Zach. 3. v. 2. *Nunquid non iste* (Jesus magnus Sacerdos) *torris est erutus de igne*, h. e. de captivitate Babylonica, ex qua, veluti ex incendio, semiustus exivit. Confer Amos. 4. v. 11. epist. Jud. v. 23. &c.

Job. 12. v. 5. Justus dicitur *lampas contemta apud cogitationes divitum*, quod à Chald. redditur *titio contemtus.* Confer Isai. 42. v. 3. ubi Christus *linum*, sive *ellychnium fumigans* non exstincturus dicitur, quia *pauperes, qui sunt quasi linum obscurum non exstinguet*, Chald. hoc est, pauperes, infirmos, peccatores, &c. recipiet, consolabitur, & salvabit.

FUMUS excrementum ignis, & ejus argumentum, metaphorice pro pœnis à Deo inflictis; & calamitatibus accipitur; quia celeriter invadit, penetrat omnia, &c. Isai. 14. v. 31. *Prostrata est Philisthæa omnis; ab Aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiet agmen ejus.* S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 116. per fumum illum intelligit Sennacherib regem Assyriorum, qui regnante Ezechia venit, & inter ceteras nationes, vastavit Philisthæos; confertque Jerem. 47. v. 1. Aliis est Ozias, qui cum exercitu suo Philisthæos oppugnavit, ut 2. Paral. 26. vv. 6. 7. narratur. Ignis iræ Dei accensus, fumos hujusmodi excitat & impellit. Confer Psal. 36. Heb. 37. v. 20. Isai. 34. v. 10. Joel. 3. v. 3. Act. 2. v. 19. &c. quibus in locis fumus est iræ Dei, pœnarumque ab eo inflictarum symbolum.

II. *Verba.*

Ex Verbis huc pertinent ista duo:

I. INCALESCERE, quod accipitur,

1°. Pro ira in genere corripi; ea siquidem instar ignis cor inflammat. Deut. 19. v. 6. *Ne forte proximus ejus, cujus effusus est sanguis*, כִּי יֵחַם לְבָבוֹ *eo quod*, vel *cum incaluerit cor ejus*, *persequatur* homicidam, &c. Vide etiam Psal. 38. Heb. 39. v. 4. Psal. 56. Heb. 57. v. 5. Sic πυροῦσθαι *ardere* accipitur 2. Macch. 4. v. 38. cap. 10. v. 35. c. 14. v. 45. Unde & *ira* Hebræis dicitur חֵמָה, quæ vox *ardorem* significat.

2°. Pro ira ex zelo Divino profecta inflammari, ut & πυροῦσθαι usurpatur, 2. Cor. 11. v. 29. *Quis scandalizatur*, καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι, *& ego non uror?*

3°. Pro pravo libidinis affectu. 1. Cor. 7. v. 9. *Præstat enim nubere, quam uri*, id est, *ardere concupiscentia*, ut vertit Syrus.

4°. Pro idololatria, quæ spiritualis fornicatio est. Isai. 57. v. 5. הַנֵּחָמִים *incalescentes*, Pagninus, *coeuntes cum Diis subter omne lignum frondosum*, &c. Qua metaphora propensissimus Judæorum ad idololatriam animus significatur; quod similis esset ardori libidinis, quo adultera in adulterum incalescit. LXX. οἱ παρακαλοῦντες εἴδωλα ὑπὸ δένδρα δασέα, *qui consolamini idola sub arboribus frondosis.* Vulg. *qui consolamini in Diis subter omne lignum frondosum.* Vocem Hebraicam הַנֵּחָמִים referebant ad verbum נִחַם *solatus est*, non ad יָחַם *incaluit.* Vide tom. I. pag. 220. col. 2.

Ephes. 6. v. 16. Tela Diaboli πεπυρωμένα *ignita* dicuntur, quibus tentationes, tum internæ, tum externæ, &c. significantur.

2. Tim. 1. v. 6. Monetur Timotheus ἀναζωπυρεῖν, *ut resuscitet gratiam*, quæ ipsi collata erat per impositionem manuum Apostoli; h. e. ut curet ne exstinguatur, sed ut magis magisque flammam concipiat charitatis; gratia enim Divina, viva quædam flamma est in cordibus nostris accensa, quam caro & Diabolus exstinguere nituntur. Quod si id contigerit, tunc *refrigescit charitas*, Matth. 24. v. 12.

Huc pertinet ejusdem Apostoli monitum,

1. Theſſ. 5. v. 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum* (Sanctum) *nolite exſtinguere.*

II. CONFLARE (צָרַף), quod proprie *metallum igne conflare, urere, excoquere, à ſcoria repurgare & probare* ſignificat. Eleganti autem metaphora ad piorum per cruces purificationem & probationem transfertur; unde ſimilitudo excoctionis metalli quandoque additur.

Pſal. 65. Heb. 66. v. 10. *Quoniam probaſti nos, Deus,* צְרַפְתָּנוּ כִּצְרָף־כָּסֶף *conflaſti nos, ſicut conflatur argentum.* Vulg. Lat. *igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* Vide etiam Pſal. 104. Heb. 105. v. 19. Iſai. 1. v. 25. Jerem. 9. v. 7. Dan. 11. v. 35. Zach. 13. v. 9. Hinc כּוּר *catinus* ſive *fornax*, pro afflictionibus accipitur. Deut. 4. v. 20. *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de catino,* Vulg. *fornace ferrea Ægypti.* Vide inſuper 3. Reg. cap. 8. v. 51. Jerem. 11. v. 4. quibus in locis *ferrei* epitheton ad ſervitutis & tribulationum duritiem innuendam adjicitur.

Iſai. 48. v. 10. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum,* (i. moderate, ita ut magis imbecillitatis, quam iniquitatis tuæ rationem habuerim) *& elegi te,* (h. e. electum & probatum effeci) *in camino afflictionis,* Vulg. *paupertatis.*

Eadem metaphora cor hominis probari dicitur, Pſal. 16. Heb. 17. v. 3. Pſal. 25. Heb. 26. v. 2. confer Prov. 17. v. 3.

Idem verbum uſurpatur de ſelectione, quæ fit externo ritu. Judic. 7. v. 4. *Duc eos ad aquas, & ibi* אֶצְרְפֶנּוּ *probabo illum*, id eſt, illorum quemlibet. Verbum Domini צְרוּפָה *probatum igne* dicitur Pſal. 11. Heb. 12. v. 7. Pſal. 17. Heb. 18. v. 31. Pſal. 118. Heb. 119. v. 140. 2. Reg. 22. v. 31. Prov. 30. v. 5. hoc eſt, puriſſimum, veriſſimum, & certiſſimum.

Idem officium Chriſto tribuitur, Malach. 3. v. 2. *Ipſe enim* (Chriſtus) *quaſi ignis conflans & quaſi herba fullonum.* Verſ. 3. *Et ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi,* &c.

ARTICULUS X.

De Metaphoris ab aëre, &c. deſumtis.

AERE, VENTO, AURA (Hebraïce רוּחַ) ſignificatur,

1°. Vanitas, quia in vento nihil ſolidum ac ſubſiſtens. Job. 15. v. 2. *Nunquid ſapiens reſpondebit* דַּעַת רוּחַ *ſcientiam venti* (i. vanam; vel ut eleganter reddidit Vulg. *quaſi in ventum loquens*), *& implebit* קָדִים *Euro ſtomachum ſuum?* Vulg. *ardore.* Vox Hebraïca & *Eurum*, ſive ventum orientalem, & *ardorem* ſignificat. Hinc Aq. & Symm. eam *καύσωνα æſtum, ardorem*, nonnunquam interpretantur. Is itaque hujus verſiculi ſenſus eſt: nunquid ſapiens in animo ſuo vanas ac fluctuantes cogitationes admittet? Vide ibid. c. 6. v. 26. Eccle. 5. v. 15. Jerem. 5. v. 13. c. 22. v. 22. Oſe. 12. v. 2. Mich. 2. v. 11. &c.

Huc pertinent phraſes Apoſtoli: *aërem verberare*, 1. Cor. 9. v. 26. h. e. inanem operam inſumere. Sumta eſt metaphora ab athletis, qui, dum ictu aberrant, vires in ventum effundunt. *In aërem loqui*, ibid. c. 14. v. 9. i. fruſtra & in vanum.

2°. Inſtabilitas & mentis inconſtantia. Epheſ. 4. v. 14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, &c. quæ metaphora à navi fluctibus & ventis circumacta deſumitur. Conf. Heb. 13. v. 9.

3°. Venti appellatione ſignificantur hoſtes; venti enim violenti noxam inferre ſolent, præſertim Eurus, qui exurit ſegetes, facitque ne ad maturitatem perveniant; vel maturas ſternit & diſſipat. Pſal. 54. Heb. 55. v. 9. אָחִישָׁה מִפְלָט לִי מֵרוּחַ סֹעָה מִסָּעַר *accelerabo*, vel *accelerarem liberationem mihi*, ſive *meam à vento excitato à turbine*, h. e. ab hoſtibus meis, qui inſtar turbinis arbores eradicantis, è medio tollere me conantur. Aq. Theod. σπεύσω διάσωσμόν ἐμοὶ ἀπὸ πνεύματος λαιλαπώδους, ἀπὸ λαίλαπος, *accelerabo evaſionem*

mihi à ſpiritu turbinis, à turbine. Symm. ἐξαίφνης ἐποίησα ἂν τὴν ἔκφυξίν μου ἀπὸ πνεύματος ἐπαιρομένου λαίλαπος, *repente feciſſem effugium meum à ſpiritu elevante turbinis.* S. Hieron. *feſtinabo, ut ſalver à ſpiritu tempeſtatis & turbinis.* LXX. προσεδεχόμην τὸν σώζοντά με ἀπὸ ὀλιγοψυχίας, καὶ καταιγίδος, Vulg. Lat. *exſpectabam eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.* Quid in mente habuerint cum ita tranſtulerunt, divinare facile non eſt, niſi verbo חוּשׁ *exſpectandi* ſignificatum affinxerint. Lud. Cappellus vult eos legiſſe אֲחִילָה pro אָחִישָׁה. Hi inſuper pro מִפְלָט, legerunt מְפַלֵּט vel מְפַלֵּט *liberatorem;* & per רוּחַ סֹעָה *ſpiritum profectionis,* ſeu *proficiſcentem,* animum delinquentem intellexere. Vide inſuper Iſai. 41. v. 16. Jerem. 4. v. 11. cap. 51. v. 1. Oſe. 13. v. 15. & conf. Iſai. 27. v. 8. Jon. 4. v. 8. Jerem. 18. v. 17. &c.

Job. 30. v. 22. Heb. *Extuliſti me ſuper ventum, & impoſuiſti me* (ei): *& liqueſcere feciſti me* (in) *ſubſtantiâ,* i. plane omnino. Senſus eſt: ut ſtipulam ventus ſeu turbo: ita me agitaſti & conſumſiſti.

Huc pertinent *meteora,* quæ in aëre gignuntur, quæque ſunt

VAPOR, quo ſignificatur,

1°. Calamitas, exitium, interitus; quæ enim ſolvuntur in vaporem, ea in nihilum quaſi abeunt, & pereunt. Deut. 32. v. 35. *Juxta eſt dies* אֵידָם *vaporis eorum,* i. ut LXX. verterunt, ἀπωλείας αὐτοῖς, (vel αὐτῶν, ut habent mſ. Alex. Ald. & Complut.) *perditionis eorum,* Vulg. Vide etiam Job. 18. v. 12. c. 21. v. 30. c. 30. v. 12. c. 31. vv. 3. 23. Pſal. 17. Heb. 18. v. 19. Prov. 1. v. 26. c. 6. v. 15. Jerem. 18. v. 17. c. 46. v. 21. c. 49. vv. 8. 32. Act. 2. v. 19. &c.

2°. Evaneſcentia & fragilitas. Jac. 4. v. 14. *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur,* ſive *evaneſcet.* Hinc verbum עָלָה *aſcendit,* ſignificat etiam *periit, mortuus eſt;* vapor enim in aëra aſcendens, tandem perit & evaneſcit. Vide Jerem. 48. v. 15. Pſal. 101. Heb. 102. v. 25. &c.

NUBES, quæ ob diverſa attributa, diverſa etiam ſignificat, eaque denotatur,

1°. Calamitas & exitium; quod nubes ſolis & firmamenti ſplendorem, quo innuitur proſperitas, hominibus eripiat. Thren. 2. v. 1. *Quomodo obnubilavit,* Vulg. *obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion?* Hinc *dies nubis* ſive *nubium,* Ezech. 30. v. 3. c. 34. v. 12. Joel. 2. v. 2. Soph. 1. v. 15. Qua metaphora utitur etiam Ovidius, l. 1. Triſt. Eleg. 8. v. 6. *Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.*

2°. Copia & multitudo; quod in tempeſtatibus ingens nubium denſarum copia appareat; vel quia ex multis vaporibus nubes componuntur. Heb. 12. v. 1. *Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium,* &c. h. e. tantam copiam ſive multitudinem. Vide Jerem. 4. v. 13. Ezech. 38. v. 9. &c. Sic Homerus Iliad. δ. v. 274. ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν, *ſimul autem ſequebatur nubes peditum.* Sic Livius, *peditum equitumque nubes.* S. Epiphanius, *nubes muſcarum.* S. Hieron. *nubes locuſtarum.*

3°. Vanitas & inconſtantia; ſunt enim quædam nubes, quæ pluviam promittunt, ſed à ventis fugatæ, eam non demittunt. 2. Pet. 2. v. 17. *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ,* &c. Loquitur S. Petrus de falſis doctoribus, qui in doctrina & in fide ſua fluctuant, nec ſalutaris doctrinæ, & conſolationis pluviam præbent. Vide Epiſt. Jud. v. 12. ubi hujuſmodi homines dicuntur *nubes* ἄνυδροι *ſine aqua.*

4°. Celeritas; nubes enim impetu ventorum raptæ, citiſſime ſub cœlo feruntur. Iſai. 19. v. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum,* &c. Conf. Iſai. 60. v. 8. Pſal. 103. Heb. 104. v. 3. Nah. 1. v. 3.

TEMPESTAS, TURBO, PROCELLA, quæ vel *Deo,* vel *hominibus* tribuitur.

Si Deo; iram ipſius, & pœnas peccatoribus inflictas ſignificat. Job. 9. v. 17. *In tempeſtate enim conteret me* (Deus), &c. Vide etiam Pſal. 10. Heb. 11. v. 6. Pſal. 57. Heb. 58. v. 10. Pſal. 82. Heb. 83. v. 16. Iſai. 29. v. 6. cap. 41. v. 16. c. 54. v. 11. Jerem. 23. v. 19. c. 30. v. 23. Thren. 5. v. 10. Ezech. 13. v. 11. Oſe. 8. v. 7. Amos. 1. v. 14. Nah. 1. v. 3. Zach. 7. v. 14. &c.

Si

Si hominibus tribuatur; mentis conturbationem, & violentam invasionem significat. 4. Reg. 6. v. 11. וַיִּסָּעֵר *& procellis agitatum est cor regis Syriæ pro hac re.* Vulg. *& conturbatum est*, sicut aër turbinibus, & tempestatibus turbatur.

Dan. 11. v. 40. *Et in tempore præfinito .... יִשְׂתָּעֵר quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis*, &c. i. subito invadet. Conf. Psal. 54. Heb. 55. vv. 4. 9.

TONITRU, quod soli Deo in Scripturis tributum, ob vim creaturas terrendi, penetrandi, & percellendi, denotat,

1°. Dei majestatem & gloriam. Psal. 80. Heb. 81. v. 8. *In abscondito tonitrui* (Vulg. *tempestatis*) *exaudivi te*, &c. h. e. ut interpretatur Chald. *in loco abscondito, in domo majestatis meæ, ubi personant coram me sphæræ ignis.* Confer Exod. 19. vv. 16. 18. Psal. 76. Heb. 77. vv. 19. 20.

2°. Iram ejus & pœnas ab eo inflictas. 1. Reg. 2. v. 10. *Dominum formidabunt adversarii ejus; & super ipsos in cœlis tonabit*, &c. i. de cœlis eos puniet. Confer Isai. 29. v. 6. Psal. 17. Heb. 18. v. 9. & seqq. Sap. 5. vv. 21. 22. 23. Apoc. 16. vv. 18. 21.

3°. Verbum ejus; quia cum tonitru, majestatis suæ placita, ut plurimum, antiquitus declarabat Deus. Vide Exod. 19. v. 16. Job. 37. v. 2. c. 38. v. 1. Joan. 12. vv. 28. 29.

Tonitru ipsum non raro קוֹל *vox* dicitur. Exod. 9. v. 23. *Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit* קֹלֹת *voces* (Vulg. *tonitrua*) *& grandinem*, &c. Vide Jerem. 10. v. 13. Apoc. 4. v. 5. c. 6. v. 1. c. 10. v. 3. &c. Et interdum *vox Domini*, Psal. 28. Heb. 29. v. 3. Unde בַּת קוֹל *filiam vocis*, veteres Judæi vocabant vocem Dei cum tonitru allatam, eamque usitatam fuisse dicunt tempore secundi Templi, postquam desierat prophetia. Qua de causa *Jacobus* & *Joannes* βοανεργὲς à Christo cognominantur, Marc. 3. v. 17. id est, *filii tonitrui*, à tonitru verbi Evangelici, cujus præcones exstitêre.

FULGUR, quod metaphorice sumtum denotat laminam lanceæ vel gladii micantem, quæ fulguris instar splendet, & terrorem injicit. Ezech. 21. v. 10. *Ut cædat victimas, exacutus est* (gladius), *ut sit illi* בָּרָק *fulgur*, Vulg. *ut splendeat, limatus est.* Vide Nah. 3. v. 3. Hinc Deo, ad iram ejus significandam, tribuitur *gladius fulgurans*, Deut. 32. v. 41. *hasta coruscans*, Habac. 3. v. 11. Denique sine addita voce *gladii*, בָּרָק *coruscantem gladium* significat, Job. 20. v. 25. *Eductus & egrediens de vagina sua, & fulgur in amaritudine sua*; h. e. & fulgurans, sive coruscans gladius in amaritudine sua veniet super impium.

GRANDO, qua ultio Divina & pœnæ gravissimæ à Deo inflictæ significantur. Isai. 28. v. 17. *Et grando subvertet refugium* (Vulg. *spem*) *mendacii, & latibulum* (Vulg. *protectionem*) *aquæ inundabunt*, h. e. ultio ventura refugium vestrum subvertet, perinde ac si grando & aquæ inundantes tuguriolum dejicerent. Vide etiam cap. 32. v. 19. ubi per *saltum* intelliguntur loca inculta; per *civitatem* vero, loca habitata; idque per synecdochen. Confer Psal. 17. Heb. 18. vv. 13. 14. ubi fulgetris & tonitrubus *grando* adjungitur; & Psal. 45. Heb. 46. vv. 2. 3. & seqq.

PLUVIA, quæ maximam terræ utilitatem affert, si temperata fuerit & tempestiva; ingens vero detrimentum, cum immodica & intempestiva decidit: in *bonum* & in *malum* accipitur.

In bonum, Ezech. 22. v. 24. *Tu es terra immunda, & non pluvia ejus in die furoris*, Vulg. *& non compluta*, h. e. nihil solatii in pœnis Divinitus inflictis percipies. Vide c. 34. v. 26. & confer Ose. 6. v. 3. Zach. 14. v. 17. &c.

In malum, Job. 20. v. 23. Heb. *Cum esset impleturus ventrem suum* (impius), *immittit* (Deus) *in eum iram furoris sui, quam pluit in eum pro cibo ejus.* Vulg. *Utinam impleatur venter ejus, ut emittat* (Deus) *in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.* Verbum לָחַם & *vesci*, & *pugnare* significat; quare Vulg. pro *cibo*, *bellum* interpretatus est. Vide Psal. 10. Heb. 11. v. 6.

Eccle. 12. v. 2. *Antequam .... revertantur nubes post pluviam*, i. antequam veniat senectus, in qua calamitates nubibus significatæ, calamitatibus succedunt.

Psal. 41. Heb. 42. v. 8. *Abyssus abyssum*

invocat in voce cataractarum tuarum, Heb. *canalium tuorum.* Sym. ἄβυσσος ἀβύσσῳ ἀπαντᾷ ἀπὸ ἤχου τῶν κρουνῶν σου, *abyssus abysso occurrit, à sonitu fontium tuorum.* Hîc per fontes, sive canales, aut cataractas, nubes intelliguntur; isque sensus est: tribulatio tribulationem trahit, & cedente priore, adest altera per priorem quasi advocata. His itaque metaphoris calamitatum & afflictionum copia & vicissitudo significatur.

Nix, quæ in comparatione aliquoties usurpatur, semel duntaxat metaphorice accipitur, nempe Psal. 67. Heb. 68. v. 15. *Dum discernit Cœlestis reges super eam*, vel secundum Heb. *cum dispersit*, vel *dissipaverit Omnipotens reges in ea* (terra Chanaan), תַּשְׁלֵג ad verbum *nivescet*, h. e. *albescet* (sicut nix, quæ est) *in* (monte) *Selmon*, h. e. grata erit ac jucunda. Sicut enim regio atra & tenebricosa incolis suis tristitiam affert: ita è contrario cum albet, habitatores suos lætificat. Vel per albedinem hîc terræ hujus fertilitas significatur.

Ros, qui metaphorice accipitur pro Divina potentia, quam in excitandis è tumulo ad gloriam credentibus exseret Deus. Isai. 26, v. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini & laudate, qui habitatis in pulvere; quia* טַל אוֹרֹת טַלֶּךָ *ros olerum, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam*, h. e. ut ros cœlestis herbas ardore solis emortuas recreat & reficit: sic virtus tua, ô Deus, mortuos tuos eriget & vivificabit. Paraph. Chald. *Tu es*, (ô Deus), *qui vivificas mortuos, ossa cadaverum ipsorum tu suscitas; vivent, & laudabunt coram te omnes, qui fuerunt projecti in pulverem; quia ros lucis est ros tuus operantibus legem tuam; at impios, quibus dedisti potentiam, & ipsi transgressi sunt verbum tuum, trades in gehennam.* Vox Heb. אוֹרֹת & *olera*, sive *herbas sylvestres*, ut 4. Reg. 4. v. 39. & *lumina*, sive *lucem* significat.

ARTICULUS XI.

De Metaphoris ab aqua, &c. desumtis.

Metaphoræ ab aquis desumtæ spectant vel ipsam aquarum *appellationem*; vel ipsarum *subjecta*, sive continentia; vel *adjuncta*, seu qualitates; vel earum *operationes*; vel denique hominis in iis occupati *actiones*.

I. *Aquarum appellatio.*

Cum interdum utiles, interdum noxiæ sint aquæ, & *in bonum*, & *in malum*, ab iis metaphoræ deducuntur.

In bonum, aquis significatur posteritas. Num. 24. v. 7. *Fluet aqua è situla ejus* (Jacobi, id est, numerosa posteritas, quæ ex eo, quasi ex fonte, profluet) *& semen illius erit in aquas multas*, i. in multos populos excrescet. Lxx. hunc locum sic periphrastice reddunt: ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ, καὶ κυριεύσει ἐθνῶν πολλῶν, *egredietur homo de semine ejus, & dominabitur multis gentibus.* Paraph. Chald. *Excrescet rex, qui magnificabitur de filiis ejus, & dominabitur in populos multos.* Per *hominem* τῶν Lxx. & per *regem* Chaldæi Paraph. Messias procul dubio intelligitur. Vide insuper Isai. 48. v. 1.

Deut. 33. v. 28. *Habitabit Israël confidenter & solus*, עֵין יַעֲקֹב *fons Jacob*, (i. posteritas Jacobi) *in terra frumenti & vini* habitabit. Lxx. Vatic. καὶ κατασκηνώσει Ἰσραὴλ πεποιθὼς μόνος ἐπὶ γῆς Ἰακὼβ, ἐπὶ σίτῳ καὶ οἴνῳ, *& habitabit Israël confidens solus in terra Jacob, in frumento & vino.* Librariorum oscitantia, cui ansam, ut videtur, dederunt voces pene similes ἐπὶ γῆς, excidit interpretatio vocum עֵין יַעֲקֹב, quæ sic restituendæ sunt: καὶ κατασκηνώσει Ἰσραὴλ πεποιθὼς μόνος, ἡ πηγὴ Ἰακὼβ ἐπὶ γῆς σίτου καὶ οἴνου. Voces omissas ἡ πηγὴ Ἰακὼβ *fons Jacobi*, habet edit. Complut. aliæ vero ἐπὶ [γῆς] σίτου καὶ οἴνου, *in [terra] frumenti & vini*, leguntur in mss. Alex. Ald. & Complut. editt. præter vocem γῆς duobus uncinis inclusam. Vulg. *Habitabit Jacob confidenter & solus; oculus Jacob in terra fru-*

menti & vini, supp. erit, vel intuebitur. Vox עַיִן & *oculum* & *fontem* significat.

Huc referunt quidam Psal. 67. Heb. 68. v. 27. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël*, h. e. ô vos omnes, qui estis de fontibus Israël, i. ô vos omnes Israëlitæ.

In malum aquæ sumtæ denotant,

1°. Populum fortem ac numerosum, qui terram aliquam hostiliter invadit, in eaque grassatur. Isai. 8. v. 7. *Propter hoc, ecce Dominus adducet super eos* (Israëlitas) *aquas fluminis fortes & multas*, sequitur explicatio: *regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus; & ascendet* (flumen) *super omnes rivos ejus, & fluet super universas ripas ejus*. Vers. 8. *Et ibit per Judam, inundans & transiens usque ad collum veniet*, h. e. usque ad Jerusalem, quæ regni caput erat. Ibi insuper est prosopopœia, qua regnum cum humano corpore comparatur. Vide Jerem. 47. v. 2. (& confer Isai. 17. vv. 12. 13. Ezech. 26. vv. 3. 19.) Apoc. 17. vv. 1. 15. ubi *aquæ multæ*, populos, & gentes, & linguas significant.

2°. Quasvis calamitates magnas & tribulationes. 2. Reg. 22. v. 17. *Misit de excelso & assumsit me, & extraxit me de aquis multis*, h. e. de multis calamitatibus. Vide etiam Psal. 17. Heb. 18. v. 17. Psal. 31. Heb. 32. v. 6. Psal. 65. Heb. 66. v. 11. Psal. 68. Heb. 69. vv. 2. 3. 15. 16. Psal. 123. Heb. 124. vv. 4. 5. Psal. 143. Heb. 144. v. 17. Isai. 28. v. 17. c. 43. v. 2. Thren. 3. v. 54. &c.

II. *Aquarum subjecta*.

Aquarum subjecta seu continentia multa sunt, puta

MARE, quo, propter aquarum copiam, fluctuumque & procellarum impetus, multitudo populorum hostilium denotatur. Jerem. 51. v. 42. *Ascendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus operta est*, hoc est, rex Medorum cum omnibus copiis suis Babylonem ascendit, &c.

Mich. 7. v. 19. *In profundum maris omnia peccata nostra projicere* dicitur Deus, cum ea condonat, & oblivione sempiterna sepelit.

Psal. 41. Heb. 42. v. 8. *Fluctus marini* calamitates & pœnas denotant. Ibid. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*. Vide etiam Psal. 87. Heb. 88. v. 8.

Huc pertinet Thren. 1. v. 20. *Conturbatus est venter meus*, &c. Cap. 2. v. 11. *Conturbata sunt viscera mea*, &c. h. e. ut mare procellosum æstuant, fluctuantque. Confer Psal. 45. Heb. 46. v. 4. &c.

Jud. v. 13. Homines inquieti, qui Ecclesiam doctrina vitaque impia conturbant, dicuntur κύματα ἄγρια θαλάσσης, *fluctus feri maris*. Confer Isai. 57. vv. 20. 21.

Denique *fluctuare*, Ephes. 4. v. 14. de iis dicitur, qui in fide instabiles sunt, & omni vento doctrinæ circumferuntur. Vide ibidem, & conf. Jac. 1. v. 6.

TORRENS, quod ex procellis subito excrescens, terrorem una cum damno & hominibus & animalibus affert; ingentes afflictiones, terrores, & pericula significat. Psal. 17. Heb. 18. v. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes Belial* (Vulg. *iniquitatis*) *conturbaverunt me*. Chald. *Cœtus oppressorum terruit me*.

Psal. 109. Heb. 110. v. 7. *De torrente in via bibet* Christus, h. e. in vita sua, præsertim in passione, multis & acerbis calamitatibus affligetur.

Interdum tamen *torrens* in bonum accipitur, propter aquarum abundantiam, quæ ad bonorum copiam transferuntur. Vel quia in aridis regionibus torrentes opportune & utiliter inundant. Job. 20. v. 17. *Non videat* (impius) *torrentes mellis & butyri*, i. rerum secundarum, suavium, &c. affluentia privetur. Vide etiam Psal. 35. Heb. 36. v. 9. Prov. 18. v. 4. (conf. Isai. 66. v. 12. Amos. 5. v. 24.) Isai. 35. vv. 6. 7.

FLUMEN, quod ut supra aquarum appellatio, & in *bonum* & in *malum* accipitur.

In bonum, Dei beneficentiam denotat. Isai. 41. v. 18. *Aperiam in locis editis* (Vulg. *in supinis collibus*) *flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum*; quibus verbis regni Messiæ felicitas describitur.

Joan. 7. v. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, h. e. copiosa Spiritus Sancti dona &

operationes, ut explicatur v. seq. Hic respicere videtur Christus ad aquas, quas ultimo festi Tabernaculorum die Judæi effundebant super altare. Vide Buxt. Synagog. c. 21. in fine. Hæc autem verba, *sicut dicit Scriptura*, non ad sequentia pertinent: *flumina de ventre ejus fluent*, sed ad præcedentia: *qui credit in me*; Christus enim respicit ad locum Deut. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus tuus; ipsum audies.* Vide etiam v. 18. neque enim ullus locus erat, qui tum magis omnium insculptus esset animis; unde Joan. 1. v. 21. quærunt, qui mittuntur ad Joannem, ὁ προφήτης εἶ σύ; *Propheta ille es tu?* Item, *si tu non es Christus, neque Elias, neque* ὁ προφήτης *propheta ille* promissus, & quem exspectamus. Vide c. 6. v. 14. c. 7. v. 40. Act. 3. v. 22. *Audire* autem, Deut. 18. v. 15. & *credere*, Joan. 7. v. 38. idem sunt.

In malum, flumen hostiles exercitus significat. Isai. 18. v. 2. *Ite angeli veloces ad gentem .... cujus diripuerunt* (præteritum pro futuro *diripient*) *flumina terram ejus*, h. e. cujus terram diripient hostium exercitus, quibus veluti rapidissimis fluminibus resisti non poterit. Vide etiam c. 8. v. 7. ubi metaphora explicatur. Alii, voce נְהָרִים *flumina* proprie accepta, intelligunt Æthiopiæ flumina, quæ eluvionibus suis terram illam diripiunt, dum fœcundant, & agrorum limites confundunt. Quapropter lineis seu funiculis mensoriis incolis ejus quotannis opus est; unde vocantur ibidem *gens linea*. Alias loci hujus expositiones vide apud interpretes.

RIVUS, quo innuitur abundantia. Job. 29. v. 6. *Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei*, h. e. maximam olei abundantiam.

FONS, SCATURIGO, VENA, quæ metaphorice significant,

1°. Copiam. Jerem. 9. v. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* i. copiam.

Marc. 5. v. 29. *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus*, h. e. profluvium. Confer Lev. 12. v. 7. c. 20. v. 18. &c.

2°. Causam, vel auctorem. Psal. 35. Heb. 36. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ*, h. e. tu, ô Deus, vitæ meæ cum temporalis, tum æternæ ac cœlestis es auctor.

Psal. 86. Heb. 87. v. 6. יְהוָה יִסְפֹּר בִּכְתוֹב עַמִּים זֶה יֻלַּד־שָׁם סֶלָה, *Dominus numerabit in scribendo populos, iste natus est ibi, semper.* S. Hieron. *Dominus numerabit scribens populos, iste natus est ibi, semper*, h. e. Jerosolymis. Vers. 7. וְשָׁרִים כְּחֹלְלִים כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ, *& cantores sicut tibicines* (dicent, vel cantabunt:) *omnes fontes mei in te* sunt. S. Hieron. *Et cantores quasi in choris* (dicent:) *omnes fontes mei in te*, h. e. cum Dominus recensebit populos, eos in libro suo scribendo, dicet: iste natus est Sione, vel Jerosolymis, proindeque meus est; quod non dicet de iis, qui nati sunt Babylone, Tyri, in Palæstina, Æthiopia, &c. de quibus v. 4. Quapropter cantores sicut & tibicines cantabunt: omnes fontes mei in te, ô Deus, h. e. tu es fons & auctor omnium bonorum meorum; neque alius est mihi Deus, nisi tu. Aq. v. 6. .. ἐν τῷ γράφειν λαοὺς, οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ .... *in scribendo populos, hic natus ibi.* Vers. 7. καὶ ᾄδοντες ὡς χοροὶ, πᾶσαι πηγαὶ ἐν σοὶ, *& canentes ut chori* (dicent) *omnes fontes in te* sunt. Symm. κύριος ἀριθμήσει γράφων λαοὺς, οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ, *Dominus numerabit scribens populos, hic natus est ibi.* Vers. 7. καὶ αἰνέσουσιν ὡς ἐν αὐλοῖς, πᾶσαι αἱ πηγαὶ ἐν σοὶ, *& laudabunt quasi in tibiis* (dicentes:) *omnes fontes in te* sunt. Vel pronomen μου librariorum incuria excidit post vocem πηγαὶ; vel interpretes illi pro מַעְיָנַי, legebant מַעְיְנֵי in regimine ob ב sequens. Vide tom. I. pag. 124. col. 1. initio. Theod. v. 6. κύριος διηγήσεται ἐν γραφῇ λαῶν, οὗτος ἐγεννήθη ἐν αὐτῇ, *Dominus narrabit in Scriptura populorum, hic natus est in ea.* V^a. edit.... ἐν ἀπογραφῇ λαῶν, οὗτος γεννηθήσεται ἐκεῖ.... *in descriptione populorum, hic natus est ibi.* LXX. v. 6. κύριος διηγήσεται ἐν γραφῇ λαῶν καὶ ἀρχόντων· τούτων τῶν γεγεννημένων ἐν αὐτῇ, διάψαλμα, *Dominus narrabit in Scriptura* (Vulg. Lat. *in Scripturis*) *populorum & principum horum, qui fuerunt in ea.* Vocem ושרים ex versu sequenti in hunc transtulerunt, ac pro וְשָׁרִים *& cantores*, legerunt וְשָׂרִים *& principes*, sicque voces illas ordinarunt;

יְהוָה יִסְפֹּר בִּכְתוֹב עַמִּים וְשָׂרִים זֶה יֻלַּד־שָׁם, *Dominus narrabit in Scriptura populorum & principum horum, qui fuerunt in ea*; ad verbum: (quorum) *hic natus est ibi*, i. quorum unusquisque natus est in ea. Verſ. 7. ὡς εὐφραινομένων πάντων ἡ κατοικία ἐν σοί, *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Pro מַעְיָנַי *fontes mei*, legerunt in plur. conſtr. מְעוֹנֵי *habitationes*, & mutato plurali numero in ſingularem, quod ipſis non raro accidit, *habitatio*. Vel legerunt מְעוֹנִי in ſingul. ita ut (י) acceperint pro antiqua vocali *e*, quæ ſub literis ſonantibus in fine vocum ſubintelligitur.

Alias *fontis* metaphoras vide Prov. 10. v. 11. c. 13. v. 14. c. 14. v. 27. Iſai. 12. v. 3. Zach. 13. v. 1. Joel. 3. v. 23. Cant. 4. v. 15. 2. Petr. 2. v. 17. &c.

In ſpecie, fons *Siloë* pacem ac tranquillitatem ſignificat. Iſai. 8. v. 6. *Pro eo, quod abjecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumſit magis Raſin, & filium Romeliæ.* Verſ. 7. *Propter hoc*, &c. h. e. ut interpretatur Chald. *propterea quod faſtidit populus iſte regnum domus Davidis, ducens eos in quiete, ſicut Siloe fluit quiete*, &c. S. Hier. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 77. *Quia populus decem tribuum magis voluit Raſin, & filio Romeliæ, id eſt, Damaſci, & Samariæ regibus eſſe ſubjectus, quam ſtirpi David, quæ meo cœpit regnare judicio: faciam eum nequaquam his regibus, quos aſſumſit, ſed regi ſervire Aſſyrio.*

PUTEUS (בְּאֵר) & in *bonam* & in *malam* partem accipitur.

In bonam, ſignificat tori conjugalis integritatem. Prov. 5. v. 15. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui*, quod σεμνῶς dicitur pro rem habe cum uxore tua, non cum aliena. Verſ. 16. *Deriventur*, vel *derivabuntur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*, Heb. *in plateis diviſiones aquarum* tuarum erunt, i. prole numeroſa donaberis, quæ tibi & auxilio & ſolatio erit. Verſ. 17. *Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui.* Heb. *erunt* (aquæ illæ, i. filii tui) *tibi ſoli, & non alienis tecum*, i. ſolus filiorum tuorum pater eris, cum è contrario meretrix incertos tibi obtrudet. Verſ. 18. *Sit*, vel *erit vena tua benedicta, & lætare*, vel *lætabere cum muliere adoleſcentiæ tuæ*, h. e. uxor tua ſingulari Dei beneficio fœcunda erit, (confer Pſal. 127. Heb. 128. v. 3.) quapropter lætaberis cum vel de uxore, quam duxiſti adoleſcens. Verſ. 19. Hæc *cerva chariſſima, & gratiſſimus hinnulus* erit tibi, &c. h. e. illam efflictim amabis; ea enim loquutio amorem tenerrimum exprimit. Vide Cant. 2. v. 9.

In malam partem puteus acceptus maxima pericula & perniciem ſignificat. Pſal. 54. Heb. 55. v. 24. *Et tu, Deus, deduces eos in puteum interitus*, Chald. *in gehennam profundam.* Vide etiam Pſal. 68. Heb. 69. v. 16.

Sic quandoque accipitur vox cognata בּוֹר *ciſterna.* Pſal. 39. Heb. 40. v. 3. *Et eduxit me* מִבּוֹר שָׁאוֹן *de ciſterna tumultus*, vel *vaſtationis*, Vulg. *de lacu miſeriæ*, i. de maximis periculis ac miſeriis.

Jerem. 2. v. 13. Idola dicuntur *ciſternæ diſſipatæ, quæ continere non valent aquas*, i. quæ nullam opem cultoribus ſuis afferre poſſunt; quare Deo *fonti aquarum viventium* ibidem opponuntur.

III. *Aquarum adjuncta ſeu qualitates.*

Qualitates aquæ, quantum ad præſens attinet, duæ ſunt. Prima, fluida eſt & liquida. Secunda, frigoris & caloris eſt capax.

Quatenus liquida eſt, ac de hominibus uſurpatur; metum, conſternationem, anxietates, & dolores ſignificat.

Exod. 15. v. 15. *Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor*, נָמֹגוּ, LXX. ἐτάκησαν, *liquefacti ſunt omnes habitatores Chanaan.* Vide Deut. cap. 1. v. 28. c. 20. v. 8. Joſ. 7. v. 5. Pſal. 21. Heb. 22. v. 15. Pſal. 57. Heb. 58. v. 8. Pſal. 74. Heb. 75. v. 4. Pſal. 106. Heb. 107. v. 26. Iſai. 10. v. 18. c. 13. v. 7. &c. Ita Ovid. l. 1. de Pont. Eleg. 2. v. 57.

Sic mea perpetuis liqueſcunt pectora curis.

Eadem metaphora de vinculis uſurpata, eorum dilapſum & diſſolutionem ſignificat. Jud. 15. v. 14. *Sicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi: ita vincula, quibus ligatus erat* (Samſon), יִמַּסּוּ *liquefacta ſunt*, Vulg. *diſſipata ſunt & ſoluta.*

Quatenus autem frigoris & caloris capax eſt aqua, ad eam pertinent iſta:

Job. 30. v. 27. *Viscera mea* (Vulg. *interiora mea*) *efferbuerunt, & non siluerunt* (h. e. ut optime reddidit Vulg. *absque ulla requie*) : *prævenerunt me dies afflictionis.* LXX. ἡ καρδία μου ἐξέζεσεν, *cor meum efferbuit*, &c. quod de affectuum & cogitationum ob maximas calamitates conturbatione intelligendum.

Rom. 12. v. 11. . . . τῷ πνεύματι ζέοντες, *spiritu ferventes*; i. spiritus ardore, & zelo fidei ac pietatis accensi.

Apoc. 3. v. 15. *Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus : utinam frigidus esses aut calidus.* Vers. 16. *Sed quia tepidus es . . . . incipiam te evomere ex ore meo.* Hîc S. Joannes *frigidos* vocat plane à Christo alienos; *calidos*, fidei ac pietatis zelo ferventes; *tepidos* vero, eos qui christiani dici volunt, & tamen vitam christiano dignam non exigunt. Illud autem : *utinam frigidus esses*, respective intelligendum est; non enim frigidi æque Deo placent ac fervidi, sed respectu tepidorum laudabiles sunt, quod palam profiteantur quales sint, nec aliud loquantur, aliud sentiant, quodque meliora edocti sæpe emendentur; quod de tepidis pietatis speciem habentibus, & vim ejus abnegantibus, vix sperare licet.

IV. *Aquarum operationes.*

Operationes aquarum, ex quibus metaphoræ ducuntur, sunt :

ERUMPERE (פָּרַץ) quo significatur,

1°. Opum ac sobolis abundantia. Gen. 28. v. 14. *Eritque semen tuum quasi pulvis terræ,* וּפָרַצְתָּ *& erumpes*, Vulg. *dilataberis ad Occidentem & Orientem*, &c. Vide etiam c. 30. v. 43. Exod. 1. v. 12. Job. 1. v. 10. Ose. 4. v. 10.

2°. Sermonis, &c. declaratio & patefactio. 1. Reg. 3. v. 1. *Et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis; non erat visio* נִפְרָץ *erumpens*, h. e. ut interpretatur Vulg. *manifesta*, vulgaris, aperta, &c. Vide 1. Paral. 13. v. 2. 2. Paral. 31. v. 5.

INUNDARE, quo innuitur,

1°. Hostium irrumpentium multitudo. Isai. 8. v. 8. *Et ibit* (rex Assyriorum cum aquis fluminis v. præced. comparatus) *inundans, & transiens usque ad collum veniet.* Vide c. 28. vv. 15. 17. 18. Dan. 11. v. 22. Nah. 1. v. 8.

2°. Festinatio & celeritas. Psal. 89. Heb. 90. v. 5. זְרַמְתָּם שֵׁנָה יִהְיוּ *inundasti*, vel *inundas eos, somnium erunt*, h. e. raptim & quasi torrente immisso abripis homines, qui veluti somnium sunt. S. Hieron. *Percutiente te eos, veluti somnium erunt.* LXX. τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτη ἔσονται, Vulg. Lat. *quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.* Pro זְרַמְתָּם *inundasti eos*, legebant זִרְמָתָם *fluxus eorum, nihilum eorum*; & pro שֵׁנָה *somnium, somnus*, legebant שָׁנָה *annus.*

Isai. 10. v. 22. *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.* Vers. 23. *Si enim fuerit populus tuus, Israël, quasi arena maris, reliquiæ* (tantum) *convertentur ex eo;* כִּלָּיוֹן חָרוּץ שׁוֹטֵף צְדָקָה (quia) *consummationem decretam inundabit* (in) *justitia Deus*, h. e. Israëlitarum consummationem, sive consumtionem, quam Deus decrevit, pro judiciorum suorum æquitate ac justitia, æque cito ac potenter efficiet, ac fluvius inundans, qui omnia secum abripit, & cui resistit nihil. LXX. & Apost. Rom. 9. v. 28. λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, *verbum enim consummans & abbrevians* (erit Deus) *in æquitate.* Vox λόγος hîc *negotium*, vel *rem* significat, nempe Judæos, de quibus hîc sermo est, quosque ad parvum numerum, secundum Isaiæ vaticinium, redigendos ait ipse etiam Apostolus.

Jerem. 8. v. 6. *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus* שׁוֹטֵף *inundans* (Vulg. *impetu vadens*) *ad prælium.*

CONFLUERE, quod de congregatis populis dicitur. Isai. 2. v. 2. *Et confluent ad eum* (montem Domini) *omnes gentes*, i. cum diligentia, fervore, pietate, frequentia, morum concordia, &c. ad Christi Ecclesiam properabunt; ibi enim de conversione gentium agitur. Vide etiam Jerem. 51. v. 44. Mich. 4. v. 1.

SCATURIRE seu ERUCTARE, quod de sermone sive proprio, sive metaphorico usurpatur, qui ex ore fluit sicut aqua ex fonte. Psal. 18. Heb. 19. v. 3. *Dies dici* יַבִּיעַ *eructat verbum*, &c. Vide etiam Psal. 77. Heb. 78. v. 2. Psal. 118. Heb. 119. v. 171. Prov. 1. v. 23.

cap. 15. vv. 2. 28. & confer c. 18. v. 4.

EBULLIRE, quod itidem eleganti metaphora de sermone cordis diu præparato accipitur, qui per os & labia egreditur, ut aqua fervore ebulliens foras erumpit. Psal. 44. Heb. 45. v. 2. *Ebullivit*, Vulg. *eructavit cor meum verbum bonum*, &c.

STILLARE, quod usurpatur,

1°. De sermone, doctrina, & prophetia; vel quod pluviæ aut roris instar minutatim auribus influat; vel quia, ut pluvia & ros terram: ita doctrina animum hominis rigat quasi & fœcundat. Deut. 32. v. 2. יַעֲרֹף *stillet ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Vide etiam Ezech. 20. v. 46. al. c. 21. v. 2. Job. 29. v. 22. Mich. 2. vv. 6. 11. Sic Horat. l. 1. epist. 8. v. 16. *Praeceptum auriculis hoc instillare memento.*

2°. De cœlo & nubibus stillantibus justitiam sive justum. Isai. 45. v. 8. Item de montibus ac collibus stillaturis dulcedinem, Joel. 3. al. 4. v. 18. Amos. 9. v. 13. qua metaphora cœlestium beneficiorum tempore Messiæ abundantia intelligitur.

V. *Hominis in aquis occupati actiones.*

Hominis in aquis occupati actiones, ex quibus metaphoræ desumuntur, istæ sunt:

EFFUNDERE, quod tam in *malum* quam in *bonum* accipitur.

In bonum, tum de *Deo*, tum de *hominibus* usurpatur.

De Deo, cum effundere Spiritum suum & gratiam suam dicitur; qua metaphora donorum Spiritus Sancti copia intelligitur. Isai. 32. v. 15. *Donec effundatur super nos Spiritus de excelso*, &c. Vide etiam cap. 44. v. 3. Joel. 3. v. 1. Zach. 12. v. 10. Act. 2. vv. 17. 33. Rom. 5. v. 5. Tit. 3. v. 6. & sup. pag. 79. col. 1.

Psal. 44. Heb. 45. v. 3. *Gratia in labiis Christi diffusa esse* dicitur, qua loquutione Evangelium gratiæ à Christo promulgatum intelligitur.

De hominibus verbum *effundere* usurpatum, preces ad Deum cum singulari pietatis fervore fusas significat. Hinc phrases: *animam & cor in conspectu Domini effundere*, 1. Reg. 1. v. 15. Psal. 61. Heb. 62. v. 9. Thren. 2. v. 19. & *rugitus instar aquæ effundi*, Job. 3. v. 24. quæ non solum intensissimi doloris signa sunt: verum etiam de precibus in angore & cruciatu adhibitis intelliguntur.

In malum verbum istud acceptum, & de *Deo*, & de *hominibus* pariter usurpatur.

De Deo, qui *effundere iram suam* dicitur, cum graviter punit. 2. Paral. 12. v. 7. *Non effundetur furor meus super Jerusalem per manum Sesac.* Vide etiam Isai. 42. v. 25. Psal. 78. Heb. 79. v. 6. Jerem. 42. v. 18. Ezech. 9. v. 8. cap. 22. v. 23. Dan. 9. v. 11. Thren. 2. v. 4. Ose. 5. v. 10. & supra pag. 79. col. 1.

Huc pertinet, cum Psal. 106. Heb. 107. v. 40. dicitur *effundere contemtum super principes*, i. omni eos auctoritate spoliare. Et:

Job. 16. v. 13. al. 14. *Effudit* (Deus) *in terra* מְרֵרָתִי *fel meum*, Vulg. *viscera mea*, recte; ibi enim pars ponitur pro toto. Sensus est: tot tantisque doloribus me affecit, perinde ac si jecur meum cum vesica fellis, imo & viscera mea in terram effunderentur. Vide etiam Psal. 140. Heb. 141. v. 8. & supra pag. 79. col. 1.

De hominibus verbum istud usurpatum, mala cum *pœna* tum *culpæ* significat.

Pœnæ, Job. 30. v. 16. *Nunc autem in memetipso* תִּשְׁתַּפֵּךְ *effundit se anima mea*, i. ob gravissimos dolores & anxietates liquescit quasi & contabescit, Vulg. *marcescit* anima mea. Sequitur explicatio: *possident me dies afflictionis.*

Thren. 2. v. 11. *Effusum est in terra jecur meum, super contritione filiæ populi mei*, h. e. præ dolore & terroribus conficior, quasi jecur meum in terram effunderetur. Sic v. 12. parvuli *effundere* (Vulg. *exhalare*) *animas suas in sinu matrum suarum* præ fame dicuntur, h. e. mori, exspirare.

Psal. 21. Heb. 22. v. 15. Christus *effusus ut aqua* dicitur, h. e. ob summos animæ & corporis cruciatus exhaustus & contabescens; sicut aqua effusa dispergitur, dilabitur, & perit.

Culpæ, Psal. 72. Heb. 73. v. 2. *Pene effusi sunt gressus mei*, i. parum abfuit quin à via mandatorum Dei declinarem, instar aquæ

effusæ, quæ locum mutat, & huc illuc dispergitur.

Ezech. 16. v. 15. *Effudisti fornicationes tuas super omnes transeuntes*, &c. h. e. quibusvis transeuntibus effuse & multipliciter prostituisti te; quemlibet idololatria tua, quæ hîc fornicationibus significatur, polluisti.

LAVARE, MUNDARE, ABLUERE, &c. quæ ad peccatorum cum sordibus collatorum remissionem, hominis regenerationem, renovationem, &c. sæpius transferuntur. Psal. 50. Heb. 51. v. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Vide etiam v. 9. & Isai. 4. v. 4. Ezech. 16. vv. 4. 9. c. 36. v. 25. Act. 22. v. 16. 1. Cor. 6. v. 11. Heb. 10. v. 22. Apoc. 1. v. 5. c. 7. v. 14. Vel, quod cum antecedenti beneficio conjunctum est, à peccatis abstinere, & vitæ sanctimoniam puritatemque sectari significant. Job. 9. v. 30. *Si lotus fuero quasi aquis nivis*, (quæ nitro abundant, proindeque vim detergendi obtinent) *& fulserint velut mundissimæ manus meæ*, i. actiones, quarum manus præcipua sunt instrumenta. Vers. 31. *Tamen sordibus intinges me*, &c. i. intinctum me declarabis. Vide etiam Psal. 25. Heb. 26. v. 6. Psal. 72. Heb. 73. v. 13. Prov. 30. v. 12. Isai. 1. v. 16. Jerem. 4. v. 14. Jac. 4. v. 8. In quibusdam autem ex his locis, fit tantum lotionis manuum mentio, ducta metaphora ab iis, qui, ut suam innocentiam testarentur, manus publice lavabant. Vide Deut. 21. vv. 6. 7. Matth. 27. v. 24. &c.

HAURIRE, quod metaphorice accipitur, 1°. Pro scrutari, cognoscere. Prov. 20. v. 5. *Sicut aqua profunda: sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud*, i. scrutabitur. 2°. Pro frui, si de fontibus salutis sit sermo. Isai. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, h. e. omni bonorum genere & copia fruemini, cum venerit Christus Salvator, de cujus plenitudine accipietis.

E contrario, *exhauriri* est attenuari, & ad inopiam redigi. Vide Jud. 6. v. 6. Psal. 78. Heb. 79. v. 8. Isai. 17. v. 4. Quæ metaphora ab ipsis etiam Latinis usurpatur.

ARTICULUS XII.

De Metaphoris à terra & partibus ejus desumtis.

TERRA, quatenus ad præsentem scopum attinet, duplici ratione spectari potest. 1°. Quod cœlo sit opposita, ab eoque maxime distet; idque tum quod spectat ad ejus substantiam, tum quod ad ejus qualitates sive proprietates pertinet. 2°. Quod hominibus habitationes commodas & domicilia suppeditet.

In quantum cœlo opposita est, statum corruptionis & peccati designat; quemadmodum è contrario spirituale Dei regnum & felicitatis æternæ status cœlo denotatur.

Joan. 3. v. 31. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, *qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur*, h. e. qui de terreno homine progenitus est, terrena & carnalia loquitur; quod Philip. 3. v. 19. dicitur τὰ ἐπίγεια φρονεῖν, *terrena sapere*; & Rom. 8. v. 5. τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖν, *carnalia sapere*. Cui opponitur ibid. nempe Joan. 3. v. 31. ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν, *qui de cœlo venit, super omnes est*, h. e. qui originem à Deo ducit Christus, præstantia omnes excellit, utpote qui cœlestem originem & naturam habeat. Vers. 32. καὶ ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ... *& quod vidit & audivit, hoc testatur*... Vers. 34. ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖ, *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*, &c. h. e. Christus nihil nisi cœlestia & Divina testatur ac loquitur. In hac oppositione elucet evidentissimum Christi Divinitatis argumentum. Quod enim est de terra, de terra est, h. e. qui natus est ex homine terreno, homo terrenus est, & terrena sapit ac loquitur. Qui autem de cœlo venit, i. qui natus est ex Deo, qui nonnunquam in Scripturis cœli nomine vocatur, vide supra pag. 48. col. 2. in fine, & pag. 49. col. 1.

col. 1. initio, is ſuper omnes eſt, cum ſit Deus omnium, iſque ſanctiſſimus; ac proinde nihil teſtatur, niſi quod vidit & audivit à Patre ſuo Deo, cujus verba loquitur. Ut igitur in primo oppoſitionis membro, de vero homine ex homine nato: ita in ſecundo, de vero Deo ex Deo ante omnia ſæcula genito loquitur Joannes. Confer c. 8. v. 23. & ſeqq.

Quatenus manſiones & domicilia hominibus præſtat terra, metaphorice ſignificat vitam æternam, & beatorum cœlum, in quo *manſiones multæ ſunt*, Joan. 14. v. 2. quodque *orbis terræ futurus* appellatur, Heb. 2. v. 5.

Iſai. 65. v. 17. *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora*, &c. quæ S. Petrus epiſt. 2. cap. 3. v. 13. de altera vita, eaque beata, interpretatur. Vide etiam Matth. 5. v. 5. Apoc. 21. v. 1.

Pſal. 59. Heb. 60. v. 4. *Terræ commotio, conturbatio, & contritio*, ſeditiones & bella cum inteſtina, tum ab exteris illata ſignificat; ubi etiam metonymia eſt continentis pro contento, i. terræ pro ejus incolis; & ſynecdoche totius pro parte; non enim terra univerſa commota eſt, ſed pars ejus, nempe Judæa.

Hactenus de metaphoris à terra ipſa deſumtis. Sequuntur quæ ex ejus partibus deducuntur.

MONS in genere ſignificat,

1°. Cœlum, Dei habitaculum ἀνθρωποπαθῶς ſic dictum. Pſal. 3. v. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte ſancto ſuo*, i. de cœlo. Vide Pſal. 98. Heb. 99. v. 9. Pſal. 120. Heb. 121. v. 1. & conf. Pſal. 122. Heb. 123. v. 1.

2°. Cœlum beatorum, ſive cœleſtem & æternam beatitudinem. Pſal. 14. Heb. 15. v. 1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* h. e. in cœleſti gloria.

3°. Cœlum hoc aſpectabile. Pſal. 17. Heb. 18. v. 8. *Fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis Dominus*, h. e. *fundamenta cœlorum*, ut legere eſt 2. Reg. c. 22. v. 8. Illa autem fundamenta cœlorum montes ſunt, quibus cœlum inniti videtur. Vide ſupra pag. 55. col. 2. in fine.

4°. Regna & imperia, quæ in mundo inſtar montium præeminent. Pſal. 29. Heb. 30. v. 8. *Domine, in voluntate tua præſtitiſti* לְהַרְרִי *monti meo virtutem*, i. regnum meum robuſtum & tranquillum feciſti. Aq. & Vª. edit. ἐν τῷ ὄρει, *in monte*. S. Hieron. *Domine, in voluntate tua poſuiſti monti meo fortitudinem*. Lxx.... *præſtitiſti* τῷ κάλλει μου, Vulg. Lat. *decori meo virtutem*. Pro לְהַרְרִי, legeb. לְהַדְרִי, cum ד pro priori ר. Sym. Κύριε, ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου ἔστησας τῷ προπάτορί μου τὸ κράτος, *Domine, in beneplacito tuo ſtatuiſti primo parenti meo fortitudinem*, legebat לְהוֹרִי à verbo הָרָה *concepit*, unde הוֹרֶה *genitor*, quaſi concipere faciens.

Pſal. 75. Heb. 76. v. 5. נָאוֹר אַתָּה אַדִּיר מֵהַרְרֵי־טָרֶף *illuſtris tu, ô potens* (Deus), *præ montibus prædæ*, h. e. illuſtrior ac potentior es regnis prædonum ſeu impiorum, quorum bella injuſta, publica ſunt latrocinia. Aq. φωτισμὸς σὺ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων ἁλώσεως, *illuminatio tu prægrandis à montibus capturæ*. Sym. ἐπιφανὴς εἶ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων θήρας, *illuſtris es prægrandis à montibus venationis*. Theod. φοβερὸς εἶ θαυμαστὸς ἀπὸ ὀρέων καρπίμων, *terribilis es mirabilis à montibus fructiferis*, i. è quibus decerpuntur fructus; טֶרֶף enim ſignificat etiam *cibum, eſcam, victum*. Pro נָאוֹר legebat נוֹרָא trajectis literis. S. Hier. *Lumen tu es, magnifice, à montibus captivitatis*. Lxx. φωτίζεις σὺ θαυμαστῶς ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων, *illuminas*) Vulg. Lat. *illuminans*) *tu mirabiliter à montibus æternis*, h. e. miram ac potentiſſimam opem è cœlo nobis præbes. Cur autem טֶרֶף interpretati ſint αἰωνίων non video; niſi forte aliter in ſuis exemplaribus legerint, aut crediderint vocem טֶרֶף nullum ibi ſenſum commodum gignere, ſicque de ſuo verterint *à montibus æternis*; quod ſibi interdum ſumſiſſe jam monuimus. Forte etiam interpretati ſunt ΑΛΩΣΕΩΝ *capturarum*, ex qua voce perperam lecta amanuenſes fecerunt ΑΙΩΝΙΩΝ.

Jerem. 51. v. 25. *Ecce ego ad te, mons* הַמַּשְׁחִית *corrumpens*, Vulg. eodem ſenſu, *peſtifer*. Sermo eſt de Babylone, quæ in planitie ſita erat.

Habac. 3. v. 6. *Contriti sunt montes saeculi, incurvati sunt colles mundi*, id est, regna terræ Chanaan. Confer Exod. 15. v. 14. &c.

5°. Elatos quosvis regni Dei hostes. Isai. 2. v. 12. *Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur.* Sequitur metaphora: v. 13. *Et super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnem quercum Basan.* Vers. 14. *Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.* Vers. 15. *Et super omnem turrim excelsam*, &c. Vide c. 40. v. 4. c. 41. v. 15. Zach. 4. v. 7.

In specie,

MONS BASAN pascuorum ubertate celebris (unde *tauri*, *arietes*, vel *vaccæ Basan*, i. pingues) metaphorice significat homines robustos, feroces, violentos, petulantes, &c.

Psal. 21. Heb. 22. v. 13. *Circumdederunt me vituli multi, tauri Basan*, LXX. *πίονες*, Aq. λιπαροὶ, Vulg. Lat. *pingues*, Symm. *σιτιστοὶ saginati, obsederunt me.* Hi sunt Judæorum principes, qui in Christum, de quo hîc agitur, passionis ejus tempore ferociter insilierunt.

Amos. c. 4. v. 1. *Audite verbum hoc, vaccæ Basan, quæ estis in monte Samariæ*, &c. h. e. regni Samariæ primores, qui, tanquam vaccæ in Basan enutritæ, proindeque pinguiores, & ob id petulantiores, potentia vestra abutimini, dum *calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes*, &c.

Potentes in populo etiam *quercus Basan* metaphorice dicuntur. Isai. 2. v. 13. Zach. 11. v. 1.

CARMEL mons agris, vineis, oleis, & arboribus feracibus celebris, regionem quamlibet bonam ac frugiferam significat. Isai. 16. v. 10. *Et auferetur lætitia & exsultatio de Carmelo*, &c. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 121. *Idioma scripturarum est, quod semper Carmelum montem opimum & nemorosum, qui Ptolemaïdi imminet, & in quo oravit Elias, fertilitati & abundantiæ comparet: ac per hoc significat omnem lætitiam & fertilitatem de uberrimis quondam urbibus auferendam.* Vide etiam Jerem. 2. v. 7.

Ad spiritualia quoque idem nomen transfertur. Isai. 32. v. 15. *Et erit desertum in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur*, h. e. Gentiles, qui instar deserti sunt, omni videlicet pietatis ac justitiæ proventu destituti, fient instar agri fertilis, uberrimos pietatis ac justitiæ fructus ferentes. E contrario Judæi, qui nunc florent, & quasi Carmel esse putantur, pietatis ac justitiæ fructibus orbati, proindeque facti inculti & steriles, in saltum reputabuntur. Isaiam hîc de vocatione Gentium, & reprobatione Judæorum incredulorum post Christi mortem & Spiritus Sancti descensum agere liquet cum ex versiculi hujus initio, *donec effundatur super nos Spiritus de excelso*, tum ex collatione cap. 29. v. 17. de quo mox. Vide etiam c. 35. v. 2. ubi in descriptione Ecclesiæ Novi Testamenti ejusdem montis fit mentio.

LIBANUS ob altitudinem, arborumque ejus proceritatem & copiam, metaphorice significat,

1°. In regis Assyriorum exercitu duces ac principes. Isai. 10. v. 34. *Et subvertentur condensa saltus ferro* (i. milites), *& Libanus* בְּאַדִּיר *per fortem cadet*, h. e. fortissimi quique & præstantissimi per angelum interimentur.

2°. Abundantiam, eamque spiritualem, tempore Christi futuram. Isai. 29. v. 17. *Nonne adhuc in modico & brevi convertetur Libanus in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur?* h. e. Libanus habet quidem cedros aptas ædificationi, sed caret vitibus & oleis; Carmelus habet multas vites & oleas, sed caret cedris. Cum igitur Christus advenerit, tanta erit rerum omnium benedictio, ut Libanus proferat vites una cum cedris, & Carmelus proferat cedros cum vitibus. Qui etiam locus de vocatione Gentium & reprobatione Judæorum explicari potest. Vide supra vocem CARMEL.

COLLIS, Gen. 49. v. 26. metaphorice significat Patriarchas, Prophetas, aliosque viros pietate insignes, qui ceteris hominibus, ut colles vallibus, præstant. *Benedictiones patris tui* (quæ) *confortatæ sunt* (i. copiosiores exstiterunt) *benedictionibus patrum meorum*, (Vulg. *patrum ejus*, pro הוֹרַי legeb. הוֹרָיו, de-

ficiente (י) nota pluralis numeri, vide tom. I. pag. 128. col. 1.) *donec veniat desiderium collium æternorum*, (i. Christus à Patriarchis, Prophetis, &c. adeo expetitus ac desideratus), *fiant in capite Joseph*, &c. h. e. in capite tuo, Jacobus enim hîc nomen proprium loco pronominis posuit; quod in Scripturis sat frequens est. Vide tom. I. p. 506. can. II. Is itaque sensus est: benedictiones patris tui, quæ patrum meorum benedictionibus abundantiores exstitere, sint in capite tuo; donec veniat Messias tandiu à Patriarchis & Prophetis desideratus, qui non jam benedictiones temporales solum, sed æternas, quæ longe benedictionibus meis prævalebunt, toti mundo afferet.

PETRA & RUPES, metaphorice locum firmum, stabilem, tutum à periculis, & consequenter refugiũ præsidiumque significant. Psal. 26. Heb. 27. v. 5. *In petra exaltavit me*, &c. i. in loco tuto & inaccesso. Vide etiam Psal. 39. Heb. 40. v. 3. Psal. 60. Heb. 61. v. 3. Isai. 31. v. 9. c. 33. v. 16. Jerem. 51. v. 25.

Vox סְעִיף, quæ significat *prominentiam petræ* seu *scopulum*, Jud. 15. v. 8. Isai. 2. v. 21. cap. 57. v. 5. *& ramum arboris*, Isai. 17. v. 6. Ezech. 31. vv. 6. 8. &c. designat superbos, & qui alta sublimiaque affectant. Psal. 118. Heb. 119. v. 113. סֵעֲפִים *scopulos* sive *ramos*, hoc est, *elatos odio habui*, &c. Lxx. τοὺς παρανόμους ἐμίσησα, Vulg. Lat. *iniquos odio habui*, vel cogitantes cogitationes iniquas, ut exponit Rabbi Salomon; סָעִיף enim, & in alia forma סֵעֶף, unde plur. סְעִפִּים, *cogitationem* interdum significat, quæ se habet ad cor, sicut ramus ad arborem, inquit R. D. Qimhhi.

VALLIS, ob depressionem suam, & obscuriorem umbram, quam prærupti montes, & quandoque etiam arbores efficiunt, significat humiliationem, ærumnas, calamitates, oppressiones, & afflictiones, quas tenebris vel obscuritatibus designari diximus supra pag. 119. col. 2. Sic Isai. 40. v. 4. *Omnis vallis exaltabitur*, (h. e. omnis afflictus, oppressus, humiliatus erigetur) *& omnis collis*, (i. superbus, oppressor) *humiliabitur*. Vide etiam Luc. 3. v. 5.

Isai. 22. v. 1. Jerusalem vocatur *vallis visionis*, quanvis in montibus esset fundata; *quia*, ut scribit Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 138. *seminarium prophetarum est*, (qui olim *videntes* dicebantur) *in qua exstructum Templum, & visiones Domini multiplicatæ sunt. Quia ergo inter ceteras gentes* (idololatriæ addictas) *ponitur, & reputatur una de plurimis; nequaquam mons appellatur, juxta illud propheticum:* Fundamenta ejus in montibus sanctis, &c. *sed vallis, ex eo quod humiliata sit.*

Psal. 22. Heb. 23. v. 4. *Nam etsi ambulavero* בְּגֵיא *in valle* (Vulg. *in medio*) *umbræ mortis, non timebo mala*, h. e. quanvis in maxima mortis ipsius pericula incurram, &c. continuata metaphora ab ovibus desumta, quæ dum aberrando in valles deferuntur, belluarum incurrentium periculis obnoxiæ sunt. Conf. Psal. 118. Heb. 119. v. ult.

In specie, vallis *Achor*, quæ turbationem significat, & à magna populi Israëlitici perturbatione nomen accepit, Jos. 7. vv. 24. 25. 26. in adversis consolationem denotat, quia in ea valle Jerichunti contermina, prima Israëlitis spes aperta fuit de occupanda terra Chanaan. Ose. 7. v. 15. *Et dabo ei* (Ecclesiæ) .... *vallem Achor ad aperiendam spem*, &c. De vallibus *Josaphat* & *Hinnon* metaphorice acceptis, diximus in tom. I. p. 452. can. II.

DESERTUM, cui fontes aquarum viventium & arbores promittuntur, Gentiles ad Ecclesiam Christi vocandos quandoque significat; ac *fontibus* quidem, salutifera Christi doctrina & gratia; *arboribus* vero, verbi Divini doctores, credentes, seu fideles, & bonorum operum fructus intelliguntur. Vide Isai. 35. vv. 1. 2. cap. 41. vv. 18. 19. cap. 43. vv. 19. 20.

INFERIORA TERRÆ uterum maternum significant. Psal. 138. Heb. 139. v. 15. qua appellatione de nostra origine, quæ terra est, pulchre admonemur. לֹא־נִכְחַד עָצְמִי מִמֶּךָּ אֲשֶׁר־עֻשֵּׂיתִי בַסֵּתֶר רֻקַּמְתִּי בְּתַחְתִּיּוֹת אָרֶץ *non est occultatum robur*, vel *corpus meum à te, quo factus sum in occulto:* (quo) *varie compactus sum in inferioribus terræ*, h. e. non te latet, ô Deus, corpus meum, quod formatum est in occulto, i. in utero matris meæ; ne-

que te latet ratio, qua instar operis Phrygii ex ossibus, nervis, venis, arteriis, musculis, &c. varie contextus sum in inferioribus terræ, h. e. in utero materno, qui instar terræ inferiorum seu cavernarum & recessuum caliginosus est. Posterius illud hemistichium prioris est repetitio. Aq. οὐκ ἐπικαλύφθη ὀστᾶ μου ἀπὸ σοῦ, οἷς ἐποιήθην ἐν ἀποκρύφῳ· ἐποικίλθην ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς, *non sunt occultata ossa mea à te, quibus factus sum in occulto: varie contextus sum in inferioribus terræ.* Pro עָצְמִי *robur meum*, legebat עֲצָמַי *ossa mea.* Sym. οὐκ ἔλαθέ σε ἡ κραταίωσίς μου, ἣν ἐποιήθην ἐν τῷ κρύπτῳ, *non latuit te robur meum, quo factus sum in occulto.* Legebat עָצְמִי, ut legunt Massorethæ. Alius, οὐκ ἔλαθεν ἡ δύναμίς μου καὶ τὰ ὀστᾶ μου ἀπὸ σοῦ, ἐποιήθην ἐν κρυπτῷ, *non latuit virtus mea & ossa mea à te, factus sum in occulto.* Hic notanda duplex interpretatio vocis עצמי, quæ si legatur עָצְמִי, erit *virtus mea;* si עַצְמִי, significabit *ossa mea.* Lxx. Theod. οὐκ ἐκρύβη τὸ ὀστοῦν μου ἀπὸ σοῦ, ὃ ἐποίησας ἐν κρυφῇ· Lxx. soli, καὶ ἡ ὑπόστασίς μου ἐν τοῖς κατωτάτω (ms. Alex. Ald. & Complut. κατωτάτοις) τῆς γῆς, Vulg. Lat. *non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ*, repete, non est occultata à te. Legebant עַצְמִי *os meum*, vel עָצְמִי, ut etiamnum legitur; sed huic vocabulo, prȩter significatum *roboris*, affingebant etiam vim significandi *os*, *ossis*. Deinde loco עֻשֵּׂיתִי *factus sum*, legeb. עָשִׂיתִי *fecisti*, in secunda pers. sing. femin. cum enallage generis, & (י), quod vocant paragogicum; sed quod erat antiquitus vocalis *e* sub ת subintellecta. Vide tom. I. p. 284. col. 2. Vel de suo mutarunt passivum in activum, & primam personam in secundam. Denique pro רֻקַּמְתִּי *varie contextus sum*, legisse videntur וְקוּמָתִי, aut sublato priori (י) וְקָמָתִי, *& substantia mea*, cum ו loco ר. S. Hieron. *Non sunt operta ossa mea à te, quibus factus sum in abscondito, imaginatus sum* (h. e. delineatus sum) *in novissimis terræ.* Ms. Vatic. & S. Michaëlis, necnon Canon Carcassonensis emendatus, teste Martianæo nostro, in Biblioth. Divin. col. 931. in not. habent in singul. *Non est opertum os meum à te, quo factus sum*, &c. Chald. *inferiora terræ*, uterum maternum etiam interpretatur.

Huc referunt quidam illud Ephes. 4. v. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum* εἰς κατώτερα μέρη τῆς γῆς, *in inferiores partes terræ?* h. e. in uterum Virginis. Quod alii de Christi humiliatione & exinanitione intelligunt; sicut è contrario *ascensus in altum* loquutione, exaltationis status exprimitur.

PROFUNDUM, FOVEA, ABYSSUS, ALTITUDO, &c. metaphorice significant.

1°. Malorum, miseriarum, calamitatum, periculorum, &c. gravitatem. Psal. 129. Heb. 130. v. 1. *De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam*, i. de maximis periculis, in quibus versabar, clamavi ad te, Domine. Vide etiam Psal. 54. Heb. 55. v. 24. Psal. 70. Heb. 71. v. 20. Psal. 87. Heb. 88. v. 7. Prov. 22. v. 14. Isai. 24. v. 17. 22. Thren. 4. v. 20. &c. Unde phrases: *foveam fodere*, h. e. periculum intentare; *cadere in foveam alteri effossam*, malis illis obrui, quæ alteri parabantur. Vide Psal. 7. v. 16. Psal. 9. v. 16. Prov. 26. v. 28. Jerem. 18. v. 20.

Huc refertur appellatio *sepulchri*, qua pariter calamitates maximæ significantur. Psal. 85. Heb. 86. v. 13. Psal. 87. Heb. 88. v. 4. &c.

2°. Quod abstrusum & inscrutabile est; sicut abyssus profunda videri & plene cognosci nequit. Psal. 35. Heb. 36. v. 7. *Judicia tua* (Deus) *abyssus multa*, h. e. inscrutabilia sunt. Vide quoque Psal. 91. Heb. 92. v. 6. Rom. 11. v. 33. 1. Cor. 2. v. 10. Apoc. 2. v. 24.

Huc pertinet verbum הֶעְמִיק *profundare*, sive *profundum efficere*, quo significatur 1°. malorum occultatio cũ hypocrisi conjuncta. Isai. 29. v. 15. *Væ* הַמַּעֲמִיקִים *profundum efficientibus à Domino, ad abscondendum consilium.* Vulg. optime: *Væ, qui profundi estis corde, ut à Domino absconditis consilium.* 2°. Peccatorum, quibus in profundum inferni pervenitur, multitudo. Isai. 31. v. 6. שׁוּבוּ לַאֲשֶׁר הֶעְמִיקוּ סָרָה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *revertimini ad quem profundaverunt recessionem filii Israël*, hoc est, revertimini ad Deum, à quo recedentes in profundum inferni demersi sunt filii Israël. Symm. μετανοήσατε ὡς ἐβάθυναν ἀποστῆναι υἱοὶ

ἰσραήλ, *pœnitentiam agite, ut profunde transgressi estis, filii Israël.* Vulg. *convertimini, ut in profundum recesseratis, filii Israël.* Hi interpretes in secunda perf. transtulerunt, commodioris, ut videtur, sensus efficiendi gratia. Vide etiam Ose. 5. v. 2. c. 9. v. 9. (quibus in locis Chald. verbo *multiplicandi* utitur,) & 1. Tim. 6. v. 9. ubi βυθίζειν *in profundum demergere*, eodem sensu accipitur.

Terræ adjacent lutum, cœnum, fimus sive stercus, pulvis, & cinis.

LUTUM, COENUM & STERCUS significant,

1°. Vilem & abjectam hominum conditionem. 1. Reg. 2. v. 8. *Suscitat* (Dominus) *de pulvere egenum, & de stercore pauperem: ut sedeat cum principibus*, &c. Vide etiam Psal. 112. Heb. 113. v. 7. Sic intelligi potest, quod de se ipse dicit Paulus, 1. Cor. 4. v. 13. nempe quod sit *omnium* περίψημα, quod Erasmus interpretatur *quisquilias & sterquilinium.* Confer Thren. 3. v. 45. ad quem locum, secundum quosdam interpretes, respexit Apostolus.

2°. Mala & adversitates. Psal. 68. Heb. 69. v. 3. *Infixus sum in limo profundi*, &c. Vers. 15. *Eripe me de luto*, &c. Vide Jerem. 38. v. 22. Thren. 4. v. 5.

3°. Mortem & projectionem ignominiosam. Psal. 82. Heb. 83. v. 11. *Disperierunt in Endor* (Madianitæ, sive, ut aliis placet, Sisaræ exercitus) *facti sunt ut stercus terræ*, hoc est, cadavera eorum sepultura caruere, ac in terra, quasi stercus, conculcata sunt; quæ *asini sepultura*, dicitur Jerem. 22. v. 19. Confer 4. Reg. 9. v. 37. Jerem. 16. v. 4. &c.

4°. Rem natura sua vilem & sordidam noxiamque, sed apud homines in pretio habitam. Habac. 2. v. 6. *Væ ei, qui multiplicat non sua; usquequo & aggravat contra se densum lutum?* h. e. divitias & opes, quæ non solum non prosunt; verum etiam in pietatis via maxime nocent iis, qui ad eas cor apponunt, perinde ac si denso luto sese immergerent. Confer Marc. 10. vv. 23. 24. Luc. 8. v. 14.

5°. Peccatorum fœditatem; vestimenta enim, quæ luto aliisve sordidis rebus inquinantur, fœda sunt ac impura; eaque contaminatio peccatorum sordes metaphorice denotat. Isai. 64. v. 5. *Quasi pannus*, seu *vestis* עדים *remotionum*, h. e. rerum, quæ præ fœditate removentur & abjiciuntur (Vulg. *sicut pannus menstruatæ*) *universæ justitiæ nostræ*, i. omnes justitiæ nostræ coram te, Domine, inquinatæ sunt sicut pannus menstruatæ. Vide 2. Cor. 7. v. 1. Eph. 5. v. 27. Tit. 1. v. 15. 2. Pet. 2. vv. 10. 20. (confer vv. 13. 22.) Jud. v. 23. Jac. 1. v. 21. Apoc. 3. v. 4.

PULVIS TERRÆ significat quoque contemtum, abjectionem, miseriam, & luctum. Vide locum 1. Reg. 2. v. 8. supra laudatum, & Job. 16. v. 15. al. 16. Psal. 7. v. 6. Psal. 21. Heb. 22. vv. 16. 30. Psal. 43. Heb. 44. v. 26. Psal. 112. Heb. 113. v. 7. Psal. 118. Heb. 119. v. 25. Isai. 47. v. 1. c. 52. v. 2. Thren. 3. v. 29.

Pulveri interdum jungitur *cinis*, quo fragilitas vilitasque significantur. Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum, cum* vel *quamvis sim pulvis & cinis.* Vide Eccli. 10. v. 9.

Cinere solo innuitur calamitas maxima, atque inde exorta tristitia & luctus. Isai. 61. v. 3.... *ut darem eis* (lugentibus ex Sion) *coronam pro cinere*, &c. Solebant enim lugentes cinerem vel pulverem super caput spargere, & cineri insidere, ut liquet ex 2. Reg. 13. v. 19. Job. 2. v. 8. cap. 42. v. 6. Isai. 58. v. 5. Jerem. 6. v. 26. Ezech. 27. v. 30. Jon. 3. v. 6. Matth. 11. v. 21. &c. qui mos apud ipsos etiam profanos obtinebat. Homer. Odyss. Ω. vv. 315. 316.

> Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
> Χεύατο κὰκ κεφαλῆς πολιῆς, ἀδινὸν στεναχίζων.
> *Ambabus autem manibus raptum pulverem aridum*
> *Fudit in capite albo, graviter suspirans.*

Apul. l. 9. Asini aurei, pag. 298. lin. 5. edit. in usum Delphini, Paris. 1688. *Et discerptæ comæ semicanæ sordentes inspersu cineris, pleramque ejus antevetulæ contegebant faciem.*

Hinc loquutiones: *cibare cinere, vesci cinere.* Psal. 101. Heb. 102. v. 10. *Cinerem tanquam panem manducabam*, vel *panem sicut cinerem manducabam*, h. e. in maximo luctu versabar.

Isai. 44. v. 20. רֹעֶה אֵפֶר *pascit* (idolum)

cinere cultores suos, i. maximo dolore & luctu afficit. Lxx. γνῶθι ὅτι σποδὸς, &c. *scito cinerem esse*, &c. legebant רֵעָה, cum ר pro ד. Vulg. *Pars ejus* (idoli) *cinis est*, legebat רֵעֵהוּ *socius ejus*, h. e. pars ejus altera.

Hactenus de corporibus simplicibus, nimirum elementis, & quæ eis analoga sunt. Sequuntur corpora composita, quæ vel inanima sunt, vel animata. Inanima sunt *metalla*, *lapides*, & *succi concreti*, qualis est *sal*. Animata autem vel *vegetantur* solum, vel una *sentiunt*, vel insuper *intelligunt*. Ad primum genus pertinent plantæ ac terræ nascentia; ad secundum animalia bruta; ad tertium homines, de quibus omnibus distincte & ordine dicendum.

ARTICULUS XIII.

De Metaphoris à metallis, lapidibus, & succis concretis, desumtis.

AURUM, ad naturalia quod attinet, significat,

1°. Liquorem instar auri pellucidum, nempe oleum purissimum. Zach. 4. v. 12. *Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea* (sive duas ampullas aureas), הַמְרִיקִים מֵעֲלֵיהֶם הַזָּהָב *quæ* (olivæ) *evacuant ex se aurum*, id est, oleum instar auri purum. Vulg. aliter, *in quibus sunt suffusoria ex auro*.

2°. Cœli serenitatem instar auri rutilantem. Job. 37. v. 22. *Ab aquilone aurum venit*, h. e. tempus sudum. Lxx. νέφη χρυσαυγοῦντα, *nubes instar auri splendentes*.

Quod spectat ad spiritualia, aurum denotat *tum* puram Evangelii doctrinam, uti & argentum, & lapides pretiosi. 1. Cor. 3. v. 12. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (Jesum Christum), *aurum, argentum, lapides pretiosos*, &c. i. sanam doctrinam prædicat. *Tum* Christi Salvatoris gratiam, charitatem, sapientiam, &c. Apoc. 3. v. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias*, h. e. efflagitare à me charitatem, aliaque Spiritus Sancti dona, quibus solis vere ditantur homines.

ARGENTUM pro re præstanti & pulcherrima accipitur. Prov. 10. v. 20. *Argentum electum lingua justi*, &c. Unde Psal. 11. Heb. 12. v. 7. *Eloquium Domini* dicitur *argentum igne examinatum, probatum terra*, (h. e. in clibano terreo) *purgatum septuplum*; quo ejus præstantia ac puritas omnimoda significatur.

Malach. 3. v. 3. Salvator *argentum emundare* dicitur, i. doctrinæ cœlestis repurgationem instituere.

Argento in scoriam verso, cum doctrinæ, tum morum corruptela innuitur. Isai. 1. v. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua*.

Huc pertinet, quod rebellis Judæorum populus appellatur Jerem. 6. v. 30. *argentum reprobum*, i. adulteratum, proindeque reprobatione dignum.

Scoriis, & stanno, sive plumbo, idololatræ, impii, &c. in populo Dei significantur. Isai. 1. v. 25. *Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum*, id est, idololatriam & improbitatem tuam. Conf. Psal. 118. Heb. 119. v. 119. Prov. 25. vv. 4. 5. Ezech. 22. v. 18. & seqq.

ÆS & FERRUM duritiem ac soliditatem denotant. Deut. 28. v. 23. *Sit cœlum, quod supra te est, æneum; & terra, quam calcas, ferrea*, h. e. cœlum sit durum instar æris & ferri, neque pluvia ab eo demittatur in terram, quæ ferrea sit, i. nihil producat. Vide etiam Isai. 48. v. 4. Jerem. 1. v. 18. Mich. 4. v. 13.

Ferrum cruciatus & magnas molestias denotat, si fornaci, jugo, & virgæ, quæ etiam calamitatum symbola sunt, addatur. Deut. 4. v. 20. *Vos autem tulit Dominus & eduxit de fornace ferrea Ægypti*, &c. h. e. de maximis calamitatibus, quibus vos affligebant Ægyptii. Vide etiam 3. Reg. 8. v. 51. Psal. 2. v. 9.

Obscurior locus est Jerem. 15. v. 12. הֲיָרֹעַ

הֲיָרֹעַ בַּרְזֶל בַּרְזֶל מִצָּפוֹן וּנְחֹשֶׁת *numquid franget ferrum, ferrum ab aquilone, & æs?* Quod alii in gratiam Judæorum interpretantur, & confirmationem promissionis, quæ versu præcedenti continetur, esse volunt, hoc modo: *Dicit Dominus: si non reliquiæ tuæ in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis adversus inimicum?* Vers. 12. *Numquid franget ferrum* (purum ac simplex, quo intelliguntur Chaldæi) *ferrum ab aquilone, & æs?* h. e. ferrum cum ære conjunctum, quod aquilonare dicitur sive chalybs, à populis, qui in Ponto ad aquilonem habitantes, vocantur *Chalybes*, & à quibus chalybs nomen suum accepit. Ferrum autem istud aquilonare, ferro simplici durius, Dominus est, cui prævalere non poterunt Chaldæi. Alii è contrario, in malum Judæis istud explicant, & cum sequentibus sic connectunt: *Numquid franget ferrum* (simplex, i. populus Judaïcus) *ferrum aquilonare & æs*, sive chalybem, h. e. Chaldæos? Hic mire variant interpretes. Lxx. & Theod. εἰ γνωσθήσεται σίδηρος, καὶ περιβόλαιον χαλκοῦν; *numquid cognoscetur ferrum & operimentum æneum?* S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 602. hanc Lxx. & Theod. lectionem referens, interpretatur, *si cognoscet*, &c. quamvis Lxx. habeant εἰ γνωσθήσεται, *si cognoscetur.* Verum S. Doctor, & alii veteres, qui Hexaplis usi sunt, cum interpretum lectiones afferunt, parva, si qua intercedant, discrimina negligere solent, ut recte observavit noster D. Bernard. de *Montfaucon*, Hexapl. tom. 2. pag. 209. col. 2. in not. Porro hi interpretes legebant הֲיֵדַע, pro הֲיָרֹעַ, cum ד pro ר; & מִצְפּוֹן formæ מִגְדּוֹל, cum מ heemantico, à צָפַן *abscondit*, & metaphorice *protexit*, pro מִצָּפוֹן. Denique alteram vocem בַּרְזֶל repetitam, ut pleonasticam omisere. Symm. μὴ βλάψει σίδηρος σίδηρον ἀπὸ βοῤῥᾶ, καὶ χαλκόν; *numquid lædet* (Hieron. *nocebit*) *ferrum, ferrum ab aquilone, & æs?* legebat הֲיָרַע à רָעַע. Vulg. *numquid fœderabitur ferrum ferro ab aquilone, & æs?* pro הֲיָרֹעַ legebat הֲיֵרָעַ formæ יִשַּׁע *aspiciet*, à rad. רָעָה *sociare se, sociari.* Audiamus Hieron. in h. l. tomo & pag. superius laudata. *Varietatis* (interpretationum) *causa perspicuus est: verbum enim IARE, quod in præsenti loco scriptum est, pro ambiguitate pronunciationis &* amicitiam *sonat &* malitiam. *Quod si pro RES litera, quæ DALETH literæ similis est, legatur DALETH*, scientiam cognitionemque *significat.*

Denique Isai. 60. v. 17. *permutatione auri pro ære; argenti pro ferro; æris pro lignis; ferri pro lapidibus*, significantur bona spiritualia per Messiam conferenda.

LAPIS, si ad hominem transferatur, denotat,

1°. Maximum animi stuporem. 1. Reg. 25. v. 37. *Emortuum est cor ejus* (Nabal) *intrinsecus, & factus est* (Nabal) *lapis*, Vulg. *quasi lapis.*

2°. Cordis duritiem, & statum peccati. Ezech. 11. v. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Vide etiam c. 36. v. 26. E contrario, fideles, & charitate ferventes, dicuntur *lapides vivi*, 1. Petr. 2. v. 5. habita ratione Christi lapidis pretiosi & electi, supra quem illi spiritualiter ædificantur, Ephes. 2. vv. 20. 21. 22. &c.

Gen. 49. v. 24. Josephus dicitur missus sive constitutus ab *Omnipotente Jacobi, pastor & lapis Israël*, quia Israëlem & familiam ejus pavit in Ægypto, eamque fulcivit ut lapis ædificium.

Zach. 12. v. 3. Jerusalem à Deo ponenda dicitur *lapis oneris* cunctis populis; ita ut omnes, qui levaverint eum, concisione lacerandi sint, & confringenda adversus eum omnia regna terræ. Hunc in textum sic scribit S. Hieron. tom. 3. nov. edit. col. 1780. *Mos est in urbibus Palæstinæ, & usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis, & castellis, rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium sublevare, alii usque ad genua, alii usque ad umbilicum, alii ad humeros & caput, nonnulli super verticem erectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollunt*, &c. Hac autem metaphora significatur futurum ut, qui vires in Ecclesia expugnanda periclitari voluerit, is huic oneri succumbat, imo vi & potentia summi lapi-

dis illius angularis, de quo Luc. 20. vv. 17. 18. conteratur.

Ex lapidicina sive latomia, elegantissima deducitur metaphora, qua parentes, & familiæ origo designantur. Isai. 51. v. 1. *Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci* (sive foveæ), *de qua præcisi estis.* Hic per *petram*, intelligitur Abraham; & per *cavernam*, Sara, ut versu sequenti explicatur. Recte autem Abrahamus cum petra, cui similis erat, corpore emortuo: Sara vero cum caverna sive cisterna, & quidem aquis carente, ob ejus sterilitatem, conferuntur. Hujus autem loci sensus est: Quemadmodum omnipotentia mea effeci, inquit Dominus, ut Abraham jam effœtus, & Sara sterilis vos genuerint: ita promissa mea de vestra consolatione complere, in me situm est; sequitur enim v. 3. *Consolabitur ergo Dominus Sion*, &c. quæ promissio ad Ecclesiam novi Testamenti pertinet.

Lapides pretiosos quod attinet; eorum, speciatimque *gemmarum* fit mentio in descriptione gloriæ, & splendoris interni Ecclesiæ Christi status. Isai. 54. v. 11. הִנֵּה אָנֹכִי מַרְבִּיץ בַּפּוּךְ אֲבָנַיִךְ וִיסַדְתִּיךְ בַּסַּפִּירִים׃ *Ecce ego colloco in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in sapphiris.* Vers. 12. וְשַׂמְתִּי כַּדְכֹד שִׁמְשֹׁתַיִךְ וּשְׁעָרַיִךְ לְאַבְנֵי אֶקְדָּח וְכָל־גְּבוּלֵךְ לְאַבְנֵי־חֵפֶץ׃ *Et ponam crystallum fenestras tuas, & portas tuas ex lapidibus gemmæ rutilantis: & omnem terminum tuum ex lapidibus beneplaciti*, vel *desiderabilibus.* Lxx. v. 11. ἰδοὺ ἐγὼ ἑτοιμάζω σοι ἄνθρακα τὸν λίθον σου, καὶ τὰ θεμέλιά σου σάπφειρον, *ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua sapphirum.* Vers. 12. καὶ θήσω τὰς ἐπάλξεις σου ἴασπιν, καὶ τὰς πύλας σου λίθους κρυστάλλου, καὶ τὸν περίβολόν σου λίθους ἐκλεκτούς, *& ponam propugnacula tua jaspidem, & portas tuas lapides crystalli, & ambitum tuum lapides electos.* Symm. hæc verba v. 11. הִנֵּה אָנֹכִי מַרְבִּיץ בַּפּוּךְ אֲבָנַיִךְ sic interpretatur: ἰδοὺ ἐγὼ συντίθημι στίμμει τοὺς λίθους σου, *ecce ego compono stibio lapides tuos.* Theod. ἰδοὺ ἐγώ εἰμι ἐμβαλῶν στίμμι τοὺς λίθους σου, *ecce ego sum, qui injeci stibio lapides tuos.* Hæc autem verba versus 12. וּשְׁעָרַיִךְ לְאַבְנֵי אֶקְדָּח, Aquila sic transtulit: τὰς πύλας σου λίθους τρυπανισμοῦ, *portas tuas lapides cælaturæ.* Sym. τὰς πύλας σου λίθους γλύφους, Theod. γλυφῆς, *portas tuas lapides sculptos*, Theod. *sculpturæ.* Vulg. v. 11. *Ecce ergo sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris.* Vers. 12. *Et ponam jaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos lapides desiderabiles.* S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 395. *ubi nos diximus:* sternam per ordinem lapides tuos, *in Hebräico scriptum est BAPHPHUCH, quod omnes præter Lxx. similiter transtulerunt,* sternam in stibio lapides tuos, *in similitudinem comptæ mulieris, quæ oculos pingit stibio, ut pulchritudinem significet civitatis. Et ubi nos* jaspidem *sequentes* Lxx. *diximus, in Hebräico scriptum habet CHODCHOD,* quod *solus Symmachus* καρχηδόνιον *transtulit. Pro* crystallo *quoque, in cujus loco apud Hebræos ECDA legitur,* Sym. & Theod. sculpturæ, *id est*, γλυφῆς, Aq. τρυπανισμοῦ *posuit, quod verbum foratarum cælatarumque gemmarum sensum sonat.* Ex hoc Hieron. testimonio patet Symmachum scripsisse γλυφῆς, sicut Theod. Procopius tamen ad Symm. habet γλύφους. Vide Hexapla D. Bern. de Montfaucon, tom. 2. pag. 177. Hanc autem descriptionem ad Ecclesiam Novi Testamenti pertinere liquet ex verbis sequentibus: *universos filios tuos* (ponam) *doctos à Domino*, quæ à Christo laudantur. Joan. 6. v. 45. Ecclesia igitur Christiana in *carbunculo*, vel *stibio* & *sapphiris fundatur*, h. e. in vera Jesu Christi cognitione, 1. Cor. 3. v. 11. &c. & justitia, quam suis impertit; unde sequitur v. 14. *& in justitia fundaberis. Fenestræ ejus* dicuntur esse ex *crystallo*, quibus intelliguntur Apostoli, Evangelistæ, aliique verbi Divini præcones, per quos, tanquam per fenestras crystallinas ac pellucidissimas, lux cœlestis in credentium animos illabitur. *Porta ejus* (sunt) *ex lapidibus gemmæ rutilantis*, quibus exprimitur jugis verbi Divini prædicatio, necnon splendor & ignis cœlestis, quo veluti à gemma rutilante, illustrantur & accenduntur, qui per eas ingrediuntur. *Omnis denique terminus ejus* (est) *ex lapidibus beneplaciti*, h. e. pulcherrimis & desideratissimis, quibus viva & electa Ecclesiæ membra

bra in toto orbe terrarum diffusa significantur. Hæc autem omnia perfectissime complebuntur in altera tantum vita, & in Jerusalem cœlesti, cujus exstat similis descriptio Apoc. 21. vv. 10. 11. 18. &c.

Margaritæ comparatur verbum Evangelicum, Matth. 7. v. 6. & regnum cœlorum, Matth. 13. vv. 45. 46. idque ob eorum dignitatem ac præstantiam.

Denique cordis humani pravitas & induratio, *adamante* lapide pretiosissimo ac durissimo exprimitur Zach. 7. v. 12.

SAL, ob virtutem servandi à putredine, & saporem cibis conferendi, transfertur *tum* ad Apostolos, aliosque verbi Divini præcones, quorum est salutari doctrina, & inculpatæ vitæ exemplo curare, ut ceteri ab omni corruptela fidei & morum sint immunes. Matth. 5. v. 13. *Vos estis sal terræ* (i. terræ incolarum); *quod si sal evanuerit*, (h. e. infatuatum fuerit). *in quo salietur?* h. e. quinam erunt, per quos *error ceterorum auferatur?* S. Aug. Vide etiam Marc. 9. v. 50. Luc. 14. v. 34. *Tum* ad veram sapientiam prudentiamque; ea enim actiones, vitam, & mores ab omni vitio servat, ut sal carnes à putredine. Vel etiam quia sapientia mores & sermones gratos & acceptos omnibus reddit, sicuti sal cibos.

Coloss. 4. v. 6. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.*

Sale condito sermoni opponitur *insulsus*, h. e. stultus & impius. Job. 1. v. 22. *In omnibus his non peccavit Job* (*labiis suis*, Vulg. quæ verba exstant etiam in mss. Alex. at in Heb. & LXX. Vatic. &c. desiderantur) *&* *non dedit* תִּפְלָה *insulsitatem*, Chald. *verba peccantia, contra Dominum.* Eleganter Vulg. *neque stultum quid contra Dominum loquutus est.*

Huc pertinet *pactum salis*, i. diuturnum & perpetuum; quæ enim sale medicata sunt, ea diutius durant, neque putrescunt. Num. 18. v. 19. *Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.* Vide 2. Paral. 13. v. 5.

Huc referendum illud Marc. 9. v. 48. *Omnis enim igne salietur, &* (h. e. *sicut*) *omnis victima sale salietur.* Rationem reddit Christus, cur vermis, qui damnatos rodit, non moriatur; & ignis, qui eos adurit, non exstinguatur; nempe quod vermis, ignis, & ipsi damnati igne saliantur; proindeque corruptionis sint expertes, & æternum duraturi; ut sal rebus aspersum, eas servat à putredine. Porro hîc respexit Christus ad Legem Levit. 2. v. 13. qua sibi cum victima qualibet salem offerendum præcipit Deus. Improbi autem sunt victima vermi nunquam morituro, & igni nunquam exstinguendo, h. e. suppliciis æternis destinata. Conjunctionis *&* per *sicut* expositæ, alia exempla vide in tom. I. p. 578. can. IV. num. I.

SULPHUR cum sale ignito conjunctum, gravissimas pœnas à Deo immissas significat. Deut. 29. v. 22. al. 23. *Sulphure & salis ardore comburens* (erit Dominus terram illam), *ita ut ultra non seratur.... in exemplum subversionis Sodomæ & Gomorrhæ*, &c. Vide etiam Job. 18. v. 15. Psal. 10. Heb. 11. v. 16. Isai. 34. v. 9. Ezech. 38. v. 22. Unde & in descriptione inferni ponitur sulphur, Isai. 30. v. 33. Apoc. 14. v. 10. cap. 20. v. 10. c. 21. v. 8. quibus in locis ad excidium Sodomæ & Gomorrhæ, sulphure & igne factum, Gen. 19. v. 24. respici quidam interpretes existimant.

ARTICULUS XIV.

De Metaphoris à terra nascentibus desumtis.

EORUM, quæ ex terra nascuntur, considerari possunt quædam tum *partes*, tum *genera*, & *species*, ex quibus in Scripturis desumuntur metaphoræ.

I. *Rerum ex terra nascentium partes.*

Rerum, quæ ex terra nascuntur, istæ sunt partes, quæ metaphorice accipiuntur.

SEMEN, ex quo planta naſcitur, quodque metaphorice ſignificat,

1°. Verbum Dei, quod in hominum cordibus quaſi ſeritur & plantatur, ut ibi radices agat, & fructus Deo gratos afferat. 1. Pet. 1. v. 23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſive mortali, ſed incorruptibili, per verbum Dei viventis, & permanentis in æternum.* Vide etiam 1. Joan. 3. v. 9. (cujus explicatio habetur Pſal. 118. Heb. 119. v. 11.) Luc. 8. v. 15. Jac. 1. v. 21.

2°. Credentes & fideles. Jerem. 2. v. 21. *Ego autem plantavi te vineam electam, omne ſemen verum*, &c. Confer Matth. 13. vv. 24. 38.

Verbum *ſeminare* Deo tributum, benedictionem ejus, & hominum multiplicationem ab eo factam denotat. Jerem. 31. v. 27. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſeminabo domum Iſraël, & domum Juda, ſemine hominum, & ſemine jumentorum*, i. homines & jumenta multiplicabo. Vide Oſe. 2. v. 23. al. 25. Zach. 10. v. 9. Cui contrarium eſt, Nah. 1. v. 14. *Non ſeminabitur de nomine tuo amplius*, h. e. intercides & peribis; nulla ſupererit nominis tui memoria.

Idem verbum hominibus tributum, ea in vita agere ſignificat, unde vel *bonum*, vel *malum* exſpectandum eſt.

Bonum, Pſal. 125. Heb. 126. v. 5. *Qui ſeminant in lacrymis, in exſultatione metent.* Vide v. 6. Prov. 11. v. 18. Oſe. 10. v. 12. 2. Cor. 9. v. 6.

Malum, Prov. 22. v. 8. *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala.* Vide Job. 4. v. 8. Jerem. 4. v. 3. Oſe. 8. v. 3.

Utrumque, Galat. 6. v. 8. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne metet & benedictionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.*

Denique verbum iſtud de corporibus humanis uſurpatum, mortem & ſepulturam eorum denotat. 1. Cor. 15. v. 42. *Seminatur* (corpus) *in corruptione, & reſurget in incorruptione*, i. in terra ſepelitur. Vide vv. 43, 44.

RADIX, plantæ baſis, & accretionis omnis principium ponitur,

1°. Pro quavis origine, cauſa, & fundamento rei. Deut. 29. v. 18. *Ne forte ſit ... inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* Vide Iſai. 14. v. 30. Rom. 11. vv. 16. 17. 18. 1. Tim. 6. v. 10. Heb. 12. v. 15.

2°. Pro rerum ſtatu proſpero. Job. 29. v. 19. *Radix mea aperta eſt*, (i. explicata, diffuſa) *ſecus aquas*, &c. Sumta eſt metaphora ab arboribus, quarum radices aquarum copia irrigantur. Hinc phraſis, *radices agere*, pro, bene ſe habere, multiplicari. Job. 5. v. 3. *Ego vidi ſtultum* מַשְׁרִישׁ *radices agentem*, Vulg. *firma radice*, h. e. feliciter agentem, &c. Vide etiam Pſal. 79. Heb. 80. v. 10. Iſai. 27. v. 6. c. 37. v. 31. Jerem. 12. v. 2. E contrario, *radicis exſiccatione*, impiorum interitus denotatur. Job. 18. v. 16. *Deorſum radices ejus* (impii) *ſiccentur*, &c. Vide Iſai. 5. v. 24. Oſe. 9. v. 16. Malach. 4. v. 1.

Radices pedum ſpeciatim ſignificant calces vel talos, quia infima pars pedis ſunt, ut radix plantæ. Job. 13. v. 27. וְתָשֵׂם בַּסַּד רַגְלַי *ponis* vel *poſuiſti in nervo*, (h. e. in cippo vel compede) *pedes meos*, (ne elabi poſſim) ... עַל שָׁרְשֵׁי רַגְלַי תִּתְחַקֶּה *ſuper radices pedum meorum imprimis*, vel nervum illum; vel *imprimeris*, i. veſtigiis pedum meorum quaſi affixus inhæres, diligenter me obſervas, & veluti pede pedem premis. Unde LXX. εἰς τὰς ῥίζας τῶν ποδῶν μου ἀφίκου, *& poſt radices pedum meorum abis.* Vulg. *veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Quidam commatis hujus initium ſic interpretantur: *Ponis* vel *poſuiſti in calce*, aut potius *in cæmento pedem meum*, ut omnia veſtigia mea explorata habeas; ita ut סַד ſit pro שִׂיד aut שִׂד *calx, cæmentum*, cujus hhiriq mutatur in (-), & שׂ in ס.

Iſai. 11. v. 1. *Radice Jeſſe* intelliguntur *vel* majores ejus, Abraham, Iſaac, Jacob, &c. ex quibus ortus eſt ipſe Jeſſe; *vel* poſteri ejus, puta David, ex quo natus eſt Chriſtus ſecundum carnem.

Huc referri poteſt, quod ait Job. cap. 19. v. 28. *Quare ergo nunc dicitis: perſequamur eum* (Jobum), וְשֹׁרֶשׁ דָּבָר נִמְצָא־בִי *cum radix verbi* (Divini) *in me inveniatur?* hoc eſt, cum in verbo Dei radicatus ſim, ac pro certo habeam fore ut in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſim, &c. Confer Epheſ. 3. v. 18.

Coloss. 2. v. 7. Lxx. & Symm. καὶ ῥίζαν λόγου εὑρήσομεν ἐν αὐτῷ, *& radicem verbi inveniemus in eo*, Vulg. *inveniamus adversus eum*, h. e. peccatum sermonis, ut quidam interpretantur. Vel, ut aliis placet, fundamentum causæ, sive litis, ut Tullius dixit *stirpem quæstionis*, inveniemus in eo, &c. Hi interpretes legebant בּוֹ pro בִּי, & נִמְצָא accipiebant in prima persona plurali fut. qal.

RAMUS denotat,

1°. Prosperitatem sub imagine arboris crescentis, virentis, vigentisque adumbratam. Gen. 49. v. 22. בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף בֵּן פֹּרָת עֲלֵי־עָיִן בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר *filius fœcundæ*, seu *frugiferæ* (arboris) *Joseph*, *filius fœcundæ*, *juxta fontem:* (cujus) *filiæ*, (i. rami) *discurrunt supra murum*, h. e. Joseph est veluti ramus fœcundæ arboris juxta aquam plantatæ, cujus rami supra vel secundum muros expanduntur. Lxx. υἱὸς ηὐξημένος Ἰωσήφ, υἱὸς ηὐξημένος (μου), ζηλωτὸς υἱός μου νεώτατος· πρὸς μὲ ἀνάστρεψον, *filius auctus* vel *accrescens Joseph*, *filius accrescens meus*, *amabilis filius meus minimus: ad me convertere*. Pronomen parenthesi inclusum μου deest in ms. Alex. in Ald. edit. & in Heb. Voces עֲלֵי־עָיִן *super oculum*, vel *in oculis*, verterunt ζηλωτὸν, h. e. *amabilem*, vel qui ab omnibus expetatur dignum; nam עַיִן, vel in pausa עָיִן, & *oculum* & *fontem* significat. Pro בָּנוֹת צָעֲדָה *filiæ discurrerunt*, ad verbum *discurrit*, per distributionem, h. e. unaquæque filiarum discurrit, legebant בְּנִי הַצְּעִירָה *filius meus minimus*, mutato ו in (י), & ת in ה, quod cum voce sequenti jungebant, in qua insuper legebant ר loco ד. Enallagen generis quod attinet, ea explicari potest subintellecta dictione feminina תַּרְבּוּת *soboles*, *progenies*, ante vocem femin. הַצְּעִירָה, q. d. *filius meus proles* (mea) *novissima*. Vel ה est paragogicum, tuncque accentus debet esse in penultima, sic: הַצְּעִירָה. Denique pro עֲלֵי legebant עָלַי *ad me;* & שׁוּר spectabant ut imperativum verbi שׁוּר, quod etiam *contemplari* significat. Vulg. *Filius accrescens Joseph*, *filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum*, scilicet ad videndum eum.

Job. c. 29. v. 19. *Radix mea aperta est secus aquas*, *& ros morabitur* בִּקְצִירִי, Lxx. ἐν τῷ θερισμῷ μου, Vulg. *in messione mea*. At קָצִיר eo loci melius exponitur *ramus*, ut cap. 18. v. 16. ubi à Sym. vertitur χαίτη *coma*. Alia exempla vide Psal. 79. Heb. 80. vv. 11. 12. Ezech. 17. v. 6. seqq. c. 19. vv. 10. 11. c. 31. v. 3. seqq.

2°. Calamitates sub imagine arboris marcescentis delineatas. Job. 18. v. 16. *Deorsum radices ejus* (impii) *siccentur; sursum autem atteratur* קְצִירוֹ *ramus ejus*, Lxx. θερισμὸς αὐτοῦ, Vulg. *messis ejus*. Vide supra, & Isai. 25. v. 5. Malach. 4. v. 1. &c.

Apostolus Rom. 11. vv. 16. 17. & seqq. Israëlitas *ramos* vocat, quod ex Patriarchis, ut ex radice, orti sint. *Quod si... radix sancta*, *& rami*. Vers. 17. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt*, &c.

Isai. 60. v. 21. Ecclesia Christiana dicitur *germen* sive *surculus plantationis Dei;* quia eam Christo vitæ arbori quasi implantatam, singulari ratione curat, fovet, Spiritu suo vegetat, &, qui in ea sunt electi, in æternum salvat.

FOLIUM, quod facile decidit & marcescit, vilitatem, impotentiam, & vanitatem significat. Job. 13. v. 25. *Contra folium*, *quod vento rapitur*, *ostendis potentiam tuam*, &c. Quia vero arborum quarumdam folia perpetuo virent, ea significant,

1°. Vitam æternam. Ezech. 47. v. 12. *Non defluet folium ex eo*, *& non deficiet fructus ejus*, (ligni ex utraque parte torrentis plantati). Confer Apoc. 22. v. 2.

2°. Justos. Psal. 91. Heb. 92. v. 15. עוֹד יְנוּבוּן בְּשֵׂיבָה דְּשֵׁנִים וְרַעֲנַנִּים יִהְיוּ *adhuc germinabunt* (justi) *in senecta*, *pingues & virides erunt*. Aq. ἔτι γεννηματίζοντες ἐν πολιᾷ πίονι.... *adhuc germinantes* (erunt) *in canitie pingui....* Sym. ἔτι καρποφορήσουσι γηρῶντες, πίονες καὶ ἀνθαλεῖς ἔσονται, *adhuc fructum ferent senes*, *pingues & floridi erunt*. V^{a}. edit. ἔτι γεννηματίσουσι.... *adhuc germinabunt*. VI^{a}. edit. ἔτι πληθυνθήσονται, *adhuc multiplicabuntur....* S. Hieron. *adhuc fructificabunt in senectute: pingues & frondentes erunt*. Lxx. ἔτι πληθυνθήσονται ἐν γήρει πίονι, καὶ εὐπαθοῦντες ἔσονται, *tunc* (Vulg. Lat. *adhuc*) *multiplicabuntur in senecta uberi*,

& bene patientes erunt. Pro דְּשֵׁנִים *pingues*, legebant דְּשָׁנִים *pinguedinum*, sic: *in senecta pinguedinum*, hoc est, pingui, sive uberi; & relicta metaphora, sequentes voces וְרַעֲנַנִּים יִהְיוּ reddiderunt: *bene patientes erunt*, h. e. bene se habebunt, senectutis calamitatibus & incommodis non erunt obnoxii. Confer Psal. 1. v. 3. Psal. 51. Heb. 52. v. 10.

Verbum צָמַח *germinavit*, quod de foliorum virore etiam dicitur, transfertur quoque,

1°. Ad naturalia quædam, puta pilos capitis & barbæ. Lev. 13. v. 37. *Et si in oculis ejus* (Sacerdotis) *steterit macula, & capillus niger germinaverit*, &c. i. ut Lxx. ἀνατείλῃ, *ortus fuerit*. Vulg. *Porro si steterit macula, & capilli nigri fuerint*, &c. Vide etiam 2. Reg. 10. v. 5. Jud. 16. v. 22. Ezech. 16. v. 7.

2°. Ad spiritualia Dei beneficia. Psal. 131. Heb. 132. v. 17. *Illic germinare faciam cornu David*, &c. Vulg. *illuc producam cornu David*, h. e. potentiam Davidis, nempe Christum Messiam, qui ex eo secundum carnem natus est. Vide insuper Isai. 42. v. 9. c. 43. v. 19. c. 61. v. 11.

Denique verbum *revirescere*, sive *reflorescere*, de animo, benevolentia, & amore ad benefaciendum excitato, eleganter usurpatur, Philipp. 4. v. 10. *Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando* ἀνεθάλετε *refloruistis pro me sentire: sicut & sentiebatis*, &c. h. e. quod fecistis ut pristina vestra in me charitas ac benevolentia quasi *revirescerct* & *reflorerct*. E contrario de gaudio dicitur, quod *arescat*, cum illud perit ac tollitur. Joel. 1. v. 12. ... כִּי הֹבִישׁ שָׂשׂוֹן מִן־בְּנֵי אָדָם *quia aruit gaudium à filiis hominum*, h. e. quia gaudium arefactum sublatum est à filiis hominum. Lxx. ὅτι ᾔσχυναν χαρὰν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, *quia confuderunt gaudium filii hominum.* Vulg. *quia confusum est gaudium à filiis hominum.* Is & Lxx. הֹבִישׁ retulerunt ad verbum בּוֹשׁ *confundere*, quod formam verborum quiescentium Pé (י) imitatur. Vide tom. I. pag. 256. col. 2. in fine.

FLOS in sermone Hebræo, uti frequenter & in Latino, prosperitatem denotat. Isai. 5. v. 24. *Sicut devorat stipulam lingua ignis: sic* .... פִּרְחָם *flos eorum*, Vulg. *germen eorum* (improborum) *ascendet*, id est, evanescet prospera eorum fortuna. Conf. Job. 15. v. 33. c. 30. v. 12.

Eandem significationem habet verbum פָּרַח *florere*. Psal. 91. Heb. 92. v. 13. *Justus ut palma florebit*, &c. Vide v. 14. Psal. 131. Heb. 132. v. 18. Prov. 14. v. 11. Isai. 27. v. 6. Ose. 14. v. 8. & confer Isai. 66. v. 14. Ezech. 17. v. 14.

Idem verbum de ulceribus etiam & lepra usurpatur. Exod. 9. v. 9.... *erit enim in hominibus & jumentis* לִשְׁחִין פֹּרֵחַ *ulcus florens*, sive *germinans*, &c. Vide v. 10. Levit. 13. v. 39. &c.

Quia vero *flos* facile decidit, & flaccet; pro fluxo, fragili, & caduco ponitur. Isai. 28. v. 1. *Væ coronæ superbiæ, & flori decidenti*, &c. Vers. 4. *Et erit flos decidens gloriæ exsultationis ejus*, &c. Confer Isai. 40. vv. 6, 7. 8. Psal. 102. Heb. 103. vv. 15. 16. Jac. 1. vv. 10. 11. 1. Petr. 1. v. 24.

FRUCTUS metaphorice accipitur pro rei effectu sive mercede; idque tam *in bonam* quam *in malam* partem.

In bonam, Psal. 57. Heb. 58. v. 12. *Si utique est fructus justo*, &c. i. *merces bona*, ut Chald. interpretatur. Vide etiam Isai. 3. v. 10. Heb. 12. v. 11. Jac. 3. v. 18.

In malam, Jerem. 6. v. 19. *Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus*, &c. h. e. *retributionem operum ipsorum*, ut interpr. Chald. Ipsa etiam opera sive bona, sive mala, *fructus* dicuntur. Bona quidem, Matth. 3. v. 8. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, i. opera digna pœnitentiæ. Confer Act. 26. v. 20. & vide insuper Rom. 6. v. 22. Galat. 5. v. 22. Ephes. 5. v. 9. Philipp. 1. v. 11. Mala vero, Isai. 10. v. 12. *Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur*, &c. h. e. animadvertam in mala ejus opera. Vide etiam Jerem. 21. v. 14. Rom. 6. v. 21. Ratio metaphoræ est, quod homines cum pii, tum impii, cum arboribus bonis & malis conferantur, quarum illæ bonos fructus, hæ vero malos afferunt. Vide Matth. 3. v. 10. cap. 7. v. 16. seqq. c. 12. v. 33. Jud. v. 12. Hinc verbum *fructificare Deo*, Rom. 7. v. 4. significat bona opera, quæ ab

eo proficiscuntur, & quibus ei sumus accepti. E contrario, v. 5. *morti fructificare*, est mala opera exercere, quæ mortem animæ afferunt.

Alia metaphora, *fructus labiorum*, sermonem significat, Isai. 57. v. 19. *Creavi fructum labiorum pacem*, &c. i. *sermonem*, ut Chald. interpretatur. Feci, seu faciam, ut labia tum eorum, qui longe, tum eorum, qui prope sunt, nonnisi pacem ac tranquillitatem loquantur. Ita & verbum נוּב *germinare*, Prov. 10. v. 31. *Os justi* יָנוּב *germinabit sapientiam*, Vulg. *parturiet*, h. e. loquetur, seu *proferet*, ut interpretatur Chald.

Zach. 9. v. 17. *Quid enim bonum ejus est... nisi...vinum* יְנוֹבֵב, (quod) *fœcundas faciet virgines*, i. facundas ad laudandum Deum, & in bonis operibus fructificandum.

Hucusque de terræ nascentium partibus. Sequuntur eorumdem *genera* quædam & *species*.

II. *Rerum è terra nascentium genera quædam & species.*

PLANTA, si Deo tribuatur, Ecclesiam ejus significat. Isai. 5. v. 7. *Vinea enim Domini exercituum, domus Israël est: & vir Juda*, נְטַע שַׁעֲשׁוּעָיו *planta deliciarum ejus*. LXX. *νεόφυτον ἠγαπημένον, nova planta dilecta*. Vulg. *germen ejus delectabile*. Vide c. 60. v. 21. c. 61. v. 3. Ezech. 34. v. 29. Unde Matth. 15. v. 13. *Omnis plantatio*, (inquit Christus), *quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur*; qua metaphora impios, hypocritas, & reprobos, qui in Ecclesiæ horto inveniuntur, notat Christus.

Ita verbum *plantandi* Deo tributum, significat,

1°. In genere formare seu facere. Psal. 93. Heb. 94. v. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet?* i. qui formavit.

2°. In specie, benedicere, augere, felicitate donare, &c. Exod. 15. v. 17. *Introduces eos* (Israëlitas) *& plantabis eos in monte hæreditatis tuæ*, &c. hoc est, firmabis, stabilies, multiplicabis, &c. Vide etiam 2. Reg. 7. v. 10. Psal. 43. Heb. 44. v. 3. Psal. 79. Heb. 80. v. 9. Isai. 40. v. 24. Jerem. 12. v. 2. cap. 18. v. 9. Ezech. 36. v. 36. Amos 9. v. 15.

Plantandi verbo contrarium est *evellendi*; quod ejicere, benedictionem amovere, destruere & punire significat. 2. Paral. 7. v. 20. *Evellam vos de terra mea, quam dedi vobis*, &c. i. ejiciam. Vide etiam Deut. 29. v. 28. Jerem. 18. v. 7. c. 31. v. 28. Amos 9. v. 15.

3°. Specialissime, instaurationem per Christum factam, & hominum sanctificationem ad vitam æternam. Isai. 51. v. 16. *Posui verba mea in ore tuo* (verba sunt Dei ad Christum) *& in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos* (novos), *& fundes terram* (novam), &c. Vide Psal. 91. Heb. 92. v. 14. Rom. 6. v. 5.

Huc pertinet 1°. *Inserendi* verbum, Rom. 11. vv. 17. 19. 23. 24. de Gentilium ad Christi Ecclesiam adjectione usurpatum. 2°. *Plantatio* & *rigatio*, quæ verbi Divini ministris tribuitur, 1. Cor. 3. vv. 6. 7. 8.

Denique *plantare* de tentorio & habitaculo dicitur, cujus paxilli terræ, instar plantarum, infiguntur. Vide Dan. 11. v. 45.

ARBOR sive LIGNUM in similitudine expressa sæpe adhibetur; in metaphora autem, quæ concisa similitudo est, refertur,

1°. Ad hominem, cujus conditionem tam *bonam*, quam *malam* denotat. Bonam, Ezech. 17. v. 24. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus... exaltavi lignum humile... & frondere feci lignum aridum.* Malam, ibidem *... quia... humiliavi lignum sublime, & siccavi lignum viride*, h. e. superbos humiliavi, & exaltavi humiles. Vide Matth. 3. v. 10. cap. 12. v. 33. Jud. v. 12.

2°. Ad rem quampiam salutarem & utilem, quæ propterea *arbor* vel *lignum vitæ* dicitur. Prov. 3. v. 18. (Sapientia) *lignum sive arbor vitæ est his, qui apprehenderint eam*, &c. Vide c. 11. v. 30. c. 13. v. 12. c. 15. v. 4.

In specie, CEDRUS, SPINA, MYRTUS, OLIVA, ABIES, ULMUS & BUXUS, ob umbram, quam præstant, ad regni Christi amœnitatem, & donorum cœlestium varietatem significandam adhibentur, Isai. 41. v. 19. Vide etiam c. 55. v. 13. c. 60. v. 13.

CEDRUS, ABIES, QUERCUS, Zach. 11. vv.

1. 2. hominum diversæ conditionis ruinam & excidium denotant.

CEDRUS & QUERCUS, Isai. 2. v. 13. regni proceres & magnates designant; unde Chald. interpretatur *reges populorum fortes & robustos, ac tyrannos provinciarum.*

CEDRUS, Ezech. 17. v. 22. regiam Davidis stirpem, ex qua natus est Christus, significat. Sic גזע *stirps*, sive *truncus*, Isai. 11. v. 1. ejusdem Christi in tempore nativitatem designat.

Arborum putatione, & omnimoda dejectione, populi excidium denotatur, Isai. c. 10. vv. 18. 34. c. 40. v. 24. Zach. 11. vv. 1. 2.

TRABS (δοκὸς) & FESTUCA (κάρφος, apex tenuis à ligno fisso abscedens) ad majora & minora peccata significanda usurpantur, Matth. 7. vv. 3. 4. 5.

SPINÆ, ob maximum, quem pungendo inferunt dolorem, designant,

1°. Pravos noxiosque homines. Num. 33. v. 55. *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanserint, erunt vobis in spinas* (Vulg. *quasi clavi*) *in oculis, & lanceæ in lateribus*, &c. Vide Jos. 23. v. 13. Isai. 9. v. 18. cap. 10. v. 17. c. 27. v. 4. Ezech. 2. v. 6. c. 28. v. 24. Confer, ratione similitudinis, 2. Reg. 23. vv. 6. 7. Isai. 33. v. 12. Nah. 1. v. 10. Matth. 7. v. 16. Luc. 6. v. 44. &c.

2°. Objecta impedimenta. Ose. 2. v. 6. *Propter hoc, ecce ego sepiam viam tuam spinis*, &c.

Jerem. 4. v. 3. *Serere super spinas*, est peccata peccatis addere, vel irrito labore seminare. Confer Matth. 13. vv. 7. 22.

ARUNDO, debilis frutex, qui vel levi aura agitatur, denotat,

1°. Homines inconstantes, leves, & in fide vacillantes. Matth. 11. v. 7. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Vide etiam Luc. 7. v. 24.

2°. Afflictos & contritos. Isai. 42. v. 3. *Arundinem quassatam* (Vulg. *calamum quassatum*) *non confringet*. Messias, imo consolidabit.

3°. Auxilio ferendo impares, insuperque pravos & noxios, quibus cum damno, ut arundineo baculo confracto & manum lædente confiditur. 4. Reg. 18. v. 21. *An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam?* Vide etiam Isai. 36. v. 6. Ezech. 29. vv. 6. 7.

Huc pertinet *juncus*, quo infimæ sortis & conditionis homines significantur. Isai. 9. v. 14. *Et disperdet Dominus ab Israële, caput & caudam*, כפה ואגמון *ramum & juncum*, h. e. ut LXX. interpretantur, μέγαν καὶ μικρὸν, *magnum & parvum*. Cap. 19. v. 15. Eadem verba iidem interpretes & Symm. vertunt ἀρχὴν καὶ τέλος, *principium & finem*. Aq. *incurvum & στρεβλεύοντα perversum*. Theod. *pro more suo ipsa verba Hebräica posuit, CHEPHPHA & AGMON*, ut scribit S. Hieron. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 185. Vulg. in utroque versu *incurvantem & refrænantem* transtulit, respexitque ad verbum כָּפַף (unde כפה), quod significat *incurvare*; & ad significatum alterum nominis אגמון, quod κρίκον *circulum* interdum vertunt LXX. ut Job. 40. v. 21. al. 26.

ABSINTHIUM & ראש, quæ vox ultima pluribus est *cicuta*, ob ingratum saporem, & summam amaritudinem denotant,

1°. Culpas & peccata. Deut. 29. v. 17. al. 18. *Ne forte sit.... inter vos radix germinans* ראש ולענה *cicutam & absinthium*. LXX. ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ *in felle & amaritudine*. Vulg. *fel & amaritudinem*. In his versionibus est metonymia effectus pro causa; ex hoc enim loco, & Ose. 10. v. 4. liquet vocem ראש, quæ à LXX. redditur χολὴ, à Vulg. *fel*, plantam esse; vel, ut scribit Hieron. comment. in Ose. 10. v. 4. tom. 3. nov. edit. col. 1302. *genus herbæ calamo simile, quæ per singula genicula fruticem sursum & radicem mittit deorsum: rursusque ipsi frutices & virgulta alterius herbæ seminaria sunt; atque ita in brevi tempore, si non imis radicibus effodiatur, totos agros veprium similes facit.* Vide etiam Amos 5. v. 7. cap. 6. v. 12. & conf. Deut. 32. v. 32. Isai. 5. v. 20. Apoc. 8. v. 11.

2°. Pœnas & supplicia. Psal. 139. Heb. 140. v. 10. ראש מסבי עמל שפתימו יכסימו, Symm. ὁ πικρασμὸς τῶν κυκλούντων με, ὁ μόχθος τῶν χειλέων αὐτῶν τιμωρείτω αὐτοὺς, *exacerbatio*,

vel *amaritudo circumdantium me, labor labiorum ipsorum operiat eos.* S. Hieron. *amaritudo convivarum meorum, labor labiorum eorum operiet eos*, h. e. amaritudo & labor, quibus me affligendum opera sua dixerunt circumdantes me, vel inimici mei, in capita eorum recident. Lxx. & Theod. ἡ κεφαλὴ τῆς κυκλώματος αὐτῶν, κόπος τῶν χειλέων αὐτῶν καλύψει αὐτοὺς, Vulg. Lat. *caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.* Pro מְסִבַּי legebant מְסִבּוֹ *circuitus ejus*, per enallagen sing. pro plurali; quare verterunt *eorum*, inimicorum scilicet. Præterea vocem רֹאשׁ in primaria ejus significatione acceperunt, eo sensu: & ducem cœtus eorum, & ipsos operiet labor, quem mihi afferendum dixerunt. Vide vers. 4. (ubi *veneni aspidum* fit mentio), Jerem. 9. v. 15. c. 23. v. 15. Thren. 3. vv. 15. 19. & confer Prov. 5. v. 4.

Terræ nascentium generibus recte adjiciuntur subjecta continentia, quæ sunt *sylva* & *hortus*. De sylvæ metaphorica acceptione egimus supra pag. 138. coll. 1. 2.

HORTUS Ecclesia dicitur, Cant. 4. v. 12. ob spiritualem ejus fructificationem; etquidem *conclusus*, vel quia, ut loquitur Vincentius Lirinensis in common. cap. 32. *sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit*; vel quia sponsi sui Christi protectione circumvallata, ridet portas inferi, quæ nunquam adversus eam prævalebunt.

Luc. 23. v. 43. Cœlum beatorum, seu vita æterna, *paradisus* vocatur, ob summam horti illius amœnitatem & bonorum omnium spiritualium abundantiam. Vide etiam 1. Cor. 12. v. 4. Apoc. 2. v. 7. Porro Græca vox παράδεισος, unde Latina *paradisus*, venit ab Hebræa פַּרְדֵּס, quæ secundum nonnullos interpretes, locum frugiferis arboribus consitum, sive pomarium, Gallice *verger*, proprie significat.

Ea sunt terræ nascentium genera quædam & species, ex quibus metaphoræ in Scripturis deducuntur. Sequuntur tres aliæ species, quæ terram Chanaan maxime commendabant, nempe *olea*, *vitis* & *frumentum*, quæ conjunguntur Deut. 14. v. 23. cap. 18. v. 4. Psal. 103. Heb. 104. v. 15. Jerem. 31. v. 11. Ose. 2. v. 8. Joel. 2. v. 19. & apud Lxx. Vulg. Syr. Arab. & Æthiop. Psal. 4. v. 8. De his tribus speciebus seorsim in seqq. articulis agemus.

ARTICULUS XV.

De Metaphoris ab olea, &c. desumtis.

OLEA sive OLIVA designat,

1°. Populum Israëliticum. Jerem. 11. v. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum*, (h. e. instar oleæ virentis & frondosæ eras, quæ pulcherrime efflorescit, & spem sui fructus facit magnam. Verum quia votis Domini exercituum, qui plantavit te, non respondisti,) *ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea*, (enallage personæ, pro, *in te*) *& combusta sunt fruteta ejus*, eadem enallage, pro, *tua*. Textus Hebræus posterioris hemistichii, לְקוֹל הֲמוּלָּה גְדֹלָה הִצִּית אֵשׁ עָלֶיהָ וְרָעוּ דָּלִיּוֹתָיו sic verti potest: *ad vocem strepitus magni* (procellarum) *accendit ignem super eam*, vel *accensus est ignis in ea* (oliva), *& fregerunt*, vel *fracti sunt propagines ejus*, ita ut tertiæ illæ personæ activæ sumantur passive. Sensus autem est: inimici tui quasi concursantes ventorum procellæ, decutient flores tuos, & ramos tuos confringent, h. e. parvos & magnos trucidabunt; tandemque oppidum ipsum, tanquam arboris truncum, igne consument. Lxx. εἰς φωνὴν περιτομῆς αὐτῆς, ἀνήφθη πῦρ ἐπ' αὐτήν [μεγάλη ἡ θλῖψις ἐπὶ σέ] ἠχρειώθησαν οἱ κλάδοι αὐτῆς, *ad vocem circumcisionis ejus, accensus est ignis super eam*, [*magna tribulatio super te*] *inutiles facti sunt rami* sive *propagines ejus*. Vocem הֲמוּלָּה, quam reddiderunt περιτομὴν *circumcisionem*, deducebant à מוּל *circumcidere*, legebantque חֲמוּלָהּ cum affixo tertiæ personæ sing. femin.

Eandem vocem interpretatus est Vulg. *loquelam*, à radice מָלַל *loquutus est*. Præterea Lxx. וְרָעוּ retulerunt ad רוּעַ *malum esse*, & per meiosin, *inutile esse*. Denique voces, μεγάλη ἡ θλῖψις ἐπὶ σὲ, videntur esse altera versio dictionum גְּדוֹלָה אֵשׁ עָלֶיהָ; unde in Complut. desiderantur. Spectari etiam possunt ut glossa, quæ ex margine in textum irrepsit. Ceterum is interpres vel scholiasta, quisquis fuerit, pro עָלֶיהָ legit עָלֶיךָ cum ך loco ה, & in masc. genere; quia retulit vel ad populum Judaïcum, qui sub oleæ imagine adumbratur; vel ad זַיִת *oliva*, quæ communis est generis: unde in דָּלִיּוֹתָיו affixum est masculinum. Vel legit עָלַיִךְ femin. atque ita nulla erit generis enallage. Potuit etiam commodioris, ut ipsi videbatur, sensus efficiendi gratia pronomen tertiæ personæ cum pronomine secundæ commutare.

Huc etiam referunt nonnulli duas olivas, quarum fit mentio Zach. 4. vv. 11. 12. quæque v. 14. dicuntur *duo filii olei*, h. e. duæ olivæ pinguissimæ; illæ enim denotant omnimoda Spiritus Sancti dona Ecclesiæ jugiter à Deo conferenda per Christum, qui *oleo lætitiæ præ consortibus suis unctus* à Deo dicitur, Psal. 44. Heb. 45. v. 8. *& à quo unctionem habent* credentes, 1. Joan. 2. vv. 20. 27.

2°. Olea metaphorice sumta designat ejusdem populi Israëlitici Ecclesiam, cujus radix statui potest Abraham credentium pater. Gentiles autem sunt oleaster ille, de quo Rom. 11. v. 17. qui veræ oleæ, loco ramorum ejus, qui fracti sunt, h. e. Judæorum, qui non crediderunt, insertus; socius factus est radicis & pinguedinis, h. e. radicis pinguis, vel pinguedinis ex radice ascendentis, ac in ramos sese diffundentis; ibi enim est *hendyadis*, de qua in tom. I. pag. 460. can. I. & pag. 497. can. II.

Denique Apoc. 11. v. 3. duo testes, qui prophetaturi sunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis, v. 4. appellantur *duæ olivæ*; idque *tum* ob consolationem electis à Spiritu Sancto, qui est oleum lætitiæ, eorum ministerio adhibendam; *tum* ob eorumdem testium in persequutionibus constantiam ac perseverantiam; oleæ enim folia non defluunt, sed perpetuo virent: neque ipsum oleæ lignum cariem ex vetustate sentit.

OLEUM fructus oleæ metaphorice notat,

1°. Rerum jucundarum abundantiam. Deut. 32. v. 13. *Ut sugeret* (populus Israëliticus) *mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Vide etiam Job. 29. v. 6.

2°. Animi lætitiam refectionemque, si ratione unctionis consideretur; olei enim, quo ungebantur veteres, mira erat fragrantia, quæ & animum recreabat, & reficiebat vires. Psal. 22. Heb. 23. v. 5. *Impinguasti in oleo caput meum*, &c. hoc est, unguentis optimis recreasti me & corroborasti.

Psal. 91. Heb. 92. v. 11. ... *& senectus mea* בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן *in oleo viridi* ungetur, h. e. oleo recenti & purissimo perfundetur; proindeque robusta erit ac vegeta. Lxx. ἐν ἐλέῳ πίονι, Vulg. Lat. *in misericordia uberi*. Sed ἐλέῳ mendum est, pro ἐλαίῳ, ut habent Ald. & Complut. frequentissima enim est in mss. codicibus τοῦ αι in ε commutatio. Symm. ὡς ἐλαία ἀνθαλὴς, *sicut oliva florida*; legebat כְּשֶׁמֶן pro בְּשֶׁמֶן. S. Hieron. *in oleo uberi*. Vide etiam Cant. 1. v. 3. Isai. 61. v. 3. Hinc Messias vocatus est *Christus*, sive *unctus*, unctione scilicet Spiritus Sancti, cujus charismatum symbolum est oleum.

Isai. 10. v. 27. Populi Dei hostium internecionem denotat oleum. *Et erit in die illa: auferetur onus ejus* (Assur) *de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet* vel *dissolvetur jugum* (ab eo tibi impositum) *à facie olei*, sive *propter oleum*, aut *unctionem*, nempe Christum Messiam, ut explicat Chald. Ratio metaphoræ petitur à natura olei, quod nodos quosvis facile laxat.

Hæc sufficiant de olea & fructu ejus oleo, quod sæpe in Scripturis Spiritus Sancti donorum est symbolum. Ratio autem metaphoræ hujus non videtur aliunde petenda, quam ab athletis, qui in arenam descensuri oleo ungebantur, tum ut membra eorum vegetiora essent ac flexibiliora; tum ut difficilius ab eorum adversariis caperentur, tenerenturque. Sic Spiritus Sancti dona roborant animum, faciuntque ne diaboli laqueis irretiatur, vel diu iis irretitus detineatur.

ART. XVI.

ARTICULUS XVI.

De Metaphoris à vite, & iis, quæ ipsi analoga sunt, desumtis.

VINEA in metaphora continuata & parabola, Ecclesiam *tum* Veteris, *tum* Novi Testamenti designat. Vide Isai. 3. v. 34. c. 5. v. 1. seqq. c. 27. vv. 2. 3. 6. Cant. 8. vv. 11. 12. Matth. 20. v. 1. seqq. c. 21. v. 33. seqq.

Alias, libera vinearum plantatio, pacis spiritualis in regno Messiæ notionem exhibet, Isai. 65. vv. 21. 22. confer Deut. 28. vv. 30. 39. 3. Reg. 4. v. 25. Mich. 4. v. 4. Sic *habitare* seu *sedere sub vite sua, & sub ficu sua*, 3. Reg. 4. v. 25. est pace ac tranquillitate frui. Confer 4. Reg. 18. v. 31. Hic autem agitur de vitibus *compluviatis*, ut eas vocat Plinius l. 17. c. 21. h. e. in tecti morem longe lateque fornicatis, Gallice *treilles*. Vitis autem & ficus hic synecdochice accipiuntur; iis enim quælibet etiam aliæ arbores significantur. Eadem metaphora pax spiritualis & interna tempore Christi futura exprimitur, Mich. 4. v. 4. Zach. 3. v. 10.

VINUM & MUSTUM tam *in bonam*, quam *in malam* partem accipiuntur.

In bonam, gratiæ ac misericordiæ Divinæ effecta denotant. Prov. 9. v. 5. *Venite ... & bibite vinum, quod miscui vobis.* Vide etiam Cant. 2. v. 4. Isai. 55. v. 1. Joel. 3. v. 23. Zach. 9. v. 17. quibus in locis beneficia regni Christi exprimuntur, quæ sunt *justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, Rom. 14. v. 17. ut de naturali vino dicitur Psal. 103. Heb. 104. v. 15. quod *lætificet cor hominis*; & Judic. 9. v. 13. quod *lætificet Deum & homines*; Deus enim hominum conversione, pietate & fide exhilaratur, Isai. 62. v. 5. Vel per אֱלֹהִים *Deos*, hic intelliguntur *judices, magistratus*, &c. Vide supra pag. 114. col. 1. num. 2.

In malam partem acceptum vinum, iræ & vindictæ Divinæ effecta, gravissimasque afflictiones significat, quæ non minus perturbant animum, quam ipsa ebrietas. Psal. 59. Heb. 60. v. 5. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino* תַּרְעֵלָה *horroris.* Lxx. κατανύξεως, Vulg. Lat. *compunctionis.* Aq. καρώσεως *soporis*, S. Hieron. *vino consopiente.* Symm. σάλου, *agitationis.* Vide etiam Psal. 74. Heb. 75. v. 9.

Apoc. 14. v. 10. *Et hic* (qui adoraverit bestiam) *bibet de vino iræ Dei*, τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου, *quod mistum est* (vel potius *infusum est*) *merum in calice iræ ipsius*; Græcis enim dicitur κεράννυσθαι, quod infunditur bibituro, etiamsi non diluatur aqua, aut alio potus genere. Atque ita Hebræis מָסַךְ *miscere*, pro נָסַךְ *fundere* usurpatur. Sic etiam Apoc. 18. v. 6. &c. Merum autem illud mistum, seu infusum, omnem iræ Divinæ severitatem sine ullo temperamento designat.

Isai. 1. v. 22. Vinum aqua mixtum, fidei morumque depravationem exprimit. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua.* Lxx. οἱ κάπηλοί σου μίσγουσι τὸν οἶνον ὕδατι, *caupones tui miscent vinum aquis.* Ad hunc locum respicere videtur Paulus, 2. Cor. 2. v. 17. *Non enim sumus, ut multi*, καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *cauponantes verbum Dei*, Vulg. Lat. optime, *adulterantes.* Conf. 2. Cor. 4. v. 2.

Vini fæces denotant,

1°. Maximas calamitates; fæx enim pars est vini pessima. Psal. 74. Heb. 75. v. 9. כִּי כוֹס בְּיַד יְהוָה וְיַיִן חָמַר מָלֵא מֶסֶךְ וַיַּגֵּר מִזֶּה אַךְ־שְׁמָרֶיהָ יִמְצוּ יִשְׁתּוּ כֹּל רִשְׁעֵי־אָרֶץ׃ *Quia calix* (est) *in manu Domini, & vini* (quod) *rubet* (seu) *turbidum est, repletur mixtione: & fudit* (vel) *propinavit ex hoc* (calice Dominus omnibus hominibus); *verum fæces ejus expriment* (seu) *exsugent*, (&) *bibent omnes improbi terræ.* Lxx. ὅτι ποτήριον ἐν χειρὶ Κυρίου, οἴνου ἀκράτου πλῆρες κεράσματος· καὶ ἔκλινεν ἐκ τούτου εἰς τοῦτο· πλὴν ὁ τρυγίας αὐτοῦ οὐκ ἐξεκενώθη· πίονται πάντες οἱ ἁμαρτωλοὶ τῆς γῆς, Vulg. Lat. *Quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto; & inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita; bibent*

omnes peccatores terra. Pro חָמַר, legebant חֶמֶר *meri*, & ו ante vocem præcedentem יַיִן, utpote superfluum, quod interdum accidit; vide tom. I. pag. 614. col. 2. in fine, neglexerunt. De suo addiderunt εἰς τοῦτο, vel in suis codicibus legebant מִזֶּה אֶל־זֶה *ex hoc in hoc.* Denique pro יִמְצוּ legebant יִמָּצְאוּ à verbo מָצָא *invenit*, sed in forma מָצָה *expressit*; duo enim illa verborum genera formas sæpe commutant suas, ut diximus in tom. I. pag. 267. in fine. Porro in *faces ejus invenientur*, & *fæx ejus non est exinanita*, idem est sensus. Sym. ποτήριον γὰρ ἐν χειρὶ Κυρίου, καὶ οἶνος ἄκρατος πληρῶν, ἐκχυθεὶς. ὥστε ἕλκειν ἀπ' αὐτοῦ, πλὴν τὰς τρυγίας αὐτοῦ ἐκστραγγίσουσι πίνοντες οἱ φαῦλοι τῆς γῆς, *calix enim* (est) *in manu Domini, & vinum merum replens, effusum*, (h. e. ita calicem replens, ut effundatur.) *adeo ut trahant* (bibant) *ex ipso* (omnes homines); *veruntamen faces ejus excolabunt bibentes improbi terra.* Pro מָסַךְ, legebat מֻסָּךְ *effusum*, à rad. נָסַךְ *fudit, effudit.* S. Hieron. *Quia calix in manu Domini est meraco usque ad plenum mixtus, & propinabit ex eo: veruntamen faces ejus epotabunt omnes impii terra.* Pro מֶסֶךְ legebat cum Sym. מֻסָּךְ, sed à verbo מָסַךְ *miscuit.* Vide insuper Isai. 51. v. 17. & confer Ezech. 23. vv. 32. 33. & 34.

2°. Vini faces securitatem & tranquillitatem denotant. Soph. 1. v. 2.... *visitabo super viros defixos in facibus suis*, h. e. ut Chald. interpretatur, *qui tranquille agunt in divitiis suis;* metaphora à vino desumta, quod dum fæcibus suis insidet, pinguius, robustius, & dulcius plerumque est; cum vero ei ademtæ sunt, transit in vappam. Vide Jerem. 48. v. 11. Hinc *vinum facium*, Isai. 25. v. 6. nonnullis est vinum robustum, suave & odoriferum. Conf. Jerem. 48. v. 11. Alii per ellipsin hoc explicant, nempe *vinum facium defacatarum*, ut sequitur, i. à fæcibus repurgatum, purum, nec turbidum. Vulg. *convivium vindemia*, & inferius, *vindemia defacata;* ubi per vindemiam, *faces* intelligere videtur. Aq. מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים interpretatur πότον διυλισμένον, *convivium defacatum.* Sym. πότον διυλισμένων, *convivium defacatorum.*

VINDEMIA & RACEMATIO simul conjunguntur, Jud. 8. v. 2. *Nonne melior est racematio* (Vulg. *racemus*) *Ephraim, vindemia Abiezer?* Hic per *vindemiam* intelligitur pugna à Gedeone filio Joas patris sive ducis familiæ Esri, contra Madianitas commissa; per *racemationem* vero, insectatio hostium per Ephraïmitas facta, qui Oreb & Zeb Madianitarum duces comprehensos occiderunt.

Jerem. 49. v. 9. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum*, quod cum interrogatione sic intelligendum est: *nonne reliquissent racemum?* Sic Abd. v. 5. Is autem verborum illorum sensus est: si vindemiatores, &c. nonne reliquissent, &c. at hostes tui omnia tua abripient, & te prorsus racemabunt. Hinc *racemi* paucos homines post bella & alias calamitates superstites denotant, Isai. 17. v. 6. & *racemare*, residuos ex clade priori perdere significat. Vide etiam Jerem. 6. v. 9. & Jud. c. 20. v. 45.

In N. Test. Apoc. 14. vv. 18. 19. verbum *vindemiare*, Dei judicium adversus Ecclesiæ hostes designat.

TORCULAR ultionem Divinam innuit. Isai. 63. v. 3. *Torcular calcavi solus*, &c. inquit Christus, de quo hunc locum etiam veteres Rabbini intellexerunt, h. e. solus ego hostes meos debellavi, & de iis vindictam sumsi. Vide etiam Thren. 1. v. 15. Joel. 3. v. 18. Apoc. 14. v. 19. &c.

ARTICULUS XVII.

De Metaphoris à re frumentaria desumtis.

AGER, ubi nascuntur frumenta, Ecclesiam Christi significat, Matth. 13. vv. 8. 23. 24. 31. 38. Luc. 8. vv. 8. 15. Heb. 6. vv. 7. 8. &c. Confer 1. Cor. cap. 3. v. 9.

ARATIO, ob terræ scissuram & quasi vulnerationem, denotat,

1°. Calamitates & afflictiones. Psal. 128. Heb. 129. v. 3. *Supra dorsum meum* חָרְשׁוּ חֹרְשִׁים *araverunt arantes.* Aq. Theod. ἠροτρίασαν, *araverunt.* S. Hieron. *arabant.* Lxx. ἐτέκταινον, *fabricabant.* Vulg. Lat. *fabricaverunt peccatores:* הֶאֱרִיכוּ לְמַעֲנִיתָם, S. Hieron. *prolongaverunt sulcum suum.* Lxx. ἐμάκρυναν τὴν ἀνομίαν αὐτῶν, Vulg. Lat. *prolongaverunt iniquitatem suam.* Symm. παρέτεινον χαλῶντες, *extenderunt malignantes.* Vox Hebraïca מַעֲנִית & *sulcum*, & *iniquitatem*, seu potius pœnam iniquitatis, i. *afflictionem* significat. Hujus itaque versiculi sensus est: plurima & gravissima mala mihi intulerunt inimici mei. Confer Isai. 28. vv. 24. 26.

2°. Hominum vitam & actiones, sive *bonas*, sive *malas*.

Bonas, Jerem. 4. v. 3. *Novate*, sive *de novo arate vobis novale, & nolite serere super spinas*, h. e. pœnitentiam agite, pravos mores emendate, qui sunt instar spinarum, quæ semen Divinum suffocant. Vide etiam Ose. 10. v. 12.

Malas, Job. 4. v. 8. *Vidi arantes iniquitatem*, &c. Vulg. *eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos*, h. e. qui toti ad flagitia perpetranda & injurias inferendas intenti sunt. Vide Ose. 10. v. 13.

Prov. 21. v. 4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis* (i. superbia), *&* נִיר *aratio impiorum peccatum est*, h. e. mala impiorum opera, Deo exosa sunt. Lxx. λαμπτὴρ, Vulg. Lat. *lucerna impiorum*, &c. Vox נִיר, pro diversitate radicum, & *arationem* & *lucernam* significat.

Huc pertinet Judic. 14. v. 18. *Si non arassetis in vitula mea*, inquit Samson, *non invenissetis propositionem meam*, sive *ænigma meum*, h. e. nisi sponsæ meæ opera, quæ in animo meo latebant, scrutati fuissetis, quemadmodum agricola juvencæ ministerio, quæ sub terra latent, arando retegit: ea nunquam invenissetis. Apud profanos etiam conjux sive puella nonnunquam *juvencæ* nomine appellatur. Vide Horat. l. 2. Carm. Od. 5. Plaut. Milit. glor. Act. 2. Scen. 3. &c. Sunt Rabbini & Christiani quidam, qui sensu obscœno id sic explicant: nisi rem habuissetis cum uxore mea, &c. Cui expositioni favere videtur Ald. & Complut. editio; eaque loquutio ipsis etiam profanis insolens non est.

Phrasis, *manum mittere ad aratrum*, Luc. 9. v. 62. studium continuum denotat. Sumta est metaphora ab agricolis, quibus continuo & indesinenti studio in arandis & colendis agris opus est.

Frumenti & tritici copia, bonorum abundantiam exprimit. Psal. 71. Heb. 72. v. 16. *Erit* פִּסַּת־בַּר *pugillus frumenti in terra, in vertice montium, commotus perstrepet sicut Libani* (arbores) *fructus ejus* (frumenti), *& florebunt de* (vel potius *in*) *civitate* (homines i. cives) *sicut fœnum terræ*, hoc est, tempore Messiæ, ad quem pertinet ille Psalmus, fatentibus vel ipsis Rabbinorum doctissimis, tanta erit rerum omnium abundantia; ut frumenti pugillus terræ mandatus, etiam in vertice montium, qui steriles esse solent, in magnam frugum copiam excrescat; quod exprimit phrasis *perstrepet sicut Libanus* aut *Libani fructus ejus*; spicæ enim uberes vento agitatæ ac sese invicem contingentes, strepitum edunt quasi arbores aura concitatæ. Ex hac autem fertilitate eveniet, ut cives in urbibus floreant, i. multiplicentur sicut fœnum terræ. Pro *pugillo frumenti*, Lxx. habent στήριγμα, Vulg. Lat. *firmamentum*, eodem sensu; frumentum enim firmamentum est hominis.

Jerem. 23. v. 28. veri prophetæ *tritico*, pseudo-prophetæ autem paleis denotantur. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* h. e. quid commune est istis pseudo-prophetis, & doctrinæ eorum, cum prophetis & verbo Domini? Quidam tamen cum Chald. probos & improbos hîc intelligi volunt, quod convenit cum Matth. 3. v. 12. c. 13. vv. 29. 30.

Denique Psal. 77. Heb. 78. v. 24. Manna *frumentum cœlorum* appellatur, quia speciem ejus quodammodo referebat, & usum ipsius in nutrimento præstabat.

Messis sementi respondens, denotat,

1°. Cum *pietatis*, tum *impietatis* fructus & præmia.

Pietatis, Psal. 125. Heb. 126. v. 5. *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent*, nempe fructum lacrymarum suarum, gaudia

æterna; piorum enim status in hoc mundo, *sementis*; sequutura autem gloria in vita cœlesti, *messis* loquutione exprimitur. Vide etiam Ose. 10. v. 12.

Impietatis, Job. 4. v. 8. *Qui seminant dolores, & metunt eos.* Vide quoque Prov. 22. v. 8. Ose. 8. v. 7.

Phrasis, *ponere messem alicui*, Ose. 6. v. 11. eum ad idololatriam pellicere, atque ita pœnarum divinarum materiem illi præbere significat. En prophetæ verba: גַּם־יְהוּדָה שָׁת קָצִיר לָךְ *etiam, ô Juda; posuit* (Ephraim vel Israël) *messem tibi*, h. e. idololatrandi ansam tibi præbuit. Vel, ut interpretatur Symm. καὶ σοὶ, Ἰούδα, ἀπόκειται θερισμὸς, *& tibi, Juda, deposita est messis.* LXX. καὶ, Ἰούδα, ἄρχου τρυγᾶν σεαυτῷ, *&, Juda, incipe vindemiare tibi ipsi.* Vulg. *Sed &, Juda, pone messem tibi.* Legebant vel שִׁת־קָצִיר in imperativo, ex forma שִׁית, & mutato hhólem in (- hhatoúph) ob maqqáph, ־שָׁת schoth. Vel ex forma ו mutati in (ּ) euphonicum, שִׁית, cujus exempla vide in tom. I. pag. 250. col. 1. in fine; eaque in bonam partem accipienda videntur, q. d. tu vero, Juda, gaudium, lætitiam, & abundantem messem tibi ipse promittito, *cum convertero captivitatem populi mei.* Quanvis enim in exsilium deportandus sis sicut Israël, reverteris tamen & messem copiosam in terra tua demetes, neque omnino exterminaberis, quia ex te orietur Messias. Alium sensum exhibet Vª. edit. ἀλλὰ καὶ σὺ, Ἰούδα, παρεσκεύαζες αὐτὸν εἰς τὸ ἐκθερισθῆναι, *sed & tu, Juda, præparabas*, vel *præparasti te ad metendum*, h. e. *ut metaris.* Versionis hujus auctor pro שָׁת legebat שַׁתָּ in secunda persona singulari masculina præteriti qál.

2°. Cum duo in messe conspicua sint, nempe quod segetes præcindantur & arescant; & quod in horrea comportentur in usum; *messis* adhibetur *tum* ad judicia Dei denotanda, Jerem. 51. v. 33. *Filia Babylonis quasi area.... adhuc modicum, & veniet tempus messionis ejus*, h. e. suppliciorum, quæ ipsi inferentur à Deo. Vide etiam Joel. 3. v. 18. Apoc. 14. vv. 15. 16. 17. *Tum* ad Ecclesiæ collectionem innuendam, Matth. 9. v. 37. *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Vide etiam v. 38. Luc. 10. v. 2. Joan. 4. vv. 35. 38.

Denique liberationis opportunum tempus *messe* uti & *æstate* innuitur, Jerem. 8. v. 20. *Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus*, h. e. omnes salutis nostræ recuperandæ commoditates perierunt; & nos pariter periimus.

MESSORES in spirituali messe, quæ est Ecclesiæ collectio, sunt Verbi Divini præcones, aliique ministri. Joan. 4. v. 36. *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit*, h. e. ut gaudeat tum qui seminat, tum qui metit. Vide etiam vv. 37. 38. ubi Christus Dominus eos, qui seminarunt, confert cum iis, qui metunt. Veteris Testamenti prophetæ seminarunt, dum promissiones de Christi adventu futuro promulgarunt, atque ita quasi semina præconii Evangelici universalis jecerunt: Apostoli autem in ipsa messe, nimirum universalis de Christo exhibito præconii in toto mundo, laborarunt. Confer Matth. 9. vv. 37. 38. Luc. 10. v. 2. ubi Verbi Divini ministri ἐργάται *operarii* in messe spirituali dicuntur.

TRITURATIO, quæ percussione & conculcatione fit, pœnas & calamitates designat. Isai. 21. v. 10. *Tritura mea, & filii area mea*, &c. h. e. ô Israëlitæ, quos à Babyloniis, quasi frumentum, in area triturandos, i. maximis calamitatibus opprimendos prænuntio, &c. Confer Jerem. 51. v. 33. & vide Jud. 8. v. 7. Amos 1. v. 3. Habac. 3. v. 12. Mich. 4. v. 13. ubi *triturare* דוּשׁ sumitur pro *occidere*. Conf. etiam Isai. 28. vv. 27. 28.

PALEA & STIPULA, quæ à frumento per triturationem, ventilationem, cribrationem, &c. separatur, & quandoque igni traditur; innuit,

1°. Impiorum interitum, eumque citissimum. Abd. v. 18. *Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esaii stipula: & succendentur in eis*, &c. h. e. domus Jacob, & domus Joseph impios Esavi nepotes eadem celeritate, qua ignis stipulas, consument. Vide etiam Malach. 4. v. 1. Matth. 3. v. 12. Luc. 3. v. 17. &c.

2°. Falsam doctrinam. 1. Cor. 3. v. 12. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (Christum , sive sanam de eo doctrinam) *aurum, argentum .... fœnum , stipulam* , &c. Conferri potest Jerem. 23. v. 28. de quo supra.

Hinc verbum קֹשֵׁשׁ *stipulas colligere* , & metaphorice, secundum recentiores , *serio & accurate scrutari* ; paleæ enim diligentiam requirunt colligentis. Soph. 2. v. 1. הִתְקוֹשְׁשׁוּ וָקוֹשּׁוּ *scrutamini vos , & scrutamini* (vitia vestra) *gens non amabilis.* Aliter Lxx. συνάχθητε καὶ συνδέθητε, *congregamini & colligamini*. Sym. συλλεγῆτε , *congregamini.* Vulg. *convenite & congregamini.* Significatio itaque metaphorica scrutandi , quam plerique recentiores huic verbo eo loci affingunt , dubia valde ac incerta videtur ; aut saltem antiquis illis interpretibus erat incognita.

VENTILATIO , qua grana huc illuc disjiciuntur , denotat ,

1°. Hostium dispersionem. Jerem. 51. v. 2. *Et mittam in Babylonem ventilatores , & ventilabunt eam , & demolientur terram ejus.* Vide etiam cap. 15. v. 7.

2°. Piorum à reprobis separationem ; sicut in ventilatione frumenti grana à paleis secernuntur. Matth. 3. v. 12. *Cujus* (Christi) *ventilabrum in manu sua* (Hebraïsmus , pro in cujus manu est ventilabrum) *& permundabit aream suam : & congregabit triticum in horreum , paleas autem comburet igni inextinguibili. Ventilabrum* , est Evangelii prædicatio , crux , tribulatio , & judicium extremum. *Repurgatio areæ* , ipsa separandi actio. *Area* , Ecclesia. *Frumentum* , electi. *Palea* , improbi. *Horreum* , regnum cœleste & vita æterna. *Ignis inextinguibilis* , inferni pœnæ.

Cribratione , qua grana fortiter concutiuntur & agitantur, Diaboli tentationes etquidem gravissimæ significantur. Luc. 22. v. 31. *Ecce Satanas expetivit vos , ut cribraret sicut triticum.*

MOLITURA , qua grana frumenti conteruntur , servitutem durissimam significat. Isai. 47. v. 2. *Tolle molam* (Babylon) *& mole farinam.* In regionibus Orientalibus maxima servitus erat in pistrinum detrudi. Confer Exod. 11. v. 5. Jud. 16. v. 21. Unde Job. 31. v. 10. *molat alteri uxor mea* , h. e. vilissima sit aliorum serva. Vulg. *scortum alterius sit uxor mea , & super eam incurventur alii.* Eodem sensu interpretatus est Chald. תִּשְׁמֵּשׁ עִם חוֹרָן אִנְתְּתִי *concumbat cum altero uxor mea.* Et Lxx. ἀρέσαι ἄρα καὶ ἡ γυνή μου ἑτέρῳ , *placeat uxor mea alteri* , nisi in ἀρέσαι librariorum mendum sit pro ἀλέσαι *molat.* Eadem loquutio apud ipsos etiam profanos insolens non est. Vide Theocrit. Idil. 4. Horat. l. 1. Serm. Satyr. 2. vv. 34. 35. Auson. Epigram. 70. &c. isque videtur genuinus esse verborum illorum Jobi sensus ob sequens hemistichium , in quo repetitur prius , ut in libris poëticis sæpius accidit.

Panis metaphorice sumtus , cum *læta* , tum *tristia* significat.

Læta , Luc. 14. v. 15. *Beatus , qui manducabit panem in regno Dei* , h. e. qui æterna felicitate potietur. Conf. c. 22. v. 30.

Prov. 9. v. 17. *Panis furtivus* , & *aquæ furtivæ* , adulterium denotant , in quo brevem illam ac vesanam carnis voluptatem æterna mors consequitur.

Tristia , Num. 14. v. 9. *Ne timeatis populum terræ hujus ; quia sicut panem , ita eos possumus devorare* , h. e. ita facile vincemus & absumemus eos , ac si essent panis noster. Hinc לֶחֶם *panis* , & מִלְחָמָה *bellum* , ex eadem radice לָחַם derivantur ; & gladius *comedere* dicitur , 2. Reg. 11. v. 25. cum absumit & occidit. Hinc etiam Psal. 79. Heb. 80. v. 6. afflictio & calamitas *panis lacrymarum* ; & Psal. 41. Heb. 42. v. 4. *lacrymæ panes die ac nocte* sacro Psalti fuisse dicuntur , hoc est, familiares instar cibi.

Sic apud profanos. Plaut. in Asin. Act. 3. Scen. 3. v. 38. *Tune verberes , qui pro cibo habeas te verberari.* Et Ovid. Metam. l. 10. v. 65. *Cura dolorque animi, lacrymaque alimenta fuere.*

FERMENTUM , in malam partem acceptum , denotat ,

1°. Doctrinæ corruptelam. Matth. 16. v. 6. *Intuemini , & cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum* , h. e. à prava doctrina , ut explicatur v. 12. Vide etiam Luc. 12. v. 1.

2°. Morum & vitæ nequitiam ac pravitatem. 1. Cor. 5. v. 7. *Expurgate vetus fermen-*

tum, scilicet *malitia & nequitia*, ut subjicitur explicatio v. 8. Ut enim paululum fermenti totam massam facillime penetrat, ac turgidam acidamque reddit: ita falsa doctrina & morum pravitas ad aliorum seductionem facillime penetrat; & nisi obviam mature eatur, totum Ecclesiæ corpus cito inficit & contaminat.

Hinc verbum יִתְחַמֵּץ de animo usurpatum, *exacerbari* significat, Psal. 72. Heb. 73. v. 21. *Quia fermentatum est cor meum*, &c. hoc est, exacerbatum est. Symm. συνεστέλλετο, *contrahebatur*. S. Hieron. *contractum est cor meum*. Chald. יִתְעַיַּק *anxium est*, *contristatur*.

Apud profanos. Plaut. in Mercatore, Act. 5. Scen. 3. v. 3. *Mea uxor propter illam tota in fermento jacet*.

Hactenus de metaphoris, quæ à corporibus anima vegetante, ut aiunt, præditis desumuntur. Sequuntur, quas suppeditant animalia, quibus animam sentientem Philosophorum vulgus affingit.

ARTICULUS XVIII.

De Metaphoris ab animalibus desumtis.

TRIA in brutis animantibus considerari possunt. I. Partes & membra. II. Generalia nomina, effecta, & adjuncta. III. Ipsæ animalium species. Tria hæc in tribus sequentibus paragraphis expendemus.

§. I.

Metaphora ab animalium partibus & membris desumta.

PARTES & membra animalium eo fere ordine recensebimus, quo à natura ipsa disponuntur. Itaque

CORNU quadrupedum quorumdam ornatus præcipuus, & roboris exserendi, seque tuendi instrumentum, generatim loquendo significat,

1°. In hominibus, *tum* potentiam, virtutem, gloriam, fortitudinem, &c. 1. Reg. 2. v. 1. *Exaltatum est cornu meum in Deo meo*, i. gloria mea, virtus mea. Vide etiam Job. 16. v. 15. Psal. 74. Heb. 75. vv. 6. 11. Psal. 88. Heb. 89. vv. 18. 25. Psal. 111. Heb. 112. v. 9. Psal. 148. v. 14. Jerem. 48. v. 25. Thren. 2. vv. 3. 17. Ezech. 29. v. 21. Amos 6. v. 13. Sic *cornu ferreum*, Mich. 4. v. 13. *cornu unicornis* sive *Rhinocerotis*, animalis robustissimi, Num. 23. v. 22. Deut. 33. v. 17. Psal. 21. Heb. 22. v. 22. Psal. 91. Heb. 92. v. 12. potentiam majorem fortioremque designat. *Tum* regnum, cujus majestas in potentia sita est. 1. Reg. 2. v. 10. *Sublimabit* (Dominus) *cornu Christi sui*, h. e. *regnum*, ut interpretatur Chald.

Psal. 131. Heb. 132. v. 17. *Illuc producam*, vel *illic germinare faciam cornu David*, i. Messiæ Davidis filii regnum ampliabo. Chald. *ibi germinare faciam regem pretiosum domui Davidis*. Vide 1. Paral. c. 25. v. 5. &c.

Hinc phrasis *cornu petere*, potentiam adversus hostes exserere significat. Deut. 33. v. 17. *In ipsis* (cornibus) *cornu petet*, Vulg. *ventilabit* (Josephus) *gentes usque ad terminos terræ*. Vide etiam Psal. 43. Heb. 44. v. 6. 3. Reg. 22. v. 11. Dan. 11. v. 40.

2°. In aliis rebus *cornu* significat, 1°. Locum eminentiorem. Isai. 5. v. 1. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei*, hoc est, in loco sublimi & pinguissimo. 2°. Angulos seu eminentias cornuum formam habentes. Exod. 29. v. 12. *Sumtumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris, digito tuo*, h. e. super angulos. Vide etiam c. 27. v. 2. Lev. 4. v. 7. 3. Reg. 1. v. 51. Jerem. 17. v. 1. & alibi sæpe. 3°. Splendorem & radium rutilantem

cornu similem. Habac. 3. v. 4. *Splendor ejus* (Dei) *ut lux erit: cornua in manibus ejus*, h. e. splendores; vel, ut nonnullis placet, robur & potentia. Atque inde verbum קרן *in modum cornuum radios diffundere, coruscare, radiare, splendere* significat, Exod. 34. v. 29. *Et ignorabat Moyses, quod* קָרַן *splenderet pellis faciei suæ ex consortio sermonis Dei*. Chald. *quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultus ejus*. Vulg. *quod cornuta esset facies sua*, &c. Ex qua interpretatione nata est prava consuetudo Mosen cornutum pingendi. Eodem modo interpretatus est Aquila, teste S. Hieron. comment. in Amos c. 6. tom. 3. nov. edit. col. 1431. initio. *Unde & in Exodo*, inquit, *juxta Hebraïcum & Aquilæ editionem legimus*: Et Moyses nesciebat quia cornuta erat species vultus ejus. Verba Græca non posuit S. Doctor. Lxx. Μωυσῆς οὐκ ᾔδει, ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *Moyses nesciebat, quia glorificatus est aspectus coloris faciei suæ*. Ad hanc versionem respexit Paulus 2. Cor. 3. v. 7..... *ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus*, &c. Vide in eodem Exodi capite v. 30.

Os, ORIS, quia concavum patulumque est, & mordendi in animali instrumentum, significat,

1°. Orificium, aditum, & patens foramen; sicque tribuitur *sacco*, Gen. 42. v. 27. *puteo*, Gen. 29. vv. 2. 3. 8. 10. *spelunca*, Jos. 10. vv. 18. 22. 27. *vesti & interulæ*, Exod. 39. v. 23. Psal. 132. Heb. 133. v. 2. *urbis portæ*, Prov. 8. v. 3. *rivo*, Isai. 19. v. 17.

2°. Aciem gladii, qua veluti mordet, cædit, scinditque. Gen. 34. v. 26. Exod. 17. v. 13. & alibi sæpissime. Vox eadem in plurali numero juncta cum gladio, duas ejus acies denotat, Judic. 3. v. 16. Psal. 149. v. 6. Prov. 5. v. 4. cum פְּצִירָה *lima*, 1. Reg. cap. 13. v. 21. ejus incisuras, quibus acuitur ferrum, significat; & cum חָרוּץ *rastro*, sive *tribula*, Isai. 41. v. 15. dentes ejus seu stimulos exprimit.

Quæ *ore*, *lingua*, & *dentibus* ab animalibus peraguntur, sunt:

MORDERE (נָשַׁךְ), quod significat,

1°. Hostium invasionem, spoliationem, lacerationemque ab ipsis factam. Habac. 2. v. 7. *Numquid non repente consurgent, qui mordeant te; & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?*

2°. Dolores tam corporis quam animi à vino & crapula relictos. Prov. 23. v. 32. *In novissimo mordebit* (vinum plus æquo haustum) *ut coluber; & sicut regulus venena diffundet*.

3°. Usuras, quibus facultates alterius quasi paulatim admordentur, corroduntur, & consumuntur. Quare usura dicitur נֶשֶׁךְ à *mordendo*. Vide Exod. 22. v. 24. al. 25. Levit. 25. v. 36. Deut. 23. v. 19. Psal. 14. Heb. 15. v. 5. Prov. 28. v. 8. Ezech. 18. vv. 8. 13. 17. c. 22. v. 12.

COMEDERE (אָכַל), quod metaphorice est: perdere, consumere. Exod. 15. v. 7. *Misisti iram tuam*, (ô Deus, quæ) יֹאכְלֵמוֹ *comedet*, vel *comedit eos* (hostes tuos) *sicut stipulam*, h. e. perdidit, consumsit. Vide etiam Psal. 13. Heb. 14. v. 4. Psal. 52. Heb. 53. v. 5. Psal. 78. Heb. 79. v. 7. Prov. 30. v. 14. Isai. 9. v. 12. Mich. 3. v. 3. Matth. 23. v. 14. &c.

ABSORBERE, DEGLUTIRE, (בָּלַע & גָּמָא), quæ idem fere significant ac verbum præcedens. 2. Reg. 17. v. 16. Ne יְבֻלַּע *absorbeatur rex, & omnis populus, qui cum eo est*, i. ne pereat. Vide etiam Job. 10. v. 8. c. 20. v. 18. c. 37. v. 20. Psal. 34. Heb. 35. v. 25. Psal. 51. Heb. 52. v. 6. Psal. 106. Heb. 107. v. 27. Psal. 123. Heb. 124. v. 3. Isai. 3. v. 12. cap. 28. v. 7. Thren. 2. v. 2. Ose. 9. v. 8. Habac. 1. v. 13. Et in Novo Testamento καταπίνειν, 1. Cor. c. 15. v. 54. 2. Cor. 2. v. 7. 1. Pet. 5. v. 8.

Cum autem, quæ absorbentur, ea ex oculis remota abscondantur: idem verbum *tegere* vel *abscondere* significat, Num. 4. v. 20. *Et non venient ad videndum*, כְּבַלַּע אֶת־הַקֹּדֶשׁ *secundum absorbere*, i. *cum absorbebunt sanctitatem*, h. e. operient. Eleganter Vulg. *Alii nulla curiositate videant, quæ sunt in Sanctuario, prinsquam involvantur*. Vide etiam Prov. 19. v. 28.

Job. 39. v. 24. *In commotione & concutione* (h. e. in celerrimo suo cursu) יְגַמֶּא־אֶרֶץ *absorbet terram* equus. Vulg. *fervens & fremens sorbet terram*, non quod ita fiat; sed quia si

ita fieret, terra ex oculis intuentium haud citius eriperetur. Vide Bochart. de hac loquutione Arabibus, apud quos natus est Jobus, familiari, fuse eruditeque disserentem in lib. de Animal. Sac. part. 1. col. 143. & sequentibus.

Ab eodem verbo deducitur vox מְגַמַּת *haustus*, quæ genti Chaldæorum prædatrici tribuitur, Habac. 1. v. 9. *Omnes ad prædam venient*, מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה *haustus faciei ipsorum ad Orientem*, h. e. quidquid vel solo aspectu absorbuerint, i. quidquid aspexerint & rapere decreverint, id destinabitur ab eis deportandum in Chaldæam, sive Babyloniam, ad Orientem Judææ sitam. Vulg. *facies eorum ventus urens*, neglexit vocem מְגַמַּת, & קָדִימָה pro vento urente accepit. Nec male; nam קָדִים, unde cum ה paragogico קָדִימָה, (ut ex לַיִל fit לַיְלָה) ventum Orientalem, eumque urentem, significat. Sym. ἡ πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν, ἄνεμος καύσων, *aspectus vultus eorum, ventus urens.* Vox מְגַמַּת apud Rabbinos significat etiam *aspectum*, seu quod aspicitur, aut oculis opponitur. Vide Castelli Lexic. heptaglot. ad radicem גמא.

Lambere (לָחַךְ), quod hominibus tributum, delere, consumere, &c. significat. Num. 22. v. 4. … *ita* יְלַחֲכוּ *lambent* (Vulg. *delebit*) *hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur*, כִּלְחֹךְ *quomodo lambit bos* אֵת־יֶרֶק הַשָּׂדֶה *herbam agri.* Lxx. τὰ χλωρὰ ἐκ τοῦ πεδίου, *herbas virides ex agro.* Vulg. *quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere*, videtur legisse הַשֹּׁרֶשׁ *radix*, pro הַשָּׂדֶה *ager.*

Dens, metaphorice acceptus, significat *promontorium*, sive scopulum acutum, & more dentis prominentem. 1. Reg. 14. v. 4. *Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonatas transire ad stationem Philisthinorum, dens petræ à transitu inde, & dens petræ à transitu inde*, &c. h. e. ut elegantissime omnium reddidit Vulg. *eminentes petræ ex utraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti.* Vide etiam Job. 39. v. 28.

Hominibus autem dentes attributi, virulentiam & potentiam hostilem designant; sumta metaphora à belluis, quæ dentibus, ut plurimum, pugnare, lædere, & discerpere solent. Psal. 3. v. 8. *Dentes peccatorum contrivisti*, h. e. potentiam confregisti. Vide etiam Psal. 56. Heb. 57. v. 5. Psal. 57. Heb. 58. v. 7. Psal. 123. Heb. 124. v. 6. Job. 29. v. 17. Prov. 30. v. 14.

Labium, metaphorice ripam fluminis, itemque vasis oram significat. Vide Gen. 22. v. 17. cap. 41. v. 17. 3. Reg. 7. vv. 23. 24. 26. 4. Reg. 2. v. 13. 2. Paral. 2. vv. 2. 5.

Cervix, si cum verbo *indurare*, vel cum nomine *durus*, jungatur, contumaciam, protervitatem, mentemque rigidam ac indocilem significat. Ducta est metaphora ab equis, aliisque jumentis indomitis, quæ cervicem suam huc illuc ad nutum sessoris inflecti non sinunt, sed fræno reluctantur, Exod. 32. v. 9. *Cerno, quod populus iste duræ cervicis sit*, &c. h. e. indocilis, rebellis, &c. Vide etiam c. 33. vv. 3. 5. c. 34. v. 9. Deut. 9. vv. 6. 13. c. 31. v. 27. 4. Reg. 17. v. 14. 2. Paral. 30. v. 8. c. 36. v. 13. Isai. 48. v. 4. Jerem. 7. v. 26. c. 19. v. 15. Nehem. 9. vv. 17. 29. Prov. 29. v. 1. &c.

Idem significat *collum durum* cum cornibus conjunctum, Psal. 74. Heb. 75. v. 6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui* בְצַוָּאר עָתָק *cum collo duro.* Symm. μὴ ἐπαίρετε εἰς ὕψος τὸ κέρας ὑμῶν, λαλοῦντες τραχήλῳ ἀνομίαν, *ne extollite in altum cornu vestrum, loquentes collo* (duro seu præfracto) *iniquitatem.* S. Hieron. *Nolite extollere in excelsum cornu vestrum, loquentes in cervice veteri*, h. e. dura. Vox עָתָק *durum, vetus, & perversum* significat. Lxx. *Nolite loqui* κατὰ τοῦ θεοῦ ἀδικίαν, *adversus Deum iniquitatem*, pro צַוָּאר *collum*, legebant צוּר *petra, rupes*, & metaphorice *Deus.*

Hinc verbum עָרַף *decervicare, decollare*, metaphorice etiam significat *diruere, confringere.* Ose. 10. v. 2. *Ipse* (Deus) *confringet simulachra eorum, &* יַעֲרֹף *decollabit* (Vulg. *depopulabitur*, h. e. evertet) *altaria eorum*, nempe Israëlitarum.

Alæ volucris, quia extima ejus membra sunt, in latum extenduntur, & volatus celeris

leris per aëra sunt instrumenta: triplici ratione in metaphora usurpantur.

1°. Quatenus extima membra, vestis oram sive extremitatem denotant. Num. 15. v. 38. *Loquere filiis Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias* עַל־כַּנְפֵי *super alas* (Vulg. *per angulos*) *palliorum*, &c. Vide etiam Ruth. 3. v. 9. 1. Reg. 24. v. 5. Jerem. 2. v. 34. Agg. 2. v. 12. Zach. 8. v. 23. &c.

2°. Quatenus in latum extenduntur, latera & dispositos integri exercitus ordines designant. Isai. 8. v. 8. *Et erit extensio alarum ejus* (exercitus regis Assyriorum) *implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel.* Vide quoque Daniel. 9. v. 27. ubi per כְּנַף שִׁקּוּצִים *alam abominationum*, legiones Romanas quidam intelligunt, conferuntque Matth. 24. v. 15. cum Luc. 21. v. 20. Lxx. autem כָּנָף interpretantur ἱερὸν, Vulg. *Templum*, cujus latæ longæque porticus instar alarum sese habebant. Terræ etiam extremitatem, & loca remotiora significant *alæ*. Job. 37. v. 3. *Subter omnes cœlos* (Deus) יִשְׁרֵהוּ *dirigit illud* (tonitru) *& lumen illius* (fulguris tonitru comitantis) *usque ad* כַּנְפוֹת הָאָרֶץ *alas terræ*, Vulg. *terminos terræ*. Idem interpres & R. Salomon יְשָׁרֵהוּ vertunt, *ipse considerat*; legebant יָשׁוּר הוּא à rad. שׁוּר *contemplari, considerare.* Lxx. ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, *principatus ejus*; legebant יָשֹׂר הוּא à rad. שׂוּר *principatum tenere.* Vide etiam cap. 38. v. 13. Isai. 11. v. 12. c. 24. v. 16. Ezech. 7. v. 2. &c.

3°. Quatenus alæ celeris per aëra volatus instrumenta sunt, significant primos lucis solisque radios, qui super omnem terram, alarum instar, subito expanduntur. Psal. 138. Heb. 139. v. 9. *Si sumsero* כַּנְפֵי־שָׁחַר *pennas* vel *alas auroræ, & habitavero in extremis maris*, h. e. etiamsi eadem celeritate, qua auroræ radii in terram sparguntur, ad extrema maria fugerem; etiam illuc manus tua deduceret me, ibique inveniret. Lxx. ἐὰν ἀναλάβοιμι τὰς πτέρυγάς μου κατ' ὄρθρον (ut habent mss. Alex. Ald. & Complut. non κατ' ὀρθὸν, ut mendose legitur in edit. Rom.) *si sumsero pennas meas diluculo*; legebant כְּנָפַי pro כַּנְפֵי. S. Hieron. *Si sumsero pennas diluculo.* Vide etiam Malach. 4. v. 2.

Ventis *alæ* tribuuntur, 2. Reg. 22. v. 11. Psal. 17. Heb. 18. v. 11. Psal. 103. Heb. 104. v. 3. ad denotandum celerrimum eorum impetum, sive, ut loquitur Hieron. comment. in Isai. 6. tom. 3. nov. edit. col. 60. *celerem in cuncta discursum.*

Tria hæc *alarum* attributa conveniunt in unum, Isai. 18. v. 1. *Væ terræ* צִלְצַל כְּנָפָיִם *cymbalo alarum*, Vulg. ubi est hypallage pro; alis seu velis instar cymbali resonantibus abundanti; h. e. væ terræ, quæ refertur navibus, quarum vela, dum vento inflantur, cymbalorum more, sonitum edunt. Terra autem illa aliis est Æthiopia, aliis Ægyptus, in qua hujusmodi navium, ob frequentes fluvios sive canales, magna erat copia. Sym. οὐαὶ γῆς, ὁ ἦχος πτερωτὸς, vel ut habet Euseb. πτέρυγος, *væ terræ* (quæ est) *sonus alatus*, sive *alæ*; idem sensus ac præcedentis interpretationis. Aquila, οὐαὶ γῆς, σκία πτερύγων, *væ terræ*, (quæ est) *umbra alarum*, i. in qua naves umbra sua lacus, flumina, & maria contegunt. Lxx. οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες, *væ terræ*, (in qua sunt plurimæ) *navium alæ*, i. vela, quæ ideo vocantur alæ, vel quia extremæ navium partes sunt; vel quia alarum instar expanduntur, (unde Virg. Æneid. l. 3. v. 520. *velorum pandimus alas*); & cum à ventis inflantur, celerrimi motus super aquas maris instrumenta sunt. Ceterum צִלְצַל, in const. צְלָצַל, & *cymbalum*, & *umbram* significat.

Verbum *volare* pro, cito cursu & impetu ferri, sive immitti, usurpatur, Isai. 6. v. 6. c. 11. v. 14. &c. De *oculis* dicitur, Prov. 23. v. 5. nempe pro, omni desiderio, & intente oculos in aliquid conjicere. De *gladio*, Ezech. 32. v. 10. eaque metaphora ejus vibratio & agitatio significatur. Item sumitur pro *evanescere*, Job. 20. v. 8. Prov. 23. v. 5. Ose. 9. v. 11. Et pro *irruere* avium rapacium more, 1. Reg. 14. v. 32. וַיַּעַט *& irruit* (Vulg. *& versus est*) *populus ad prædam*, &c. Sic legendum docent Massorethæ, quanvis in textu scriptum sit וַיַּעַשׂ, cum שׂ pro ט. Vide etiam c. 15. v. 19. c. 25. v. 14.

Cor, quia interius est, & propemodum in medio animali situm, rei cujusque medium, vel etiam interiorem partem signifi-

cat. Deut. 4. v. 11. *Accessistis usque ad radices montis, qui ardebat usque ad cor cœlorum*, h. e. cœlos interiores. Vulg. *usque ad cœlum*, vocem *cor* utpote ibi pleonasticam omisit. Vide alia pleonasmi hujus exempla in tom. I. pag. 493. col. 2. in fine. Vide etiam 2. Reg. 18. v. 14. Exod. 15. v. 8. Psal. 45. Heb. 46. v. 3. Prov. 30. v. 19. Ezech. 28. v. 2. Jon. 2. v. 3.

Jerem. 51. v. 1. *Sic dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem, & super* יֹשְׁבֵי לֵב קָמָי *habitantes cor insurgentium in me*, &c. ubi cor insurgentium ipsa est Babylon, quæ tanquam regina in medio inimicorum Dei sedebat. Aq... καρδίαν ἐπεγειρόντων, *cor excitantium*. Sym. verba Hebræa retinuit, teste editionis Romanæ scholiasta, apud quem librariorum imperitia sic corrupta leguntur: λεκκαβὴ, pro λὲβ καμὴ; is enim interpres videtur legisse קְמֵי in constr. pro קָמַי, & in pausa קָמָי. Hallucinatur idem scholiasta, cum scribit voces λὲβ καμὴ à Symmacho relictas, esse pro ἄνεμον καύσωνα, *ventum urentem*; respondent enim dictionibus לֵב קָמָי; & verba, ἄνεμον καύσωνα, interpretatio sunt sequentium רוּחַ מַשְׁחִית. Eandem loquutionem usurpavit S. Hieron. præf. in Mich. tom. 3. nov. edit. col. 1495. *Ergo quasi in corde voluminis positus*, &c. ubi *in corde voluminis*, dixit, pro *in medio voluminis*, nempe 12. prophetarum, in cujus medio est Michæas Propheta secundum Hebræos. Eodem sensu accipitur, secundum quosdam interpretes, vox בֶּטֶן *venter*, 3. Reg. 7. v. 20.

RENES pro granis frumenti, quorum figuram imitantur, usurpatos vide Deut. 32. v. 14.

CAUDA, postrema animalis pars, cujusque rei extremitatem denotat. Isai. 7. v. 4. Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Israël, *caudæ titionum* appellantur, h. e. torres extremi, pene exusti, & qui fumigare tantum possunt, minime vero urere. Vide supra pag. 126. col. 1.

Caput & cauda interdum conjunguntur; & capite quidem, *summum*; cauda vero, *imum*; sive præstantes & abjecti significantur. Vide Deut. 28. vv. 13. 44. Isai. 9. v. 14. Atque inde est verbum זִנֵּב *decaudare, caudam præcidere*, i. extremum exercitus agmen cædere. Vide Deut. 25. v. 18. Jos. 10. v. 19.

CALCANEUM, pars pedis extrema, metaphorice significat,

1°. Finem, metam, terminum; Jos. 8. v. 13. Psal. 118. Heb. 119. v. 112.

2°. Emolumentum, fructum, mercedem, quæ finis operis esse solet, Psal. 18. Heb. 19. v. 12. Prov. 40. v. 16. & pœnam respectu iniquitatis; Psal. 39. Heb. 40. v. 16.

3°. Causam finalem, *propter, propterea quod*, Gen. 22. v. 18. c. 26. v. 5. &c.

Phrasis, *levare* seu *magnificare calcaneum*, hostem refractarium, & malorum machinatorem significat. Psal. 40. Heb. 41. v. 10. *Qui edebat panes meos*, הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב *magnificavit contra me calcaneum*. Aq. Theod. κατεμεγαλύνθη μου πτέρνᾳ, *magnificatus est contra me calcaneo*, hoc est, insigniter in me rebellavit. S. Hieron. *levavit contra me plantam*. Sumta est metaphora ab equis calcitronibus & refractariis. Lxx. ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμὸν, *magnificavit super me supplantationem*. Vide etiam Joan. 13. v. 18. Eundem sensum habet verbum בָּעַט *recalcitrare*, cum de hominibus dicitur. Vide Deut. 32. v. 15. 1. Reg. 2. v. 29.

Hucusque de partibus animalium *heterogeneis*, sive *dissimilaribus*; nunc de *homogeneis*, sive *similaribus*.

OS, OSSIS, quia durum est, & album; duo etiam metaphorice denotat.

1°. Duritiem animi. Prov. 25. v. 15. *Lingua mollis confringet os*, hoc est, ut interpretatur Vulg. *duritiam*. Conf. c. 15. v. 1. & sententiæ hujus exempla vide Jud. 8. vv. 1. 2. 3. 1. Reg. 25. v. 24. & seqq.

2°. Candidum instar ossis. 4. Reg. 9. v. 13. *Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus ejus* (Jehu) אֶל־גֶּרֶם הַמַּעֲלוֹת *ad os graduum*, h. e. ad, vel in fastigium velut os candidum; à quo sensu non longe recedit Vulg. interpretatio, *in similitudinem tribunalis*, candidi videlicet; regum enim throni ex ebore, ut plurimum, constabant. Ex ea materia confectus erat thronus Salomonis, 3. Reg. 10. v. 18. Vel posuerunt pallia sua sub pedibus Jehu, pro *osse*, seu *loco ossis graduum*, hypallage, pro, loco graduum osseorum, seu tribunalis ossei, i. ex ebore facti. Alii inter-

pretantur, *pro ipsomet tribunali;* גֶּרֶם enim & עֶצֶם synonyma sunt, ac *os* significant: עֶצֶם autem pro *ipsa re* accipitur, quidni & גֶּרֶם? Adde quod גַּרְמָא apud Chaldæos *rem ipsam* significet. In hac & præced. expositione אֶל־ ponitur pro תַּחַת *loco, vice*, &c. Aq. καὶ ἔλαβεν ἀνὴρ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἔθηκαν ὑποκάτω αὐτοῦ πρὸς ὀστώδεις τῶν ἀναβαθμῶν, *& accepit vir vestimentum suum, & posuerunt subter eum, ad osseum graduum.* Sym. ταχύναντες δὲ ἔλαβον ἕκαστος τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἔθηκαν ἐπ' αὐτὸν, ἐφ' ἕνα τῶν ἀναβαθμῶν, *festinantes autem acceperunt unusquisque vestimentum suum, & posuerunt super eum, super unum graduum.* Lxx. Theod. καὶ ἔλαβεν ἕκαστος τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἔθηκαν ὑποκάτω αὐτοῦ ἐπὶ γαρεὶμ ἕνα ἀναβαθμῶν, *& accepit unusquisque vestimentum suum, & posuerunt sub eo, sub garim unum graduum.* Hîc duplicem interpretationem animadvertere licet, alteram Lxx. qui vocem Hebræam גֶּרֶם retinuerunt, alteram Symm. & Theod. qui eandem vocem per ἕνα, qua de causa nescio, reddiderunt.

MEDULLA, quia ossa totumque corpus suaviter irrigat, eique gratum præbet alimentum; pro quovis optimo metaphorice accipitur. Isai. 5. v. 17.... *& deserta medullas*, vel *medullata facta*, (Vulg. *in ubertatem versa*) *advenæ comedent.* Vide etiam c. 25. v. 6. ubi vox illa in spiritualis convivii descriptione adhibetur.

ADEPS idem significat, Gen. 45. v. 18. Num. 18. v. 12. &c. quibus in locis *medullam* interpretatur Vulg.

PINGUEDO non solum terræ fertilitatem denotat, ut Gen. 27. v. 28. &c. verum etiam significat,

1°. Homines opulentos ac divites. Psal. 21. Heb. 22. v. 30. *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ.*

2°. Rebelles, quia pinguedo animalia facit refractaria. Deut. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus & recalcitravit*, &c. Vide etiam Job. 15. v. 27. Psal. 16. Heb. 17. v. 10. Psal. 72. Heb. 73. v. 7. &c.

3°. In malo obfirmationem, sensusque spiritualis absentiam; pinguedo enim, ex Physicorum sententia, omni sensu destituitur. Isai. 6. v. 10. הַשְׁמֵן *impingua cor populi hujus*, &c. Vulg. *excæca.* Lxx. ἐπαχύνθη *impinguatum est*, legebant הָשְׁמַן, in præterito hophal.

Ibid. cap. 34. v. 6. Gladius Domini *impinguatus*, sive *incrassatus* dicitur *ex adipe, ex sanguine agnorum & hircorum*, &c. qua metaphora occidendorum multitudo significatur; quasi gladius ipse adipem voraret, ex eaque impinguaretur. Per agnos autem, hircos, & arietes; plebei homines: per unicornes vero & tauros, v. seq. magnates intelliguntur.

Denique Psal. 35. Heb. 36. v. 9. *pinguedo domus Dei*, cœlestium ejus donorum copiam significat.

SANGUIS, ob ejus rubedinem, pro eo ponitur, quod rubrum colorem mentitur. Gen. 49. v. 11. *Lavabit* (Judas) *in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, h. e. in vino; posterius enim istud hemistichium prioris est repetitio. Vide etiam Deut. 32. v. 14. Eccli. 50. v. 16. al. 17. Porro lavare stolam in vino, tantam liquoris hujus abundantiam innuit, ut ad communes etiam lotiones adhibeatur. Sic Androcydes ad Alexandrum Magnum scribens, vinum *sanguinem terræ* appellat. Vide Plin. l. 14. cap. 5.

Joel. 3. v. 14. al. c. 2. v. 31. Luna obscuranda, *in sanguinem convertenda* dicitur; quia lux ejus cum umbra terræ permixta rubedinem efficit.

CARO ex sanguine facta & enutrita, quia fragilis est & corruptioni obnoxia, significat,

1°. Rem fragilem ac debilem. Psal. 55. Heb. 56. v. 5. *In Deo speravi; non timebo quid faciat mihi caro*, h. e. homines infirmi. Vide etiam Psal. 77. Heb. 78. v. 39. Isai. 31. v. 3. Jerem. 17. v. 3.

2°. Mollem, tractabilem, & obsequentem. Ezech. 36. v. 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*

LAC, ob dulcedinem & utilitatem eximiam, in Veteri Testamento Messiæ beneficia denotat. Isai. 55. v. 1. *Venite, emite absque argento... vinum & lac.* Vide etiam Joel. 3. v. 18. al. 23. In Novo autem denotat,

1°. Verbum Dei. 1. Petr. 2. v. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Lacti autem verbum Dei comparatur, *tum* ob simplicitatem & candorem; sicut enim lac non est liquor arte humana compositus, sed ab ipsa natura factus; ita verbum Dei non homines, sed Deum auctorem agnoscit, 2. Petr. 1. v. 21. *Tum* ob jucunditatem & dulcorem; Isai. 25. v. 6. Psal. 18. Heb. 19. v. 11. Psal. 118. Heb. 119. v. 103. Prov. 24. vv. 13. 14. *Tum* ob utilitatem in pascendis conservandisque animabus in vitam æternam; 2. Tim. 3. vv. 16. 17. *Tum* ob abutentium perniciem; ut enim lac non conducit febricitanti, &c. sic improbis verbum Dei nocet, ac in majorem damnationem eis cedit, Joan. 12. v. 48. 2. Cor. 2. v. 16. &c.

2°. Lac, si solido cibo opponatur, prima religionis Christianæ rudimenta notat. 1. Cor. 3. v. 2. *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*, supple, *ferre.* Vide etiam Heb. 5. vv. 12. 13.

BUTYRUM, quod ex lacte conficitur, verba mollia, blanda, & adulatoria significat. Psal. 54. Heb. 55. v. 22. חָלְקוּ מַחְמָאֹת פִּיו *mollia sunt, butyrina sunt* (verba) *oris ejus*, וּקְרָב־לִבּוֹ *& pugnare*, vel *pugnat cor ejus*, i. veruntamen cor ejus pugnam adversum me cogitat. Sym. λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν, πολεμεῖ δὲ ἡ καρδία ἑκάστου αὐτῶν, *molliora* (sunt) *butyro ora* (i. verba) *eorum; pugnat vero cor uniuscujusque eorum.* Legebat מֵחֶמְאָת pro מַחְמָאֹת, & מ ut præpositionem, non ut literam formativam sive heemanticam spectabat. S. Hieron. *Nitidius butyro os ejus: pugnat autem cor illius.* Legebat ut Sym. Lxx. διεμερίσθησαν ἀπὸ ὀργῆς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, καὶ ἤγγισεν ἡ καρδία αὐτοῦ, Vulg. Lat. *divisi sunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius.* Pro חָלְקוּ legebant חֻלְּקוּ in pual, *divisi sunt*, quæ est primaria verbi hujus significatio. Deinde loco מַחְמָאֹת legeb. מֵחֲמָאת, ab חֵמָה *ira, furor*, cum א antiqua vocali *a*. Denique pro וּקְרָב־, legebant וְקָרַב *& appropinquavit*, quod primario verbum istud significat. Vel infinitivum hîc positum esse pro præterito vel præsenti crediderunt. Vide tom. I. p. 539. can. I.

§. II.

Metaphora ab animalium quibusdam generalibus desumta.

BRUTA animantia dividuntur in *terrestria, volatilia*, & *aquatilia.* Ad terrestria quod attinet;

FERA, BESTIA (חַיָּה) quandoque conventum, congregationem, turmam, agmen, significat; ducta metaphora à feris in unum congregatis. 2. Reg. 23. v. 13. וְחַיַּת *turba autem Philisthinorum castrametata erat in valle Rephaim.* Confer 1. Paral. 11. v. 15. & vide Psal. 67. Heb. 68. v. 31. &c.

Fera agri, truculentos Ecclesiæ hostes designat. Psal. 79. Heb. 80. v. 14. *Exterminavit eam* (vineam, sive Ecclesiam) *aper de sylva, &* וְזִיז שָׂדַי *fera agri depasta est eam.* Lxx. μονιὸς ἄγριος, Vulg. Lat. *singularis ferus*, h. e. aper, (ita ut posterius illud hemistichium sit prioris repetitio) qui sic vocatur Callimacho hymno in Dianam, & Eliano hist. l. 7. 47. Suum, sive porcorum nonnulli μονιοὶ etiam vocantur Hesychio, Suidæ, &c. Symm. ζῶα ἐρημίας, *animalia deserti.* Apost. ad Tit. cap. 1. v. 12. vocat Cretenses κακὰ θηρία, *malas bestias*, ad venenum suum in credentes effundendum promptissimas; qualia sunt apud medicos θηρία. Is autem versus desumtus est ex epimenidis opere, cui titulum fecerat *De oraculis*; quare *proprius ipsorum propheta* Paulo dicitur; idque δοξαστικῶς, i. ex opinione, quia scilicet talis fuit à Cretensium populo habitus.

JUMENTUM (בְּעִיר, unde nomen בַּעַר *brutus*) hominem stupidum, rudem, imperitum, stultum, ac bruto similem significat. Psal. 48. Heb. 49. v. 11. *Simul insipiens* יִבְעָר *& brutus* (Vulg. *& stultus*) *peribunt.*

Psal. 72. Heb. 73. v. 22. וַאֲנִי־בַעַר *ego autem stultus*, Aq. κἀγὼ ἀσύνετος, *& ego imprudens.* Sym. ἤμην δὲ ἀνεπιστήμων, *eram autem imperi-*

tus. Metaphoræ ſenſum recte expreſſerunt. Lxx. κἀγὼ ἐξουδενωμένος, *& ego ad nihilum redactus ſum.* Hi forte pro בָּעַר legebant בְּעַר *in nuditate*, vel *ad nuditatem*, à verbo עָרָה *nudavit*, unde עַר *nuditas*, formæ קַ, & cum præpoſitione בְּ *in* vel *ad*; *ego autem* בְּעַר *ad nuditatem* redactus ſum, hoc eſt, omni ope deſtitutus. Vel ſenſum non verbum reddiderunt. S. Hieron. *Et ego inſipiens & neſcius.* Vide etiam Pſal. 91. Heb. 92. v. 7. Prov. 12. v. 1. &c. Atque inde verbum בָּעַר *obbruteſcere, ſtultum fieri*, Pſal. 93. Heb. 94. v. 8. Jerem. 10. vv. 8. 14. &c.

ONAGER (פֶּרֶא), ut plurimi hanc vocem interpretantur, ferum hominem ſignificat. Gen. 16. v. 12. *Hic* (Iſmaël) *erit* פֶּרֶא אָדָם *onager homo*, Vulg. *ferus homo*, Lxx. ἄγροικος ἄνθρωπος, *ruſticus homo.* Aq. ἄγριος ἄνθρωπος, *agreſtis homo.* Sym. κεχωρισμένος ἀνθρώπων, *ſegregatus ab hominibus*; is forte legebat פֶּלֶא à פָּלָה vel פָּלָא *ſegregavit.* Theod. ἔρημος ἄνθρωπος, *deſertus homo*, h. e. immitis, & bellicus, cujus *manus contra omnes, & contra quem manus omnium*, ut ſequitur explicatio ibid. Vide etiam Job. 11. v. 12. Jerem. 2. v. 24. Oſe. 8. v. 9. quibus in locis homo cum פֶּרֶא *fera*, ſive *onagro*, ob ſtuporem & indomitam naturam comparatur. Ex Heb. autem פֶּרֶא fluxit Græca vox φὴρ, Lat. *fera.*

Huc pertinet, quod ait Paulus 1. Cor. 15. v. 32. ſe Epheſi θηριομαχῆσαι, *cum beſtiis*, vel *ad beſtias pugnaſſe*, quibus, ex nonnullorum ſententia, intelligendi ſunt increduli & pertinaces Judæi, quibuſcum *per tres menſes de regno Dei diſputavit*, Act. 19. vv. 8. 9. Neque enim veriſimile eſt Paulum, ſi revera feris objectus fuiſſet, ut volunt quidam, nullam hujuſce periculi mentionem facturum fuiſſe, dum 2. Cor. 11. v. 23. potiores, & omnium maximas ſuas calamitates, quas inter cum beſtiis conflictus non ultimum ſane obtinuiſſet locum, enumerat. Quod autem ait κατ' ἄνθρωπον, *ſecundum hominem*, ſupple λέγω *dico*, id ita intelligendum eſt, q. d. ut more hominum, i. in ſenſu metaphorico loquar; quæ phraſis in ſimilitudinibus infrequens non eſt. Vide Rom. 6. v. 19. Gal. 3. v. 15.

Iſai. 11. vv. 6. 7. 8. 9. Variæ animalium ſpecies & ſocietas enumerantur, quibus gentium efferarum ad Eccleſiam vocatio, & ejuſdem ex multis populis collectio intelligitur. Vide etiam c. 65. v. 25.

Ad animalium generalia pertinent eorum quædam effecta & adjuncta, qualia ſunt:

CUBARE, ACCUBARE, quod de hominibus uſurpatum, quietem ac ſecuritatem deſignat. Iſai. 14. v. 30. *Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter* יִרְבָּצוּ *accubabunt*, Vulg. *requieſcent.* Confer cap. 11. v. 6. & vide Pſal. 22. Heb. 23. v. 2. Job. 11. v. 19. Ezech. 34. v. 15. Soph. 2. v. 7. &c.

Idem verbum de *lapidibus* in fundamento poſitis uſurpatur, Iſai. 54. v. 11. qua loquutione, ædificii-diuturnitas, ſoliditaſque intelliguntur. Item de *peccato*, idque per proſopopœiam, de qua ſupra pag. 113. col. 1.

RAPERE (טָרַף), quod ad homines tranſlatum, violenter & more ferarum, aliquid auferre ſignificat. Deut. 33. v. 20. *Quaſi leo requievit* (Gad) וְטָרַף *rapuitque* (Vulg. *cepitque*) *brachium & verticem.* Vide Pſal. 7. v. 3. &c. Unde טֶרֶף *præda feralis* eſcam ſive cibum ſignificat. Pſal. 110. Heb. 111. v. 5. טֶרֶף *eſcam dedit* (Dominus) *timentibus ſe.* Vide Prov. 31. v. 15. Malach. 3. v. 10. & verbum הִטְרִיף *aluit, nutrivit*, Prov. 30. v. 8. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi*, הַטְרִיפֵנִי לֶחֶם חֻקִּי *nutri me pane ſtatuti mei*, h. e. pane tua providentia vitæ meæ ſuſtentandæ deſtinato. Aq. ἀκριβασμῶν μου, *ſtatutorum meorum*, legebat חֻקַּי. Symm. διάταξόν μοι δίαιταν ἱκανὴν, *ſtatue mihi diætam*, vel *victum ſufficientem*; vox לֶחֶם *victum* quemlibet ſignificat. Lxx. σύνταξον δέ μοι τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη, *ſtatue autem mihi, quæ opus ſunt, & ſufficiunt.* Vulg. *tribue tantum victui meo neceſſaria.* Convenit hoc cum ἄρτῳ ἐπιουσίῳ, quas voces Vulg. Matth. 6. v. 11. interpretatur *panem ſuperſubſtantialem*; at Luc. 11. v. 3. *panem quotidianum.* Utraque verſio in varia etymologia Græcæ vocis ἐπιούσιος fundatur; ſi enim illa derivetur ab ἐπὶ *ſuper* & εἰμὶ *ſum*, erit *ſuperſubſtantialis*: ſi vero deducatur ab eadem præpoſitione ἐπὶ & εἶμι *vado*, ſignificabit *ſupervenientem, de die in diem*

ſuccedentem ; quod idem eſt ac ſi *quotidianum* dixeris.

Denique Ezech. 17. v. 9. טרף ſignificat etiam *folium*, quod à vento *rapi* ſolet.

PASCERE, DEPASCERE, quod metaphorice ſumtum, ſignificat,

1°. Perdere. Pſal. 48. Heb. 49. v. 15. *Mors depaſcet eos* (impios), i. perdet. Vide etiam Job. 24. v. 21. Jerem. 2. v. 16. cap. 22. v. 22. fruges enim & gramina perduntur, dum ea ab animalibus paſcuntur.

2°. More pecorum oberrare. Num 14. v. 33. *Filii veſtri erunt* רעים (Lxx. νεμόμενοι *paſcentes*, Vulg. *vagi*) *in deſerto annis quadraginta.* Metaphora ſumta eſt à paſtoribus, qui uno in loco non ſubſiſtunt, ſed herbis ibi conſumtis, ad alium demigrant. Conf. Iſai. 38. v. 12.

3°. Secure bonis frui. Iſai. 14. v. 30. *Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent.* Hic conjunctionem *&* recte etiam verteris *id eſt*, cujus ſignificationis alia exempla vide in tom. I. p. 614. col. 1. atque ita poſterius hemiſtichium erit prioris repetitio.

2. Tim. 2. v. 17. *Cancer*, quo hæreticus ſermo ſignificatur, νομὴν ἕξει *paſtionem habere*, Vulg. *ſerpere*, dicitur.

VENARI in malum fere ſemper accipitur, pro inſidiari, mala machinari, &c. ferarum enim venationes variis technis & inſidiis ſolent peragi. Exod. 21. v. 13. *Qui autem non* צדה *venatus eſt*, Vulg. *inſidiatus eſt*, &c. Vide etiam 1. Reg. 24. v. 12. Prov. 6. v. 26. Jerem. 16. v. 16. Thren. 3. v 52. cap. 4. v. 18. Ezech. 13. vv. 18. 30. Mich. 7. v. 2. Hinc Gen. 10. v. 9. Nemrod dicitur *robuſtus venator coram Domino*, h. e. tyrannus, oppreſſor, &c. qui valere juſſa non hominum modo, ſed ipſius etiam Numinis reverentia, quod innuunt voces *coram Domino*, in alios homines imperitando graſſabatur. Pro eadem loquutione *coram Domino*, confer Gen. 6. v. 11. c. 13. v. 13. 1. Paral. 1. v. 10. &c.

Huc pertinet, Habac. 2. v. 17. *Quia violentia* (Vulg. *iniquitas*) *Libani* (i. qua venatores in feras Libani uti ſolent) *operiet* ſeu *obruet te*, (Babylon), *& vaſtitas animalium,* (quæ) *deterrebit* vel *deterret ea*, (repete ex membro præced. *obruet te*), *de ſanguinibus hominum*, &c. h. e. propter ſanguinem hominum, quem fudiſti, & iniquitatem ſeu violentiam, quam terræ Iſraëlis, urbi Jeruſalem, ejuſque habitatoribus intuliſti. Confer v. 8.

LAQUEOS PONERE, ſeu ILLAQUERE, metaphorice ſumtum, idem ſignificat ac *venari ;* nempe inſidiari & perdere. Deut. 7. v. 16. *Non ſervies Diis eorum* (populorum idololatrarum), כי־מוקש הוא לך *quia illaqueans* (erit) *te*, quilibet ille Deus alienus. Vulg. *ne ſint in ruinam tui.* Vide etiam v. 25. c. 12. v. 30. Pſal. 9. vv. 16. 17. Pſal. 37. Heb. 38. v. 13. & ſic ſæpe in hoc libro, Eccle. 9. v. 12. Matth. 22. v. 15.

Verbum iſtud de facultatibus ſeu bonis uſurpatum, ea intervertere, & ad ſe rapere ſignificat. Pſal. 108. Heb. 109. v. 11. ינקש *illaqueet* (Vulg. *ſcrutetur*) *fœnerator omnem ſubſtantiam ejus*, &c. Item, obligari alicui ad ſatisfaciendum, Prov. 6. v. 1. Fili mi, *ſi ſpoponderis pro amico tuo*, &c. Verſ. 2. *Illaqueatus es verbis oris tui*, &c. Confer vv. 3. 5.

Hinc *laqueus* accipitur, 1°. pro damno, exitio, &c. Exod. 10. v. 7. *Uſquequo erit hoc nobis* למוקש *in laqueum*, h. e. in damnum, Vulg. *ſcandalum.* Vide 1. Reg. 18. v. 21. Pſal. 68. Heb. 69. v. 23. Et ſic ſæpius tam in Vet. quam in Nov. Teſtam. 2°. Pro conſcientia peccatis irretita, 1. Cor. 7. v. 35.

Rete idem ſignificat, quod laqueus, Pſal. 9. v. 16. *In reti* (Vulg. *in laqueo*) *iſto .... comprehenſus eſt pes eorum.* Vide Pſal. 24. Heb. 25. v. 15. &c.

Laqueus & rete, cum Deo tribuuntur, calamitates ab eo inflictas denotant. Vide Job. 19. v. 6. Pſal. 10. Heb. 11. v. 6. Jerem. 50. v. 24. Ezech. 12. v. 13. cap. 32. v. 3. quæ ad Anthropopatheian pertinent.

MACTARI, MACTATIO, quæ beſtiis competunt, hominum occiſionem violentam à Deo per hoſtes illatam deſignant. Iſai. 34. v. 6.... *victima enim Domini in Boſra, &* טבח *mactatio* (Vulg. *interfectio*) *magna in terra Edom.* Vide etiam Jerem. 46. v. 10. Ezech. 39. v. 17. & ſeqq. Soph. 1. v. 7.

§. III.

Metaphoræ ab animalium speciebus desumtæ.

IN hoc paragrapho recensebimus 1°. Belluas immites ac sylvestres. 2°. Quæ hominibus usui & esui inserviunt. 3°. Serpentes, vermes, & alia hujuscemodi vilia.

LEO, rex animalium, Prov. 30. v. 30. in *bonum*, quod rarissimum est, & in *malum* accipitur.

In bonum, Gen. 49. v. 9. Judas dicitur *catulus leonis*, ob robur, potentiam, & tribus illius præ reliquis eminentiam.

Ezech. 43. vv. 15. 16. altare holocaustorum appellatur אֲרִיאֵל *leo Dei*, quæ vox composita est ex אֲרִי *leo*, & אֵל *Deus*; vel quia victimarum sanguine maderet, ut leo prædam discerpens; vel quia holocausta sibi imposita, quasi immitis leo, voraret, id est, igne perpetuo consumeret. Eodem nomine Jerusalem vocitatur Isai. 29. vv. 1. 2. quod ferox exstiterit adversus Deum & prophetas ejus, quos occidit, perinde ac si leo agnum discerperet; confer Matth. 23. v. 37. Vel quia circumdanda erat sanguine occisorum, sicut circumdabatur altare sanguine sacrificiorum in die festi.

In malum, denotatque hostes truculentos vel tyrannos. Psal. 21. Heb. 22. v. 22. *Salva me ex ore leonis*, &c. Vide etiam Psal. 33. Heb. 34. v. 11. Psal. 56. Heb. 57. v. 5. Psal. 57. Heb. 58. v. 7. Jerem. 4. v. 7. c. 5. v. 6. Ezech. 19. v. 2. Nah. 2. vv. 11. 12. Soph. 3. v. 3. 2. Tim. 4. v. 17. &c. Hinc Diabolus *leoni rugienti* confertur, 1. Petr. 5. v. 8.

Leonis & malæ bestiæ absentia, Isai. 35. v. 9. cicuratione, sive societate, c. 11. vv. 6. 7. spiritualis regni Christi tranquillitas & pax denotatur.

Rugitus, qui leonum proprius est, accipitur 1°. De violentia & tumultu hostili, Isai. 5. v. 29. Zach. 11. v. 3. 2°. De tonitru, Job. 37. v. 4. 3°. De gemitibus clamoribusque dolentium, Psal. 21. Heb. 22. v. 2. Psal. 37. Heb. 38. v. 9.

UNICORNIS ob sævitiam & robur, virulentos hostes denotat. Psal. 21. Heb. 22. v. 22. *Salva me ex ore leonis, & (vel, qui) à cornibus unicornium* עֲנִיתָנִי *exaudisti me*, h. e. exaudiendo liberasti vel eripuisti me. Conjunctionem ו pro relativo אֲשֶׁר *qui*, &c. interdum adhibitam vide in tomo I. pag. 507. can. IV. Alii, *Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium exaudies me*, h. e. exaudiendo liberabis me, adeo ut præteritum עֲנִיתָנִי *exaudisti me*, sit pro futuro תַּעֲנֵנִי *exaudies me*, aut potius pro imperativo עֲנֵנִי *exaudies me*; atque ita sensus est: Salva me ex ore leonis, & exaudiendo me, à cornibus unicornium libera me. Præteritum pro futuro positum, vide in tom. I. pag. 544. col. 2. num. III. & in hoc tom. II. pag. 22. §. IV. Quod spectat ad futurum loco imperativi usurpatum, vide in tom. I. pag. 546. can. IV. Vide ibid. pag. 516. can. II. col. 2. in fine, quo modo legerint LXX. qui pro *exaudisti me* interpretati sunt ταπείνωσίν μου, *humilitatem meam.* Aliud exemplum unicornis metaphorice sumti vide Jerem. 34. v. 7.

APER, sive PORCUS SYLVESTRIS, efferos itidem populi Dei hostes designat. Vide Psal. 79. Heb. 80. v. 14. & supra pag. 164. col. 2.

URSUS eadem de causa significat,

1°. Sævum tyrannum, Prov. 28. v. 15. *Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps impius*, &c.

2°. Deum pœnas infligentem. Thren. 3. v. 10. *Ursus insidians factus est mihi* (Deus), *leo in absconditis.* Alii utrobique comparationem esse volunt, subintellecta particula *sicut*, quæ non raro desideratur. Vide tom. I. pag. 579. can. V.

LUPUS animal sævum & rapax, homines feroces, fortes, avaros, & crudeles denotat. Gen. 49. v. 27. *Benjamin lupus rapax*, &c. qua metaphora S. Patriarcham vaticinari robur & virtutem bellicam Benjaminitarum, qui bis in prælio filios Israël fuderunt, Jud. c. 20. &c. existimant quidam. Alii volunt

hîc respici ad victorias Saülis primi Israëlitarum regis, qui ex tribu Benjamin oriundus erat. Omnes fere Patres Latini hoc vaticinium de S. Paulo intelligunt, qui ex tribu Benjamin originem traxit, quique ante conversionem in Christianos sæviit, Act. 9. v. 1. Gal. 1. v. 13. &c. at factus Christi discipulus, ex lupo Diaboli evasit lupus Dei, & spolia Gentium detracta Diabolo, Christo & Ecclesiæ divisit. Vide etiam Jerem. 5. v. 6. Soph. 3. v. 3.

In Novo Test. lupis seductores, & doctrinarum exitialium auctores designantur. Vide Matth. 7. v. 15. Joan. 10. v. 12. Act. 20. v. 29.

PARDUS hostilitatis itidem & sævitiæ notionem metaphoricam obtinet, Jerem. 5. v. 6. *Pardus vigilans super civitates eorum*, &c.

VULPES à Christo appellatur Herodes, ob fraudulentas insidias, quas ipsi clanculum struebat. Luc. 13. v. 32. *Ite & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia*, &c. Vulpes illa insidiabatur gallinæ, cui Matth. 23. v. 37. seipse confert Christus. Idem animal, secundum quosdam interpretes, denotat etiam hæreticos & alios Ecclesiæ hostes, Cant. 2. v. 15. Thren. 5. v. 18.

CERVA, quæ velocissime fugit, in rebus feliciter agendis celeritatem indicat. Gen. 49. v. 21. *Nephthali cerva emissa, & dans eloquia pulchritudinis.* Vulg. *cervus emissus*. Heb. אַיָּלָה & *cervum* & *cervam* significat; animalium enim nomina utpote ἐπίκοινα, sexum utrumque sub una eademque terminatione comprehendunt. Nephthali itaque dicitur cervus emissus, sive cerva emissa, ob celeritatem, qua Barac ex tribu Nephthali Debora adjutus, Sisaræ exercitum fudit. Vide Jud. 4. v. 10. Quod autem sequitur: *& dans eloquia pulchritudinis*, ad suave illud Baraci & Deboræ carmen ἐπινίκιον respicit, quod Jud. 5. describitur.

Prov. 5. v. 19. Uxor dilectissima vocatur *cerva amorum*, sive, ut Vulg. transtulit, *cerva charissima, & gratissimus hinnulus*, quibus veteres maxime delectabantur, eo quod in pilis, & toto filo corporis aliquid habeant, quod mire placeat, ut scribit Boch. de Animal. Sacris, part. I. lib. 3. cap. 18. col. 898.

Hæc de Belluis sylvestribus, sequuntur domesticæ.

EQUUS & hinnitus ejus, libidines efferas significat.

Jerem. 5. v. 8. סוּסִים מוּזָנִים (vel מְיוּזָנִים) מַשְׁכִּים הָיוּ *equi saginati mane fuerunt*, ad verbum *mane surgens* vel *paratus*, numero singulari, quo distributio significatur, pro plurali usurpato, *mane surgentes*, &c. Quibusdam מַשְׁכִּים contractum est pro מַשְׁכִּימִים, ut חַנִּים, & cum ן in fine loco ם, חַנִּין pro חַנִּינִים, Jerem. 9. v. 10. c. 14. v. 6. Thren. 4. v. 3. quod tamen aliis est nomen sing. collectivum. Lxx. ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγενήθησαν, *equi in feminas furentes facti sunt*. Vocem מְיוּזָנִים secundum Massorethas, vel מוּזָנִים secundum textus lectionem, videntur omisisse. Aq. Sym. Theod. מַשְׁכִּים interpretantur ἕλκοντες, *trahentes*, scilicet αἰδοῖον, quod honestatis causa reticetur, eo quod ex subjecta materia satis intelligatur. Hi & Lxx. pro מַשְׁכִּים, legebant מְשָׁכִים, ut testatur S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. n. edit. col. 553. ubi S. Doctor hujus interpretationis meminit. *Pro emissariis*, inquit, *in Hebräico scriptum est* mosechim, *quod omnes voce consona ἕλκοντες, id est*, trahentes, *transtulerunt*, &c. Ipse autem sic interpretatur: *equi amatores in feminas & emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Pro *saginatis* posuit *amatores* per metonymiam effectus pro causa seu occasione; sagina enim libidinem concitat. Equi autem *emissarii* apud S. Doctorem, iidem sunt, qui *admissarii* apud Plinium, Varronem, &c. Ceterum nota est, vel ex profanis auctoribus, equorum salacitas. Quare Ægyptii ad libidinosos homines exprimendos, equos in hieroglyphicis pingebant. Vide etiam Virg. l. 3. Georg. v. 250. & seqq.

ASINUS una cum equo idem denotat. Ezech. 23. v. 20. *Et insanivit* (Jerusalem), *libidine super concubitum eorum* (Ægyptiorum), *quorum carnes sunt ut carnes asinorum, & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Hîc *Carne* denotatur membrum virile, Lev. 15. v. 2. Ezech. 16. v. 26. & *fluxu*, semen. Ea porro metaphora turpissimam Judæorum idololatriam significat.

Huc

Huc pertinet, 1°. Verbum *equitare*, quod metaphorice sumtum, *dominari* & *excelsum esse* significat; quemadmodum equo insidens eum regit & gubernat. Deut. 32. v. 13. יַרְכִּבֵהוּ *equitare fecit eum* (populum suum Dominus) *super excelsam terram*, &c. id est, *constituit*, Vulg. Terra autem Chanaan excelsa dicitur ob montes, qui in ea frequentissimi sunt. Vide etiam Psal. 65. Heb. 66. v. 12. Isai. 58. v. 14. 2°. *Frænare* seu *frænum imponere*, quod significat,

1°. Violentiam hostium potenter inhibere & avertere. Isai. 37. v. 29. *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Sic loquitur Dominus de Sennacheribo. Vide etiam c. 30. v. 28. Ezech. 38. v. 4.

2°. Decenter prudenterque moderari, si linguæ tribuatur. Jac. 3. v. 2. *Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir, potest etiam fræno circumducere totum corpus.* Vide etiam c. 1. v. 26.

Job. 30. v. 11. (Massor. יִתְרִי) כִּי־יִתְרוֹ פִתַּח וַיְעַנֵּנִי וְרֶסֶן מִפָּנַי שִׁלֵּחוּ *quia pharetram suam aperuit* (Deus) *& afflixit me: & frænum à facie mea abjecerunt* subditi mei. Secundum lectionem Massor. *quia funem meum solvit* (quilibet è subditis meis) *& afflixit me: & frænum à facie mea abjecerunt*, h. e. solvit cingulum, quo eum constringebam, & frænum à facie mea abjecerunt, i. & jugum in præsentia mea, vel coram facie mea excusserunt. Fune, seu cingulo, & jugo significatur imperium ex parte Jobi; ex parte vero subditorum, obedientia. Lxx. ἀνοίξας γὰρ φαρέτραν αὐτοῦ ἐκάκωσέ με, καὶ χαλινὸν τοῦ προσώπου μου ἐξαπέστειλαν, *aperiens enim pharetram suam afflixit me, & frænum faciei meæ abjecerunt.* Legebant יִתְרוֹ, quod significare potest & *pharetram suam*, & *funem suum*; & priorem versiculi partem ad Deum retulerunt, posteriorem vero ad Jobi subditos: q. d. sagittas suas in me misit Deus; id est, afflixit me; quod videntes subditi mei, me præsente, jugum excusserunt. Vulg. *Pharetram enim suam aperuit* (Deus) *& afflixit me, & frænum posuit* (legeb. שָׂלְחוּ) *in os meum* quilibet è subditis meis, vel Deus ipse, qui jumenti loco me habuit. Præpositionem a ante פְּנֵי interpretatus est *ad* vel *in*; quo sensu accipitur Gen. 13. v. 11. Exod. 25. v. 18. c. 32. v. 30. &c. Vide tom. I. pag. 601. col. 1. num. VI. Denique hic interpres & Lxx. lectionem textus in voce יתרו sequuti sunt.

ASINUS, præter locum Ezech. 23. v. 20. superius laudatum, metaphorice etiam significat ignaviam. Gen. 49. v. 14. יִשָּׂשכָר חֲמֹר גָּרֶם רֹבֵץ בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם, *Issachar asinus ossis* (i. *asinus fortis*, Vulg.) *cubans inter terminos suos*, h. e. Issachar fortis quidem, sed ignavus instar asini, intra limites suos continebit se, nec eos bello extendere curabit. Lxx. Ἰσσάχαρ τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, ἀναπαυόμενος ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, *Issachar bonum* vel *pulchrum desideravit, requiescens inter terminos suos.* Pro חֲמֹר legebant חָמַד *concupivit, desideravit*; & pro גֶּרֶם, in pausa גָּרֶם, affingebant etiam sensum *boni, pulchri, solidi*, à quo non multum recedit apud Rabbinos, quibus est *substantia, corpus.* Forte etiam pro גָּרֶם legerunt, trajectis literis, גֶּמֶר aut גָּמַר à verbo גָּמַר *absolvere, perficere*, &c. vel passive *absolvi, perfici*; unde Chald. גְּמִיר *perfectio, integritas*, & גָּמוּר *perfectus*, &c. Aq. ὄνος ὀστώδης *asinus osseus.* Ultimam versiculi hujus vocem הַמִּשְׁפְּתָיִם, quæ hîc & Jud. 5. v. 16. legitur, varie interpretantur cum Græci tum Latini; cum veteres, tum recentiores. Lxx. & Aq. hîc κλήρων *terminorum*, Sym. [γειτονιῶν] *viciniarum.* Vulg. *terminos.* At Jud. 5. v. 16. Lxx. τῆς διγομίας *duplicis sarcinæ.* Aq. κλήρων *terminorum.* Sym. μεταιχμίων vel μεταιχμίων *viciniarum.* Theod. vocem Hebraïcam retinuit, sed vitio librariorum nonnihil corruptam, μωσφεθαὶμ *mosphethaïm.* Vulg. *duos terminos.* Plerique recentiores tum Judæi, tum Christiani *duas sarcinas* interpretantur, quæ asinis aliisque jumentis hinc inde imponuntur. Itaque sub hac asini metaphora pingitur Issachar fortis quidem, at quietis amore, & agri amœnitate captus, nihil præclari gesturus; domique residens ignaviter sibi tributa indici passurus. Hinc sequitur v. 15. *Vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima: & supposuit humerum suum ad portandum*, וַיְהִי לְמַס עֹבֵד, Lxx.

καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργὸς, *& factus est vir agricola.* Cum metaphoram hoc in versu non agnoverint illi interpretes, sensum non verba expressere. Aq. . . . ἄνθρωπος εἰς φόρον δουλεύων . . . . *homo sub tributo*, vel, ut interpretatur Vulg. *tributis serviens.* Agricolæ, ut plurimum, tributis opprimuntur, à quibus immunes sunt milites. Sym. καὶ ἔστι γεωργὸς ὑπηρετεῖν, *& est agricola ad ministrandum.*

Bos & TAURUS violentum, crudelem, & superbum hostem significant. Psal. 21. Heb. 22. v. 13. *Circumdederunt me vituli multi, tauri Basan*, sive *pingues obsederunt me.*

Psal. 67. Heb. 68. v. 31. גְּעַר חַיַּת קָנֶה עֲדַת אַבִּירִים בְּעֶגְלֵי עַמִּים מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי־כָסֶף, *increpa feram cannæ*, vel *catervam arundinis* (h. e. arundine sive sagitta armatam) *congregationem robustorum*, vel *taurorum in vitulis populorum*), i. principes ac duces cum fortissimis populorum congregatos) *gloriantem in fragmentis argenti*, h. e. in multa pecunia, quæ belli nervus appellatur. Neque huic interpretationi adversatur discrimen generis inter עֲדַת femin. & מִתְרַפֵּס masc. nam præterquam quod similis enallage in Scriptura insolens non est: vox ultima referri potest ad præcedentem עַמִּים *populorum gloriantis*, ita ut sit distributio, hoc modo: quorum unusquisque gloriatur. Symm. (ἐπιτίμησον) συνόδῳ παμμεγεθῶν μετὰ συστροφῶν λαῶν, τοῖς διαλακτίζουσι τούτους αὐτοὺς δεδοκιμάτους ὄντας ὡς δοκιμήν ἀργυρίου, (*increpa*) *conventum maximorum cum cœtibus populorum, qui calcant eos, qui accepti sunt ut probatio argenti*, h. e. ut argentum probatum, optimum. Vocem עֶגְלֵי interpretatus est συστροφὰς *cœtus*, quia respexit ad verbum inusitatum עגל, unde מַעְגָּל *trames, callis, semita*, & per metonymiam, de qua supra pag. 46. §. II. homines per viam in locum aliquem convenientes. Ante διαλακτίζουσι repete ἐπιτίμησον, quam vocem à Symmacho usurpatam verisimile est; *increpa*, seu *disperde eos, qui conculcant illos ipsos δεδοκιμάτους, qui accepti sunt*, &c. pro רַצֵּי *fragmenta*, legebat רָצֵי in benoni qal verbi רָצָה *acceptum esse.* LXX. ἐπιτίμησον τοῖς θηρίοις τοῦ καλάμου· ἡ συναγωγὴ τῶν ταύρων ἐν ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, τοῦ μὴ ἀποκλεισθῆναι τοὺς δεδοκιμασμένους τῷ ἀργυρίῳ, *increpa feras arundinis*, (quæ sunt) *congregatio taurorum in vaccis populorum, ut non excludantur, qui probati* vel *accepti sunt* (præ) *argento.* Hi 1°. Pro חַיַּת *feram*, legebant in plur. חַיּוֹת *feras.* 2°. Vocem עֶגְלֵי interpretati sunt *vaccas*; animalium enim nomina sub una eademque terminatione sexum utrumque sæpius comprehendunt. 3°. מִתְרַפֵּס verterunt τοῦ μὴ ἀποκλεισθῆναι, *ut non excludantur*, i. vita, bonis, &c. spolientur; quia legerunt מֵהֵרָפֵס in infinit. niph. cum ה loco ת. 4°. Præpositionem מ supplevere ante כֶּסֶף, sic: *præ argento probati*, h. e. qui argento pretiosiores & acceptiores sunt. 5°. Denique pro רַצֵּי, legebant cum Sym. רְצוּיֵ *accepti*, vel רָצֵי qui *accepti sunt.* Vulg. Lat. *ut excludant eos*, &c. sine negatione, quam etiam non agnoscit Complut. edit. quæ habet, τοῦ ἐκκλεισθῆναι, *ut excludantur.* Ita quoque legeb. Augustinus. S. Hieron. *Increpa bestiam calami*, (quæ est) *congregatio fortium in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas.* Vocem רַצֵּי, quam interpretatur *rotas*, deducebat à verbo רוּץ *currere.* Quid per *rotas argenteas* hîc intelligat S. Doctor, facile non est hariolari. Forte quis conjicere possit iis significari calcarium orbiculos spiculis armatos, si tamen Hieronymi ætate hujusmodi rotulas haberent calcaria. Si vera est hæc conjectura, rotulæ illæ argenteæ dicuntur, quod ibi metaphorice sumtæ significent Dei gratiam, vel eloquia Divina, quæ Psal. 11. Heb. 12. v. 7. appellantur *argentum igne examinatum, probatum in catino terreo, septies* (h. e. sæpius) *defæcatum*, quæque improbos, calcarium instar, ad faciendum bonum stimulant, & quibus male reluctantur. Hujus itaque versiculi secundum Heb. sensus esse videtur; Increpa, disperde, Domine, catervam hostium sagittis hastisque armatorum; vel feram arundinis, i. hostem crudelem instar crocodili aut cujusvis alterius feræ in arundinibus habitantis; disperde, inquam, congregationem taurorum in vitulis populorum, hoc est, duces ac principes cum robustissimis ac lectissimis populorum congregatos, quique in pecunia sua gloriantur. Quidam ultima verba sic expli-

cant: & מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי־כָסֶף *subjiciat se* (quilibet eorum) *cum fragmentis argenti*, i. supplex pacem argento redimere cogatur. Quod cum versu sequenti convenit: *Venient*, vel *veniant legati ex Ægypto*, &c. & cum primaria significatione verbi רָפַס, quod in hithpaël *conculcandum se præbere* significat. Quid significent *vacca Basan*, vide supra pag. 138. col. 1.

VITULA triennis, sive *conternans*, ut interpretatur Vulg. luxum & lasciviam denotat; vaccæ enim triennes & saginatæ, quæque partus & jugi laborum ignaræ sunt, ferocire ac luxuriari solent. Isai. 15. v. 5. *Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus*, (id est, & ad, vel super munitiones ejus) *usque ad Segor* עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה *vitulam conternantem*, &c. h. e. totis viribus clamabo super Moabiticam regionem, & urbes ejus munitissimas; ita ut clamor meus audiatur & pertingat usque ad Segor, quæ, instar vitulæ triennis, ob rerum omnium abundantiam luxuriatur. Quidam, nec male, hunc locum sic explicant: clamabit vel potius mugiet cor meum, sicut vitula triennis, super Moab ejusque urbium munitarum vastationem, ita ut ad Segor usque mugitus meus perveniat. עֶגְלַת hic in regimine est pro absoluto; vel subintelligitur שָׁנָה *annus*, sic: עֶגְלַת שָׁנָה שְׁלִשִׁיָּה *vitula anni tertii*, h. e. trima. Idem epitheton urbi Segor tribuitur Jerem. 48. v. 34.

Ibidem, h. e. Jerem. 46. v. 20. Ægyptus vocatur *vitula elegans & formosa*, eadem de causa, qua Segor.

Ose. 10. v. 11. Ephraim dicitur *vitula docta diligere trituram*, non vero arationem; qua metaphora Israëlitarum, quos hic per synecdochen significant Ephraimitæ, felicitas innuitur; trituræ enim labor levis & gratus est, cum in ea suppetat victus abundantissimus, secundum illud Deut. 25. v. 4. *non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.* Huc pertinet

JUGUM, quo boves alligantur ad trahendum aratrum aut currum, quodque metaphorice significat,

1°. Doctrinam & certam agendi rationem, quæ homines ad certum vitæ genus, sicuti jugum boves ad certum laborem adstringit. Jerem. 5. v. 5. *Confregerunt jugum* (optimates), *fregerunt vincula.* Chald. *rebellarunt à lege, recesserunt à doctrina.* Confer Psal. 2. v. 3. & vide Matth. 11. v. 29. Hinc בְּלִיַּעַל *Belial* vertitur etiam *absque jugo*, i. qui jugum doctrinæ & disciplinæ excussit.

2°. Molestias, afflictiones, ærumnas, præsertimque dominorum, magistratuum, & tyrannorum oppressiones. Boves enim sub jugum colligati varia onera trahere coguntur, atque insuper stimulis aut flagris à duris gubernatoribus in eos animadvertitur. Lev. 26. v. 13. *Ego Dominus Deus vester.... qui confregi lora jugi vestri*, Vulg. *catenas cervicum vestrarum*, &c. Vide etiam 3. Reg. 12. v. 4. Isai. 9. v. 4. c. 10. v. 27. c. 14. v. 25. c. 47. v. 6. Jerem. 2. v. 20. cap. 28. vv. 2. 4. 11. 14. c. 30. v. 8. Thren. 1. v. 14. c. 3. v. 27. 1. Tim. 6. v. 7.

3°. Grave & molestum onus in spiritualibus. Act. 15. v. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponendo*, (Vulg. *imponere*) *jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Per jugum eo loci, circumcisio aliique Legis Mosaicæ ritus intelliguntur. Vide etiam Galat. 5. v. 1. &c.

4°. Conjunctionem & conformationem cum aliis; quemadmodum jumenta per jugum invicem connexa sunt. 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, h. e. nullum cum iis commercium, quod ad religionem & mores, &, ut quibusdam videtur, ad matrimonium attinet, nolite habere. Per σύζυγον γνήσιον *germanum comparem*, Philip. 4. v. 3. Paulus intelligit aliquem in Evangelico labore sibi socium, quem alii volunt esse Silam, alii Barnabam, alii Timotheum, alii quemdam ex Ecclesiæ illius ministris. Quidam etiam suam ipsius uxorem, cui explicationi refragatur Syrus, qui voce masculina utitur, בַּר־זוּגִי *fili jugi mei.* Vide 1. Cor. 7. v. 7. ubi innuptis annumerat se Apostolus.

CANIS metaphorice significat,

1°. Ob morsus asperitatem, hostem violentum & crudelem. Psal. 21. Heb. 22. v. 17.

Quoniam circumdederunt me canes multi, ſequitur explicatio: *& concilium malignantium obſedit me.* Vide etiam v. 21.

2°. Ob vilitatem, infimos quoſque homines. 4. Reg. 8. v. 13. *Dixitque Hazaël: Quid enim ſum ſervus tuus canis?* &c. i. homo viliſſimus. Hinc *mortuus canis*, 1. Reg. 24. v. 15. 2. Reg. 9. v. 8. cap. 16. v. 9. Et *caput canis*, 2. Reg. 3. v. 8.

3°. Ob impudicitiam & obſcœnitatem, cynædum, ſeu puerum meritorium. Deut. 23. v. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis*, &c. Huic interpretationi optime convenit cum antecedenti verſu: *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec* קָדֵשׁ *cynædus* (ut optimi interpretes explicant) *de filiis Iſraël.* Vulg. *ſcortator.*

4°. Ob immunditiem legalem, qua inter animalia immunda computabatur, profanos homines, qui monitis ſacris oblatrant. Matth. 7. v. 6. *Nolite dare ſanctum canibus*, &c. h. e. nolite porrigere ſalutis doctrinam, Myſteria, Sacramenta, &c. profanis. Ibidem *porci* junguntur cum canibus, quibus ſignificantur improbi, qui impuram porcorum vitam agunt, & in belluinis voluptatibus, ut ſues in cœno, volutantur.

5°. Denique ob ejus, cum latrare deberet, ſilentium, denotat paſtores mercenarios & falſos doctores, qui, cum pro re & tempore loqui debeant, conticeſcunt. Iſai. 56. v. 10. *Canes muti, non valentes latrare*, &c. Verſ. 11. iidem ut *canes impudentiſſimi, ac inſatiabiles*, ob inexplebilem eorum avaritiam proponuntur.

Philip. 3. v. 2. *Canes* appellantur pſeudo-Apoſtoli ob impudentiam, calumniam, caninam mordacitatem, avaritiam, & præſertim quod ad Judaïſmum, ſicuti canes ad vomitum, reverterentur; unde ſequitur: *videte*, h. e. *cavete circumciſionem.*

Ovis ob ſimplicitatem, patientiam, puritatem, obedientiam, fertilitatem, utilitatemque, pios ac fideles ſignificat; unde & Eccleſia *grex ovium* appellatur. Pſal. 99. Heb. 100. v. 3. *Nos autem populus ejus* (Dei), *& oves paſcuæ ejus.* Vide etiam Ezech. 36. v. 38. Joan. 10. vv. 15. 16. 26. 27. c. 21. vv. 15. 16. 17. Act. 20. v. 28. Heb. 13. v. 20. 1. Pet. 5. v. 2. &c.

Huc pertinent allegoriæ integræ & parabolæ ab ovium conditione & ductu deſumtæ. Pſal. 22. Heb. 23. Ezech. 34. Joan. 10.

Interdum per oppoſitionem ad *oves*, quæ electos denotant, *hirci* ſive *hœdi* ob petulantiam, &c. reprobos ſignificant. Matth. 25. v. 33. *Et ſtatuet* (Chriſtus) *oves quidem* (h. e. electos) *à dextris ſuis: hœdos autem* (i. reprobos) *à ſiniſtris.* Confer Ezech. 34. v. 17.

Alias, *hirci*, qui gregem præcedunt ac regunt, duces & gubernatores populi ſignificant. Iſai. 14. v. 9. *Omnes* עַתּוּדֵי אָרֶץ *hirci* (Vulg. *principes*) *terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis*, &c. Vide Zach. 10. v. 3. & conf. Jerem. 50. v. 8.

Hinc verbum *paſcere*, ſi de magiſtratibus, &c. accipiatur, ſignificat,

1°. Dominari, præeſſe, gubernare, &c. Gen. 49. v. 24. *Inde paſtor egreſſus eſt*, &c. i. dux & princeps Ægyptiorum, nempe Joſephus. Vide inſuper 2. Reg. 5. v. 2. 1. Paral. 11. v. 2. Pſal. 77. Heb. 78. v. 71. Iſai. 44. v. 28. Jerem. 12. v. 10. Et ſic ſæpius in Scripturis.

Apud Græcos etiam poëtas, præſertim Homerum, reges ſæpe vocantur *ποιμένες λαῶν*, *paſtores populorum.*

2°. Docere, ſi ad magiſtros referatur. Jerem. 17. v. 16. *Ego autem* לֹא־אַצְתִּי מֵרֹעֶה אַחֲרֶיךָ *non inſtiti, ut non eſſem paſtor poſt te*, h. e. ne docerem populum poſt te. LXX. *ἐγὼ δὲ οὐκ ἐκοπίασα κατακολουθῶν ὀπίσω σου*, *ego autem non laboravi ſequens te*, i. cum gaudio te ſequutus ſum. Pro מֵרֹעֶה legebant מֵרֵעֶה *ſociatus*, quæ eſt altera ſignificatio verbi רָעָה, inde petita, quod pecudes ſimul paſcantur. Vulg. *Non ſum turbatus te paſtorem ſequens*, i. doctorem. Vide etiam c. 3. v. 15. Joan. 21. vv. 15. 16. Act. 20. v. 28. Epheſ. 4. v. 11. 1. Petr. 5. vv. 2. 3. &c. Hinc

Prov. 10. v. 21. *Labia juſti* יִרְעוּ *paſcunt* (Vulg. *erudiunt*) *plurimos.*

Hactenus de animalibus domeſticis. Sequuntur reptilia, &c.

SERPENS metaphorice ſignificat Diabolum, Gen. 3. v. 1. & ſeqq. qui in ſerpente naturali latens, primos parentes ſeduxit.

Caput ſerpentis maximam Diaboli pote-

ſtatem, regnum, tyrannidem, ac virulentiam denotat. 1°. Quia caput præcipua pars animalis eſt. 2°. Quia virus ſerpentum in capite continetur; quare Gen. 3. v. 15. de Chriſto dicitur, quod *contriturus ſit caput ſerpentis*.

Eundem Diabolum deſignat vox *draco*, Apoc. 12. vv. 7. 9. ubi ſtatim ſubjungitur explicatio, nempe: *Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem*. Vide etiam c. 20. v. 2.

Hinc impii *genimina viperarum* dicuntur Matth. 3. v. 7. c. 12. v. 34. c. 23. v. 33. Luc. 3. v. 7. i. filii Diaboli, qui vipera his in locis appellatur, quod ſerpentis hujus venenum omnium ſit nocentiſſimum. Confer Joan. 8. v. 44. 1. Joan. 3. v. 8.

Ova aſpidum frangere, ſibi aliiſque exitium parare ſignificat. Iſai. 59. v. 5. *Ova aſpidum ruperunt* (impii ad cibum ex eis conficiendum), *& telas aranearum texuerunt* (i. vana & inutilia meditati ſunt); *qui comederit de ovis eorum* (aſpidum) *morietur*; הַזּוּרֶה תִּבָּקַע אֶפְעֶה *& compreſſo* (ovo illo, hoc eſt, unoquoque ex illis ovis) *erumpet regulus*. Aq. καὶ τὸ τυλφθὲν, ἐκλάσθη ἔχιδνα, *&* (cum) *fotum fuerit* (ovum illud), *erupit* (i. erumpet) *vipera*. Theod. ἀσπὶς *aſpis*. Vulg. *& quod fotum eſt, erumpet in regulum*. Hi omnes vocem הַזּוּרֶה, quæ eſt anomala, pro הַזּוּרָה, deducebant à זוּר *comprimere*, & ſecundum illos, *fovere*. Vide de vocis hujus anomalia tom. I. pag. 250. col. 2. Lxx. συντρίψας οὔριον, εὗρε καὶ ἐν αὐτῷ βασιλίσκον, *frangens putridum, reperit etiam in ipſo regulum*. Legebant הַזּוּרָה à זָרָה *ſparſit, diſſipavit*, &c. Symm. τὸ δὲ συνεστραμμένον ἀποῤῥαγὲν, ἔσται ἀσπὶς, *quod autem convolutum eſt, ubi fractum fuerit, erit aſpis*. Senſus eſt: impii ova aſpidum fregerunt, ut ex eis cibum venenatum aliis appararent; verum telas araneas texuerunt, id eſt, incaſſum laborarunt, male ſibi conſuluerunt; nam qui comederit ex hujuſmodi ovis veneno infectis, h. e. qui pravis eorum conſiliis acquieverit, morietur quidem; at dum quilibet eorum (impiorum) ova illa frangit, erumpit ex eis regulus, qui eum enecat; i. dum prava conſilia exſequitur, ſibi ipſe plurimum nocet. Vox אֶפְעֶה melius vertitur *aſpis* ſive *regulus*, cum Lxx. Symm. Theod. & S. Hieron. quam *vipera* cum Aquila; vipera enim catulos ſuos vivos parit (unde dicitur *vipera* quaſi *vivipara*); cum reliquæ ſerpentes eos ex ovo excludant.

Pſal. 139. Heb. 140. v. 4. & Rom. 3. v. 13. *venenum aſpidis* pravos ſermones, calumnias, blaſphemias, &c. ſignificat.

Jerem. 8. v. 17. Chaldæi Judæorum hoſtes virulenti & implacabiles inſtar aſpidum, dicuntur *ſerpentes reguli & mordentes*.

Job. 20. vv. 14. 16. *fel & caput aſpidum*, in quo virus includitur, ut diximus ſupra, & *lingua viperæ*, rem maxime noxiam ac mortiferam ſignificant, uti Pſal. 90. Heb. 91. v. 13. *aſpis* & *baſiliſcus* maxima pericula denotant.

Gen. 49. v. 17. Tribus Dan prædicitur futura *coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrorſum*. Qua metaphora ſignificatur Danitas aſtu potius, quam aperto marte rem geſturos; ceraſtes enim ambiguo greſſu & quaſi claudicans ambulat; cumque arenæ colorem referat, à viatoribus, quibus inſidiandi cauſa in viis latet, facile animadverti non poteſt. Danitarum aſtutiæ exemplum eſt Laïs, cujus *populum quieſcentem atque ſecurum percuſſerunt in ore gladii*; ipſamque *urbem incendio tradiderunt*. Vide Jud. 18. v. 27. & ſeqq. Sic Samſon ex tribu Dan, dolis & inſidiis non ſemel Philiſthæos invaſit. Vide Jud. c. 14. & ſeqq.

Iſai. 14. v. 29. *Ne læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui: de radice enim* נָחָשׁ *ſerpentis* (Vulg. *colubri*) *egredietur* צֶפַע *regulus, & fructus ejus erit præſter volans*. Vulg. *& ſemen ejus abſorbens volucrem*. Per *radicem colubri* ſive *ſerpentis* intelligitur Ozias, qui Philiſthinos graviter afflixit, 2. Paral. 26. v. 26. Per *regulum*, Ezechias, qui ex ſanguine Oziæ per Joatham & Achaz egreſſus, majori adhuc clade Philiſthæos affecit, 4. Reg. 18. v. 8. Hinc *præſter*, ſive ſerpens ignitus & alatus vocitatur. Similitudo aptiſſima; nam regulus colubro nocentior eſt, præſter autem regulo. Vulg. voces שָׂרָף מְעוֹפֵף *præſter volans* (Lxx. ὄφεις πετόμενοι, *ſerpentes volantes*) interpretatur *abſorbens volucrem*; legebat שָׂרַף *adurens*, id

est, consumens, absorbens, &c. & משׂופף participium poël accepit pro nomine substantivo, quod in Hebræo frequentissime accidit. Immerito quidam serpentes alatos negarunt; contrarium enim affirmant Cicero de nat. Deor. l. 1. Lucan. l. 6. Mela l. 3. c. 9. Ælian. l. 2. c. 38. &c. Vide Boch. de Animal. Sac. col. 423. Neque explicationem mox allatam infirmat, quod v. 31. dicitur, *fumum ab aquilone venturum*, i. Palæstinæ vastatores ab aquilone esse venturos; quandoquidem Judæa ad aquilonem Palæstinæ, saltem partis illius, quæ provinciæ nomen retinuit, & ubi erant urbes Azotus, Gaza, &c. sita est, teste Sanctio, Grotio, &c.

SCORPIONES denotant tum homines perversos & incredulos. Ezech. 2. v. 6. *Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos .... quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Tum plagas gravissimas, oneraque durissima. 3. Reg. 12. vv. 11. 14. *Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cædam vos scorpionibus.* Vide etiam 2. Paral. c. 11. vv. 11. 14. Scorpiones in hac secunda acceptione erant virgæ spineæ ubique aculeatæ, ac instar scorpionum pungentes. Unde Isidorus Orig. 5. 27. *Virga, si lenis fuerit*, inquit, *virga est; si nodosa vel aculeata, scorpio appellatur.*

ARANEARUM TELA, sive DOMUS, secundum Heb. conatus irritos vanosque denotat. Job. 8. v. 14. *Non placebit ei* (hypocritæ) *vecordia sua, & domus araneæ* (Vulg. *& sicut tela araneæ*) *fiducia ejus* erit. Vide etiam Isai. 59. vv. 5. 6.

TALPIS & VESPERTILIONIBUS idola projicere, significat ea vel in terra, vel in ædibus solitariis ac desertis cum contemtu occultare. Isai. 2. v. 20. *In die illa projiciet homo idola .... quæ fecerat sibi ut adoraret*, לַחְפֹּר פֵּרוֹת וְלָעֲטַלֵּפִים *talpis & vespertilionibus*, &c. Vox לַחְפֹּר פֵּרוֹת divisa est, quæ tamen ut una scribenda est ac legenda, sic: לַחֲפַרְפֵּרוֹת. Ita quoque eam legerunt LXX. Chald. Syr. Aq. Sym. Theod. & S. Hieron. qui omnes una, sed diversa, voce illam transtulerunt. LXX. τοῖς ματαίοις *vanis*. Chald. שִׂמְחָא *idola*. Syr. ut LXX. Aq. teste Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 29. ὀρυκτὰ *fossilia*, ut habet ms. Colbert. 3756. & Sangermanensis noster antiquissimus juxta & accuratissimus; non vero ὀρυγάς, ut præ se ferunt veteres editiones, neque ὀρυκτάς, ut in novissima legitur. Symm. secundum eundem Hieron. ibid. *infructuosa*. Theod. vocem Hebraicam retinuit *Parpharoth* seu *Farfaroth*, ut habent mss. cod. Reg. duo Colbertini, & duo nostri Sangermanenses, neglecto ל. Rectius S. Hieron. R. Salomon, &c. *talpas* interpretantur à verbo חָפַר *fodit*, cujus secunda & tertia radicalis, augendæ significationis gratia, geminantur; talpæ enim magna cura, totisque viribus & citissime terram fodiunt. Sunt qui *talpas & vespertiliones* ad verbum proxime antecedens, *ut adoraret*, referant hoc sensu: *projiciet homo idola... quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas & vespertiliones.* Hæc explicatio firmatur ex eo quod nullum ferme sit animantis genus, quod in aliqua parte Ægypti cultum non fuerit pro Numine. Nam, teste Herodoto lib. 2. num. 65. *bestiæ omnes apud Ægyptios pro sacris habentur.* Plin. l. 30. c. 3. *Animalium cunctorum talpas maxime mirantur* (Magi in Ægypto frequentes), *nullis æque credunt extis; nullum religionis capacius judicant animal; ut si quis cor ejus recens palpitansque devoraverit, divinationis, & rerum efficiendarum eventus promittant.* Juvenalis Satyr. 15. v. 1. 2.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens

Ægyptus portenta colat? &c.

Virg. l. 8. Æneid. v. 698.

Omnigenumque Deûm monstra, &c.

Vero itaque simile est *talpas & vespertiliones* cultos fuisse ab Ægyptiis, quos imitati sunt Judæi. Vide Ezech. 8. v. 10. ubi reptilia, aliaque id genus animalcula à Judæis idololatris culta memorantur.

VERMIS significat 1°. Rem vilem & contemtam. Psal. 21. Heb. 22. v. 7. *Ego autem sum vermis & non homo*, sequitur explicatio: *opprobrium hominum & abjectio plebis.* Vide etiam Isai. 41. v. 14. 2°. Cruciatus perpetuos, propterea quod vermis in ligno, vel animali, continuo rodit & absumit. Isai. 66. v. 24.

Vermis eorum non morietur, &c. Vide etiam Judith 16. v. 21. Marc. 9. vv. 44. 46. 48.

PULEX denique summæ extenuationis notam obtinet. 1. Reg. c. 24. v. 15. *Quem persequeris, rex Israël? .... pulicem unum.* Vide etiam c. 26. v. 20.

Hactenus de animantibus terrestribus. Sequuntur volatilia & aquatilia.

AVIS, ob celerem volatum, metaphorice significat famam. Eccle. 10. v. 20. *In cogitatione tua regi ne detrahas; & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia avis cœli portabit vocem tuam; & qui habet pennas, annuntiabit verbum*, quod dixeris. Postrema illa verba, *qui habet pennas*, &c. priorum, *quia aves cœli*, &c. esse repetitionem, quod spectat ad sensum, nemo non videt. Integri autem versiculi sensus est: regi aut cuivis potenti ne occultissime quidem detrahas; nam verba tua ad eos deferet *fama malum, quo non aliud velocius ullum*, ut cecinit Virg. lib. 4. Æneid. v. 174. Sic in Aristot. Rhet. *Nemini noceas; quia cicadæ hoc canent in campis.* Sic vulgare Græcorum adagium: πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλὰ ὦτα, *multi regis* (sunt) *oculi, & multæ aures.* Ita etiam apud nos *parietes loqui* dicuntur.

Isai. 46. v. 11. Cyrus dicitur avis, & quidem rapax (עַיִט); idque *tum* ob celeritatem, qua venturus erat contra Babylonios; hinc *semita in pedibus ejus non appritura* dicitur, ibid. cap. 41. v. 3. *Tum* ob sævitiam, quam in eosdem Babylonios erat adhibiturus.

Jerem. 12. v. 9. *Hæreditas Domini*, nempe populus Israëliticus, dicitur עַיִט צָבוּעַ *avis tincta*, vera scilicet & falsa religione; quia vero Deo non contenta, falsos præterea colebat. Vulg. *avis discolor*, idem sensus. LXX. σπήλαιον ὑαίνης *spelunca hyænæ*; עיט deducebant à radice עטה *operuit, obtexit*; unde, secundum illos, עַיִט *locus tectus, obscurus, antrum, spelunca.* Bochartus de Animal. Sac. col. 830. LXX. versionem ex parte probat; contenditque voces עַיִט צָבוּעַ *feram rapacem variegatam*, nempe *hyenam*, significare; quod verbum עיט, unde עַיִט, ad alia, quam ad aves transferatur, ut liquet ex 1. Reg. 14. v. 32. cap. 15. v. 19. Et Vulg. Ezech. 39. v. 4. vocem עַיִט *feram* interpretetur.

NIDUS, avis domicilium, significat etiam aliorum animalium habitationes, vide Gen. 6. v. 14. imo & hominum, præsertim in locis præaltis degentium, vide Num. 24. Jerem. 22. v. 23. cap. 49. v. 16. Abd. v. 4. v. 21. Habac. 2. v. 9. Job. 29. v. 18. &c.

TURTUR populum Israëliticum, seu potius Ecclesiam, significat. Psal. 73. Heb. 74. v. 19. אַל־תִּתֵּן לְחַיַּת נֶפֶשׁ תּוֹרֶךָ *ne tradas bestiæ animam turturis tui*, h. e. Ecclesiæ, quæ nonnisi unum te colit, sicut turtur alteri non conjungitur; quæque in afflictionibus, instar turturis, solitaria gemit, & ad te suspirat. Conf. Isai. 38. v. 14. LXX. μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι, *ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* Vulg. Lat. *ne tradas bestiis animas confitentes tibi*, in plurali numero, vel quia is interpres singularem in pluralem proprio marte commutavit; vel quia in suo codice Græco legebat ψυχὰς ἐξομολογουμένας σοι, *animas confitentes tibi.* LXX. pro לְחַיַּת, quod constructum est pro absoluto לְחַיָּה positum, de qua enallage tom. I. pag. 128. col. 1. legebant לְחַיּוֹת, & pro תּוֹרֶךָ *turturis tui*, תּוֹדְךָ aut תּוֹדֶךָ, *confitebitur* vel *confitetur tibi*, à verbo יָדָה *jecit*, & in hiph. *confessus est, celebravit, laudavit*, &c. Præterea supplebant relativum אֲשֶׁר *qui, quæ, quod*, hoc modo: *ne tradas bestiis animam* (quæ) *confitetur tibi*, vel *animas* (quæ) *confitentur tibi*, quod idem est ac *animam confitentem* vel *animas confitentes tibi.* Chald. in Bibl. polyglott. Lond. *ne tradas populis similibus bestiæ sylvestri, animas docentium legem tuam.* S. Hieron. *ne tradas bestiis animam eruditam lege tua.* Is & Chald. pro תּוֹרֶךָ legerunt תּוֹרָתְךָ à תּוֹרָה *lex.* Vel existimarunt תּוֹרֶךָ esse syncopen pro תּוֹרָתְךָ, ut dicitur גֻּלָּהּ pro גֻּלָּתָהּ *lecythus ejus*, &c. De hac syncope vide tom. I. pag. 128. coll. 1. & 2. initio.

COLUMBA, ob simplicitatem, castitatem, &c. Ecclesiam quoque significat. Cant. 2. v. 14. c. 5. v. 2. c. 6. v. 8. &c. Conf. Matth. 10. v. 16.

MUSCÆ & APES, ob multitudinem, celeritatem, & vim lædendi, hostes populi

Dei significant. Isai. 7. v. 18. *Et erit in die illa: sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti: & api, quæ est in terra Assur*, &c. Ægyptii *muscæ* vocantur, inquit, S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 73. *propter sordes idololatriæ: Assyrii vero apes, quia omnis prope Assyriorum, & Persidis regio usum habet sagittarum*, quæ aculeis apum assimilantur. Aliis Ægyptii vocantur *muscæ*, quod eorum regio lutosa sit & sicca; proindeque muscis gignendis idonea. Vide prophetiæ hujus complementum 4. Reg. 23. & 24. 2. Paral. 25. & 36. &c.

STIMULUS seu ACULEUS mortis, 1. Cor. c. 15. vv. 55. & 56. peccatum est, ut ibidem explicatur.

PISCATIO metaphorice sumta, hostilem direptionem significat. Amos. 4. v. 2. *Levabit vos* (hostis) בְּצִנּוֹת *in* vel *cum aculeis* seu *hamis aculeatis* (Vulg. *contis*), *& reliquias vestras* (i. posteritatem vestram) בְּסִירוֹת דּוּגָה *in hamis piscationis*, i. piscatoriis. Sensus est: vos estis quidem sicut vaccæ pingues, v. 1. sed extrahemini ab hostibus velut pisciculi minuti, nihil impediente eos vestra pinguedine. Lxx. & Sym. vocem בְּצִנּוֹת interpretati sunt ἐν ὅπλοις *in armis*, Aq. ἐν θυρεοῖς *in clypeis*, Theod. ἐν δόρασι *in hastis*; voces autem בְּסִירוֹת דּוּגָה Lxx. transtulerunt, εἰς λέβητας ὑποκαιομένους., *in ollas succensas*, & verbum ἐμβαλοῦσιν *injicient*, sensus complendi gratia addiderunt. Vide in tom. I. pag. 516. can. II. plura hujuscemodi verba ad sensus complementum adjicienda. Vulg. hæc verba sic transtulit: *Levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus*, hoc est, cum sitis vaccæ pingues, tollent vos (hostes vestri) contis, non hamis, ob molis magnitudinem, sicuti piscatores ex aquis hamorum ministerio pisces extrahunt; ac in ollis ferventibus excoquent, h. e. dirissimis suppliciis vos enecabunt. Quidam pro *ollis ferventibus*, ollas, seu potius scaphas, vel *cymbas piscatorias* interpretantur hoc modo: tollent, sive levabunt vos hostes vestri .... ac in cymbas piscatorias, quæ instar lebetum fabricatæ erant, conjicient. Hujus versiculi interpretationum varietas oritur ex multiplici sensu vocum Hebraïcarum צִנּוֹת & סִירוֹת, quæ allatas significationes omnes imo & plures obtinent. At qua ratione Lxx. & Vulg. דּוּגָה interpretati sunt *succensas* vel *ferventes*, non video; nisi forte aliter in suis exemplaribus legerint, aut sensum duntaxat attenderint; per ollas enim seu lebetes piscationis sive piscium, intelligere potuerunt ollas, in quibus coquuntur pisces. Vide etiam Habac. 1. vv. 15. 16. Jerem. 16. v. 16. ubi per *piscatores* intelliguntur Ægyptii piscationi dediditi, Isai. 19. vv. 8. 9. 10. per *venatores* autem Chaldæi, à Nemrodo potenti venatore Gen. 10. v. 9. qui Babylonem condidit. Prophetiæ hujus complementum vide 4. Reg. capp. 23. 24. 25. 29.

Attamen *piscatio* interdum in bonam partem accipitur. Matth. 4. v. 19. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*, ubi respicit Christus ad externam Apostolorum conditionem. Vide etiam Marc. 1. v. 17. Luc. 5. v. 10. & confer Ezech. 47. v. 10.

LEVIATHAN, CETE, BALÆNA, DRACO MARINUS, metaphorice significant Pharaonem & duces exercitus ejus. Psal. 73. Heb. 74. v. 13. *Tu confirmasti* (Heb. *dirupisti*, seu *divisisti*) *in virtute tua mare* (rubrum, ut transirent Israëlitæ), *contribulasti*, seu *confregisti capita draconum in aquis*, i. Pharaonis, (qui *magnus draco* appellatur Ezech. 29. v. 3.) aliorumque Ægyptiorum, qui dracones vocantur ob nimiam eorum erga Israëlitas sævitiam. Vers. 14. *Tu confregisti capita draconis*, (h. e. principes & duces exercitus Pharaonis in aquis suffocasti) *dedisti eum* (Pharaonem cum ejus copiis) *escam populis Æthiopum*, Heb. לְעָם לְצִיִּים *populo*, sive *incolis desertorum*, i. feris & avibus, quibus discerpenda Ægyptiorum cadavera evomuit mare.

Isai. c. 27. v. 1. *Leviathan*, &c. Nabuchodonosorem denotat. *In die illa visitabit Dominus* (per Medos & Persas) עַל לִוְיָתָן נָחָשׁ בָּרִחַ וְעַל לִוְיָתָן נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן *super Leviathan serpentem vectem* (i. robustum, & validum instar vectis), *& super Leviathan serpentem tortuosum*, i. variis ambagibus & dolis lædentem. Lxx. ἐπὶ τὸν δράκοντα ὄφιν φεύγοντα,

ἐπὶ

ἐπὶ τὸν δράκοντα ὄφιν σκολιὸν, *super draconem serpentem fugientem* (legebant בָּרִחַ à בָּרַח *fugit*), *super draconem serpentem tortuosum.* Aq. ἐπὶ λευιαθὰν ὄφιν μοχλὸν, καὶ ὄφιν ἐσκιῤῥωμένον, καὶ ἐπηῤῥωμένον, *super Leviathan serpentem vectem; & serpentem durum, & validum.* Sym. κατὰ λευιαθὰν τοῦ ὄφεως τοῦ συγκλείοντος, καὶ κατὰ τοῦ ὄφεως τοῦ σκολιοῦ, *contra Leviathan serpentem concludentem* (instar vectis), *& contra serpentem tortuosum.* Theod. ἐπὶ λευιαθὰν ὄφιν σκιρρώμενον, *super Leviathan serpentem durum.* S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 227. *In Hebræo dicitur* BARI, *quod Aquila interpretatur* vectem, *Symmachus* concludentem, *Theodotio* robustum. Quod sequitur: *& occidet cetum, qui in mari est,* explicationi de Nabuchodonosore, sive rege Babylonis, non repugnat; Babylon enim sita erat in planitie, in qua erant lacus plurimi, qui interdum *maria* Hebræis appellantur. Vide c. 21. v. 1. Jerem. 51. vv. 36. & 42. quibus in locis aquarum Babylonem circumdantium fit mentio.

Hactenus de metaphoris ab animalibus desumtis; nunc de iis, quæ ex hominibus deducuntur.

ARTICULUS XIX.

De Metaphoris ab homine & his, quæ ad illum pertinent, desumtis.

IN homine considerari possunt, tum *essentialia*, tum *accidentalia*. Essentialia sunt *corpus* cum suis membris, & *anima*, ex cujus cum corpore conjunctione vita oritur. Accidentalia partim *interna* sunt, ut differentiæ quædam inter homines & actiones diversimode se habentes: partim *externa*, ut subjecta continentia, & varia adjuncta, de quibus omnibus in sequentibus paragraphis agemus.

§. I.

Metaphora à corpore humano, ejusque membris desumta.

CORPUS in Novo Testamento sæpe Ecclesiam Christi significat. Rom. 12. v. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo*, &c. Vide etiam 1. Cor. 10. v. 17. c. 12. vv. 13. 27. Ephes. 1. v. 23. cap. 2. v. 16. c. 4. vv. 4. 12. 16. cap. 5. v. 23. Coloss. 1. vv. 18. 24. c. 2. v. 19. c. 3. v. 15.

CAPUT membrorum primum, supremum, & præcipuum, denotat

1°. Rei initium, exordium, & originem. Exod. 12. v. 2. *Mensis iste, vobis* (erit) *caput* (Vulg. *principium*) *mensium*, &c. Vide etiam Deut. 20. v. 9. Isai. 41. v. 4. c. 51. v. 20. &c.

2°. Eminentiam tum quantitatis, sive loci; tum qualitatis, sive imperii.

Eminentiam loci, Gen. 28. v. 12. *Viditque* (Jacob) *in somnis scalam stantem super terram, & caput* (Vulg. *cacumen*) *illius tangens cœlum.* Vide etiam v. 18. c. 47. v. 31. Exod. 34. v. 2. 2. Reg. 15. v. 32. cap. 16. v. 1. 4. Reg. 1. v. 9. Psal. 23. Heb. 24. vv. 7. 9. &c.

Eminentiam imperii, Num. 14. v. 4. *Constituamus nobis caput* (Vulg. *ducem*), *& revertamur in Ægyptum.* Vide etiam c. 36. v. 1. Deut. 1. vv. 13. 15. c. 28. v. 44. & sic frequenter in Scripturis. Hinc *caput anguli*, lapis summus & angularis est, qui ædificii latera continet ac firmat. Quod de Christo prædicatur, Psal. 117. Heb. 118. v. 22. Matth. 21. v. 42. Luc. 20. v. 17. Act. 4. v. 11. 1. Pet. 2. v. 7.

3°. In re qualibet præcipuum ac potissimum. Exod. 30. v. 23. *Sume tibi aromata capitis myrrhæ & electæ, quingentos siclos*, &c. i. *myrrhæ primæ*, ut interpretatur Vulg. sive præstantissimæ. Sic *capita aromatum*, Cant. 4.

v. 14. Ezech. 27. v. 22. *Caput sive vertex montium antiquitatis*; Deut. 33. v. 15. h. e. præstantissimæ res montium antiquorum.

Psal. 140. Heb. 141. v. 5. יֶהֶלְמֵנִי צַדִּיק חֶסֶד וְיוֹכִיחֵנִי שֶׁמֶן רֹאשׁ אַל־יָנִי רֹאשִׁי כִּי־עוֹד וּתְפִלָּתִי בְּרָעוֹתֵיהֶם *percutiat me justus* (in) *misericordia, & increpet me; oleum capitis* (hoc est, præstantissimum) *nō frangat* (super) *caput meum* (impius): *quoniam adhuc & oratio mea in malis eorum.* Sensus est: verberet me justus misericordia in me commotus, & increpet me: at oleum, etiam præstantissimum, non effundat super caput meum improbus. Id est, malim ego, ut justus corripiat me, quam ut mihi aduletur improbus; secundum illud Prov. 27. v. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Quod si malum mihi inferre pergant improbi, orabo Dominum, neque vices eis rependam. In his verbis: *oleum præstantissimum, non frangat* (impius super) *caput meum*, metonymia, est contenti pro continente, nam dicendum fuisset, *non frangat vas olei præstantissimi.* Confer Marc. 14. v. 3. Est insuper ellipsis præpositionis עַל *super*, quæ nonnunquam deficit. Vide tom. I. pag. 590. col. 2. initio. S. Hieron. *Corripiat me justus in misericordia, & arguat me; oleum amaritudinis non impinguet caput meum: quia adhuc oratio mea pro malitiis eorum.* רֹאשׁ accepit in significatione *veneni, fellis, amaritudinis*, &c. Vide supra pag. 150. col. 2. יָנִי, quod est per apocopen pro יָנִיא, interpretatus est *impinguet*, per metonymiam consequentis pro antecedente; fracto enim super caput unguenti vasculo, illud impinguatur. Vide tom. I. pag. 266. col. 2. Lxx. παιδεύσει με δίκαιος ἐν ἐλέει, καὶ ἐλέγξει με· ἔλαιον δὲ ἁμαρτωλοῦ μὴ λιπανάτω τὴν κεφαλήν μου, ὅτι ἔτι καὶ ἡ προσευχή μου ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν, *corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.* Pro רֹאשׁ legisse videntur רָשׁ per apocopen, & א antiquam vocalem, pro רָאשָׁע, sive רָשָׁע *improbus, peccator*, &c. Deinde pro רָעוֹתֵיהֶם *malitiis eorum*, legerunt רְצוֹתֵיהֶם *beneplacitis eorum*, à רָצָה *complacuit*. Vel attenderunt ad rad. Chald. רְעָה *velle, delectari aliqua re*, &c. Vetus interpres; κατελασάτω με δίκαιος (διὰ) ἐλέους, καὶ ἐλεγξάτω, *malleo extendat me justus* (in) *misericordia & redarguat me.* Aq.... ὅτι ἔτι προσευχή μου ἐν κακίαις αὐτῶν, *quoniam adhuc oratio mea in malitiis eorum.* Sym.... ἔτι γὰρ καὶ ἡ προσευχή μου ἐντὸς τῶν κακιῶν αὐτῶν, *adhuc enim & oratio mea intra malitias eorum.* Legebant ut præ se fert textus Heb. hodiernus. Theod. ut Lxx. ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν, *in beneplacitis eorum.*

Isai. 7. vv. 8. 9. Damascus dicitur *caput Syriæ*, & Samaria *caput Ephraim*, h. e. metropolis. Sic locus præcipuus vocatur *caput* 1. Reg. 9. v. 22. & 3. Reg. 21. v. 9.

Specialiter autem vox illa id, quod in numeratione præcipuum est, sive summam, denotat. Exod. 30. v. 12. *Quando tuleris caput* (Vulg. *summam*) *filiorum Israël*, &c. Vide etiam Num. 1. vv. 2. 49. c. 4. vv. 2. 22. c. 31. v. 25. Psal. 138. Heb. 139. v. 17. &c.

Levit. 6. v. 5. *Reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere*, בְּרֹאשׁוֹ *in capite suo*, Vulg. optime, *integra*, &c. Hinc ἀνακεφαλαιοῦν, *in summam redigere*, Rom. 13. v. 9. confer Act. 22. v. 28. Heb. 8. v. 1.

Jud. 7. v. 16. Distinctæ exercitus turmæ appellantur capita; quia certo numero dispositæ emittuntur. *Divisitque trecentos viros in tria* רָאשִׁים *capita*, h. e. ut reddidit Vulg. *in tres partes*, sive turmas. Vide c. 9. vv. 34. 37. 43. 1. Reg. 11. v. 11. c. 13. v. 17. Job. 1. v. 17.

Denique libri sectiones *capita* vocantur, quia ordine numeratæ habentur. Quo referri potest illud Psal. 39. Heb. 40. v. 8. בִּמְגִלַּת סֵפֶר *in volumine libri*, quod Lxx. & Apost. Heb. 10. v. 7. ἐν κεφαλίδι βιβλίου, *in capite libri* interpretantur, h. e. in sectione libri; ubi insuper synecdoche est partis pro toto; per sectionem enim sive capitulum libri, totum Veteris Testam. corpus, in quo typi & vaticinia de Messia exstant, intelligitur, teste ipso Hieron. comm. in Isai. c. 29. tom. 3. nov. edit. col. 246. in fine. *In capitulo libri scriptum est de me*, inquit Salvator in Psalmo, *non Jeremiæ, non Isaiæ; sed in omni Scriptura Sancta, quæ unius liber appellatur.* Aq. ἐν εἰλήματι τοῦ βιβλίου, S. Hieron. *in volumine libri*,

Symm. ἐν τῷ τεύχει τῶ ὁρισμῶ σε, *in libro definitionis tuæ*. Alius, ἐν τόμῳ, *in tomo*.

FACIES, quia est 1°. pars humani capitis anterior, 2°. aspectui patens, 3°. diversæ mutationi ob diversos animi affectus obnoxia; tria etiam metaphorice significat.

1°. Priorem rei cujuscunque partem. 2. Reg. 10. v. 9. *Videns igitur Joab, quod esset contra se facies belli ante & à tergo*, &c. h. e. quod prima agmina ante & à tergo eum urgerent. Vide etiam Jerem. 1. v. 13. Ezech. 2. v. 10. Unde vox פָּנִים & in constr. פְּנֵי cum particulis sive præpositionibus conjuncta, sæpissime significat *ante, coram, è regione*, &c.

2°. In qualibet substantia superficiem. Gen. 1. v. 2. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Vide etiam 1. Reg. 14. v. 25. &c.

3°. Interiorem animum ira, tristitia, lætitia, &c. affectum. Gen. 32. v. 20. al. 21. *Placabo* פָּנָיו *facies ejus* (Esavi) *muneribus, quæ precedunt*, hoc est, animum ejus iratum placabo. Vulg. *placabo illum*. Vide etiam 1. Reg. 1. vv. 5. 18. Job. 9. v. 27. Prov. 16. v. 15. c. 27. v. 17. Ezech. 3. v. 8.

FRONS, animi quoque interiorem affectum denotat; ac dura quidem sive robusta, tam in *bonum* quam in *malum* accipitur.

In bonum, magnanimitatem & zelum adversus impios, ac Deo rebelles significat. Ezech. 3. v. 8. *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum*, &c.

In malum, pervicax contradicendi Deo, & peccandi studium innuit. Isai. 48. v. 4. *Scivi enim, quia durus es tu* (Jacob) .... *& frons tua ærea.*

Jerem. 3. v. 3. *frons meretricis*, pro summa impudentia, & obfirmatione in malo accipitur.

OCULUS, externum visionis organum, sæpissime ad mentem transfertur, ac judicium & cognitionem denotat. Gen. 16. v. 4. *At illa* (Agar) *concepisse se videns, despexit Dominam suam.* Vide etiam v. 5. Deut. 15. v. 18. 1. Reg. 15. v. 17. & sic frequenter tam in Veteri, quam in Novo Testamento.

Zach. 11. v. 17. Oculus dexter providentiam significat. *Gladius super .... oculum dextrum ejus* (improbi pastoris) ... *oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur*, h. e. omnis ejus cura ac providentia auferetur; ipseque officio suo pastorali excidet.

Generatim *oculus* providentiam, curam, follicitudinem tam in *bonum* quam in *malum* significat.

In bonum, Gen. 44. v. 21. *Adducite eum* (Benjamin) *ad me, & ponam oculos meos super illum.* Vide etiam Num. 10. v. 31. Ruth. 2. v. 9. Job. 29. v. 15. &c.

In malum, Psal. 9. v. 29. Heb. 10. v. 8. *Oculi ejus* (improbi) *in pauperem respiciunt*, &c. Vide etiam Psal. 16. Heb. 17. v. 11. Unde verbum עָיַן pro *oculis nocendi causa observare*, 1. Reg. 18. v. 9. usurpatur.

Oculus bonus, mentem benevolam & beneficam significat. Prov. 22. v. 9. *Oculus bonus ipse benedicetur*, &c. h. e. ut interpretatur Vulg. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.*

Eccli. 32. v. 8. secundum Græc. Vatic. 35. v. 10. secundum Lat. ἐν ἀγαθῷ ὀφθαλμῷ, *in bono oculo* (Vulg. *animo*) *gloriam redde Deo*, &c. Vide etiam v. 10. Græc. 12. Lat.

E contrario, oculus malus, pro maligna & malevola mente accipitur. Prov. 23. v. 6. *Ne comedas panem mali oculi*, &c. LXX. μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ, *ne cœnaveris cum homine malevolo*. Alius, πονηρεφθάλμῳ, *cum malo oculo*. Vulg. *Ne comedas cum homine invido.* Vide etiam c. 28. v. 22. Eccli. 34. v. 13. secundum Græc. Vatic. cap. 31. v. 14. secundum Vulg. Lat. Matth. 20. v. 15. Marc. 7. v. 22.

Oculorum apertione, experientia cum conscientiæ acerbo sensu conjuncta innuitur. Gen. 3. v. 7. *Et aperti sunt oculi amborum*, &c.

Spiritualis illuminatio mentis, & cordis renovatio, oculorum illuminatione non raro exprimitur. Psal. 12. Heb. 13. v. 4. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Vide etiam Psal. 118. Heb. 119. v. 18. Isai. 32. v. 3. Ephes. 1. v. 18.

Huic contraria est oculorum obscuratio, quæ denotat *tum* spiritualem excæcationem, Psal. 68. Heb. 69. v. 24. *Obscurentur oculi eorum, ne videant*, &c. Vide etiam Isai. 6. v. 10. Matth. 13. v. 15. Joan. 12. v. 40. Act. 28. v. 27. Rom. 11. vv. 8. 10. *Tum* calamitatem

maximam, quæ quasi caliginem menti & judicio obducit. Thren. 5. v. 17. *Ideo contenebrati sunt oculi nostri*, &c.

Præterea *oculus* metaphorice significat, 1°. Fontem, quia ex fonte aqua profluit, ut ex oculo lacrymæ. Gen. 24. v. 42. *Veni ergo hodie ad* הָעָיִן *fontem*, &c. 2°. Superficiem; ubi insuper est synecdoche partis pro toto, nempe oculi pro tota facie, quæ & ipsa pro superficie accipitur, ut diximus in pag. præced. col. 1. Exod. 10. v. 4. *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos*, vers. 5. *quæ operiat* אֶת־עֵין *superficiem universæ terræ*, &c.

LACRYMA, quæ ex oculo fluit, mustum & oleum significat; quia guttatim more lacrymarum destillant, cum uvæ & olivæ calcantur. Exod. 22. v. 28. al. 29. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ לֹא תְאַחֵר, *plenitudinem tuam, & lacrymam tuam non tardabis*, supp. cum Vulg. *reddere*. LXX. ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου οὐ καθυστερήσεις, *primitias areæ & torcularis tui non tardabis* reddere. Vulg. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere*. Confer Deut. 7. v. 13.

Collyrium, oculorum male habentium medicina, cœcitatis spiritualis medelam, & mentis illuminationem significat. Apoc. 3. v. 18. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas*.

AURIS ad animum quoque metaphorice transfertur; notatque attentionem, & assensum. Psal. 48. Heb. 49. v. 5. *Inclinabo in parabolam aurem meam*, &c. hoc est, diligenter & attente, quid in me loquatur Spiritus Sanctus, auscultabo. Vide etiam Psal. 77. Heb. 78. v. 1. Isai. 55. v. 3. &c. E contrario,

Aurium aggravatio, obdurationem animi, & cordis contumaciam innuit. Isai. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*. Vide etiam Matth. 13. v. 15. Act. 28. v. 27. Rom. 11. v. 8. & tom. I. pag. 525. can. XV.

Aurium pruritus, 2. Tim. 4. v. 3. pravum novæ doctrinæ studium significat; quemadmodum scabie laborantes pravam ex fricatione voluptatem percipiunt, ex qua noxius dolor sequitur. Conf. Act. 17. v. 21.

NASO SUSPENDERE (μυκτηρίζειν) irridere, & subsannare significat. Galat. 6. v. 7. *Nolite errare, Deus non μυκτηρίζεται, irridetur*.

Thren. 4. v. 20. Rex dicitur *spiritus nasi*, sive *narium*, h. e. sub cujus tutela respirant & reficiuntur subditi. רוּחַ אַפֵּינוּ *spiritus narium nostrarum* (Vulg. *oris nostri*) *captus est Christus Dominus*, vel *Christus Domini*, secundum puncta Massorethica, nempe Sedecias, qui erat typus Christi.

OS, ORIS, animum & voluntatem quandoque significat. Gen. 24. v. 57. *Interrogemus os ejus* (Rebeccæ), h. e. ut optime reddidit Vulg. *quæramus ipsius voluntatem*. Confer 2. Reg. 17. v. 5.

Jos. 9. v. 2. *Ore uno pugnare*, hoc est, ut interpretatur Vulg. *uno animo eademque sententia*.

Psal. 125. Heb. 126. v. 2. *Os risu sive gaudio repleri*, est animum gaudio perfundi.

Psal. 102. Heb. 103. v. 5. *Saturare os bono*, significat magnis beneficiis ac bonis cumulare. LXX. Vulg. *in bonis desiderium replere*.

Exod. 4. v. 16. *Os alicujus esse*, denotat interpretem agere. Confer Jerem. 15. v. 19.

Matth. 15. v. 11. Os pro corde ponitur. *Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Conf. vv. 18. 19.

Efflare (הָפִיחַ) audacter & cum confidentia loqui significat *tum* bona & salutaria, Psal. 11. Heb. 12. v. 6. *Ponam in salute*, יָפִיחַ לוֹ *loquetur* (Dominus) *cum eo* (oppresso) verba salutis & solatii plena. Alii hæc verba sic explicant: *ponam* (oppressum vel pauperem) *in salute, sufflabit in eum* (oppressorem), h. e. ridebit, despiciet eum. Alii, spectata altera significatione verbi פּוּחַ, interpretantur: *laqueum illi* (oppresso) *injiciat* (oppressor); ita ut sit concessio ironica. LXX. παῤῥησιάσομαι ἐν αὐτῷ, Vulg. Lat. *fiducialiter agam in eo*. Pro יָפִיחַ legebant אָפִיחַ; vel tertiam personam mutarunt in primam, planioris, ut ipsis videbatur, sensus efficiendi gratia. Vide etiam Prov. 12. v. 17. Habac. 2. v. 3. &c. *Tum* mala, seu mendacia, & minas. Prov. 6. v. 16. *Sex sunt, quæ odit Dominus*... Vers. 19. יָפִיחַ כְּזָבִים (eum qui) *profert mendacia*. Vulg. *proferentem mendacia*. Vide etiam cap. 14. v. 5. c. 19. v. 9. c. 20. v. 8. Act. 9. v. 1.

Prov. 6. v. 13. *Loqui pedibus*, & *docere di-*

gitis, pedes & digitos ad fallendum componere significat.

COLLUM seu CERVICEM pro aliquo supponere, Rom. 16. v. 4. vitæ discrimen pro alterius incolumitate subire significat. Conf. Philip. 2 v. 30.

HUMERUS, gestationis organum, habita ratione oneris, denotat,

1°. Afflictiones & tribulationes. Psal. 20. Heb. 21. v. 13. *Quoniam pones eos* (inimicos) *humerum*, Vulg. *dorsum*, hoc est, malis, tanquam oneribus humeris eorum impositis, obrues. Alii, ut terga vertant, efficies. Vide etiam Isai. 9. v. 4. c. 14. v. 25.

2°. Obedientiam Deo præstandam, quæ & ipsa quasi onus quoddam est, sed leve. Hinc Sophon. 3. v. 9. *Servire Deo humero uno*, est ipsi ὁμοθυμαδὸν, h. e. *concorditer* servire. Sumta est metaphora à bajulatoribus, qui simul humeros eidem oneri ferendo supponunt. E contrario, *ponere scapulam*, sive *humerum recedentem*, Zach. 7. v. 11. obedientiam detrectare significat.

Ose. 6. v. 9. *Humero* (supp. cum Chald. *uno*) mala etiam patrari dicuntur. Vide interpretes.

Eadem metaphora quidam explicant Isai. 11. v. 14. *Et involabunt* (Judæi reduces) בְכָתֵף *in humero* (supple uno) *in Philisthæos ad mare*. Chald. *Et consociabuntur humero uno ad delendos Philisthæos*. Alii, *& volabunt in regionem seu fines Philisthinorum ad mare*, sive occidentem; humerus enim *regionem* & *fines*, seu *latus regionis* etiam significat Ezech. 25. v. 9. &c.

Isai. 9. v. 6. de Christo dicitur quod *factus sit principatus ejus super humerum ejus*, quod omnes fere Patres de cruce intelligunt. Dici etiam potest Christum onus officii sui in se unum suscepisse; cum è contrario sæculi hujus principes illud in humeros servorum, consiliariorum, ministrorumque suorum rejiciant. Solus enim Christus Ecclesiam suam sanguine suo sibi acquisivit, & salvat.

BRACHIUM roboris exserendi potissimum instrumentum, potentiam & auxilium designat. 1. Reg. 2. v. 31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui*, &c. Vide etiam Job. 22. v. 8. c. 35. v. 9. c. 38. v. 15. & sic sæpius in V. Test.

Isai. 9. v. 20. *Carnem brachii sui vorare*, propinquos & necessarios, à quibus sperandum esset auxilium, perdere, & consumere significat.

MANUS, qua opera perficiuntur, significat quoque

1°. Vires & robur. Deut. 32. v. 36. *Videbit, quod infirmata sit manus*, h. e. potentia. Vide etiam Exod. 18. v. 9. Jos. 8. v. 20. Job. 34. v. 20. &c. Hinc tritum illud: *An nescis longas regibus esse manus?*

2°. Auxilium, ministerium, machinationem. Exod. 23. v. 1. *Non junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium*, hoc est, auxilium tuum non impendes, non sociaberis cum alio &c. Vide etiam 1. Reg. 22. v. 17. 2. Reg. 3. v. 12. cap. 14. v. 19. Sic Deus loqui dicitur *in manu prophetarum*, 4. Reg. 17. v. 13. Isai. 20. v. 2. &c. h. e. per ministerium; prophetæ enim organa sunt Spiritus Sancti, & dispensatores mysteriorum Dei. Vel dictio *manus* in hac phrasi pleonastica est. Vide tom. I. pag. 493. num. V.

Vacillare seu infirmari manus alicujus dicitur, cum ei vires & nervi rerum agendarum non suppetunt. Vide Lev. 25. v. 35. E contrario, manus roborare, est consilio & auxilio sublevare. Vide 1. Reg. 23. v. 16. Job. 4. v. 3. Isai. 35. v. 3.

3°. Vox *manus* terræ tributa, denotat 1°. Locum, seu spatium certum, vide Deut. 23. v. 12. &c. 2°. Latus, Exod. 2. v. 5. &c. 3°. Cujusvis rei partes, cardines, fulcra, &c. Gen. 43. v. 33. &c.

DORSUM, sive TERGUM in metaphora etiam usurpatur, ac post *tergum projicere*, negligere & avertere se significat. 3. Reg. 14. v. 9.... *me autem projecisti post* גֵּוָּה *tergum tuum*, Vulg. *corpus tuum*, quæ est primaria significatio vocis גֵּו. Vide insuper Nehem. sive 2. Esd. 9. v. 26.

Eadem metaphora quandoque oppressio & afflictio denotantur. Psal. 128. Heb. 129. v. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt* vel *araverunt peccatores*. Vide etiam Isai. 51. v. 17. Rom. 11. v. 10.

LUMBI, in quibus robur corporis positum est, metaphorice, sive, ut aliis placet, metonymice robur ipsum denotant. Isai. 45. v. 1. Heb. *Et lumbos regum dissolvam*, h. e. ut reddunt Lxx. καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω, *& fortitudinem regum frangam*. Vulg. eodem sensu, *& dorsa regum vertam*. Confer Psal. 68. Heb. 69. v. 12.

Lumborum cinctura, virium corporis ad currendum, laborandum, & pugnandum expeditionem significat. 3. Reg. 18. v. 46.... *accinctusque lumbis* (Eliacim) *currebat ante Achab*, h. e. strenue currebat. Vide 4. Reg. 3. v. 21. Psal. 17. Heb. 18. v. 40. Prov. 31. v. 17. Job. 38. v. 3. &c. Ratio metaphoræ est, quod cum Orientales longis vestibus utantur, eas inter agendum circa lumbos accingant, ne iis impediti labantur.

Isai. 11. v. 5. Justitia dicitur *cingulum lumborum* Messiæ, & fides *cinctorium renum ejus;* qua loquutione Messias officio suo cum justitia & fide alacriter perfuncturus significatur. Confer Psal. 44. Heb. 45. v. 4.

Eadem metaphora in Christi membris vigilantia Christiana innuitur, Luc. 12. v. 35. 1. Petr. 1. v. 13. Ephes. 6. v. 14.

UMBILICUS, quo fœtui in utero materno alimentum subministratur, eleganti metaphora ad Ecclesiæ filios transfertur. Prov. 3. v. 7. *Time Deum & recede à malo.* Vers. 8. *Sanitas quippe erit umbilico tuo*, &c. hoc est, quemadmodum infantibus in utero matris versantibus alimentum subministratur umbilico ad intimas partes confirmandas: ita Dei cognitio, reverentia, & obsequium te pascet, educabit, & confirmabit spiritu. Alii volunt umbilicum positum esse per synecdochen pro toto corpore; unde Lxx. τότε ἴασις ἔσται τῷ σώματί σου, *tunc sanitas erit corpori tuo.* Prava corporis habitudo, imo ipsa mors, nonnunquam impietatem consequuntur. Vide 1. Cor. 11. v. 30. Sunt etiam qui existiment hîc præcipi ab illicitis voluptatibus abstinentiam; qui enim veneri intemperanter indulgent, male habent, & corpore sunt exsucco & exhausto. Hinc sequitur: *& irrigatio ossium tuorum*, vel *ossibus tuis.*

Neglecta umbilici præcisio, primævum & abominabilem Judaïcæ gentis statum allegorice denotat. Ezech. 16. v. 4. *In die ortus tui* לֹא־כָרַּת שָׁרֵּךְ *non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis*, h. e. antequam idololatria liberarem te, in morte, in sordibus peccatorum, in infirmitate, &c. constituta eras. Sumta est metaphora sive allegoria à pueris recens natis, quorum umbilicus non præciditur, neque sordes aquis abluuntur, &c. sed statim ab utero projiciuntur exponunturque. Vide Junium & Tremellium in h. l. Lxx. Vatic. οὐκ ἔδησας, *non ligasti*, Ald. & mſ. Alex. οὐκ ἔδησαν τοὺς μαστούς σου, *non ligarunt mammas tuas*, pro שָׁרֵּךְ legebant שָׁדַךְ. In Tetraplis, h. e. in Lxx. Aq. Symm. & Theod. legebatur οὐκ ἐτμήθη ὀμφαλός σου, *non est præcisus umbilicus tuus.* Sic etiam Complut. Utramque versionem exhibet Ald. οὐκ ἔδησαν τοὺς μαστούς σου, ὁ ὀμφαλός σου οὐ περιετμήθη, *non ligaverunt mammas tuas, umbilicus tuus præcisus non est.*

Præterea umbilicus, quia in medio corpore humano, veluti punctum in circulo, eminet, terræ medietatem & prominentiam significat. Jud. 9. v. 37. *Ecce de umbilico terræ populus descendit*, h. e. ex editiore loco; hæc enim loquutio eadem est atque illa versus præced. *Ecce de montibus multitudo descendit.*

Ezech. 38. v. 12. ... *ut inferas manum tuam super ... populum ... qui possidere cœpit, & esse habitator umbilici terræ*, h. e. Judææ, quæ montosa erat, ac in medio terræ habitabilis, & priscis cognitæ, sita. Vide Josephum lib. 3. belli Jud. c. 4. S. Hieron. comment. in cap. 5. Ezech. tom. 3. nov. edit. col. 726. Villalpandum tom. 3. pag. 14. Casaubonum Exercit. 16. Sect. 83. &c. Hæc metaphora apud ipsos etiam profanos insolens non est. Vide Plin. lib. 3. c. 12. Cicer. 6. in Verrem. Voss. lib. 4. institut. orat. c. 6. &c.

SINUS, GREMIUM, ob ejus concavam superficiem, significat

1°. Medium currus. 3. Reg. 22. v. 35. *Fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus*, h. e. in partem ejus concavam, sive, ut interpretatur Chald. *in medium currus.*

2°. Basin seu fundamentum, in quo, tanquam in loco concavo, aliquid recipitur. Ezech. 43. v. 13. *In sinu ejus* (altaris) *erat cubitus*, &c. h. e. in fundamento. Vide etiam vv. 14. 17.

3°. Interiora & occulta; quia sinus vestibus tegitur. Job. 19. v. 27. Vulg. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*, h. e. apud meipsum, in corde meo. Vide etiam Eccle. 7. v. 10.

Unde *opprobrium populorum in sinu continere*, sive *gestare*, Psal. 88. Heb. 89. v. 51. est illatas injurias patienter dissimulare, & in interiori pectore abscondere.

Hinc etiam phrasis *orationem in sinu*, vel *in sinum converti*, Psal. 34. Heb. 35. v. 13. significat vel apud se, nec palam omnibus pietatis speciem aucupandæ gratia, orare; vel indesinenter precari, quasi oratio in sinu continuo gestaretur, ne ejus fieret oblivio. Vel, secundum alios, sic loquitur David, quasi diceret: ne quis existimet me, cum induerer cilicio, &c. nihil minus, quam inimicorum meorum salutem à Deo postulasse; cupio enim, ut oratio mea, h. e. quæ illis precatus sum, in caput meum recidant; ita ut sinus pro capite ponatur, ut Psal. 78. Heb. 79. v. 12. Isai. 65. v. 6.

4°. *Sinus* amoris notionem obtinet, quæ enim diligimus, ea in sinu fovemus. Deut. 13. v. 6. al. 7. *Si tibi voluerit persuadere .... uxor, quæ est in sinu tuo*, &c. h. e. *quam diligis ut animam tuam*, ut de amico sequitur. Vide etiam c. 28. v. 56.

Hinc vita æterna dicitur *sinus Abrahæ*, Luc. 16. v. 22. Abraham enim ut pater omnium credentium proponitur, Rom. 4. vv. 11. 12. Qui autem fidem ac pietatem ejus imitantur, spirituales ejus sunt filii, ac in sinu illius, tanquam pueri tenelli ac dilectissimi in sinu parentum molliter gestantur, ac requiescunt. Quidam metaphoram deductam volunt à conviviis, in quibus alter in alterius sinu, secundum consuetudinem Hebræorum, Joan. 13. v. 23. recumbere solebat. Unde Matth. 8. v. 11. Christus dicit: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob, in regno cœlorum.*

Denique cum *sinus* metonymice vestem, qua tegitur, significet, eamque laxam, & rebus excipiendis portandisque accommodam, metaphorice in *sinum dari*, de quavis vel præmiorum vel pœnarum retributione accipitur. *Præmiorum*, 2. Reg. 12. v. 8. *Et dedi tibi domum Domini tui .... in sinu tuo*; &c. Vide etiam Luc. 6. v. 38. *Pœnarum*, Psal. 78. Heb. 79. v. 12. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, &c. Vide etiam Isai. 65. vv. 6. 7. Jerem. 32. v. 18.

GENUA debilia roborare, animi mœrore prostratos erigere, solari, & confirmare significat. Job. 4. v. 4. *Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti.* Vide insuper Isai. 35. v. 3. Heb. 12. v. 12. Metaphora autem sumitur ab externis periculis subito ingruentibus, in quibus ob vires nervorum & musculorum terrore consternatas, genua debilitantur. Quapropter in descriptione infirmitatis, periculi, & terroris, *genuum collisio, & debilitatio*, exprimi solet. Vide Psal. 108. Heb. 109. v. 24. Ezech. 7. v. 17. Dan. 5. v. 6. Nah. 2. v. 11.

PEDES variis modis in sermone metaphorico accipiuntur. Generatim tamen considerari possunt *tum* ratione externorum & corporalium; *tum* ratione internorum & spiritualium.

Quod spectat ad externa, *pes* significat,

1°. Subsidium, curam, sollicitudinem, &c. Gen. 30. v. 30 .... *benedixitque tibi Deus* לְרַגְלִי *ad pedem meum*, i. per curam, & diligentiam, quam in pascendis gregibus tuis adhibui. Optimus est etiam Vulg. sensus: *ad introitum meum*, h. e. ex quo gregum tuorum curam habere cœpi.

Job. 29. v. 15. *Oculus fui cæco, pes claudo.*, h. e. quodvis subsidium miseris præstiti.

2°. Violentiam. Psal. 35. Heb. 36. v. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ*, h. e. superborum hominum violentiam non experiar.

Pedis commotio, nutatio, declinatio, &c. pericula & calamitates innuit. Psal. 37. Heb. 38. v. 17. *Dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt* inimici mei, hoc est, dum in periculis versor, & opprimor calamitatibus. Vide etiam Psal. 115. Heb. 116.

v. 8. Psal. 139. Heb. 140. vv. 5. 12. &c.

E contrario, pedum à nutatione, &c. custodia, Dei protectionem adversus malignos quosvis hostes exprimit. Psal. 55. Heb. 56. v. 14. *Quoniam eripuisti .... pedes meos de lapsu*, &c. Vide Psal. 90. Heb. 91. v. 12. Psal. 120. Heb. 121. v. 3. &c.

Sic pedum in latitudine vel petra constitutio, à periculis liberationem denotat; in angustiis enim & lubricis locis, facilis est lapsus. Psal. 30. Heb. 31. v. 9. *Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.* Vide etiam Psal. 39. Heb. 40. v. 3. & confer Psal. 4. v. 2. Psal. 17. Heb. 18. v. 34. Psal. 72. Heb. 73. v. 18.

Jerem. 13. v. 16. Phrasis *pedes offendere ad montes caliginosos*, in maximas calamitates incidere significat; calamitas enim, ut vidimus supra pag. 119. col. 2. caligine denotatur; proindeque mons caliginis, maximam calamitatem indicat. Quidam tamen eo loci Chaldææ montes intelligunt, ad quos captivi abducendi erant Judæi.

Claudicatio, quæ pedum læsione fit, calamitatem quoque, afflictionem, & pericula denotat. Psal. 34. Heb. 35. v. 15. וּבְצַלְעִי שָׂמְחוּ Aq. *καὶ ἐν σκασμῷ μου, εὐφράνθησαν, & in claudicatione mea lætati sunt.* Sym. *σκάζοντος δέ μου εὐφραινόντο, claudicante autem me, lætabantur.* V[a]. edit. *καὶ ἐν τῇ ἀσθενείᾳ μου εὐφράνθησαν, & in infirmitate mea lætati sunt.* S. Hieron. *& in infirmitate mea lætabantur.* Lxx. *καὶ κατ' ἐμοῦ εὐφράνθησαν, & adversum me lætati sunt*, q. d. ad latus meum lætati sunt; צֶלַע enim & *claudicationem* & *latus* significat. Vide etiam Psal. 37. Heb. 38. v. 18. Jerem. 20. v. 10. Mich. 4. vv. 6. 7. Soph. 3. v. 19. In duobus postremis illis locis, legitur vox צֹלֵעָה *claudicans*, fem. gen. quia refertur ad populum sive Ecclesiam, de qua, ut femina, sæpius fit sermo, ut diximus supra pag. 111. coll. 1. 2.

Quod ad interna sive spiritualia attinet, *pedes* ad animum translati, desiderium & conatum sanctum denotant; pietatis enim exercitatio cum ambulatione in via interdum comparatur. Psal. 118. Heb. 119. v. 59. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Confer v. 32. Vide etiam Prov. 4. v. 26. Eccle. 4. v. 17. &c.

Isai. 52. v. 7. Rom. 10. v. 15. *Pedes apostolorum* ut *speciosi* prædicantur, quod de missione divina, libertate, & fervore in docendo intelligendum est.

Huc referri potest *pedum calceatio in præparatione Evangelii pacis*, Eph. 6. v. 15. qua metaphora innuitur verbi Evangelici præcones ocreis spiritualibus, i. fide, patientia, &c. muniri debere, ut per spinas, sentes, & tribulos, hoc est, per omnia pericula transire possint docendo Evangelium, & Christum confitendo. Ceteræ pedum metaphoræ, puta: *pedibus subjicere, pedibus conculcare*, &c. planæ sunt.

Hucusque de humani corporis *dissimilaribus* membris; sequuntur *similaria*, ex quibus paucæ metaphoræ deducuntur.

CARO, cum ad animum transfertur, si cum *mordendi* aut *lacerandi* verbo conjungatur, desperationem significat. Job. 13. v. 14. *Quare lacerarem* (Vulg. *lacero*) *carnem meam dentibus meis?* h. e. cur meipsum in desperationem abiens, curis consumerem? *& animam meam portarem* (Vulg. *porto*) *in manibus meis?* i. vitæ & animi omnem curam abjicerem? Confer 1. Reg. 19. v. 5. Sic *carnem suam comedere* dicitur stultus, Eccle. 4. v. 5. h. e. seipsum macerare præ fame; is enim est, secundum optimos interpretes, hujusce versiculi sensus: cum videat stultus industriam sive laborem hominum patere invidiæ, *complicat manus suas, & comedit carnem suam*, id est, ad tantam inopiam desidia sua redigitur, ut præ fame carnem suam devorare cogatur. Quæ metaphora maximam desperationem ex fame ortam significat.

SANGUIS mortem spiritualem, & æternum exitium denotat. Ezech. 3. v. 18. *Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*, h. e. mortis ejus spiritualis pœnas à te repetam. Vide etiam cap. 33. v. 8.

Act. 18. v. 6. *Sanguis vester* (sit) *super caput vestrum*, h. e. æternæ vestræ damnationis rei sitis: *mundus ego sum*, &c. Vide etiam c. 20. v. 26. &c.

§. II.

§. II.

Metaphora ab iis, quæ ad vitam hominis spectant, desumta.

CORPORI & ejus membris congrue succedit animæ conjunctio, ex qua oritur

VITA, quæ metaphorice tribuitur aquis jugiter salientibus fluentibusque; vitæ enim indicium est motus. Gen. 26. v. 19. *Foderuntque in torrente, & repererunt aquam vivam.* Vide etiam Prov. 10. v. 11. Jerem. 2. v. 13. &c.

Ose. 14. v. 8. *Vivificabunt se* (Israëlitæ ut) *triticum*, h. e. erunt instar tritici, quod in terram conjectum, ad tempus mori videtur, Joan. 12. v. 24. postea vero non revirescit tantum, verum etiam multiplicatur, ac multum fructum affert. Vulg. *vivent tritico*, pro יְחַיּוּ legebat יִחְיוּ, in fut. qál.

In vita consideranda sunt, *tum* integritas, videlicet sanitas, uti & opposita privantia tam sanitatis, quam ipsius vitæ, nimirum morbi, & mors; *tum* in actionibus vitalibus exercitium, quod in quinque sensuum externorum operationibus potissimum consistit.

SANITAS doctrinæ cœlesti & fidei tribuitur, qua earum puritas denotatur. Tit. 1. v. 9. *Ut potens sit* (Episcopus) *exhortari in doctrina sana.* Vers. 13. *Ut sani sint in fide*, &c. Vide etiam c. 2. vv. 1. 2. 8. 1. Tim. 1. v. 10. c. 6. v. 3. 2. Tim. 1. v. 13. c. 4. v. 3.

SANARE, CURARE, MEDICARI, &c. ab adversitatibus liberare, & quamcunque incolumitatem præstare significant. Exod. 15. v. 26. *Si audieris vocem Domini Dei tui .... cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: ego enim* (sum) *Dominus sanator tuus.* Vide etiam 2. Paral. 7. v. 14. cap. 36. v. 16. Job. 13. v. 4. Prov. 3. v. 8. c. 12. v. 8. c. 13. v. 17. c. 14. v. 30. Isai. 3. v. 7. c. 58. v. 8. Jerem. 8. v. 22. c. 30. vv. 13. 14. 17. Thren. 2. v. 13. Ose. 14. v. 5.

Verba illa ad animam translata, peccati remissionem, & alia Messiæ beneficia sæpius innuunt. Psal. 40. Heb. 41. v. 5. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Vide etiam Psal. 146. Heb. 147. v. 3. Isai. 6. v. 10. c. 19. v. 22. c. 30. v. 26. c. 53. v. 5. Jerem. 3. v. 22. Malach. 4. v. 2. Matth. 3. v. 15. (conf. Marc. 4. v. 12.) Joan. 12. v. 40. Act. 28. v. 27. 1. Petr. 2. v. 24. &c.

Sanitati *in genere* adversantur morbi, dolores, vulnera, plagæ, &c. quæ omnia ad *inanimata*, & *animata* transferuntur.

Ad inanimata, 4. Reg. 3. v. 19. *Omnem agrum egregium* תַּכְאִיבוּ *dolore afficietis* (Vulg. *operietis*) *lapidibus*, i. perdetis, corrumpetis. Vide etiam Deut. 29. vv. 22. 23. Isai. 1. vv. 5. 6. & confer vv. 7. 8. quibus in locis plagæ, &c. regionis vastationem, varias hostium irruptiones, illataque damna significant.

Ad animata, ipsumque hominem translata, cum ad *interna*, tum ad *externa* referuntur.

Ad interna, Jerem. 17. v. 9. *Pravum est cor super omnia*, vel *præ omnibus* (rebus); (Vulg. *pravum est cor omnium*) *&* אָנֻשׁ *morbidum*, ob plagam lethalem, videlicet peccatum. LXX. καὶ ἄνθρωπός ἐστι, *& homo est*; legebant אֱנוֹשׁ. Symm. & Vulg. *inscrutabile*. S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 612. *Si legatur ENOS*, homo *dicitur: si autem ANUS* inscrutabile, *sive* desperabile: *eo quod nullus cor hominum valeat invenire*, &c. quod satis convenit cum sequentibus: *quis cognoscet illud?* Confer Isai. 53. v. 4. Matth. 9. vv. 12. 13. Marc. 2. v. 17. Luc. 5. vv. 31. 32. &c.

1. Tim. 6. v. 3. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ*: vers. 4. *superbus est, nihil sciens; sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ*, &c. i. corruptus est mente & spirituali sensu, nec nisi cœcæ rationis dictamen in mysteriis fidei sequens.

Ad externa hominis si referantur morbi, &c. calamitates quascunque, & vitæ humanæ adversitates denotant. Psal. 76. Heb. 77.

v. 11. *Et dixi :* חַלּוֹתִי *infirmari meum hoc, mutatio dexteræ excelsi*, h. e. infirmitas, calamitas mea hæc aliunde non est, quam ex mutatione dexteræ Excelsi, quæ prius hostes meos mihi subjiciebat, nunc autem ipsis me subjicit. Aq. καὶ εἶπα· ἀῤῥωστία μου, αὕτη ἀλλοίωσις δεξιᾶς ὑψίστου, *& dixi : infirmitas mea, hæc mutatio dexteræ Excelsi ;* חַלּוֹתִי spectabat ut infinit. piël verbi חָלָה *ægrotavit*. Sym. καὶ εἶπα· τρῶσίς μου ἐπιδευτέρωσις δεξιᾶς τοῦ ὑψίστου, *& dixi : vulnus meum* (est) *iteratio dexteræ Excelsi ;* חַלּוֹתִי deducebat ab חָלַל *vulnerari*. Theod. καὶ εἶπα· ὠδῖνές εἰσιν, ἀλλοίωσις δεξιᾶς ὑψίστου, *& dixi : dolores sunt, mutatio dexteræ Excelsi est.* V^a^. edit. καὶ εἶπα· ὠδῖνές μου εἰσὶν, ἀλλοίωσις δεξιᾶς ὑψίστου, *& dixi : dolores mei sunt, mutatio dexteræ Excelsi* est; vocem hanc referebat ad verbum חוּל *doluit*. S. Hieron. *Et dixi : imbecillitas mea est : hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Lxx. καὶ εἶπα· νῦν ἠρξάμην, αὕτη ἡ ἀλλοίωσις τῆς δεξιᾶς τοῦ ὑψίστου, *& dixi : nunc cœpi ; hæc mutatio dexteræ Excelsi.* חַלּוֹתִי accipiebant à verbo supra laudato חָלַל, quod in hiphil *incipere* etiam significat. Porro tria hæc verba חָלָה, חָלַל, & חוּל sæpe formas commutant. Vide insuper Job. 9. v. 17. Eccle. 5. vv. 12. 15. cap. 6. v. 2. Isai. 1. v. 6. cap. 30. v. 26. Jerem. 10. v. 19. c. 15. v. 8. c. 30. vv. 12. 14. 15. Thren. 2. v. 13. Hos. 5. v. 13.

Huc pertinent *vulnera amici*, Prov. 27. v. 6. quæ amaram reprehensionem denotant. Conf. Psal. 140. Heb. 141. v. 5.

Sanitati *in specie* adversantur stigmata, & cicatrices, quibus innuit Apost. persecutiones & tribulationes, quas ob Christi confessionem, ejusque verbi prædicationem sustinebat, Gal. 6. v. 17. quæque stigmata opponit circumcisionis cicatrici, de qua frustra gloriabantur pseudo-Apostoli, de quibus v. 12. & sequentibus egerat. Hanc autem metaphoram sumsit à militibus, qui *victuris in cute punctis* signabantur ; quo sensu Ælianus vocem στίγματα usurpavit. Vide Grot. in h. l.

1. Tim. 4. v. 2. *Conscientia cauteriata* significat *vel* conscientiam infamibus criminum notis inustam ; *vel* duram, callosam, & exquisiti sensus expertem ; quæ enim partes cauterio notantur, illæ habent sensum hebetiorem ; *vel* denique vitiis ac peccatis exulceratam.

TABES & MACIES pro calamitatibus, pœnis, ac miseriis accipiuntur. Isai. 17. v. 4. *Et erit in die illa ... pinguedo carnis ejus* (Jacob) *marcescet*. Vide etiam c. 24. v. 16. Ezech. 33. v. 10. Soph. 2. v. 11. &c.

PUTREDO OSSIUM, animi dolores & cruciatus significat. Prov. 14. v. 30. *Vita carnium, sanitas cordis ; putredo ossium, invidia*, h. e. invidia animum rodit & excruciat, sicuti caries ossa. Vide etiam Habac. 3. v. 16. & confer Prov. 12. v. 4. Alias, *putrescere*, perire est. Prov. 10. v. 7. *Nomen impiorum putrescet*.

PESTIS hominem exitiosissimum denotat. Act. 24. v. 5. *Invenimus hunc hominem* λοιμὸν *pestem*, Vulg. *pestiferum*, recte ; vox enim Græca utrumque significat. Unde Psal. 1. v. 1. dictionem לֵצִים *derisorum*, Lxx. λοιμῶν *pestilentium*, Vulg. *pestilentiæ*, interpretantur ; nulla enim est pestis deterior hujuscemodi hominibus, qui Divina humanaque rident.

VENENUM metaphorice indicat insignem malitiam, qua animabus, corporibus, & famæ hominum pernicies infertur. Psal. 57. Heb. 58. v. 5. חֲמַת *venenum illis* (peccatoribus), *sicut venenum serpentis*, &c. Lxx. θυμὸς αὐτοῖς, Vulg. *furor illis*, &c. Vox Hebraïca חֵמָה & *furorem*, & *venenum* significat. Vide insuper Rom. 3. v. 13. Jac. 3. v. 8.

MORS, quæ vitæ ipsi opponitur, metaphorice accepta significat,

1°. Nuntium remittere, ut Rom. 6. vv. 2. 7. 11. *mortuum esse peccato*, est ei renuntiare, illud non amplius committere, sicuti mortuus non agit vel operatur. Sic Coloss. 3. v. 3. Credentes dicuntur *mortui*, & eorum vita *abscondita cum Christo in Deo*, (conf. 1. Joan. 3. v. 1.) h. e. mundo & concupiscentiis ejus pravis ac vesanis voluptatibus renuntiasse.

2°. Gratia & amore Dei ob peccata privari. Ephes. 2. v. 1. *Et vos, cum essetis mortui in delictis & peccatis*, &c. Vide etiam Matth. 8. v. 22. Joan. 5. v. 25. 1. Tim. 5. v. 6.

3°. Liberationem ab aliqua re. Gal. 2. v. 19. *Ego enim per legem legi mortuus sum*, &c. h. e. per legem, sive Christi, sive Mosis, à lege ipsa Mosaïca liberatus sum ; lex enim

Mosaïca spiritualiter intellecta, docet se non esse perpetuam; sed Christo, quem præfiguravit, venienti tanquam scopo & termino suo cedere debere. Sic Coloss. 2. v. 20. *mortuum esse ab elementis hujus mundi*, liberari significat à Levitico ciborum discrimine, aliisque Mosaïcæ legis ritibus, quos *elementa mundi* vocat Apostolus, quod essent primæ institutiones; quibus priorem mundum, sive Veteris Testamenti populum, informare voluit Deus, & ad Christum perducere.

Denique mors grano frumenti in terram conjecto tribuitur, Joan. 12. v. 24. 1. Cor. 15. v. 36. non quod revera intereat, sed ob insignem, quæ ipsi accidit, mutationem. Hæc de vita &c. sufficiant: nunc de humanis sensibus.

§. III.

Metaphora ab humanis sensibus desumta.

APUD Hebræos Hellenistas, ut & interdum etiam apud Latinos, voces *αἰσθάνομαι sentio, αἴσθησις sensus, αἰσθητήριον sentiendi organum*, ad animum translatæ, significant *in genere* cognitionem, intelligentiam, experimentum, &c. Luc. 9. v. 45. *Et erat velatum* (verbum istud) *ante eos, ut non αἴσθωνται sentirent illud*, h. e. intelligerent, ut c. 18. v. 34. exponitur. Vide etiam Philip. 1. v. 9. Heb. 5. v. 14. &c. *In specie* autem

VISUS seu VIDERE significat,

1°. Sentire, seu experiri. Exod. 20. v. 18. *Cunctus autem populus videbat voces* (seu) *tonitrua ... & ... sonitum tubæ*, i. percipiebat, seu audiebat; auditus enim & visus nonnunquam inter se commutantur. Vide insuper Num. 20. v. 23. Psal. 4. v. 7. Psal. 26. Heb. 27. v. 13. Psal. 33. Heb. 34. v. 13. Psal. 48. Heb. 49. v. 11. Psal. 59. Heb. 60. v. 5. Psal. 88. Heb. 89. v. 49. Psal. 89. Heb. 90. v. 15. Psal. 90. Heb. 91. v. 16. &c. Sic *videre somnum*, Eccle. 8. v. 16. est experiri illum, seu dormire. *Videre corruptionem*, Psal. 15. Heb. 16. v. 10. eam sentire, seu ipsi obnoxium esse significat. *Videre mortem*, Luc. 2. v. 26. mori denotat.

In magnarum rerum promissionibus *videndi* verbum adhibetur, eoque experientia innuitur. Isai. 53. v. 11. *Videbit & saturabitur*, h. e. abundantissimum animæ suæ laboris fructum, nempe multorum salutem, quæ ipsi lætitiam ad satietatem usque afferet, intuebitur Christus. Vide etiam cap. 60. v. 5. c. 66. v. 14. &c.

2°. Verbum *videre* ad mentis facultates translatum, & quidem ad intellectum, significat 1°. Cognoscere seu intelligere. Gen. 42. v. 1. *Videns* (Vulg. *audiens*) *autem Jacob, quod alimenta venderentur in Ægypto*, &c. Vide etiam Eccle. 1. v. 16. Jerem. 2. v. 31. Matth. 2. v. 16. &c. 2°. Cogitare, seu considerare. Gen. 20. v. 10. *Quid vidisti* (i. cogitasti) *ut hoc faceres?* Vide c. 49. v. 15. Eccle. 1. v. 14. Isai. 22. v. 9. Matth. 6. v. 26. &c.

Idem verbum ad voluntatem translatum, curare, providere, &c. significat, idque *vel* in re efficienda & adipiscenda, Gen. 41. v. 33. *Nunc ergo videat rex virum sapientem*, &c. Vulg. optime; *provideat rex*. Vide etiam Deut. 12. v. 13. 3. Reg. 10. v. 3. Psal. 63. Heb. 64. v. 6. Isai. 22. v. 8. Matth. 7. v. 5. &c. *Vel* in re fugienda, Matth. 9. v. 30. *Videte, ne quis sciat.* Vide etiam Marc. 12. v. 38. &c.

3°. Verbum istud ad visionem spiritualem translatum, innuit *vel* prophetiam, Num. 24. v. 16. *Dixit auditor sermonum Dei, qui ... visiones omnipotentis videt*, &c. Vide etiam 1. Reg. 9. v. 9. Isai. 30. v. 10. &c. Unde חָזוֹן *visio*, h. e. Prophetia, 1. Reg. 3. v. 1. Isai. 1. v. 1. &c. *Vel* fidem in Christum, & fiduciam in Deo positam, Mich. 7. v. 7. *Ego autem Dominum videbo, exspectabo Deum salvatorem meum.* Vide Joan. 6. v. 40. c. 14. v. 17. &c.

1. Pet. 1. v. 12. De angelis dicitur, quod cupiant mysteria salutis per Apostolos Spiritu Sancto afflatos annuntiata prospicere, hoc est, quod summa cum voluptate ea videant nuntiata; Græci enim codices præ se ferunt *εἰς ἃ, in quæ desiderant angeli παρακύψαι prospicere.* Quidam etiam codices Latini habent *in quæ*. Vulg. postremum illud verbum ad Spiritum

Sanctum retulit: *Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere*, legebat *εἰς ὃν* (melius forte *εἰς ὃ*) sicuti habent mss. quidam codices. Vide D. Mill. pag. 554.

Visioni opponitur *cæcitas*, qua significatur,

1°. Doctrinæ salutaris, & veræ fidei privatio. Isai. 42. v. 18. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.* Vers. 19. *Quis cæcus nisi servus meus*, &c. Vide etiam Thren. 4. v. 14. Matth. 15. v. 14. cap. 23. vv. 16. 24. 26. Joan. 9. v. 39. Rom. 2. v. 19. 2. Pet. 1. v. 9. 1. Joan. 2. v. 11. Apoc. 3. v. 17.

2°. Maxima calamitas, in qua impii, consilii omnis inopes, non inveniunt quid agant. Deut. 28. v. 28. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis.* Vers. 29. *Et palpes in meridie*, &c. Confer Isai. 8. vv. 21. 22. c. 59. vv. 9. 10. Soph. 1. v. 17.

Verbum *excæcare* de incredulis & impiis usurpatum, tribuitur 1°. Tenebris, 1. Joan. 2. v. 11. *Tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*, qui odit fratrem suum, h. e. mens peccatis corrupta obcæcavit oculos cordis ejus. 2°. Diabolo, 2. Cor. 4. v. 4. *Deus hujus sæculi* (Diabolus) *excæcavit mentes infidelium*, i. seduxit & induravit. 3°. Deo ipsi, Joan. 12. v. 40. *Excæcavit* (Deus) *oculos eorum*, &c. Deus autem non excæcat *positive*, ut aiunt, sed *privative*, hoc est, cæcitatem per se ipse non immittendo, sed subtrahendo gratiam, qua destituti homines in spississimas mentis tenebras offendunt. Vide tom. I. pag. 531. col. 2.

Munera dicuntur etiam excæcare *videntes*, Exod. 23. v. 8. *sapientes*, Deut. 16. v. 19. h. e. ad corrumpendum jus & pervertendam justitiam eos inducere, vel rei hujus faciendæ occasionem eis præbere.

Visus objectum colores sunt, ex quibus

Albedo puritatem mentis, seu peccatorum remissionem denotat. Psal. 50. Heb. 51. v. 9. *Lavabis me, & super nivem dealbabor.* Vide etiam Isai. 1. v. 18. Apoc. 7. v. 14.

Albedo exterior, quæ illito calce inducitur, hypocriseos nota est, Act. 23. v. 3. *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Conf. Matth. 23. v. 27. Ezech. 13. v. 10. c. 22. v. 28. &c.

Rubor peccatis tributus, eorum gravitatem exprimit. Isai. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; &, si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Hac metaphora ad sanguinem sive cædem respicitur, v. 15. quo sanguine non homicidia solum metonymice, verum etiam quælibet alia gravia peccata per synecdochen intelliguntur.

Cant. 5. v. 10. Sponsus cœlestis, i. Christus, dicitur *candidus* & *rubicundus*. Candidus ob puritatem & *ἀναμαρτησίαν*; rubicundus vero ob effusum in cruce sanguinem.

Nigredo & *formositas* Christi sponsæ, h. e. Ecclesiæ tribuitur, Cant. 1. v. 5. *Nigra sum, sed formosa*, &c. h. e. nigra originali peccato, formosa baptismi Sacramento. Vel nigra dicitur ob improbos, & formosa ob sanctos, qui in ea, sicut palea & frumentum in area, mixti sunt.

AUDITUS, AUDIRE, denotat,

1°. Interiorem animi intelligentiam. Gen. 11. v. 7. *Et non audiat unusquisque linguam proximi sui*, h. e. non intelligat. Vide etiam c. 41. v. 15. cap. 42. v. 23. &c. Matth. 15. v. 13. 1. Cor. 14. v. 2. &c.

2°. Approbationem & obedientiam. Gen. 3. v. 17. *Quia audisti vocem uxoris tuæ*, &c. i. obtemperasti. Vide insuper cap. 21. v. 12. Jos. 1. vv. 17. 18. &c. Matth. 17. v. 5. Joan. 8. v. 47. &c. Unde S. Hieron. comment. in c. 1. Joel. tom. 3. nov. edit. col. 1339. *Auditus in Scripturis Sacris non est iste, qui in aure resonat; sed qui corde percipitur, juxta illud, quod Dominus loquitur:* (Matth. 11. v. 15. c. 13. v. 9. Luc. 8. v. 8.) *qui habet aures ad audiendum, audiat.*

Ea metaphora locum habet præsertim cum duo illa verba שָׁמַע *audivit*, & הֶאֱזִין *auribus percepit*, conjunguntur; quod fit vel in obscuris, vel in sententiis notatu dignis. Vide Gen. 4. v. 13. Deut. 32. v. 1. Job. 33. v. 1. c. 34. v. 16. &c.

Auditui opponitur *surditas*, quæ infidelibus, impiis, & Dei verbo reluctantibus tribuitur. Isai. 42. v. 18. *Surdi, audite*, &c. Vide etiam v. 19. & confer c. 6. v. 10.

OLFACTUS, quia vulgo subtilis est, celeritatem denotat. Jud. 16. v. 9. *Et rupit* (Samson) *vincula, quomodo si rumpatur filum*,

cum olfecerit ignem, hoc eſt, tam cito, tamque facile vincula ſua rupit, quam filum conſumit ignis.

Job. 14. v. 9. *Ad odorem aquæ germinabit* (arbos) &c. i. dum humorem gratiſſimum percipit, quo perinde reficitur, ut homo ſuaveolente odore recreatur.

Ibid. c. 39. v. 25. Equus *odorari bellum* dicitur, h. e. ſentire.

Huc pertinet verbum *fœtere* vel *fœtidum eſſe*, quod de mala fama, diſplicentia, & odio accipitur. Gen. 34. v. 30. *Fœtere me feciſtis Chananæis*, &c. Vulg. *odioſum me feciſtis*, &c. Vide etiam Exod. 5. v. 21. 1. Reg. 13. v. 4. 2. Reg. 10. v. 6. c. 16. v. 21. Dan. 6. v. 14.

GUSTARE, intelligere, experiri, & frui denotat. Pſal. 33. Heb. 34. v. 9. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Vide etiam Prov. 31. v. 18. Matth. 16. v. 28. Joan. 8. v. 52. Heb. 6. v. 45. 1. Pet. 2. v. 3. Unde & nomen טַעַם *guſtus*, metaphorice ſignificat conſilium, ſententiam, rationem, &c. Vide 1. Reg. 21. v. 13. cap. 25. v. 33. Pſal. 118. Heb. 119. v. 66. Prov. 11. v. 22. &c.

Ad guſtum pertinet,

1°. Verbum *dulceſcere*, quod pro delectare & valde placere uſurpatur. Pſal. 54. Heb. 55. v. 15. אֲשֶׁר יַחְדָּו נַמְתִּיק סוֹד *qui ſimul dulceſcere faciebamus ſecretum*, i. qui cum ſumma animi voluptate ſecreta communicabamus. Aq. οἳ ὁμοῦ ἐγλυκάναμεν ἀπόῤῥητον, *qui ſimul dulce miſcebamus ſecretum.* Sym. οἵτινες ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν, *qui communiter miſcebamus dulce colloquium.* S. Hieron. *Qui ſimul habuimus dulce ſecretum.* LXX. ὃς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκανας ἐδέσματα, *qui ſimul dulces effeciſti cibos.* Vulg. Lat. *qui mecum dulces capiebas cibos.* Pro נַמְתִּיק legiſſe videntur מַמְתִּיק *dulceſcere faciens* eras, & pro סוֹד *ſecretum*, צֵד vel צוּד infinit. loco צֵיד *eſca, cibus*; interdum enim infinitivus loco nominis uſurpatur. Vide tom. I. pag. 541. coll. 1. 2. Vel legerunt ut habent codices hodierni, verum ס in צ commutandum exiſtimaverunt; duæ enim illæ literæ, cum ſint ejuſdem organi, facile invicem permutantur. Vide inſuper Job. 20. v. 12. Prov. 3. v. 24. cap. 9. v. 17. &c. Unde Prov. 3. v. 22. Sapientiæ cœleſtis verba *grata gutturi* dicuntur, h. e. alimenta vitæ æternæ ſuaviſſima. Quo ſenſu cum *melle* confertur verbum cœleſte, & ſuavitate illi præponitur. Vide Pſal. 18. Heb. 19. v. 11. Pſal. 118. Heb. 119. v. 103.

2°. *Amarum eſſe, amarum reddere*, ſive *amaritudine exacerbare*, quæ verba ſignificant 1°. Triſtitia afficere & calamitatibus obruere. Exod. 1. v. 14. *Atque ad amaritudinem perducebant* (Ægyptii) *vitam eorum* (Iſraëlitarum) *operibus duris luti & lateris*, &c. Vide etiam 1. Reg. 1. v. 10. c. 30. v. 6. 4. Reg. 4. v. 27. Job. 13. v. 26. cap. 21. v. 25. Prov. 17. v. 25. Iſai. 38. v. 17. Thren. 3. v. 15. Ezech. 3. v. 14. Zach. 12. v. 10. &c. Sumta eſt autem metaphora ab amaris, quæ ingrata ſunt guſtui. 2°. Noxium eſſe. Prov. 5. v. 4. *Noviſſima autem illius* (gutturis meretricis) *amara quaſi abſynthium.* Vide Jerem. 2. v. 19. Oſe. 12. v. 15.

In ſpecie, *amaritudo* denotat 1°. Crudelitatem, animique acerbitatem. Gen. 49. v. 23. וַיְמָרֲרֻהוּ *& amaritudine affecerunt eum*, (Vulg. *ſed exaſperaverunt eum* Joſephum) *& jurgati ſunt*, (Heb. וָרֹבּוּ *& jaculati ſunt*) *inviderunt que illi habentes jacula*, ſcilicet fratres, hera, dominus ejus, & Ægyptii fame vexati, qui in eum quaſi in ſcopum ſagittas invidiæ, iræ, &c. direxerunt. Pro רֹבּוּ *jaculati ſunt*, Vulg. legebat רָבוּ *jurgati ſunt*, à רִיב *litigare, jurgare*, &c. Vide inſuper Jud. 18. v. 25. 2. Reg. 17. v. 8. Habac. 1. v. 6. Epheſ. 4. v. 31. Coloſſ. 3. v. 19. 2°. Ortam ex ira calumnianda libidinem. Rom. 3. v. 14. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.* Vide Jac. 3. v. 14. & confer vv. 8. 9. 10. 11. 3°. Peccatum in genere. Act. 8. v. 23. *In felle amaritudinis... video te eſſe*, i. in felle amariſſimo, ſive in graviſſimo peccato. Vide etiam Rom. 3. v. 14. Heb. 12. v. 15. Denique *amare flere*, maximam lacrymarum copiam innuit, Matth. 26. v. 75. Luc. 22. v. 62.

TACTUS objectum vel eſt *durum*, vel *molle*.

Durities tribuitur,

1°. Hominibus, quorum *in genere*, mentis pravitatem & pertinaciam denotat. Exod. 7. v. 3. *Sed ego indurabo cor ejus* (Pharaonis)

&c. Vide etiam cap. 13. v. 15. Deut. 2. v. 30. c. 10. v. 16. Prov. 28. v. 15. Isai. 48. v. 4. &c. Matth. 19. v. 8. Marc. 10. v. 5. &c.

Durities *in specie*, crudelitatem & sævitiam exprimit. Gen. 49. v. 7. *Maledictus furor eorum* (Simeon & Levi), *quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Vide etiam Jud. 4. v. 24. 1. Reg. 5. v. 7. &c. Matth. 25. v. 24.

Denique afflictiones & tristitiam significat durities. 1. Reg. 1. v. 15. *Mulier* קְשַׁת־רוּחַ *dura spiritu ego sum*, h. e. afflicta, sive *infelix*, ut optime reddidit Vulg. Vide etiam Job. 30. v. 25. Psal. 59. Heb. 60. v. 5. &c.

2°. Rebus, quarum perplexitatem, gravitatem, & difficultatem innuit. Gen. 35. v. 16. *Et peperit Rachel*, וַתְּקַשׁ *& dura fuit in partu suo*, id est, difficultatem pariendi experta est. Vide etiam v. 17. Deut. 1. v. 17. c. 15. v. 18. 2. Reg. 2. v. 17. Act. 9. v. 5. Jac. 3. v. 4.

3°. Sermonibus & verbis, quorum significatur *tum* acerbitas, Gen. 42. v. 7. *Quasi ad alienos durius loquebatur* (Joseph). Vide etiam 2. Reg. 19. v. 43. Psal. 30. Heb. 31. v. 19. *Tum* difficultas, 4. Reg. 2. v. 10. *Et dixit* (Deus): *rem duram postulasti*, i. *difficilem*, ut transtulit Vulg. Vide Joan. 6. v. 60. Durus etiam dicitur, qui mala & adversa denuntiat. 3. Reg. 14. v. 6. *Ego autem missus sum ad te durus nuntius.* E contrario,

Mollities usurpatur,

1°. De corde hominis, cujus denotat *cum* timorem ac consternationem, Deut. 20. v. 3. *Non mollescat cor vestrum*, &c. h. e. non frangatur, vel *non pertimescat*, ut Vulg. interpretatur. Vide etiam Job. 23. v. 16. Jerem. 51. v. 46. Isai. 7. v. 4. *Tum* contritionem ac pœnitentiam, 4. Reg. 22. v. 19. *Pro eo, quod emollitum est cor tuum*, &c. h. e. contritum est. Conf. Ezech. 36. v. 26.

Huc referunt *molles*, de quibus Apost. 1. Cor. 6. v. 9. quique se ipsos corrumpunt. Alii per *molles* eo loci intelligunt *Cynædos*, quod statim sequatur *ἀρσενοκοῖται*, *& masculorum concubitores.*

2°. De sermone; idque tam in *bonum*, quam in *malum.*

In bonum, tuncque lenitas & humanitas cum prudentia conjuncta significatur. Prov. 15. v. 1. *Responsio mollis frangit iram*, h. lenis & honesta. Vide etiam c. 25. v. 15.

In malum, & assentatoria blandities innuitur. Psal. 5. v. 10. *Linguam suam* יַחֲלִיקוּן *molliti sunt*, &c. h. e. lingua sua adulati sunt. Vulg. Lat. *Linguis suis dolose agebant*, &c. Vide etiam Psal. 11. Heb. 12. v. 4. Psal. 54. Heb. 55. v. 22. Prov. 2. v. 16. cap. 7. v. 5. c. 26. v. 29. c. 28. v. 23. c. 29. v. 5.

Sensuum exteriorum cessatio est

SOMNUS, sive DORMITIO, qua significatur,

1°. Securitas, *tum* bona, quæ fidei est in Deo recumbentis, Psal. 3. v. 6. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Vide etiam Psal. 126. Heb. 127. v. 2. Ezech. 34. v. 25. *Tum* mala, quæ infidelitatis & impietatis est, Rom. 13. v. 11. *Hora est jam nos de somno surgere.* Vide etiam Ephes. 5. v. 14. 1. Thess. 5. vv. 6. 7.

Huc pertinet *spiritus soporis*, Isai. 29. v. 10. quo animi induratio in malum, & in reprobum sensum traditio ex justissimo Dei judicio facta innuitur.

2°. Ignavia. Prov. 6. v. 9. *Usquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo?* Vide etiam v. 10. cap. 10. v. 5. c. 24. v. 33. Isai. 56. v. 10. Nah. 3. v. 18. &c.

3°. Mors & interitus. Job. 3. v. 13. *Nunc enim dormiens silerem*, i. mortuus. Vide c. 14. v. 12. (ubi, quod de resurrectionis ἀδυναμίᾳ dicitur, de hac vita mortali intelligendum est, inquit Glassius; sed explicatio ibidem subjungitur, nempe: *donec cœlum non sit*, sive ut interpretatur Vulg. *donec atteratur cœlum*, non evigilabunt homines, nec consurgent de somno suo, h. e. non resurgent ante diem novissimum, cum cœlum & terra destruentur, & ultimum fiet judicium) Psal. 12. Heb. 13. v. 4. Psal. 75. Heb. 76. v. 7. Jerem. 51. v. 39. Dan. 12. v. 2. Unde etiam apud profanos somnus *mortis imago* dicitur.

Specialius autem credentes dicuntur *dormire*, quando morti corporali traduntur. Matth. 27. v. 52. *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Vide etiam Joan. 11. vv. 11. 13. Act. 7. v. 60. c. 13. v. 36. 1. Cor. 15. vv. 18. 20. 51. 1. Thess. 4. vv. 13. 14. 15. Porro in hac metaphora respicitur ad beatam tum

animarum in manu Dei, tum corporum in ſepulchris requiem, Iſai. 57. vv. 1. 2. Sap. 3. v. 1. necnon ad ſpem reſurrectionis futuræ, Act. 2. v. 26. Apoc. 14. v. 13. &c. Interdum tamen verbum *dormire*, de quavis morte uſurpatur. Vide 1. Cor. 7. v. 39. cap. 11. v. 30. c. 15. v. 6. &c.

Somno opponitur

VIGILIA, quæ etiam ſomno contrariam ſignificationem metaphoricam obtinet; accipitur enim

1°. Pro vera pœnitentia, & ſerio pietatis ſtudio. Matth. 24. v. 42. *Vigilate ergo* (jejunio, eleemoſina, oratione, aliiſque bonis operibus), *quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Vide etiam c. 25. v. 13. Marc. 13. vv. 35. 37. Luc. 21. v. 36. 1. Cor. 16. v. 13. & ſic ſæpius in Novo Teſtamento.

2°. Pro alacritate, diligentia, & prudentia in officio rite obeundo. Pſal. 126. Heb. 127. v. 1. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Vide quoque Act. 20. v. 31. Heb. 13. v. 17.

3°. Pro vita. 1. Theſſ. 5. v. 10. *Sive vigilemus* (i. vivamus), *ſive dormiamus* (i. moriamur), *ſimul cum illo* (Christo) *vivamus*, hîc in gratia; in altera autem vita, in gloria. Conf. Rom. 14. v. 8.

§. IV.

Metaphora à vario hominum diſcrimine deſumta.

HOMINUM diſcrimina peti poſſunt, 1°. A *ſexu*, 2°. Ab *ætate*, 3°. A *relatione*, 4°. A *gente & familia*.

I. *Metaphora à ſexu deſumta.*

VIR [אִישׁ] ſtrenuum, magnanimum, & eximium denotat. 1. Reg. 26. v. 15. *Nunquid non vir es tu?* h. e. ſtrenuus. Vide etiam 3. Reg. c. 2. v. 2. Jerem. 5. v. 1.

Sic in Novo Teſt. ἀνδρίζεσθαι *fortiter ſe gerere* ſignificat, 1. Cor. c. 16. v. 13.

Voci אִישׁ opponitur אָדָם *homo*, quæ vox vilitatis, contemtus, & fragilitatis notionem quandoque obtinet. Pſal. 48. Heb. 49. v. 3. גַּם־בְּנֵי אָדָם גַּם־בְּנֵי־אִישׁ *& filii hominis, & filii viri*, i. plebeii & magnates; unde ſequitur inverſis vocibus: *ſimul in unum dives & pauper.* Vide etiam Pſal. 81. Heb. 82. v. 7. Pſal. 117. Heb. 118. v. 6. Pſal. 143. Heb. 144. v. 3.

MULIER meticuloſum, infirmum, & ignavum hominis animum exprimit. Iſai. 3. v. 12. נָשִׁים Sym. γυναῖκες, *mulieres dominatæ ſunt eis* (Iſraëlitis), h. e. ignavi & effeminati. LXX. & Aq. ἀπαιτοῦντες *exactores.* Theod. δανεισταὶ *fœneratores.* Pro נָשִׁים *mulieres*, legebant נֹשִׁים *exactores, fœneratores*, à verbo נָשָׁה, unde etiam venit נָשִׁים *mulieres.* Vide inſuper Jerem. 51. v. 30. Nah. 3. v. 13. Conf. Jerem. 48. v. 41. Iſai. 19. v. 16.

Sic Homerus Iliad. 2. v. 235. & Iliad. 7. v. 95. timidos Græcorum milites Ἀχαιΐδας, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοὺς, *Achivas, non amplius Achivos* appellat. Et Virgilius Æneid. l. 9. v. 617. *O vere Phrygiæ, neque enim Phryges!*

VIRGINIS nomine deſignatur Eccleſia, 2. Cor. 11. v. 2. *Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Sumta eſt metaphora, ut nonnullis placet, à Lege Levit. 21. v. 14. qua Summus Pontifex nonniſi virginem uxorem ducere poterat.

Eodem *virginis* nomine vocantur electi, Apoc. 14. v. 4. idque ob eorum puritatem cum in fide, tum in vita & moribus. Idem nomen urbibus, &c. tributum vide ſupra pag. 111. col. 2.

II. *Metaphora ab ætate deſumta.*

Ætas hominis eſt infantia, pueritia, juventus, virilis ætas, & ſenectus.

INFANS, LACTENS, PUER, PARVULUS, &c. denotant,

1°. Electos ſeu fideles ob eorum ſimplicitatem, candorem, innocentiam, &c. Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi, pater, quia.... revelaſti ea νηπίοις infantibus*, Vulg. *parvulis.* Vide etiam Luc. 10. v. 21. & confer Matth. 18. vv. 3. 4. 1. Cor. cap. 14. v. 20. 1. Petr. 2. vv. 1. 2. &c.

2°. Rudes in doctrina fidei. Rom. 2. v. 20. *Eruditorem insipientium, magistrum infantium*, &c. confidis te esse. Vide 1. Cor. 3. vv. 1. 2. & confer Heb. 5. vv. 12. 13. 14. Vide etiam Gal. 4. v. 3. ubi Ecclesiæ Israëliticæ credentes dicuntur νήπιοι *infantes* seu *parvuli*.

3°. Stolidos, cognitione veritatis destitutos, & impios. Isai. 28. v. 9. *Quem docebit* (Deus) *scientiam? & quem intelligere faciet auditum* (verbi cœlestis?) *ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus?* h. e. Judæos qui stolidi sunt quasi infantes recens ablactati, quique edocendi sunt, v. 10. צַו לָצָו צַו לָצָו קַו לָקָו קַו לָקָו זְעֵיר שָׁם זְעֵיר שָׁם *præceptum post præceptum, præceptum post præceptum: lineam post lineam, lineam post lineam: modicum ibi, modicum ibi*, h. e. modicum alio atque alio tempore. Lxx. θλῖψιν ἐπὶ θλῖψιν προσδέχου, ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρὸν, *afflictionem super afflictionem exspecta, spem super spem, adhuc modicum, adhuc modicum.* Pro צַו לָצָו legebant צַר לָצַר; ac præterea ipsi, vel eorum amanuenses, sic versiculum contraxerunt: &c. צַו לָצָו קַו לָקָו זְעֵיר שָׁם. Vulg. *manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi.* Voces צַו & קַו spectavit ut imperativos piël per apocopen formatos, pro: צַוֵּה, קַוֵּה. Vide insuper c. 65. v. 20. Ephes. 4. v. 14. &c.

Infantium lactatio metaphorice transfertur ad primitivam Christi Ecclesiam inter gentes collectam, fotam, & conservatam. Isai 49. v. 23. *Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ*, &c. Vide etiam cap. 60. v. 16. Simili metaphora cap. 66. vv. 11. 12. dulcissima Evangelii consolatio, quam in Ecclesia hauriunt credentes, cum infantium lactatione confertur.

Vox יוֹנֵק sive fem. יוֹנֶקֶת *lactens*, metaphorice quoque significat surculum, seu ramum tenerum, qui succum arboris quasi exsugit, eoque alitur, fovetur, & crescit. Job. 8. v. 16. *Humectus* (i. virens) *videtur* (impius, qui sub arboris imagine hîc describitur) לִפְנֵי שָׁמֶשׁ *in conspectu solis* (Vulg. optime, *antequam veniat sol*), *& in* גַּנָּתוֹ *horto suo* יֹנַקְתּוֹ *surculus ejus* (Vulg. *germen ejus*) *egredietur.* Sym. κλάδος αὐτοῦ, *ramus ejus.* Theod. ἐκφυὰς αὐτοῦ, *fruticatio ejus.* Pro *horto suo*, Vulg. habet *ortu suo*, quod videtur mendum amanuensium. Vide etiam c. 14. v. 7. c. 15. v. 30. Psal. 79. Heb. 80. v. 12. Ezech. 17. vv. 4. 22. Ose. 14. v. 7.

Nomina מְעוֹלָל, נַעַר, *puer, parvulus*, principibus & magistratibus tributa, fatuitatem, prudentiæ, judicique privationem denotant. Eccle. 10. v. 16. *Væ tibi, terra, cujus rex puer est.* Confer v. 17. & vide Isai. 3. vv. 4. 13.

Vox עוֹלֵלוֹת, Isai. 17. v. 6. c. 24. v. 13. &c. notat etiam *racemos*, qui peracta vindemia remanent in vitibus, & post palmites latent infantibus similes.

PUERITIA de populo intellecta, priora & antiquiora tempora significat. Jerem. 3. v. 4. *Pater meus, dux* נְעֻרַי *pueritiæ meæ tu es*, ô Deus. Vulg. *virginitatis meæ*, idem sensus. Hîc autem *pueritia*, tempus egressionis ex Ægypto intelligitur, quo populus Israëliticus pueri instar à Deo informatus est, ac in terram promissam deductus. Conf. Ose. 2. v. 15. c. 11. v. 1. Ezech. 23. v. 19.

Pueritiæ, seu adolescentiæ, aut juventutis nomine, robur etiam spirituale significatur. Psal. 102. Heb. 103. v. 5. *Renovabitur ut aquilæ, juventus tua.* Vel secundum Heb. *Renovabis te, sicut aquila, juventute tua.* Aquilæ renovari dicuntur, cum post certam periodum temporis, veteres pennas abjiciunt, & induuntur novis. Hinc illud Isai. 40. v. 31. Heb. *Ascendent* (i. succrescent) *pennæ sicut aquilarum.* Sic serpens *senectam exuere* dicitur, cum veterem pellem deponit. Alii hunc versum sic explicant: vegetus eris ut aquila, quæ etiam robusta est in senectute. Unde illud Terentii, Heaut. Act. 3. Scen. 2. vv. 9. 10. *Visa vero est, quod dici solet, aquilæ senectus.* Et illud Græcorum: Αἰετοῦ γῆρας, κορύδου νεότης, *aquilæ senectus, alaudæ juventus.* Aug. enarrat. in hunc Psal. tom. 4. nov. edit. col. 1118. sic scribit: *Dicitur aquila, cum senectute corporis pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse. Pars enim rostri ejus superior, quæ supra partem inferiorem aduncatur, cum præ senecta immoderatius creverit,*

verit, longitudo ejus incrementi, non eam finit os aperire.... Itaque modo quodam naturali, in mensura reparanda quasi juventutis aquila dicitur collidere, & percutere ad petram ipsum quasi labium suum superius, quo nimis crescente, edendi aditus clauditur: atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris rostri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, & omnia reparantur: erit post senectutem tanquam juvenis aquila, &c. Vide etiam Arist. l. 9. hist. Animal. cap. 32. & Plin. l. 10. cap. 3.

Virilis ætas, sive vir perfectus, sapientiæ & cognitionis Divinæ, quæ quidem in hac vita haberi potest, perfectionem denotat. Ephes. 4. v. 13. *Donec occurramus.... in virum perfectum*, &c. Cui opponitur v. 14. *pueritia*, h. e. instabilium & fluctuantium in fide stoliditas.

Senectus denique interdum sapientiæ notionem obtinet; unde זְקֵנִים *senes* dicuntur consiliarii vel senatores, in quibus non semper ætas, sed prudentia respicitur. Vide 4. Reg. 10. v. 1. &c. Unde & *presbyteri* sive senioris nomen, 1. Tim. 5. vv. 1. 17. 19. Tit. 1. v. 5. Jac. 5. v. 14. 1. Pet. 5. v. 1. c. 5. v. 5. &c. quibus in locis modo ætate provectum, modo, & quidem sæpius, Sacerdotem significat.

Gen. 37. v. 3. *Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos*, כִּי בֶן־זְקֻנִים הוּא לוֹ *quia filius senectutis erat ei*. Chald. אֲרֵי־בַר־חַכִּים הוּא לֵיהּ, *quia filius sapiens erat ei*. Vulg. *eo quod in senectute genuisset eum.*

III. *Metaphora à relationibus desumta.*

Relationes, quæ metaphorarum fontes exhibent, in hominibus sunt istæ: *Sponsus* & *sponsa*: *Maritus* & *uxor*, ejusque oppositum, *vidua*: *Pater*, *mater*, & *filius*: *Frater* & *soror*: *Dominus* & *servus*: *Præceptor* & *discipulus*.

Sponsi & sponsæ vocibus, conjunctio spiritualis Christum inter & Ecclesiam, piamque animam exprimitur. Ose. 2. v. 19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum*, &c. Vide etiam v. 20. Matth. 22. v. 2. & seqq. Joan. 3. v. 29. 2. Cor. 11. v. 3. Apoc. 21. vv. 2. 9. 10. &c. Unde Cantic. Cantic. *Sanctarum nuptiarum dulce epithalamium* vocatur à S. Hieron. epist. ad Paulinum, tom. 4. nov. edit. col. 573. in fine.

Maritum Ecclesiæ vocat se Deus, Isai. 54. v. 5. *Quia* בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *maritus tuus* (erit), *qui fecit te*. Confer v. præcedentem, ubi *viduitatis* fit mentio. Lxx. ὅτι κύριος ὁ ποιῶν σε, *quia Dominus* (tuus erit), *qui facit* vel *fecit te*. Vulg. *Quia dominabitur tui, qui fecit te*. Verbum בָּעַל & *dominari*, & *maritum* esse significat. Hinc בְּעוּלָה *maritata* dicitur terra Sionis, h. e. Ecclesia, Isai. 62. v. 4.... *sed voluntas mea in ea, & terra tua* בְּעוּלָה *maritata erit*. Lxx. οἰκουμένη *habitata*, Aq. ἐχομένη *possessa*, Sym. Theod. συνῳκισμένη, Vulg. *inhabitata*. Quæ omnia etiam significat vox Hebraïca.

Viduitas populo vel urbi tributa, ejus desolationem indicat. Isai. 47. v. 9. *Venient tibi duo hæc subitò in die una: sterilitas & viduitas*, i. desolatio, vastatio, &c. Vide etiam Apoc. 18. v. 7.

Vox eadem Ecclesiæ attributa, afflictiones denotat. Isai. 54. v. 4. *Noli timere.... quia opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius.*

Pater, ob diversa attributa, diversas etiam efficit metaphoras.

1°. Ob generationis & productionis opus, pro auctore cujusque rei sumitur. Gen. 4. v. 20. *Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, & pastorum.* Vide etiam v. 21. Job. 38. v. 28. Joan. 8. v. 44.

2°. Ob educationem filiorum, pro doctore, seu magistro accipitur. Jud. 17. v. 10. *Mane apud me, & esto mihi pater ac Sacerdos.* Vide etiam 4. Reg. 2. v. 12. Matth. 23. v. 9. (ubi Christus ad consuetudinem Judæorum respicit, qui Rabbinos suos *patres* vocabant) 1. Cor. 4. v. 5. &c. Hinc *filii prophetarum*, 4. Reg. 6. v. 1. &c. h. e. discipuli. Vide tom. I. pag. 491. col. 2.

3°. Ob gubernationem filiorum, pro principe & superiore usurpatur. 1. Reg. 24. v. 12. *Quin potius, pater mi, vide & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea*, &c. hoc est, mi princeps, mi rex, &c. Vide etiam 4. Reg. 5.

v. 13. Isai. 22. v. 21. Quo pertinet *matris* appellatio, quæ Deboræ, ob idem officium, tribuitur, Jud. 5. v. 7.

4°. Ob conversationem & conjunctionem cum filiis, *pater* pro conjunctissima quaque re ponitur. Job. 17. v. 14. *Putredini dixi: pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus;* ubi eodem sensu *mater* & *soror* conjunguntur. Sensus est; tam familiaris est mihi putredo, quam liberi parentibus, fratribus, & sororibus; sive, æque familiariter habito cum putredine, ac filii cum parentibus, &c.

5°. Ob affectum, benevolentiam, & beneficia filiis præstita, voce *patris*, quivis beneficii auctor significatur. Job. 29. v. 16. *Pater eram pauperum*, &c.

6°. Ob conformationem filiorum ad vitam & mores patris, pro præcipuo exemplari *pater* accipitur; idque vel in *bonum*, vel in *malum*.

In bonum, Rom. 4. v. 11. *Et signum accepit circumcisionis* (Abraham)... *ut sit pater omnium credentium*, &c. i. exemplar. Vide vv. 12. 16. 18.

In malum, Ezech. 16. v. 3. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Vide etiam Joan. 8. v. 44. & S. August. tract. 42. in Joan. tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 580. ubi hæc duo loca pulchre confert & explicat.

MATER *fornicationum & abominationum terræ*, dicitur Babylon, Apoc. 17. v. 5. h. e. inventrix, confirmatrix, propagatrix, & propugnatrix quarumvis idololatriarum, doctrinarum damnabilium, errorum scelerumque nefandorum, quæ mysticæ scortationes, & abominationes maximæ sunt coram Deo.

Eadem *matris* voce, necnon *fratris* & *sororis*, vere pii ac fideles intelliguntur, Matth. 12. v. 50. *Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, & soror & mater est.*

Denique Ezech. 21. v. 21. bivium *mater* appellatur, quia exinde duæ viæ, tanquam duæ filiæ ex eadem matre, oriuntur.

FILIUS metaphorice significat credentes & fideles, qui ob mysticam regenerationem *filii* Dei appellantur. Joan. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum* (Christum), *dedit eis potestatem filios Dei fieri; his, qui credunt in nomine ejus*, &c. Vide etiam v. 13. Rom. 8. vv. 14. 16. 17. 19. 21. Gal. 3. v. 26. cap. 4. vv. 5. 6. 1. Petr. 1. vv. 14. 32. 1. Joan. 3. vv. 1. 2. &c.

Eodem nomine Paulus vocat eos, quos ad Evangelium perduxit. 1. Cor. 4. v. 14. *Non, ut confundam vos, hæc scribo: sed ut filios meos charissimos moneo.* Vide v. 17. Philem. v. 10. Filii etiam Abrahæ appellantur, qui fidem ejus imitantur, qui & eorum pater vocatur, Rom. 4. v. 16. E contrario, *filii Diaboli* nuncupantur, qui ejus vestigiis insistunt, Act. 13. v. 10.... *fili Diaboli, inimice omnis justitiæ*, &c. Vide etiam 1. Joan. 3. v. 10. & conf. v. 8. Joan. 8. v. 44.

Psal. 81. Heb. 82. v. 6. Magistratus & principes, *filii excelsi* sive Dei appellantur, quia in judiciariæ potestatis exercitio, vices Dei apud homines gerunt. Confer Rom. 13. v. 1. & seqq.

Per *filios Dei*, Gen. 6. v. 2. melioris notæ interpretes intelligunt Sethi nepotes, qui veri Dei, non idolorum, cultui addicti erant; per *filias* autem *hominum*, posteritatem Caini, quæ idolis serviens, terrena tantum sapiebat. Vide supra pag. 114. col. 1.

Primogenitus, qui patri solet esse charissimus, pro re pretiosissima & charissima accipitur. Exod. 4. v. 22. *Hæc dicit Dominus: filius meus primogenitus Israël*, &c. h. e. charissimus. Vide Jerem. 31. v. 9. & conf. v. 20.

Orphanus, ob miseram ejus conditionem, omni ope destitutum, spretum, abjectum, & calamitatibus oppressum significat. Psal. 9. Heb. 10. v. 14. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Vide etiam v. 18. Thren. 5. v. 3. Joan. 14. v. 18.

FRATER pro simili ponitur. Job. 30. v. 29. *Frater fui draconum, & socius struthionum*, i. similis. Vide etiam Prov. 18. v. 9.

Voces *vir* & *frater ejus* simul junctæ, unius hominis ad alterum consociationem denotant. Gen. 26. v. 31. *Et surgentes mane* (Abimelech & Isaac) *juraverunt* איש לאחיו *vir fratri suo*, h. e. alter alteri. Vulg. *mutuo.* Vide etiam Gen. 37. v. 19. c. 42. v. 21. Exod. 16. v. 15. Num. 14. v. 4. Jerem. 23. v. 35. c. 25.

v. 26. Malach. 2. v. 10. &c.

Eadem loquendi ratio ad quascunque alias res etiam traducitur, eaque significatur unius rei similis ad similem conjunctio & applicatio. Exod. 25. v. 20. . . . *respiciantque se* (Cherubini) *vir fratrem suum*, &c. h. e. *mutuo*, ut reddit Vulg. Vide etiam Job. 4. v. 8. Joel. 2. v. 8.

Sic *mulier* & *soror ejus*, Exod. 26. v. 3. *Quinque cortinæ sibi jungentur, mulier ad sororem suam*, i. *mutuo*, ut Vulg. interpretatur. Vide etiam vv. 5. 6. 17. Ezech. 1. vv. 9. 23. c. 3. v. 13. &c.

Eodem etiam sensu conjunguntur voces *vir ad socium suum*, Jerem. 23. v. 35. c. 31. v. 34. & *mulier & socia ejus*, Isai. 34. vv. 15. 16.

DOMINUS & DOMINATIO, cujus species præcipua est *regalis*, cœlestis gloriæ eminentiam significat, dum electi dicuntur *reges* à Christo constituti. Apoc. 1. v. 6. *Et fecit nos* βασιλεῖς *reges, & Sacerdotes Deo & patri suo*, &c. Vulg. *regnum*, legebat βασιλείαν, ut habent quidam codices mss. Vide D. Mill. pag. 599. Vide etiam c. 5. v. 10. & conf. Matth. 25. v. 34. Dan. 7. vv. 22. 27. 1. Pet. 2. v. 9.

Huc pertinet mentio 1°. *Thronorum*, in quibus electi sessuri dicuntur, Apoc. 3. v. 21. c. 4. v. 4. conf. Matth. 19. v. 28. c. 22. v. 30. 2°. *Regiminis regii*, Apoc. 2. vv. 26. 27. 3°. *Coronæ*, Apoc. c. 2. v. 10. &c. quibus metaphoris maxima sanctorum in cœlis gloria significatur.

SERVUS, SERVIRE, SERVITUS, tam *in bonum*, quam *in malum* metaphorice accipiuntur.

In bonum, *servire Deo*, est sincero ejus cultui, fidei, & obedientiæ addictum esse. Exempla passim in Scripturis sunt obvia. *Servire justitiæ*, Rom. 6. vv. 16. 18. 19. est servire Deo *in sanctitate & justitia*, ut Luc. 1. v. 75. exponitur. *Servire aliis hominibus*, Matth. 20. v. 27. Marc. 10. vv. 43. 44. Gal. 5. v. 13. humilitatem officiosam & beneficentiam, qui est fidei fructus, denotat. Sic Paulus vocat se *servum* Christianorum; idque tum ratione doctrinæ, 2. Cor. 4. v. 5. tum ratione prudentiæ, 1. Cor. 9. v. 19. omnibus sese accommodando, ut omnes lucrifaceret. *Servire* τῷ καιρῷ *tempori*, Rom. 12. v. 11. bonum erga omnes operari, dum tempus adest, significat; ut præcipit idem Apost. Gal. 6. v. 10. Sic autem præ se ferunt codd. mss. Stephani 2. 7. 13. Sangermanensis noster, & Claromontanus, tam in Græcis quam in Latinis, editio Colinæi & Frobeniana, codices aliquot Lat. (testibus Hieronymo, Ruffino, & Beda) Ambros. Cyprian. epist. 5. & Vulg. ante Hieron. correctionem. At lectionem τῷ κυρίῳ *Domino*, exhibent codices innumeri, tum mss. tum editi, quos laudatos vide apud D. Mill. p. 357. Eandem lectionem sequuntur Syrus, Arabs, Æthiop. Clemens Alex. Chrysost. Theodoretus, Oecumen. Basil. Theophilact. Origenes, Hieron. Primasius, Sedulius, Beda. Denique Latini omnes excepto Ambrosio, inquit Estius. Facile autem librariorum incuria καιρῷ pro κυρίῳ irrepsisse videtur, sive ob vocis similitudinem; sive quia per compendium κῳ scriptum erat pro κυρίῳ, ut conjicit Beza, & dictionem hanc sic abbreviatam pro καιρῷ amanuenses accepêre.

1. Cor. 9. v. 27. *Corpus in servitutem redigere*, est peccato dominium virtute Spiritus Sancti adimere, & veterem hominem novo subjicere.

In malum *servire*, &c. accipitur, ut: *servire peccato*, Joan. 8. v. 34. Rom. 6. vv. 6. 17. 19. 20. Tit. 3. v. 3. 2. Pet. 2. v. 19. ubi illi addictum esse significat. *Servire mammonæ*, Matth. 6. v. 24. est divitiis injuste parandis inhiare. *Servire ventri*, Rom. 16. v. 18. (conf. Philip. 3. v. 19. Tit. 3. v. 3.) carnali voluptati indulgere denotat. *Servire multo vino*, Tit. 2. v. 3. est temulentiæ deditum esse. *Servire hominibus*, 1. Cor. 7. v. 23. (conf. v. 15.) Gal. 5. v. 1. iis in rebus injustis obsequi significat. *Servire infirmis & egenis elementis*, Gal. 4. v. 9. est ceremonias legales, aliaque Mosaïcæ legis præcepta observare tanquam ad salutem necessaria; cum illi conferendæ longe impatia essent, utpote quæ peccatum duntaxat ostenderent, gratiam vero, qua illud vitaretur, non impertirent. Ibidem v. 24. Veteri Ecclesiæ Judaïcæ *servitus* tribuitur, qua designatur grave illud legis onus, de quo Act. 15. v. 10. Hinc *spiritus servitutis in timore*, Rom. 8. v. 15. cui opponitur *spiritus adoptio-*

nis filiorum, in quo clamamus ad Deum: *Abba, pater.* Inde etiam Gal. 3. v. 24. Lex dicitur παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν, *pædagogus ad Christum* deducens, timore scilicet ac pœnis.

Denique ex peccato oritur *servitus*, (cui homines) *timore mortis æternæ* (sive, ut reddit Vulg. *per totam vitam*) *erant obnoxii*, Heb. 2. v. 15. à qua servitute clementissime & potentissime liberavit nos Christus.

IV. *Metaphora à gente desumta.*

Gentis sive familiæ diversitas sequentes metaphoras parit.

CHANANÆUS, qui erat à populo Dei alienus, sumitur

1°. Pro extraneo aut impuro. Zach. 14. v. 21. *Et non erit Chananæus ultra in domo Domini*, i. alienigena; sed omnes homines indigenæ reputabuntur, ut ex priori parte versus liquet. Vulg. *& non erit mercator*, ob rationem mox afferendam. Aq. teste Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 1805. hîc etiam interpretatus est *mercatorem*, uti alibi hanc vocem vertit ἔμπορον. LXX. Χαναναῖος, *Chananæus*. Conf. Isai. 35. v. 8. Joel. 3. v. 22.

2°. Pro mercatore; gens enim illa, ob maris viciniam, mercaturæ & negotiationi dedita erat. Prov. 31. v. 24. *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*, h. e. mercatori. Vide etiam Isai. 23. v. 8. Jerem. 10. v. 17. Ose. 12. v. 8. Soph. 1. v. 11.

ARABS pro latrone sumitur; cum ab omni memoria gens Arabum latrociniis famosa exstiterit. Jerem. 3. v. 2. *In viis sedebas expectans eos* (scortatores) כְּעֲרָבִי *tanquam Arabs*, (Vulg. *latro*) *in solitudine*. Vide etiam Isai. 13. v. 20.

IDUMÆI, & MOABITÆ, hostes Judæorum infensissimi, pro quibusvis Ecclesiæ hostibus usurpantur. Vide Isai. 25. v. 10. cap. 34. vv. 5. 6. cap. 63. v. 1. Quæ tamen exempla de calamitatibus hisce populis revera illatis, interpretes bene multi intelligunt; at mala Ecclesiæ hostibus inferenda, iis etiam significari, à vero non est alienum.

CHALDÆI pro astrologis & genethliacis sumuntur. Dan. 2. v. 2. *Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi*, &c. h. e. genethliaci, sive astrologi; ut enim supra Arabs pro latrone, Chananæus pro mercatore: ita Chaldæus ponitur pro astrologo; gens enim illa erat astrologiæ deditissima; in eaque præcipue excellebant Sacerdotes Chaldæorum. Quare Chaldæi κατ' ἐξοχὴν nominabantur, teste Diodoro Siculo, lib. 2. nomen enim istud gentile erat, quod tamen Magi sibi sumserant, quasi penes ipsos esset totius gentis nobilitas ac præstantia. Vide Cicer. lib. 1. de Divinat. Aul. Gellium, Juvenal. Satyr. 6. vv. 552. 553. Strabon. lib. 6. Q. Curt. l. 10. &c.

SODOMÆ & GOMORRHÆ nomina tribuuntur contumaci & rebelli Judæorum populo, ob similem cum scelestis illis impietatem. Isai. 1. v. 10. *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.* Conf. c. 3. v. 9. & Ezech. 16. vv. 48. 49. 53. Sic etiam civitas illa magna, in qua sedem figet Antichristus, Apoc. 11. v. 8. *vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus.* Sodoma, ob scortationem tam spiritualem, quam corporalem, aliaque scelera; Ægyptus vero, ob tyrannidem in populum Dei, & idolomaniam. Vide tom. I. pag. 452. col. 2. Hæc de metaphoris à vario hominum discrimine petitis sufficiant.

§. V.

Metaphora à variis hominum actionibus desumta.

ACTIONES hominum, ex quibus metaphoræ desumuntur, & de quibus supra agere commode non licuit, sunt vel *necessariæ*, vel *contingentes*. Necessariæ spectant conservationem vel *individui*, vel *speciei*.

Actiones necessariæ, & quæ ad illas pertinent.

EDERE vel MANDUCARE, significat

1°. Consumere, perdere, &c. quæ enim

comeduntur, ſimul & abſumuntur. Gen. 31. v. 15. *Nonne tanquam alienas reputavit nos* (Laban pater noſter), *& vendidit, comeditque pretium noſtrum?* Vide etiam Exod. 3. v. 2. Deut. 31. v. 17. Pſal. 13. Heb. 14. v. 4. Pſal. 68. Heb. 69. v. 10. Prov. 30. v. 14. Iſai. 1. v. 20. Jerem. 30. v. 16. Gal. 5. v. 15. Jac. 5. yv. 2. 3. &c.

2°. Frui, & commoda percipere; ſicut quæ eduntur, & delectationem, & alimentum utile præſtant. Eſt autem fruitio illa, ſive delectatio, 1°. Corporalis & externa, Gen. 45. v. 18. *Ut comedatis pinguedinem* (Vulg. *medullam*) *terræ*, h. e. optimis terræ fructibus fruamini. Vide etiam Pſal. 127. Heb. 128. v. 2. Iſai. 1. v. 19. c. 3. v. 10. &c. 2°. Spiritualis & interna, Prov. 9. v. 5. *Venite, comedite panem meum*, i. verbum meum auſcultate eique obtemperate.

Jerem. 15. v. 16. *Inventi ſunt ſermones tui, & comedi eos*, i. ſalutariter & cum gaudio iis fruitus ſum; æque enim mihi jucundi fuerunt, ac cibus dulcis eſt comedenti. Sequitur: *& factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei.*

Huc pertinet, quod Timotheus à Paulo dicitur *enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ*, 1. Tim. 4. v. 6. h. e. verbo Chriſti tanquam ſpirituali cibo enutritus & educatus.

Denique verbo *manducandi*, felicitatis æternæ complementum, ſive ipſa vita æterna ſignificatur. Luc. 14. v. 15. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Vide etiam c. 22. v. 30. Joan. 6. v. 27. Apoc. 2. v. 7. cap. 30. v. 20. &c.

SATURATIO, cibi comeſti effectus, ſignificat

1°. Quamcunque impletionem. Gen. 25. v. 8. *Et deficiens* (Abraham) *mortuus eſt .... ſenex, &* שָׂבֵעַ *ſatur*, i. plenus; ſupple cum Lxx. ἡμερῶν, Vulg. *dierum.* Vide etiam c. 35. v. 29. (ubi exprimitur vox יָמִים *dierum*) Oſe. 13. v. 6. Luc. 6. v. 25. 1. Cor. 4. v. 8.

2°. Cœleſtium bonorum conceſſionem cum delectatione animi conjunctam. Pſal. 16. Heb. 17. v. 15. *Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor* בְּהָקִיץ תְּמוּנָתֶךָ *cum evigilaverit imago tua*, h. e. cum ego, qui ad imaginem tuam formatus ſum, à mortuis excitabor. Aq. ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι ὁμοιώσεώς σου, *cum exſpergiſcetur ſimilitudo tua*, ſive *in excitatione ſimilitudinis tuæ à ſomno*; ibi enim infinitivus eſt loco nominis ſubſtantivi; proindeque regit nomen ſequens in gignendi caſu. Symm. ἐξυπνισθεὶς (ἐπὶ) τῆς ὁμοιώσεώς σου, *expergefactus* (in) *ſimilitudine tua*, vel (ad) *ſimilitudinem tuam.* Vel *ſatiabor expergefactus*, hoc eſt, *excitatus à mortuis, ſimilitudine tua*, i. viſione ſimilitudinis ſive imaginis tuæ, ſeu cum te videbo. Quem ſenſum ſequutus videtur S. Hieron. *cum evigilavero ſimilitudine tua.* Theod. ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δεξίαν σου, *cum apparuerit dextera tua*; pro תְּמוּנָתֶךָ legiſſe videtur יְמִינְךָ. Vel potius interpretatus erat ut Lxx. δόξαν, quæ vox librariorum oſcitantia corrupta eſt, ac mutata in δεξίαν. Lxx. ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δόξαν σου, *cum apparuerit gloria tua*, ſenſum non verba expreſſerunt; cum enim ad imaginem Dei creatus ſit homo, illa ipſa imago nihil aliud eſt quam Dei ipſius gloria, qua hominem nobilitavit. Vide inſuper Pſal. 15. Heb. 16. v. 11. Pſal. 80. Heb. 81. v. 11. Pſal. 102. Heb. 103. v. 5. Pſal. 106. Heb. 107. v. 9. Matth. 5. v. 6. Luc. 6. v. 21.

3°. Abundantiam cum averſatione & faſtidio conjunctam; nimia enim ſatietas faſtidium parit. Pſal. 87. Heb. 88. v. 4. *Quia ſatiata* (Vulg. *repleta*) *eſt malis anima mea.* Vide Habac. 2. v. 16. Satietas etiam Deo ipſi ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, Iſai. 1. v. 11.

ESURIRE, & cognatum ejus SITIRE, ſignificat ſpiritualium bonorum ardens deſiderium. Pſal. 41. Heb. 42. v. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Vide etiam Pſal. 62. Heb. 63. v. 2. Iſai. 41. v. 17. c. 55. v. 1. Matth. 5. v. 6. Luc. 6. v. 21. &c.

Eadem verba de impiis uſurpata, in iis bonorum illorum abſentiam & æternam maledictionem notant. Iſai. 65. v. 13. *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis.* Vide etiam Luc. 6. v. 25. (conf. c. 16. v. 24.) Amos 8. v. 11.

BIBERE, quia ſitientibus jucundum eſt, ſignificat

1°. Oblectari & frui commodis, iiſque tum *corporalibus*, tum *ſpiritualibus.*

Corporalibus, Jerem. 2. v. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam* שִׁחוֹר *Schibbór* (Vulg. *turbidam*?) *& quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis*, Euphratis scilicet, qui sic κατ' ἐξοχὴν appellatur. Hoc est, quid tibi rei est cum Ægyptiis & Assyriis, ut auxilium eorum advoces. Hic Nilus appellatur שִׁיחוֹר *Schibbór* à verbo Heb. שָׁחַר *nigrescere, nigrum esse*, ob limum atrum agros fœcundantem, quem secum volvit. Quare Vulg. interpretatur *aquam turbidam*. Vide tom. I. pag. 444. col. 2. in fine. Paraph. Chald. *Nunc ergo quid vobis, contrahendo societatem cum Pharaone rege Ægyptiorum, ut projiciatis iterum mares vestros in amnem? & quid vobis percutiendo fœdus cum Assyria, ut transmigrare faciatis vos ultra Euphratem?*

Num. 23. v. 24. *Sanguinem occisorum bibere*, plenam de hostibus victoriam reportare denotat. Sumta est metaphora à leone & leæna, de quibus in hoc versu, qui sanguinem bestiarum, quas dilaniant, exsugunt.

Spiritualia commoda quod attinet, aquæ & vini bibitio participationem regni cœlestis quandoque denotat. Prov. 9. v. 5. *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Vide etiam Isai. 65. v. 13. Joan. 4. v. 14. c. 7. v. 38. Confer Apoc. 22. v. 17. &c.

2°. Pati incommoda, iisque infestari. Job. 21. v. 20. *De furore omnipotentis bibet* impius. Vide etiam Psal. 74. Heb. 75. v. 9. Jerem. 25. v. 16. c. 49. v. 12. Abd. 1. v. 16. Habac. 2. v. 16.

Prov. 26. v. 6. *Rapinam*, seu *violentiam*, sive, ut interpretatur Vulg. *iniquitatem bibere*, pœnam violentiæ sive iniquitatis luere significat. Sic Gallice dicimus, *boire sa faute.*

3°. Discere, sive assuefieri. Hinc Phrases: *bibere iniquitatem quasi aquam*, Job. 15. v. 16. *bibere subsannationem*, c. 34. v. 7. Huc etiam pertinet Apoc. 18. v. 3. ubi *de vino iræ*, sive *veneni*, h. e. *venenato fornicationis Babylonis magnæ omnes gentes bibisse* dicuntur.

INEBRIARI quandoque significat impleri bonis, abundare gaudio, ea, quæ delectant, cumulatim habere, &c. ebrii enim & saturi sunt & læti. Psal. 35. Heb. 36. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vide etiam Prov. 5. v. 19. c. 11. v. 25. Cant. 5. v. 1. Jerem. 31. v. 14.

E contrario, idem verbum calamitatibus obrui interdum significat. Isai. 51. v. 21. *Idcirco audi hoc, paupercula, & ebria, sed non à vino.* Vide etiam cap. 63. v. 6. Jerem. 48. v. 26. Ezech. 23. v. 33. &c. Sicuti enim ebrius confusæ mentis est, & nescit quid faciat: sic qui in angustiis constitutus est, quo se vertat, quidve consilii capiat, ignorat.

Ebrietati opponitur *sobrietas*, quæ & corporis & animi est, & utraque in homine pio semper conjungitur. Vide 1. Thess. 5. vv. 6. 8. 2. Tim. 1. v. 7. c. 4. v. 5. 1. Pet. 1. v. 13. c. 4. v. 7. c. 5. v. 8. &c.

Ad conservationem speciei pertinent

GENERARE & PARERE, quæ de quavis rei productione & eventu interdum accipiuntur. Job. 38. v. 28. *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris?* Vide etiam Psal. 89. Heb. 90. v. 2. Prov. 25. v. 23. c. 27. v. 1. Soph. 2. v. 2. Jac. 1. v. 15. Unde vox תּוֹלְדוֹת *generationes*, significat etiam eventus, res gestas, historias, &c. Gen. 2. v. 4. *Istæ sunt generationes cœli & terræ*, &c. h. e. historia creationis cœli & terræ. Vide etiam c. 5. v. 1. c. 37. v. 2. Matth. 1. v. 1. &c.

Eadem metaphora tribuitur 1°. *Deo* per gratiam regenerationis filios adoptanti, Isai. 66. v. 9. Joan. 1. v. 13. 2°. *Ecclesiæ*, quæ mater est spiritualis credentium, Isai. 54. v. 1. c. 66. vv. 7. 8. Galat. 4. vv. 26. 27. 3°. *Verbi Divini ministris*, 1. Cor. 4. v. 15. Galat. 4. v. 19. Philem. v. 10.

Hucusque de actionibus hominum necessariis, & iis, quæ ad illas pertinent. Sequuntur contingentes.

II. *Actiones hominum contingentes.*

Actiones hominum contingentes vel *bonæ* sunt, vel *malæ*. Bonæ considerari possunt *vel* ratione hominis agentis, easque *immanentes* licet appellare; vel ratione aliorum, illæque *transeuntes* vocantur.

Actiones immanentes.

IRE seu AMBULARE, de vita, moribus,

actionibus, & inſtitutis ſæpe uſurpatur. Pſal. 1. v. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum*, &c. h. e. qui vitam ſuam non compoſuit ſecundum conſilium impiorum, qui eorum conſiliis non acquievit, &c. Vide etiam Pſal. 118. Heb. 119. vv. 1. 3. 9. &c. Rom. 8. v. 1. Epheſ. 2. vv. 2. 10. 2. Cor. 12. v. 18.

Hinc *via* ſignificat vitæ curſum, inſtitutum, ſtudium, conſuetudinem, rationem, ritum, &c. Gen. 18. v. 19. *Scio enim, quod præcepturus ſit* (Abraham) *filiis ſuis .... ut cuſtodiant viam Domini*, h. e. præcepta. Vide etiam c. 32. v. 35. &c. Matth. 21. v. 32. Act. 14. v. 16. &c. eaque metaphora nihil in Scriptura frequentius.

Idem verbum *ire*, ſeu *vadere*, ſignificat mori, interire, Gen. 15. v. 2. *Ego vadam abſque liberis*, i. moriar. Vide etiam Joſ. 23. v. 14. Pſal. 38. Heb. 39. v. 14. Pſal. 57. Heb. 58. v. 9. Pſal. 108. Heb. 109. v. 23. Oſe. 13. v. 3. Marc. 14. v. 21. Luc. 22. v. 22.

E contrario, *manere*, pro vivere uſurpatur, Joan. 21. v. 22. ἐὰν *ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?* hoc eſt, ſi eum volo vivere, ſive ſuperſtitem eſſe. Pro *ſi*, Vulg. habet *ſic*, vitio librariorum; omnes enim codices Græci ferunt ἐὰν *ſi*. Vide tom. I. pag. 619. col. 2. Vide inſuper v. 23. & Philip. 1. v. 25.

STARE accipitur

1°. Pro feliciter ſe habere, ſeu bona conditione eſſe. 1. Reg. 24. v. 21. *Et nunc ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis*, וְקָמָה, Lxx. *ϰ̀ ςαθήσεται, & ſtabit in manu tua regnum Iſraël*, h. e. firmum & diuturnum erit in manu tua regnum Iſraël. Vide etiam Pſal. 29. Heb. 30. v. 8. Dan. 11. v. 2. Rom. 14. v. 4.

2°. Pro credere firmiter, ſeu in fide perſeverare. Exod. 14. v. 13. *Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Dei*, &c. h. e. firmiter credite. Vide etiam 2. Paral. 20. v. 17. Rom. 5. v. 2. c. 11. v. 20. 1. Cor. 10. v. 12. c. 16. v. 13. 2. Cor. 1. v. 24. Philip. 4. v. 2. Sic de peccato uſurpatum, in eo perſeverare denotat. Pſal. 1. v. 1. *Et in via peccatorum non ſtetit.* Vide Eccle. 8. v. 3. Oſe. 10. v. 9. Et de verbo, ſeu decreto acceptum, confirmari, ſeu ratum eſſe ſignificat. Deut. 19. v. 15. *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Vide etiam Iſai. 40. v. 8. Jerem. 44. v. 28. 2. Cor. 13. v. 1. &c.

SEDERE, quietum & ſtabilem eſſe ſignificat. Gen. 49. v. 24. *Sedit in forti arcus ejus* (Joſephi), i. arcus ejus perſeveravit ſtabilis & fortis; pergit enim in metaphora Jacob, qui Joſephum & fratres ejus inducit tanquam prælium committentes, ſeque invicem ſagittis petentes. Joſephum autem in eo prælio ſuperiorem facit, quaſi dicat: ſagittis quidem ſuis eum petiverunt fratres ejus, ſed ipſe ſagittando fortior fuit, & ſuperior evaſit. Lxx. ad Joſephi fratres hoc retulerunt, *συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, confracti ſunt cum robore arcus* (uniuſcujuſque) *eorum*. Pro וַתֵּשֶׁב *& ſedit*, legerunt וַתִּשָּׁבֵר *& confractus eſt.* Vel potius legerunt ut fert textus hodiernus; ſed relicta metaphora, ſenſum non verba expreſſere; arcus enim, qui ſedet, id eſt, qui jaculari deſinit, perinde eſt ac ſi eſſet confractus. Vide etiam Pſal. 112. Heb. 113. v. 9. Mich. 5. v. 3.

CADERE ſignificat

1°. Peccare. Jerem. 8. v. 4. *Nunquid, qui cadit, non reſurget?* Vide 1. Cor. 10. v. 12. &c.

2°. Calamitatibus obrui. Prov. 24. v. 16. *Septies enim cadet juſtus & reſurget*, hoc eſt, multis obruetur calamitatibus, ex quibus tamen eripietur. Hinc apud Judæos proverbium: Struuntur *ſeptem foveæ pacifico*, (quas evadit) *at una operanti malum* ſufficit ut pereat. Vide etiam v. 17. & Amos 5. v. 2.

3°. Abjectum ſive inferiorem eſſe. Eſth. 6. v. 13. *Si de ſemine Judæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti; non poteris ei reſiſtere; ſed cades in conſpectu ejus.* Vide etiam Job. 12. v. 3. &c.

4°. Irritum fieri. Joſ. 21. v. 43. *Non cecidit verbum ex omni verbo bono, quod loquutus fuerat Dominus ad domum Iſraël: omne completum eſt.* Ita fere & Lxx. Vulg. autem: *Ne unum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat* (Dominus), *irritum fuit: ſed rebus expleta ſunt omnia.* Vide etiam 3. Reg. 8. v. 57.

5°. Interire ſeu mori. Gen. 25. v. 18. *Coram cunctis fratribus ſuis cecidit* Iſmaël, optime

Vulg. *obiit.* Vide etiam Psal. 90. Heb. 91. v. 7. Luc. 21. v. 24. 1. Cor. 10. v. 8. Heb. 3. v. 17.

ACCUMBERE, seu RECUMBERE, quod in conviviis fieri solet, significatur beatissima in cœlesti regno electorum societas, Matth. 8. v. 11. Luc. 13. v. 29. Perinde ut felicitas cœlestis, conviviorum & nuptiarum ritu terreno parabolice exprimitur, Matth. 22. v. 1. & seqq. Isai. 25. v. 6. &c.

Actiones transeuntes.

ABBREVIARE (קָצַר) de manu Dei usurpatum, impotentiam & imminutionem notat, & semper negative accipitur. Num. 11. v. 23. *Nunquid manus Domini abbreviata est?* Vulg. *invalida est?* Sumta est metaphora à nervorum læsione, quæ sæpe in causa est cur manus & brachium contrahantur; sicque fiant inutilia. Vide etiam Isai. 50. v. 2. c. 59. v. 1. Mich. 2. v. 7. At verbum illud de hominis manu usurpatum, affirmandi sensum obtinet. Vide 4. Reg. 19. v. 26.

Idem verbum de anima sive spiritu hominis acceptum, ejus contristationem, tædium, & afflictionem denotat. Num. 21. v. 4. *Et abbreviata est anima populi hujus in via*, Vulg. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris.* Vide etiam Job. 21. v. 4. Zach. 11. v. 8. Verbum illud Deo etiam ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, Jud. 10. v. 16. Vide supra pag. 72. col. 1.

ACCIPERE (לָקַח) discere, & intelligere doctrinam significat. Job. 22. v. 22. *Accipe ex ore illius* (Dei) *legem*, id est, disce. Vide Prov. 1. v. 3. c. 4. v. 10. Inde לֶקַח *acceptio*, pro doctrina, Job. 11. v. 4. &c. Vice versa, *dare* pro *docere* sumitur. Prov. 9. v. 9. תֵּן לְחָכָם *doce sapientem, & sapientior erit.* Hanc esse eo loci verbi נָתַן significationem, liquet ex hemistichio sequenti: *Doce justum, & festinabit accipere.* LXX. δίδου σοφῷ ἀφορμὴν, καὶ σοφώτερος ἔσται, *da sapienti occasionem, & sapientior erit.* Vulg. eodem sensu, *da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.* Vocem ἀφορμὴν *occasionem*, sensus complendi gratia supplevere, quia metaphoram non agnoverunt.

ACUERE ponitur pro informare, diligenter inculcare, erudire. Gen. 4. v. 22. *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit* לֹטֵשׁ *acuens* (h. e. erudiens) *artificem æris & ferri.* Hic etiam respicitur ad fabros ferrarios, qui ferrum acuunt, id est, poliunt. Vide insuper Deut. 6. v. 7. Prov. 27. v. 17.

Hoc verbum ad oculos relatum, terribiliter intueri significat, Job. 16. v. 9. al. 10. *Hostis meus* יִלְטוֹשׁ *acuit oculos suos in me.* Vulg. *hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.*

ÆDIFICARE significat

1°. Liberos procreare, ex quibus familia, instar domus, ædificatur. Gen. 16. v. 2. *Ingredere ad ancillam meam, fortasse* אִבָּנֶה *ædificabor ex illa.* Vulg. *si forte saltem ex illa suscipiam liberos.* Vide etiam Deut. 25. v. 9. Ruth. 4. v. 11.

2°. Instaurare, exaltare, & prosperum reddere. Job. 22. v. 23. *Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis*, h. e. in pristinum felicem statum restituêris. Vel liberi tui tibi reddentur. Vide etiam Isai. 58. v. 12. Jerem. 12. v. 16. cap. 31. v. 4. Malach. 3. v. 15. Quo sensu *destruere* quandoque ipsi opponitur, Psal. 27. Heb. 28. v. 5. *Destrues illos, & non ædificabis eos.* Vide etiam Jerem. 42. v. 10. &c.

3°. Stabilem efficere & confirmare instar domus bene fundatæ. Psal. 88. Heb. 89. v. 3. *In æternum misericordia ædificabitur in cœlis*, h. e. firmabitur & stabilietur. Confer Matth. 7. v. 25.

4°. Specialius, doctrina & exemplo informare. 1. Cor. 8. v. 1. *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Vide etiam c. 10. v. 23. c. 14. vv. 4. 17. Gal. 2. v. 18. 1. Thess. 5. v. 11. Jud. v. 20. &c. Hinc οἰκοδομὴ *ædificatio*, pro informatione, quæ verbo & vita fit, accipitur Rom. 14. v. 19. c. 15. v. 2. & sic sæpe in Novo Testamento. Inde etiam *ædificantium* nomen, quod tribuitur iis, qui Ecclesiæ instauratores & conservatores, licet falso, sese venditant. Psal. 117. Heb. 118. v. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Vide etiam Matth. 21. v. 42. Act. 4. v. 11. 1. Pet. 2. v. 7. Lapis, de quo hîc agitur, Christus est, qui Judæos & gentiles in unum conjunxit. Ædificantes vero, sunt Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, qui doctrina, vita, & mo-

& moribus Ecclesiam ædificare debebant, & sacri hujus ædificii Christum lapidem angularem agnoscere; quem tamen reprobarunt.

E contrario, *ædificare*, per antiphrasin, destruere significat. 1. Cor. 8. v. 10. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem; nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* h. e. lædetur, seducetur, destruetur, ita ut etiam idolothyta manducet.

BELLARE, MILITARI, PUGNARE, significat

1°. Ad cultum Divinum turmatim convenire. Exod. 38. v. 8. *Fecit* (Beseleel) *& labrum æneum cum basi sua, ex speculis* הַצֹּבְאֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ *militantium* (mulierum), *quæ militabant ad ostium Tabernaculi*, h. e. quæ turmatim ad ostium Tabernaculi conveniebant. Aq. στρατευσαμένων, *militantium*, Vulg. *quæ excubabant*. LXX. νηστευσασῶν, *quæ jejunabant*. Quod multi, præsertim Catholici, intelligunt de mulieribus, quæ ad ostium Tabernaculi jejuniis, orationibus, &c. vacabant. Vide 1. Reg. 2. v. 22. Philo de vita Mosis l. 3. pag. 673. edit. Paris. 1640. de animi alacritate hanc vocem interpretatur. *Ceterum, extra vestibulum in primo aditu, labrum erat aheneum, non ex rudi materia, ut fere fit, fabrefactum ab opifice: sed ex vasis jam ante expolitis in usum tamen alium*, ἃ μετὰ σπουδῆς καὶ φιλοτιμίας ἁπάσης αἱ γυναῖκες εἰσήνεγκαν, *quæ mulieres mira animi alacritate, certatim benigneque contulerant*, &c. Neque mirum videri debet specula illa ænea fuisse, cum Plinius l. 33. c. 9. pag. 63. tom. 5. edit. Paris. 1685. in 4°. & l. 34. c. 17. pag. 154. ejusdem tomi, scribat olim optima specula fuisse Brundusina, ex stanno & ære confecta; sed postea prælata fuisse argentea.

2°. Ministrare, seu sacerdotio fungi. Num. 4. v. 23. *Numera omnes* (Levitas) *qui ingrediuntur* לִצְבֹא צָבָא *ad militandum militiam*, h. e. ad peragendum sacrum ministerium, ad sacerdotio fungendum. Levitæ enim in loco sancto ministrantes, erant instar militum exercitia militaria obeuntium.

3°. Spiritualem Christianorum pugnam adversus Diabolum, mundum, & carnem. 1. Tim. 1. v. 18. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee .... ut milites militiam bonam.* Vide etiam 2. Tim. 2. vv. 3. 4. cap. 4. v. 7. 2. Cor. 10. v. 4. Eph. 6. v. 12. Philip. 1. v. 27.

4°. Carnem & spiritum sibi invicem adversantes. Rom. 7. v. 23. *Video autem & aliam legem in membris meis* ἀντιστρατευόμενον *militantem* (Vulg. *repugnantem*) *legi mentis meæ.* Vide etiam Jac. 4. v. 1. 1. Petr. 2. v. 11.

5°. Preces ad Deum fusas. Rom. 15. v. 30. *Obsecro ergo vos, fratres ....* συναγωνίσασθαι, *ut una mecum certetis* (Vulg. *ut adjuvetis me*) *in orationibus vestris pro me ad Deum.* Vide etiam Coloss. 4. v. 12. Preces autem veluti arma sunt, quibus animæ hostes vincuntur.

EXERCITUS denotat

1°. Tempus certum ac determinatum. Job. 7. v. 1. *Nonne* צָבָא *militia, sive exercitus est homini super terram*, hoc est, nonne certum spatium temporis præscriptum est homini super terram? nonne *sicut mercenarii dies ejus?* h. e. sicut mercenarius ad certum tempus conducitur, & postea mercedem laboris recipit: ita homo, postquam certo tempore vixit, moritur, & miseriis ejus finis imponitur. Isthæc metaphora à militibus desumta est, qui postquam certo temporis spatio meruerunt, exauctorantur. Vulg. *Militia est vita hominis super terram*, vocem *vita* sensus complendi gratia addidit. Sic Arrianus in Epicteteis, 3. 24. στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, *militia quædam est uniuscujusque vita*, cum ipsi adversus calamitates, pericula, & mortem ipsam dimicandum sit. Vide Grot. in h. l. & Job. c. 14. v. 14. Dan. 8. v. 12. &c.

2°. Cœlestes angelorum copias. 3. Reg. 22. v. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris & à sinistris.* Vide etiam Psal. 102. Heb. 103. v. 21. Luc. 2. v. 3.

3°. Ordinatissimam stellarum multitudinem. Deut. 4. v. 19. *Ne forte, elevatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & stellas, omnem exercitum cœlorum.* Vide insuper Isai. 40. v. 26. Act. 7. v. 42.

4°. In genere quarumvis creaturarum dispositum agmen. Gen. 2. v. 1. *Igitur perfecti*

sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum, Vulg. *& omnis ornatus eorum*, h. e. & quælibet in eis creatura, quæ pro existentia, potentia, & gloria conditoris sui militat. Unde Deus dicitur *Dominus exercituum*, 2. Reg. 5. v. 10. Psal. 23. Heb. 24. v. 10. Psal. 45. Heb. 46. vv. 8. 12. Rom. 9. v. 29. Jac. 5. v. 4. Quod etiam nomen ei tribuitur, quod in prœliis victoriæ sit arbiter.

CASTRA METARI dicitur

1°. De angelis bonis pios defendentibus. Psal. 33. Heb. 34. v. 8. חֹנֶה *castra metatur angelus Domini in circuitu timentium eum* (Dominum). Conf. 4. Reg. 6. v. 17.

2°. De Deo ipso. Zach. 9. v. 8. וְחָנִיתִי *& castra metabor* (Vulg. *& circumdabo*) *domum meam ex his*, vel *ob eos*, *qui militant mihi.*

3°. De die ad vesperam inclinante. Jud. 19. v. 9. *Considera diem* חֲנוֹת *castra metari*, &c. Vulg. *quod dies propinquat ad vesperum*, quo sol residere nobis videtur.

LIGARE pro abscondere dicitur, Isai. 8. v. 16. *Liga testimonium*, *signa legem in discipulis meis*, h. e. testimonium istud, & legem hanc sive doctrinam populo huic pervicaci & obdurato absconde, discipulis meis, id est, fidelibus, piis, &c. revelanda. Confer Matth. 11. v. 25. Porro sumta est metaphora à notariis, qui postquam in tabulis res secretas scripserant, tabulas illas lino involutas obsignabant.

MERCARI, EMERE, toto animo intentum esse significat, Prov. 23. v. 23. *Veritatem eme*, *& noli vendere sapientiam*, &c. i. veritatis cognitionem diligenter quære, & sapientiam retineto. Seu nihil veritati & sapientiæ præponas. Quod enim vendimus, eo, quo vendimus, minoris æstimamus. Metaphora, ut liquet, à mercatoribus desumitur, qui ut merces comparent, longissima & periculosissima itinera suscipiunt, pecuniam impendunt, &c. Sic, ut veritas, sapientia, aliæque divitiæ spirituales comparentur, nihil intentatum relinqui debet. Vide etiam Isai. 55. v. 1. Apoc. 3. v. 18.

Huc pertinet phrasis *tempus redimere*, Eph. 5. v. 16. *Redimentes tempus*, *quoniam dies mali sunt*, h. e. omni studio & pretio, voluptatum & rerum quarumvis dispendio, tempus ad bene agendum captantes; dies enim bonum faciendi occasionem vel adimunt, vel minuunt, vel periculo exponunt, ob eam, quæ adversum vos viget, persequutionem; ideoque mali sunt. Vide etiam Colosl. 4. v. 5.

NEGOTIARI, pro callide decipere, & perdere accipitur; mercatoribus enim fraudes & doli familiares sunt. 2. Petr. 2. v. 3. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur* magistri mendaces, qui v. 1. commemorantur.

OBLIGARE, sive ALLIGARE, pro sanare seu curare usurpatur; membra enim vulnerata fasciis alligari solent. Ezech. 34. v. 4. *Quod confractum erat*, *non alligastis.* Vide etiam v. 16. & conf. Zach. 11. v. 16. Idem verbum pro spirituali curatione ponitur, Job. 5. v. 18. Psal. 146. Heb. 147. v. 3. Isai. 3. v. 7. cap. 61. v. 1. Ezech. 30. v. 21. Ose. 6. v. 1. &c.

PROJICERE ANIMAM SUAM PROCUL, extremum mortis periculum adire significat, Jud. 9. v. 17. *Et projecit* (Jeroboal) *animam suam procul*, h. e. *& animam suam dedit periculis*, ut vertit Vulg. Sic *animam suam ad moriendum probris afficere*, sive probrose exponere, Jud. 5. v. 18. & *animam suam in manu ponere*, 1. Reg. 28. v. 21. Job. 13. v. 14. Psal. 118. Heb. 119. v. 109. quod enim manibus gestatur, vel lapsui, vel direptioni exponitur.

Ex malis actionibus huc pertinent

ADULTERARI & SCORTARI, quod idololatriam exercere, & impietati addictum esse significat. Deus enim sibi spirituali fœdere Ecclesiam conjunxit, & veluti desponsavit. Si igitur Deo vero turpiter relicto, ad idola confugiat, & à pietate desciscat; fœderis quasi conjugalis obliviscitur; atque ita scortari in Scripturis dicitur.

Exod. 34. v. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*, *ne*, *cum fornicati fuerint cum diis suis*.... *vocet te quispiam ut comedas de immolatis.* Vide etiam v. 16. Jud. 2. v. 17. cap. 8. vv. 27. 33. 4. Reg. 9. v. 22. 1. Paral. 5. v. 25. Isai. 1. v. 21. cap. 57. vv. 3. 4. Jerem. 2. v. 20. c. 3. vv. 1. 6. 8. 9. c. 13. v. 27. c. 23. v. 14. Ezech. 6. vv. 15. 25. c. 23. v. 3. Ose. 1. v. 2. c. 4. v. 12. c. 5. v. 3. c. 6. v. 10. Nah. 3.

v. 4. Apoc. 2. vv. 20. 21. 22. c. 14. v. 8. c. 17. v. 2. c. 18. v. 3. &c.

FASCINARE, quod falsa doctrina seducere denotat. Galat. 3. v. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* Sumta est metaphora ab oculorum præstigiis; sequitur enim: *ante quorum oculos Christus Jesus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Vide Erasmum in h. l.

FURARI, quod clanculum dicere, vel facere innuit. Gen. 31. v. 20. *Et furatus est Jacob cor Labanis Aramæi, eo quod non indicasset ei, quod fugeret.* Vulg. *Noluitque Jacob confiteri socero suo, quod fugeret.* Vide etiam 2. Reg. 19. vv. 4. 42. Job. 4. v. 12. Prov. 9. v. 17.

2. Reg. 15. v. 6. *Furari cor*, significat etiam dolis & malis artibus animum sibi conciliare, וַיְגַנֵּב *& furabatur Absalom* אֶת־לֵב *cor virorum Israël*, Vulg. *sollicitabat.*

Joan. 10. v. 8. *Fures & latrones* vocat Christus, *quotquot ante eum venerunt*, quibus intelligit pseudo-prophetas, Pontifices, Sacerdotes, Pharisæos, Scribas, &c. *qui ignorantes justitiam Dei* (nempe Christum), *qui finis est legis ad justitiam omni credenti, & suam quærentes statuere* (eam videlicet, quæ ex lege est), *justitiæ Dei non erant subjecti*, Rom. 10. vv. 3. & 4. proindeque falsa doctrina animabus, quasi latrones, mortem æternam inferebant, abducendo eas à Christo, qui verum est ostium.

PRÆDARI, quod decipere, & à cognitione salutis abducere denotat. Coloss. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos* ἔσται ὁ συλαγωγῶν, *prædetur per philosophiam*, &c. Vulg. optime, *decipiat.* Confer 2. Tim. 3. v. 6. Apoc. 3. v. 11.

§. VI.

Metaphoræ à subjectis continentibus desumtæ.

AD hunc paragraphum referuntur *tum* quæ in genere ad *loci* dimensionem; *tum* quæ in specie ad *habitationes* hominum spectant.

I. Ad dimensionem loci quod attinet,

ALTITUDO metaphorice notat

1°. Rem abstrusam ac difficilem. Prov. 24. v. 7. *Excelsa*, sive *alta* (est) *stulto sapientia*, &c. h. e. non potest stultus ad sapientiam pertingere. Conf. c. 14. v. 6.

2°. Mentis in varias solicitudines distractionem. Luc. 12. v. 29. *Et vos nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis*, καὶ μὴ μετεωρίζεσθε, *& nolite in sublime tolli*, i. ut interpretatur Syrus: *neque distrahatur cogitatio vestra in istis.* Sic Thucyd. l. 2. *Tota Græcia* μετέωρος ἦν, *suspensa, anceps erat.* Metaphora autem desumitur ab iis, quæ in aëre suspensa, modo huc, modo illuc inclinant. Hinc Latinorum phrases: *animi pendere*, & *dubio ac suspenso animo esse.*

A corpore ex alto decidente elegans metaphora deducitur, Gen. 43. v. 18. *Introducti sumus, ut devolvat se* (Joseph) *super nos, & ut irruat super nos, & ut accipiat nos in servos*, &c. Vulg. *ut devolvat in nos calumniam.* Vocem *calumniam* sensus plenioris efficiendi gratia addidit. Ratio autem metaphoræ in eo posita est, quod quo graviora & altiora sunt corpora, eo graviori impetu decidant; idque dignitatem ac potentiam Josephi mirum in modum exprimit.

Deut. 32. v. 13. & Isai. 58. v. 14. *Populum suum super excelsam terram constituisse* dicitur Deus, quo Divina ejus tum protectio, tum defensio & exaltatio innuitur. Alii hîc metaphoram non agnoscunt, sed per terram excelsam intelligunt montes, qui in terra Chanaan sunt frequentissimi. Sic Isai. 33. v. 16. *in excelsis habitare* dicitur justus, pro securum esse ab hostibus, & Dei patrocinio frui; loca enim alta tutiora sunt infimis.

Psal. 24. Heb. 25. v. 1. *Elevare animam ad Deum*, fiduciam in eo ponere, & ejus opem implorare significat. Vide etiam Psal. 85. Heb. 86. v. 4.

Psal. 149. v. 6. *Exaltationes Dei in gutture* seu *faucibus* piorum esse dicuntur, h. e. lau-

des & gratiarum actiones, quibus excelsus prædicatur Deus. Vide etiam Psal. 65. Heb. 66. v. 17. Psal. 98. Heb. 99. vv. 5, 9. Dan. 4. v. 34. &c.

DEXTERA, sive DEXTRUM LATUS, prudentiam, circumspectionem, &c. denotat. E contrario, *sinistra* seu *sinistrum latus*, imprudentiam, temeritatem, &c. innuit. Eccle. 10. v. 2. *Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius*, h. e. vir sapiens prudentiam, stultus autem imprudentiam cogitat. Scriptura enim, ut diximus supra pag. 45. col. 2. cogitationem cordi, affectum vero renibus tribuit.

DILATARE, à periculis liberare interdum significat. Psal. 4. v. 2. *In tribulatione dilatasti me*, Vulg. ad verbum, *dilatasti mihi*. Vide etiam Psal. 17. Heb. 18. v. 20. &c.

Vice versa, *angustiæ* denotant afflictiones, mala & pericula. Psal. 24. Heb. 25. v. 17. *Angustiæ* (Vulg. *tribulationes*) *cordis mei multiplicatæ sunt*. Psal. 118. Heb. 119. v. 32. Isai. 60. v. 5. *Cor dilatari* dicitur, pro exhilarari; cor enim in adversis coarctatur: contra vero in prosperis ampliatur & expanditur.

Paulo aliter hanc loquutionem accipit Apostolus, 2. Cor. 6. v. 11. *Cor nostrum dilatatum est.* Vers. 12. *Non angustiamini in nobis*, (ô Corinthii). Vers. 13. ... *dilatamini & vos*, ut vicissim nos capiatis, q. d. unus ego vos omnes in corde meo capio, i. amore complector: vos autem, cum multi sitis, in cordibus vestris capere me non potestis.

Præterea *latitudo cordis* quandoque in *bonam* partem sumitur, quandoque in *malam*.

In bonam, sapientiæ & virtutis amplitudinem denotat. 3. Reg. 4. v. 29. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni .... & latitudinem cordis*, h. e. magnanimitatem ad res, quas prudentia suggerebat, aggrediendas.

In malam, superbiam & audaciam significat. Prov. 21. v. 4. *Exaltatio oculorum, est dilatatio cordis*, i. oculorum elatio ex tumore cordis proficiscitur. Vide etiam cap. 28. v. 25. Psal. 100. Heb. 101. v. 5.

1. Reg. 2. v. 1. *Dilatari os* dicitur, cum sermo libere & cum gaudio profertur. *Dilatatum est os meum super inimicos meos*, i. habeo nunc, quod reponam inimicis meis, qui sterilitatis meæ opprobrium mihi objiciebant; libere nunc eos alloquar, &c. Vide etiam 2. Cor. 6. v. 11. Ephes. 6. v. 19.

Psal. 80. Heb. 81. v. 11. *Dilatari os populi sui jubet Deus, & illud impleturum* se promittit, quo magna petitio ex parte postulantis, & magna donatio ex parte Dei concedentis significatur. Sumta est metaphora ab avibus vel infantibus, qui matre porrigente cibum, os aperiunt, ut porrectum alimentum accipiant. Vide etiam Psal. 118. Heb. 119. v. 131.

Impii quoque *os suum dilatare* dicuntur; Psal. 34. Heb. 35. v. 21. quo petulans eorum adversus pios insultatio & ἐπιχαιρεκακία innuitur. Vide etiam Isai. 57. v. 4.

Denique *animam dilatare*, Habac. 2. v. 5. est avaritia & πλεονεξία maxima laborare. Loquutio eadem de inferno etiam usurpatur, Isai. 5. v. 14. Vide supra pag. 106. col. 1.

II. Quod spectat ad hominum habitationes, earum considerandæ sunt tum *partes*, tum *species*. Partes sunt:

FUNDAMENTUM, quod præcipua ædificii pars est, & cui tota moles superædificata incumbit. Illud autem denotat

1°. Christum, qui Ecclesiæ, spiritualis ejus ædificii, fundamentum est. Isai. 28. v. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum ... in fundamento fundatum*, vel secundum Heb. *fundamentum fundamentum*, h. e. lapidem fundatissimum, solidissimum, &c. Vide etiam 1. Cor. 3. v. 11. Eph. 2. v. 20. Conf. Matth. 16. vv. 16, 18. 1. Pet. 2. vv. 4. 5. &c.

2°. Ob firmitatem & stabilitatem, de terræ ejusque partium creatione usurpatur. Job. 38. v. 4. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* Vide etiam Exod. 9. v. 18. Psal. 23. Heb. 24. v. 2. Psal. 103. Heb. 104. v. 5. Prov. 3. v. 19. c. 8. v. 29. Heb. 1. v. 10.

Hinc *fundare* pro confirmare sumitur, Isai. 14. v. 32. *Quia Dominus fundavit Sion*, &c. Vide Ephes. 3. v. 18. Coloss. 1. v. 23. Item, pro consultare; quia rerum agendarum fundamenta sunt consilia. Psal. 2. v. 2. *Adstiterunt reges terræ, & principes* נוֹסְדוּ *consultarunt simul.* Denique pro constituere, statue-

re, decernere, ordinare. 1. Paral. 9. v. 22. *Omnes hi electi in ostiarios .... quos fundavit David & Samuel.* Vulg. *quos constituerunt David & Samuel.* Vide Esth. 1. v. 8. &c.

3°. Fundamentum, quod primum est in exstructione, & ultimum in destructione, ordinem denotat; indeque pro initio, respectu temporis, accipitur. 1. Esd. 7. v. 9. *Quia in primo die mensis primi* הוּא יְסֻד הַמַּעֲלָה *ipse* (Esdras) *fuit fundamentum ascensus*, sive ascendit de Babylone. Vulg. *cœpit ascendere de Babylone.* Et pro extremo, in populi excisione & deletione. Psal. 136. Heb. 137. v. 7. *Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea* (Jerusalem), h. e. usque ad ultimos cives. Vel sine metaphora, usque ad ipsum fundamentum, ita ut nulla ipsius supersint vestigia.

PARIES vocatur à Paulo, Eph. 2. v. 14. lex Mosaïca, quæ & Judæos custodiebat, & eos à Gentibus separabat. *Ipse enim* (Christus) *pax nostra, qui fecit utraque unum*, (nempe Judæos & Gentiles) *& medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua* (i. corporis sui sacrificio) *solvit.*

Act. 23. v. 3. Paulus Summum Pontificem vocat *parietem dealbatum*, h. e. hypocritam, qui licet foris videretur sanctitate pollere; intus tamen errorum ac impietatis spurcitie plenus erat. Confer Matth. 23. v. 27.

MURUS roboris & defensionis signum est; & vice versa, *ruptura muri*, robur ablatum, & defensionem sublatam denotat. Ezech. 13. v. 5. *Non ascendistis* (ô falsi prophetæ) בַּפְּרָצוֹת *in fracturas*, sive *rupturas* (muri), *& non opposuistis murum pro domo Israël*, h. e. monitis, precibus, &c. periculis non obstitistis, quæ per vestram legis violationem, quasi per muri fracturam, in Dei populum instar hostium irruerunt. Hæc metaphora à re castrensi desumta est; cum enim in obsidione urbis rumpuntur muri, milites, qui eam custodiunt, turmatim illuc se conferunt, ut hostem, quominus per rupturam illam ascendat, impediant. Vide etiam c. 22. v. 30.

Huc pertinet, Psal. 105. Heb. 106. v. 23. *Et dixit* (h. e. decrevit Deus) *ut disperderet eos* (Israëlitas ob vitulum aureum), *si non Moyses electus ejus stetisset* בַּפֶּרֶץ *in ruptura* (Vulg. *in confractione*) *in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos*, i. nisi sua intercessione Deum ita placasset, ut non irrueret in populum, ad quem iræ ejus viam patefecerat Judæorum idololatria.

Huc etiam refertur *maceria*, sive *sepes*, quæ ab hostibus tutelam denotat. 1. Esd. 9. v. 9. *Inclinavit super nos misericordiam suam* (Deus)... *ut daret nobis sepem in Juda & Jerusalem*, h. e. ut nos ab hostibus nostris tutaretur.

GRADUS, quo ascenditur in ædificium, pro donorum spiritualium incremento accipitur. 1. Tim. 3. v. 13. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*, h. e. in dies ex dono Dei augentis proficient, & altius quasi assurgent.

COLUMNA, quia totam molem domus ei incumbentem sustinet, constantiam, firmitatem, perennitatemque denotat. Jerem. 1. v. 18. *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam aream*, &c. Vide etiam Prov. 9. v. 1. Job. 9. v. 9. c. 26. v. 11. 1. Tim. 3. v. 5. Apoc. 3. v. 12. &c. Vox eadem significat etiam res columnæ similes. Vide Exod. 13. vv. 21. 22. Jud. 20. v. 40. Apoc. 10. v. 1.

ANGULUS, quia extremitas ædificii est, pro aliarum etiam rerum extremitate accipitur; notatque

1°. Terræ plagam, sive latus mundi. Num. 34. v. 3. *Et erit vobis* פְּאַת־נֶגֶב *angulus austri* (terminus australis) *à deserto Sin, quod est juxta Edom*, &c. Vulg. *Pars meridiana incipiet à solitudine Sin*, &c. Vide etiam Exod. 27. v. 9. Nehem. 9. v. 22. Jerem. 9. v. 25. al. 26. Inde verbum in hiphil הִפְאָה *angulare*, si fas ita loqui, & in fut. אַפְאֵיהֶם, Deut. 32. v. 26. *angulabo eos*, i. in angulos, sive extremitates terræ profligabo. Lxx. διασπερῶ αὐτοὺς, *dispergam eos.* Vulg. *ubinam sunt?* legebat אַף־אֵי־הֵם *etiam ubi sunt ipsi?* voce Hebraïca in tres divisa. Vide tom. I. pag. 368. col. 2. ubi vocis hujus alia conspicitur analysis.

2°. Agri & regionis partem. Lev. 19. v. 9. *Cum messueris segetes terræ tuæ, non absolves angulum agri tui*, h. e. angulum indemessum relinques. Angulus autem iste, ex moribus Judæorum, erat pars sexagesima. Vulg. non

tondebis usque ad solum superficiem terræ. Lxx. ὐ συντελέσετε τὸ θερισμὸν ὑμῶν τῦ ἀγρῦ σου ἐκθερίσαι, *non absolvetis messem vestram agri tui demetere*, h. e. non omnino agrum tuum demetes, sed partem intactam relinques. Hac numeri pluralis & singularis compositione innuitur distributio; q. d. cum unusquisque vestrum metet segetes terræ suæ, non metet angulum agri sui, sed eum pauperibus & peregrinis metendum relinquet. Confer v. 10. & vide insuper Num. 24. v. 17.

3°. Eam capitis partem, quæ frontem, tempora, & partem post aurem circumscribit. Lev. 13. v. 41. *Si autem ab angulo faciei suæ decalvatur caput ejus, recalvaster & mundus est.* Vulg. *Et si à fronte ceciderint pili*, &c. Vide cap. 19. v. 27. ubi in altero hemistichio extremitatem barbæ, seu mystacem significat.

Huc etiam referunt quidam Isai. 3. v. 17. *Et Dominus* פָּתְהֵן *angulum ipsarum nudabit*, pro פַּאתְהֵן cum affixo anomalo, loco פָּאתָן. Lxx. Vatic. τὸ σχῆμα αὐτῶν, *habitum earum.* Complut. αἰσχύνωμα αὐτῶν, *ignominiam* seu *pudendum ipsarum*; atque ita explicant plerique interpretes. Vulg. *crinem earum*, h. e. capillorum cincinnos, qui in frontem decidunt.

4°. Principem, regem, magnatem, qui anguli instar regni ædificium continet. Jud. 20. v. 2. *Omnesque anguli populorum .... in Ecclesiam populi Dei convenerunt*, i. primores, magnates, proceres, qui reipublicæ molem fulciunt, sicuti anguli ædificium sustinent. Vide etiam 1. Reg. 14. v. 38. Isai. 19. v. 13. Inde est appellatio *lapidis angularis*, quæ Christo tribuitur, Psal. 117. Heb. 118. v. 22. & explicatur Ephes. 2. vv. 15. 16. 17. 20.

CLAVUS, sive PAXILLUS, quia bene infixus locum suum, & res sibi annexas retinet, significat

1°. Sedem certam ac fixam. 1. Esd. 9. v. 8. *Et nunc ... facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum ... ut daretur nobis paxillus in loco sancto ejus*, i. sedes fixa.

2°. Virum rebus in republica gerendis idoneum. Isai. 22. v. 23. *Et figam illum* (Eliacim) *paxillum in loco fideli .... * Vers. 24. *Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus*, &c. Hinc Lxx. interpretantur ἄρχοντα *principem*, Chald. *gubernatorem fidelem.*

JANUA, OSTIUM, PORTA, metaphorice accipitur de iis, quæ vices ejus sive in *materialibus*, sive in *spiritualibus* præstant.

In materialibus, usurpatur de urbe populosa, per quam veluti per januam mercatores ex omnibus populis ingrediuntur & egrediuntur. Ezech. 26. v. 2. *Pro eo, quod dixit Tyrus de Jerusalem: euge, confractæ sunt portæ populorum*, &c. h. e. Jerusalem eversa est. Hîc etiam portæ pro urbe ipsa per synecdochen possunt accipi.

2°. De terminis regionis, per quos intratur in eam. Mich. 5. v. 5. al. 6. *Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod* בִּפְתָחֶיהָ (irruendo) *per portas ejus.* Aq. teste Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 1534. & ipse Hieron. *lanceis ejus*, Vulg. *suis.* Sym. ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς, *intra portas ejus.* Theod. ἐν πύλαις αὐτῶν, *in portis eorum.* Lxx. ἐν τῇ τάφρῳ αὐτῆς, *in fovea ejus.* V[a]. edit. ἐν παραξιφεσιν αὐτῶν, *in sicis eorum.* Aben-Esra, *ensibus suis*, h. e. propriis ipsiusmet regionis Nemrodi armis; nam pronomen affixum *ejus* vel *suis* est femininum. Vox פֶּתַח & *ostium*, & *gladium*, sive *ensem*, &c. significare potest.

3°. De operculo arcæ, seu gazophylacii. 4. Reg. 12. v. 9. *Et tulit Joiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen* בְּדַלְתּוֹ *in ostio ejus*, &c. h. e. ut interpretatur Vulg. *desuper.*

4°. De labiis, quibus os clauditur & aperitur. Job. 41. v. 5. *Portas vultus ejus* (Behemoth) *quis aperiet?* h. e. labia ejus. Vide etiam Psal. 140. Heb. 141. v. 3.

5°. De nubibus, ex quibus decidit manna in deserto. Psal. 77. Heb. 78. v. 22. *Et mandavit nubibus desuper, &* (vel *id est*) *januas cœli aperuit.* Vers. 23. *Et pluit illis manna ad manducandum*, &c.

6°. De utero materno. Job. 3. v. 10. *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me.*

7°. De pagina libri, quæ januæ speciem quandam refert. Jerem. 36. v. 23. *Cumque legisset Judi tres* דְּלָתוֹת (Vulg. *pagellas*) *vel quatuor*, &c. Quanvis enim antiquitus longis pellibus seu pergamenis ad libros suos scri-

bendos uterentur Judæi; lineæ tamen non per longitudinem totius pergameni ducebantur, sed in plures areas divisæ erant, quòmodo sunt latera paginarum in libris complicatis, &c. Vide Buxtorf. instit. epist. Heb. pag. 4.

In spiritualibus, *ostii apertio*, verbum Dei prædicandi commoditatem denotat. Isai. 26. v. 2. *Aperite portas, & ingrediatur gens justa*, &c. Vide etiam cap. 60. v. 11. Act. 14. v. 27. 1. Cor. 16. v. 9. 2. Cor. 2. v. 12. Coloss. 4. v. 3. Apoc. 2. v. 8.

Porta cæli dicitur, vel locus, in quo Deus præsentem & familiarem se exhibet; vel medium, quo ad cœlestem beatitudinem pervenitur. Gen. 28. v. 17. *Non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta Cæli.* Ita loquitur Jacob, quia viderat Dominum scalæ innixum dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham*, &c. Vide etiam Matth. 7. v. 14. Luc. 13. v. 24. Idem significat *porta justitiæ*, Psal. 117. Heb. 118. vv. 19. 20.

Joan. 10. vv. 1. 2. 7. 9. *Ostium* vocat se Christus, quia mediator est per quem in ovile, hoc est, in Ecclesiam, & per hanc in vitam æternam introire licet. Hinc Scribæ & Pharisæi *regnum cælorum claudere dicuntur*, Matth. 23. v. 13. quia inter alia eorum peccata, à Christi cognitione & doctrina quocunque modo homines avertebant.

Matth. 24. v. 33. *Prope esse in januis*, propinquitatem temporis denotat. Vide etiam Jac. 5. v. 9.

Job. 38. v. 17. *Portæ mortis, & sepulchri*, sive *inferni*, ipsam ejus potentiam, vel extrema pericula denotant. *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* h. e. an rationes, aut varia mortis genera, quibus singuli conficiuntur, perspecta sunt tibi? Vide etiam Psal. 9. v. 14. Psal. 106. Heb. 107. v. 18. Isai. 38. v. 10.

Matth. 16. v. 18. *Portæ inferi, quæ adversus Ecclesiam non prævalebunt*, significant consilia, machinationes, ac potestatem Diaboli ejusque ministrorum, hæreticorum videlicet & tyrannorum. Ducta est metaphora ab urbium portis, in quibus judicia & consultationes exercebantur.

Matth. 7. vv. 7. 8. Luc. 11. v. 9. *Pulsare januam* gratiæ credentes jubentur, h. e. instanter orare. Et vicissim, Christus *pulsare januam* cordis nostri dicitur, Apoc. 3. v. 20. cum ad pœnitentiam nos invitat.

VECTIS, quo fores civitatis aut domus obfirmantur, mari etiam tribuitur, & præterea omne rei munimentum & robur indicat. Job. 38. v. 10. *Circumdedi illud* (mare) *terminis meis, & posui vectem & ostia*, h. e. repagula & fores, quibus concluderetur. Vide insuper Isai. 15. v. 5. c. 43. v. 14. Ezech. 38. v. 11. Amos 1. v. 5. Psal. 147. v. 2. secundum Lat. v. 13. secundum Heb.

CLAVIS, qua janua reseratur, auctoritatem, & potestatem gubernationis indicat. Isai. 22. v. 22. *Et dabo clavem domus David super humerum ejus* (Eliacim), *& aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat*, h. e. summa auctoritate in aula Ezechiæ pollebit. Lxx. Vatic. Καὶ δώσω τὴν δόξαν Δαυὶδ αὐτῷ, καὶ ἄρξει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀντιλέγων· καὶ δώσω αὐτῷ τὴν κλεῖδα οἴκου Δαυὶδ ἐπὶ τῷ ὤμῳ αὐτοῦ, καὶ ἀνοίξει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀποκλείων· καὶ κλείσει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀνοίγων. *Et dabo gloriam David ipsi, & imperabit, & non erit, qui contradicat: & dabo ei clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat.* Ald. & Complut. voces καὶ δώσω τὴν δόξαν Δαυὶδ αὐτῷ, καὶ ἄρξει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀντιλέγων, postponunt sequentibus: καὶ δώσω αὐτῷ τὴν κλεῖδα, &c. nec male; videntur enim esse versiculi hujus explanatio, quæ è margine in textum irrepsit. Nam desiderantur in Hebræo, necnon in Aq. Sym. & Theod. qui, his exceptis, ut Lxx. fere interpretantur. Non sunt itaque altera versio cum Lxx. translatione conjuncta, ut fit interdum. Diu autem est, quod in Lxx. leguntur; quandoquidem illas refert Hieronymus comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 200. ubi comma istud à Lxx. conversum laudat. Callimachus Cererem describit clavem in humero gestantem, κατωμάδιαν εἶχε κλεῖδα, *clavem ex humero pendentem habebat.* Hispaniarum magnates clavem auream etiamnum gerunt. Iste autem Eliacim Christi fuit typus, *cui data est omnis*

potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18. Vide etiam Apoc. 1. v. 18. ubi eidem Christo *claves inferni & mortis* tribuuntur, quibus summum ejus dominium exprimitur.

Luc. 11. v. 52. *Clavis scientiæ*, potestatem docendi & interpretandi Scripturas denotat.

Matth. 16. v. 19. *Claves regni cœlorum*, potentiam remittendi & retinendi peccata significant. *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Vide Joan. 20. v. 23. ubi quid sit *solvere* & *ligare* explicatur, nempe, ut mox diximus, per potestatem *remittendi & retinendi peccata.* Hîc autem ab una metaphora ad aliam transit Christus; scilicet à clavibus, quibus aperitur, aut clauditur cœlum, ad catenas, quibus vel constringuntur vel solvuntur peccatores; etsi nonnullis una eademque videatur metaphora; seris enim nonnunquam adduntur catenæ, quæ & ipsæ ope clavium removentur. Is autem, secundum illorum mentem, sensus est: Tibi dabo claves regni cœlorum; cuicumque illud aperueris, erit apertum; & cui illud aperueris, is peccatorum catenis solvetur: cui vero illud clauseris, clausum erit; & cui clauseris, hic peccatorum nexibus erit implicatus.

Hucusque de partibus ædificiorum; sequuntur eorumdem species.

URBS vel CIVITAS, ob civium multitudinem, denotat Ecclesiam tum in *terris* militantem, tum in *cœlis* triumphantem.

In terris militantem, Isai. 26. v. 1. Heb. *Urbs fortitudinis nobis* (est; nam) *salus* sive *salvator ponet murum & antemurale*, ita ut adversus eam portæ inferi prævalituræ non sint. Vulg. *Urbs fortitudinis nostræ Sion*, &c. vocem *Sion* addidit, quia revera de Jerusalem Ecclesiæ typo hîc agitur. Vox autem illa neque in Hebræo, neque in versionibus reperitur. Vide etiam Heb. 12. v. 22. & confer Matth. 5. v. 14.

In cœlis triumphantem, Heb. 11. v. 10. *Exspectabat enim* (Abraham) *fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor* (est) *Deus.* Vide c. 13. v. 14. Apoc. 21. v. 2. &c. Unde Philipp. 3. v. 20. *Nostrum autem* πολίτευμα, *jus civitatis, municipium* (Interp. Lat. *nostra autem conversatio*) *in cœlis est.* Vide etiam c. 1. v. 27.

Speciale est Eccle. 10. v. 15. Heb. *Labor stultorum affligit eum* (h. e. unumquemque illorum); *quod nesciat ire in civitatem*, h. e. quod notissima & tritissima quæque, quale est iter ad urbem, ignoret. Hoc dictum videtur in eos, qui in rebus difficillimis atque inutilibus investigandis sese macerant, dum faciles, utiles, & vel pueris ipsis, aut etiam cœcis notissimas ignorant.

Urbium munitiones denotant arma, in quibus confidunt Ecclesiæ hostes, qualia sunt carnalis sapientia, profana eruditio, eloquentia, &c. 2. Cor. 10. v. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum*, &c.

TURRES, ob celsitudinem, reges, principes, magnates, superbos, &c. indicant. Isai. 2. v. 12. *Quia dies Domini exercituum* ... v. 15. *super omnem turrim excelsam*, &c. Vide etiam c. 30. v. 25.

DOMUS Ecclesiam significat, eamque

1°. Militantem, in qua Deus peculiari ratione per gratiam suam habitat. Psal. 26. Heb. 27. v. 4. *Unam petii à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, hoc est, in Ecclesia; hunc enim Psalmum scripsisse videtur David cum Saülem fugeret, & apud Philisthæos moraretur. Vide etiam Psal. 68. Heb. 69. v. 10. (confer Joan. 2. v. 17.) Psal. 83. Heb. 84. v. 5. Psal. 91. Heb. 92. v. 14. Isai. 56. vv. 3. 5. 7. Ephes. 2. vv. 19. 22. 1. Tim. 3. v. 15. Heb. 3. v. 6. c. 10. v. 21. 1. Pet. 2. v. 5. c. 4. v. 17.

Huc pertinet *œconomi*, sive *dispensatoris mysteriorum Dei* appellatio. 1. Cor. 4. v. 1.

Sæpe etiam *Templum Hierosolymitanum domus Dei* dicitur. Vide 2. Reg. 5. v. 6. Psal. 25. Heb. 26. v. 8. Psal. 121. Heb. 122. v. 1. Jerem. 7. v. 1. Matth. 21. v. 13. &c.

2°. Triumphantem, Psal. 35. Heb. 36. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Vide etiam Joan. 4. v. 2. 2. Cor. 5. vv. 1. 2. Atque ita dicitur cum ob familiarem Dei cum beatis conversationem, sicuti paterfamilias cum suis

suis domesticis familiariter versatur. Tum ob filiorum Dei in hanc domum collectionem, mutuamque in ea familiaritatem & concordiam.

TABERNACULUM quoque significat Ecclesiam *cum* militantem, Psal. 83. Heb. 84. v. 2. &c. *tum* triumphantem, Luc. 16. v. 9. Apoc. 21. v. 3.

Amos 9. v. 11. *Tabernaculum David* instauratum adumbrat etiam purum Dei cultum itidem instauratum, h. e. Ecclesiam Christianam, & Messiæ regnum. *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit; & reædificabo aperturas murorum ejus, &, quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud, sicut in diebus antiquis*, Davidis nempe & Salomonis, quorum ætate pura vigebat religio. Vide Act. 15. v. 16. ubi vaticinium illud ad Christi tempora à S. Jacobo ceterisque Apostolis refertur.

Præterea, *tabernaculum* de solis in cœlo mansione, sive constitutione, usurpatur. Psal. 18. Heb. 19. v. 5. לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם־אֹהֶל בָּהֶם, Aq. Theod. V^a. edit. τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς (οὐρανοῖς), S. Hieron. *soli posuit tabernaculum in eis* (cœlis). Symm. τῷ ἡλίῳ ἔταξε σκηνὴν ἐν αὐτοῖς, *soli constituit tabernaculum in eis*. Syr. ἐν αὐτοῖς ἔθετο τοῦ ἡλίου σκήνωμα, *in ipsis posuit solis tabernaculum*. Lxx. ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα αὐτοῦ, Vulg. Lat. *in sole posuit tabernaculum suum*. Ex hac Lxx. interpretum versione existimarunt hæretici quidam Christum esse solem, ut scribit Aug. tract. 34. in Joannem, tom. 3. nov. edit. part. 2. col. 834. D. *Manichæi*, inquit, *solem istum oculis carneis visibilem... Christum Dominum esse putaverunt.*

Vox eadem de corpore humano accipitur, 2. Pet. 1. v. 14. *Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei*, &c. h. e. quod brevi moriturus sum. Anima autem in corpore, quasi in tabernaculo, ad tempus habitat, donec ex eo migrare in morte à Deo jubeatur. Vide etiam 2. Cor. 5. vv. 1. 4.

PENETRALIA, sive INTERIORA AUSTRI, stellæ sunt versus polum Antarcticum, quæ sic dicuntur, quod iis, qui in altero hemisphærio degunt, non appareant, quasi in penetralibus concluderentur. Job. 9. v. 9. *Qui* (Deus) *facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora austri.* Vide etiam cap. 37. v. 9.

Prov. 7. v. 27. *Penetralia*, seu *interiora mortis*, mortem æternam, ex qua nemo revocari potest, denotant.

Isai. 26. v. 20. *Penetralia* vel *cubicula populi Dei*, sepulchra sunt, è quibus educentur mortui in extremo judicio. Conf. v. 21.

CARCER, & in eum inclusio, æterna improborum supplicia significat. Isai. 24. v. 21. Vulg. *In die illa* (extremi judicii) *visitabit Dominus super militiam cœli in excelso* (h. e. super angelos malos, qui una cum hominibus judicandi sunt, 1. Cor. 6. v. 3. Jud. v. 6.) *& super reges terræ, qui sunt super terram*, quique magis punientur quam eorum subditi, quos in officio continere debebant. Vers. 22. *Et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum* (projiciendi), *& claudentur ibi in carcere, & post dies multos visitabuntur*, i. & in æternum punientur. *Visitare* enim, ut monuimus supra, pag. 86. col. 1. *punire* etiam significat; & *multitudo dierum* per synecdoches speciem hîc pro æternitate ponitur, ut alibi dies pro annis usurpantur. Vide infra cap. IV. art. IV. versus finem. S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 212. scribit hunc contextum favere videri Origeni ejusque asseclis, qui Dæmonum, aliorumque damnatorum pœnas æternas non fore arbitrabantur. Vide ibid. commentum istud à S. Doctore confutatum.

Vice versa, *eductio animæ de carcere* sive *custodia*, ex malis & periculis liberationem significat. Psal. 141. Heb. 142. v. 8. *Educ de custodia animam meam*, &c. h. e. è periculis eripe me.

NAVIS Ecclesiæ hostes denotat. Isai. 33. v. 21. Heb. *Quia ibi* (in Sione Ecclesiæ typo) *potens Dominus* (erit) *nobis loco fluviorum, & rivorum spatiosorum manibus* (h. e. rivorum latissimorum, qui equitibus peditibusque accessum negabunt); *neque transibit per eum* (fluvium aut rivum) *navis remi* (i. remis impulsa), *neque navis magnifica* (h. e. navis maxima) *pertransibit eum*, adeo rapidus erit & navibus impervius. Hac metaphora indi-

catur Christi Ecclesiam ita à Deo fore protegendam, ut nunquam portæ inferi adversus eam prævaliturae sint.

1. Tim. 1. v. 19. *Naufragium facere circa fidem*, ab ea per apostasiam, & vitæ improbitatem desciscere significat.

SEPULCHRUM denique corporis post mortem domicilium, pessimam hominis naturam exprimit. Psal. 5. v. 10. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Vide etiam Rom. 3. v. 13. i. quemadmodum ex sepulchro aperto odor teterrimus ac pestilens egreditur: ita ex improborum corde per guttur eorum exeunt pessimi sermones, qui audientium animas enecant. Conf. Matth. 23. vv. 27. 28. ubi Scribæ & Pharisæi sepulchris dealbatis comparantur.

§. VII.

Metaphora à variis hominum adjunctis desumta.

ADJUNCTA hominis dividi possunt in *interna*, & *externa*. De internis hic illic quædam dicta. De externis, scilicet armis, vasis, &c. secundum alphabethi literarum ordinem in hoc paragrapho agemus.

ARMA metaphorice sumta ad spiritualem hominis pugnam adversus Diabolum, mundum, & carnem referuntur. Rom. 6. v. 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete ... membra vestra arma justitiæ Deo*, h. e. ne exhibeatis membra vestra peccato, ad certandum pro iniquitate; sed exhibete illa Deo, ad pugnandum pro justitia, contra carnis desideria, mundi illecebras, & tentationes Diaboli. Vide etiam c. 13. v. 12. 2. Cor. 6. v. 7. c. 10. v. 4. 1. Pet. 4. v. 1. & confer Ephes. 6. v. 11. seqq. ubi spiritualis illius armaturæ descriptionem elegantissimam videsis.

Luc. 11. v. 21. *Fortis armatus*, Diabolus est, quem vicit Christus & spoliavit.

Armorum species sunt;

Gladius, qui significat

1°. Dolores acerbissimos. Luc. 2. v. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, h. e. dolores acerbissimos patieris. Qua ratione linguæ maledicæ & virulentæ tribuitur, Psal. 54. Heb. 55. v. 22. *Molliti sunt* (Heb. *molles sunt*) *sermones ejus super oleum, & ipsi sunt* פְתִחוֹת *stricti gladii.* Aq. λόγχαι, S. Hieron. *lanceæ.* Symm. ἀνατμητικοὶ *dissecantes.* Lxx. βολίδες, Vulg. Lat. *jacula*, h. e. dolores acerbissimos afferunt. Vide etiam Psal. 56. Heb. 57. v. 5. Psal. 58. Heb. 59. v. 8. Job. 5. v. 15.

2°. Rem penetrantem & efficacissimam. Heb. 4. v. 12. *Vivus enim est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sic Phocylidi sermo dicitur ὅπλον τομώτερον σιδήρου, *arma ferro penetrabiliora.* Vide etiam Psal. 149. v. 6. Mich. 5. v. 5. Ephes. 6. v. 17. & confer Isai. 49. v. 2. Apoc. 1. v. 16. cap. 2. vv. 12. 16.

Arcus & *sagitta*, quæ linguam maledicam itidem denotant. Psal. 63. Heb. 64. v. 4. *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum* (Heb. *sagittam suam*) *rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum*, i. ut insonti detrahant. Vide etiam Psal. 119. Heb. 120. v. 4. Jerem. 9. v. 3. Hinc *sagitta in die volans*, Psal. 90. Heb. 91. v. 5. quodvis malum vel periculum subito ingruens significat.

Pharetra, sagittarum theca, quæ domum sive familiam significat. Psal. 126. Heb. 127. v. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis; ita filii* הַנְּעוּרִים *juventutum*, Aq. ἐφηβειῶν *adolescentiarum*, Sym. Theod. νεότητος, S. Hieron. *juventutis*, h. e. in juventute parentum geniti; vel qui ipsi juvenes sunt, proindeque fortes ac robusti. Lxx. ἐκτετιναγμένων *excussorum*, quod etiam significare potest vox Hebraica. Vers. 5. *Beatus vir, qui implevit* אַשְׁפָּתוֹ, Aq. Sym. Theod. φαρέτραν αὐτοῦ, S. Hieron. *pharetram suam*, i. domum suam *ex ipsis*, filiis juvenibus ac robustis; *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, quandoquidem causam ipsius agent in porta urbis, ubi judicia olim exercebantur. Vel, *non confundetur; quoniam perdet inimicos suos in porta*; דִּבֵּר enim, & loqui & perdere significat. Lxx. vocem אַשְׁפָּתוֹ ἐπιθυμίαν αὐτοῦ *desiderium suum*, interpretati

ſunt, ſenſum duntaxat attendentes; *implere enim pharetram*, poëtica loquutio eſt, pro tot habere, quot cupias.

Clypei ſive *ſcuta*, quæ principes & magnates denotant, qui clypeorum inſtar ſubditos ſuos tutari ac defendere debent. Pſal. 46. Heb. 47. v. 10. *Quoniam Dii* מָגִנֵּי־אֶרֶץ *clypei* (Vulg. *fortes terræ*) *vehementer elevati ſunt.* Vide etiam Oſe. 4. v. 18.

Epheſ. 6. v. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei*... i. armantes vos fide tanquam ſcuto. Verſ. 17. *Et galeam ſalutis aſſumite* (h. e. ſpes & deſiderium ſalutis æternæ conſequendæ ſit vobis inſtar galeæ), *& gladium ſpiritus*, ſive *ſpiritualem, quod eſt verbum Dei*, quodque, ſi ad praxim revocetur, veterem humani generis hoſtem Diabolum confodit.

CURRUS ISRAEL ET EQUITES (Vulg. ET AURIGA) EJUS dicitur Elias, 4. Reg. 2. v. 12. & Eliſeus, c. 13. v. 14. h. e. vis & præcipuum robur, præſidium & columen populi Iſraëlitici; tunc enim in curribus falcatis & in equitibus ſitum erat præcipuum exercitus robur.

BACULUS, quia fulcrum eſt hominis infirmi, ſignificat

1°. Quodvis ſubſidium & auxilium. 4. Reg. 18. v. 21. *An ſperas in baculo arundineo atque confracto Ægypto?* Vide etiam Pſal. 17. Heb. 18. v. 19. Hinc *baculus panis, aquæ*, &c. pro ipſo pane & aqua, quibus vita hominis fulcitur, vel pro vi ipſa alendi, uſurpatur Lev. 26. v. 26. Pſal. 104. Heb. 105. v. 16. Iſai. 3. v. 1. Ezech. 5. v. 16. c. 14. v. 13.

E contrario, *baculus* tenuitatis & paupertatis ſymbolum eſt; ſumta metaphora ab iis, qui in bello capti, nudi & inermes ſolo cum baculo dimittuntur. Gen. 32. v. 10. *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior*, inquit Jacobus.

2°. Quia baculus inſtrumentum percuſſionis eſt, tyrannidem, ſævitiam, imperium durum, &c. ſignificat. Iſai. 14. v. 5. *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Verſ. 6. *Cadentem populos in indignatione*, &c. Vide etiam c. 10. vv. 5. 24. 2. Reg. 7. v. 14. Pſal. 88. Heb. 89. v. 33. Prov. 10. v. 13. c. 22. v. 8. c. 26. v. 3.

3°. Baculus pro tribu ſeu familia ponitur; *vel* quia tribus quælibet deſignabatur per baculum ſeu virgam, cui inſcriptum erat nomen ejus, ut revera inſcriptum legitur Num. 17. v. 2. *Vel* quia ſicuti ex una eademque radice multæ virgæ ſeu baculi prodeunt: ita ex uno Iſraële duodecim tribus exiere. Num. 2. v. 5. *Juxta eum* (Judam) *caſtra metati ſunt* מַטֵּה *baculus*, id eſt, *tribus Iſſachar.* Vulg. *de tribu Iſſachar.* In Heb. verbum aut potius participium plurale eſt, nomen vero ſingulare; quia nomen iſtud, utpote *tribum* ſignificans, eſt collectivum. Vide tom. I. pag. 550. can. III. & pag. 557. can. I. Vide etiam v. 7. & ſeqq. Joſ. 20. v. 9. &c. Ubi autem *baculus* pro rege vel imperio ponitur, ſynecdoche eſt partis pro toto, nempe baculi pro ſceptro, quod & ipſum per metonymiam ſignum eſt pro ſignato, nempe rege, &c. Vide ſupra pag. 57. §. VI.

BRAVIUM, victoriæ in curſu, aut certamine alio reportatæ præmium, pro fidei, pietatis, ac bonorum operum mercede, quæ eſt vita æterna, accipitur. 1. Cor. 9. v. 24. *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt; omnes quidem currunt: ſed unus accipit bravium? ſic currite* (vitæ Chriſtianæ ſtadium) *ut comprehendatis* illud vitæ æternæ bravium ſive præmium. Vide etiam Philip. 3. v. 14.

Vice verſa, καταβραβεύειν ſignificat alteri bravium præripere. Coloſſ. 2. v. 18. *Nemo vos* καταβραβευέτω, Vulg. *ſeducat*, S. Hieron. epiſt. ad Algaſiam, tom. 4. nov. edit. part. 1. col. 204. *Superet, id eſt*, inquit S. Doctor, *nemo adverſum vos bravium accipiat; hoc enim Græce dicitur* καταβραβευέτω, *quando quis in certamine poſitus, iniquitate agonothetæ, vel inſidiis magiſtrorum*, βραβεῖον *& palmam ſibi debitam perdit.*

CALCULUS ALBUS gloriam cœleſtem denotat. Apoc. 2. v. 17. *Vincenti dabo*.... *calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum*, &c. Sumta eſt metaphora *vel* à more veterum, qui dies felices albis lapillis, infelices vero nigris notabant. Vel à lapillis albis, quibus utebantur judices ad abſolvendum, nigris vero ad condemnandum. Hinc Ovid. lib. 15. Metam. vv. 41. 42.

Mos erat antiquis, niveis atriſque lapillis
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Vel à *calculo albo*, quem βραβευταὶ, *certaminum moderatores* dabant victori, in quo & ipsius nomen, & præmium scripta erant. Vide Hammond. in h. l.

CALIX, POCULUM; &c. quia tam jucundi, quam amari potus recipiendi est capax; sortem sive conditionem tam prosperam quam adversam, atque ita tum beneficia Dei & exortam inde lætitiam, tum pœnas & supplicia denotat.

Beneficia Divina, Psal. 15. Heb. 16. v. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*, i. pars mea omnimoda præclarissima, & optima. Vide etiam Psal. 22. Heb. 23. v. 5. Psal. 115. Heb. 116. v. 13. & tom. I. p. 485. can. III.

Pœnas à Deo inflictas, Psal. 10. Heb. 11. v. 6. *Spiritus procellarum, pars calicis eorum*, h. e. pars eorum omnimoda, ut supra. Vide etiam Psal. 74. Heb. 75. v. 9. Isai. 51. vv. 17. 22. Thren. 4. v. 21. Jerem. 25. v. 15. cap. 51. v. 7. Ezech. 23. vv. 33. 34. Matth. 20. vv. 22. 23. c. 26. vv. 39. 42. Apoc. 14. v. 10.

CHIROGRAPHUM decreti è medio sublatum & cruci affixum, cum ceremoniarum Legis Mosaïcæ abrogationem, tum peccatorum veniam, quam morte sua nobis promeritus est Christus, significat. Coloss. 2. v. 13. *Et vos, cum mortui essetis in delictis .... convivificavit* (Deus) *cum illo* (Christo), *donans vobis omnia delicta*. Vers. 14. *Delens quod adversum nos erat chirographum decreti*, vel *decretorum*, (h. e. rituum legalium, ad quorum observationem ex compacto, quod hîc est chirographum, sese adstrinxerant Judæi) *quod erat contrarium nobis*, (cum nos reos coram Deo ob violatam legem ostenderet) *& ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*. Hinc concludit Apostolus, v. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi*, i. in negotio festorum, &c.

CORONA accipitur

1°. In genere, pro quolibet ornamento & commodo. Prov. 17. v. 6. *Corona* (i. gloria) *senum, filii filiorum: & gloria filiorum, patres eorum*. Vide etiam c. 4. v. 9. Jerem. 13. v. 18. Philip. 4. v. 1. 1. Thess. 2. v. 19. Unde *coronare* pro ornare, beneficiis afficere, & lætificare usurpatur. Psal. 5. v. 13. *Ut scuto bonæ voluntate coronabis eum* (Justum). Sic Aq. στεφανώσεις αὐτόν, S. Hieron. *coronabis eum*. LXX. ὡς ὅπλῳ εὐδοκίας ἐστεφάνωσας ἡμᾶς, *ut armis bonæ voluntatis coronasti nos*. Vulg. Lat. *ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Vocem רָצוֹן, quanvis in forma absoluta, in statu regiminis accipiebant, quod nonnunquam fieri ostendimus in tom. I. pagg. 121. 122. Pronomen vero affixum נּוּ tam *eum*, quam *nos*, pro diversis punctis vocalibus prævìis significat. Denique Vulg. Lat. post voces, *bonæ voluntatis*, addidit *tuæ*; vel sensus complendi gratia, vel quia in suo codice Græco legebat εὐδοκίας σε. Vide etiam Psal. 8. v. 6. Psal. 102. Heb. 103. v. 4. Sic etiam Psal. 64. Heb. 65. v. 12. Deus dicitur *coronare annum benignitatis suæ*, i. annum floribus & frugum copia ornare; vel efficere ut abundantia inter alios annos quasi coronatus incedat.

Sic Tyrus *coronata* dicitur, Isai. 23. v. 8. *quod sicut rex inter plurimam hominum multitudinem, ornatum diademate erigit caput: ita Tyrus fulgens & excelsa opibus, auroque & gemmis & serico ac purpura nitens, regina fit in cunctis gentibus æstimata*. S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 144.

2°. In specie, Christo regi cœlesti *corona* tribuitur, Zach. 6. v. 11. *Et sumes aurum & argentum* (ab iis, qui Babylone redierunt) *& facies coronas* (duas, alteram auream, argenteam alteram), *& pones in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni*, qui Jesus figura erat Christi regis & Sacerdotis; quapropter duplici corona donatur. Vers. 12. *Et loqueris ad eum, dicens: ecce vir oriens nomen ejus* (Messiæ epitheton), *& subter eum*, vel *à se ipso orietur*, (non vero ab homine patre) *& ædificabit templum Domino*, nempe Ecclesiam. Vers. 13.... *& consilium pacis erit inter illos duos*, Judæos & Gentiles, qui per Christum in unum populum coaluere. Vide etiam Psal. 8. v. 6. Heb. 2. vv. 7. 9. &c.

3°. Specialissime, de præmio cœlesti, seu vita æterna accipitur *corona*, quæ fidelibus mundi, carnis, & Diaboli victoribus post hanc vitam à Deo tribuitur, sicut olim victores in certaminibus coronabantur. Vide 1. Cor. 9. v. 25. 2. Tim. 2. v. 5. c. 4. v. 8. Jac. 1.

v. 12. 1. Pet. 5. v. 4. Apoc. 2. v. 10. c. 3. v. 11.

DIVITIÆ, DIVES, usurpantur

1°. Pro rerum spiritualium copia, & pro bonis illis cœlestibus, quæ morte sua Christus nobis acquisivit. Isai. 53. v. 9. *Et dabit* (Christus) *impios pro sepultura*, (h. e. Gentiles, quorum hîc ad fidem conversio prænuntiatur, quique *improbi* seu *iniqui* vocantur, Act. 2. v. 23. & *peccatores*, Gal. 2. v. 15.) *& divitem pro morte sua*, i. mors ejus homines spiritualium bonorum divites efficiet. Huic interpretationi favet versus sequens: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Vide aliam versiculi hujus expositionem in tom. I. p. 454. col. 2. Vide insuper Luc. 12. v. 21. 1. Cor. 1. v. 5. 2. Cor. 6. v. 10. cap. 8. v. 9. Heb. 10. v. 34. c. 11. v. 26. Coloss. 2. v. 2. Jac. 2. v. 5. Apoc. 3. v. 18. &c.

2°. Pro copiosa Gentium ad regnum Christi conversione. Rom. 11. v. 12. *Quod si delictum illorum* (Judæorum) *divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, divitiæ sunt gentium: quanto magis plenitudo eorum?* h. e. quod si, qui ex Judæis ob incredulitatis suæ delictum reprobati sunt, Gentiles in eorum locum subrogatos bonis cœlestibus ditavere; dum illis rejectis, hi maximo numero ad Christi Ecclesiam vocati sunt, in eosque dona spiritualia Judæis destinata, collata sunt: quanto magis plenitudo Judæorum mundum ditabit; cum videlicet sub mundi finem ad Christum, maximam sui partem, conversi; Gentiles, qui nondum Christo nomen dederint, ad eandem in Christum servatorem nostrum fidem amplectendam & doctrina & exemplo provocabunt suo.

THESAURI spiritualium quoque bonorum copiam denotant. Isai. 33. v. 6. *Timor Domini ipse est thesaurus ejus* (Ecclesiæ). Vide etiam Matth. 6. v. 20. cap. 19. v. 21. Marc. 10. v. 21. Luc. 12. v. 33. c. 18. v. 22. 2. Cor. 4. v. 7.

Alias, thesauri rerum quarumlibet sive bonarum, sive malarum promptuaria & receptacula innuunt. Vide Psal. 134. Heb. 135. v. 7. Job. 38. v. 22. Matth. 12. v. 35. Luc. 6. v. 45. Unde *thesaurizare* significat congerere & accumulare, Rom. 2. v. 5. 1. Tim. 6. v. 19. & reservare, 2. Pet. 3. v. 7.

HÆREDITAS ad æterna ac cœlestia bona metaphorice transfertur. Act. 20. v. 32. *Et nunc commendo vos Deo... qui potens est dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.* Vide etiam Eph. 1. vv. 14. 18. Coloss. 3. v. 24. Heb. 9. v. 15. 1. Pet. 1. v. 4. Unde sanctificati illi, sive credentes, *hæredes Dei, christique cohæredes* appellantur, Rom. 8. v. 17. Gal. 4. v. 7. Tit. 3. v. 7. Heb. 6. v. 17. Jac. 2. v. 5. 1. Pet. 3. v. 7. Hanc vero denominationem consequuntur ob regenerationem Divinam, qua filii Dei, ac proinde hæredes, constituuntur. Sic hæreditare regnum Dei, vel vitam æternam, est illius participem fieri. Matth. 25. v. 34. *Venite, benedicti patris mei*, κληρονομήσατε *hæreditario jure possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Vide etiam 1. Cor. 6. vv. 9. 10. cap. 15. v. 50. Heb. 1. v. 14. 1. Pet. 3. v. 9. Apoc. 21. v. 7. &c.

Longe alia ratione Christus à Patre *hæres universorum constitutus est*, Heb. 1. vv. 2. 4. 6. Cum enim sit natura, non adoptione, Dei filius, & Deus ipse; universa ad eum jure naturæ pertinent; unde sequitur: *per quem fecit & sæcula.*

Divitiis, thesauris, & hæreditati opponitur *paupertas* sive *mendicitas*, qua *tum* bonorum spiritualium privatio innuitur, Apoc. 3. v. 17. *Quia dicis: dives sum... nescis quia tu es miser & miserabilis*, &c. *Tum* humilitas, vera pœnitentia, & cordis in agnitione miseriæ contritio significantur. Luc. 4. v. 18. *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.* Vide etiam c. 6. v. 20. Matth. 5. v. 3. ubi *pauperes spiritu* ii sunt vel quibus cordi non sunt divitiæ, vel qui cum revera sint pauperes, paupertatem tamen amant suam. Vide etiam c. 11. v. 5.

Divitiis etiam opponitur quodammodo *debitum*, quo peccata significantur, quæ obligant ad pœnam, nosque coram Deo reos & pœnis dignos efficiunt, sicuti æs alienum obæratos facit obnoxios creditori. Matth. 6. v. 12. *Dimitte nobis debita nostra* (Luc. 11. v. 4. *peccata nostra*) &c. Vide etiam c. 13. v. 4. & conf. parabolas Christi, Matth. 5. v. 26. c. 18. v. 23. seqq. Luc. 7. vv. 41. 42. 47. & *Chirographi* appellationem, de qua in pag. præced.

FLAGELLUM significat afflictionem, damnum, plagam, & calamitatem quamlibet. Jos. 23. v. 13. *Scitote, quod Dominus Deus vester non eas* (gentes) *deleat ante faciem vestram, sed erunt vobis in foveam ac laqueum,* וּלְשֹׁטֵט *& in flagellum in lateribus vestris,* &c. Vulg. *in offendiculum ex latere vestro.* Vide etiam 3. Reg. 12. vv. 11. 14. Job. 5. v. 21. c. 9. v. 23. Isai. 10. v. 25. c. 28. v. 18. Marc. 3. v. 10. c. 5. vv. 29. 34. Luc. 7. v. 21. Heb. 12. v. 6.

MALLEUS *universæ terræ* dicitur rex Babylonis, Jerem. 50. v. 23. quod tunc temporis eo, tanquam malleo, ad conterenda totius orbis regna Deus uteretur. Vide etiam c. 51. v. 20. & supra pag. 90. col. 2.

MENSA sumta metaphorice, bona spiritualia, ac præsertim Divinam Eucharistiam & verbum Evangelicum, in quibus ista offeruntur, denotat. Psal. 22. Heb. 23. v. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Vide etiam Psal. 68. Heb. 69. v. 23. Prov. 9. v. 2. Rom. 11. v. 9. Quibus etiam in locis est metonymia, qua mensa pro cibis in ea appositis usurpatur.

MENSURA, quia partem de integro cumulo decisam continet, usurpatur

1°. De diversis donorum Spiritus Sancti portionibus, quæ credentibus obveniunt. Rom. 12. v. 3. *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Vide etiam Eph. 4. vv. 7. 16. Unde Joan. 3. v. 34. de Christo dicitur, quod ei *non ad mensuram dat Deus Spiritum*, cum in *ipso inhabitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (Coloss. 2. v. 9.) proindeque Spiritus Sancti. Quid hic significet *corporaliter*, vide supra pag. 65. col. 2.

2°. Quia implenda est mensura cum aliquid cedit aut venditur alteri; ea *tum* in bonum, nempe de larga remuneratione in cœlo à piis exspectanda, ob beneficia proximo præstita, accipitur, Luc. 6. v. 38. *Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*, i. mensura bona, &c. vobis dabitur. *Tum* in malum, scilicet de improbitatis & peccatorum abundantia & termino, quo completo, ultio Divina, & gravissima pœna consequitur. Matth. 23. v. 32. *Et vos implete mensuram* (peccatorum) *patrum vestrorum.* Permissiva simul & ironica Christi ad Judæos loquutio; q. d. quod deest patrum vestrorum crudelitati, hoc implete. Illi prophetas occiderunt, vos eum, quem prophetæ prædixerunt, occidite. Vide Erasm. in h. l.

3°. Quia in donatione & redditione æqualis est proportio: ita vox *mensuræ* in proverbiali sententia usurpatur, Luc. 6. v. 38. *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Vide Matth. 7. v. 2. Marc. 4. v. 24. Adagium istud, quod apud Hebræos tritum erat, sic legitur in tract. Sanhedrin, cap. II. fol. 100. pag. 1. in fine: בְּמִדָּה שֶׁאָדָם מוֹדֵד בָּהּ מוֹדְדִין לוֹ *qua mensura metitur homo, eadem metientur & illi.*

NOVACULA CONDUCTA vocatur rex Babylonis, Isai. 7. v. 20. quo Deus utitur ad omnia expilanda, exhaurienda, & disperdenda in regno Israëlis à summo ad imum; quod per *caput & pilos pedum & barbam* intelligitur. Novacula illa dicitur *conducta*, quia Achaz magna mercede Assyrium ad suppetias sibi contra Syros ferendas conduxerat, 4. Reg. 16. vv. 7. 8. Vide supra pag. 81. col. 1. pag. 110. col. 2.

OLLA LOTIONIS sive POLLUBRUM dicitur Moab, quo despectus & abjectio denotantur. Psal. 59. Heb. 60. v. 10. מוֹאָב סִיר רַחְצִי, Aq. Μωὰβ λέβης λουτροῦ μου, S. Hieron. *Moab lebes lavacri mei.* Syr. Μωὰβ κάδος τῆς πλύσεώς μου, *Moab cadus lotionis meæ.* Symm. Μωὰβ λέβης ἀμεριμνίας μου, *Moab lebes securitatis meæ.* Lxx. Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου, Vulg. Lat. *Moab olla spei meæ.* Sym. & Lxx. respexerunt ad significationem Chaldaïcam verbi רְחַץ, quod in hac dialecto, & forte etiam olim in Hebraïca, *sperare, confidere* significat. *Moab olla spei meæ erit*, inquit Psaltes, h. e. spero, confido fore ut Moabitas ditioni meæ subjiciam, & ad infimam servitutem redigam; quasi essent olla, in qua pedes meos lavare soleo; atque ita conciliari potest. Lxx & Symm. versio cum Hebræo textu: *Moab olla lotionis meæ.* Confer 2. Reg. 8. v. 2. ubi David Moabitas percussisse, ac in servitutem redegisse dicitur.

ONUS significat

1°. Quævis molesta & difficilia. Exod. 6. v. 6. *Ego Dominus, qui eduxi vos de* סִבְלֹת *oneribus Ægyptiorum*, h. e. de labore ac molestia, quibus opprimebant vos Ægyptii. Vulg. de *ergastulo Ægyptiorum.* Vide etiam Psal. 54. Heb. 55. v. 23. Isai. 9. v. 4. cap. 10. v. 27. c. 14. v. 25. Matth. 23. v. 4.

2°. *Vel* Legem Christi, & cultum spiritualem, quem substituit in locum Mosaici, duri ac gravis illius jugi, de quo Act. 15. v. 10. *Vel* etiam cruces, quas Deus perferendas piis imponit. Matth. 11. v. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Quem locum sic explicat Aug. in Psal. 59. tom. 4. nov. edit. col. 581. *Alia sarcina premit & aggravat te: Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam & avi si pennas detrahas, quasi onus tollis; & quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet: non volat, quia tulisti onus. Redeat onus, & volat*, &c.

3°. Prophetiam pœnas divinas denuntiantem. Isai. 13. v. 1. *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos*, id est, prophetia onerosa.

Ibid. c. 19. v. 1. מַשָּׂא מִצְרָיִם *onus Ægypti.* Aq. ἄρμα Αἰγύπτου, *pondus* sive *onus Ægypti.* Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 181. *Ubi in Hebræo scriptum est MASSA MESRAIM, quod nos interpretati sumus* onus, *vel* pondus Ægypti; *pro quo Aquila transtulit* ἄρμα Αἰγύπτου, *possimus dicere ab eo, quod tollat propheta & portet jugum Domini, eum exstitisse condignum, qui prophetiam Ægypti cerneret* sive *portaret.* In editis pro ἄρμα hic legitur ὅραμα, quod mendum esse patet; nam Aquila, quem hic laudat Hieronymus, מַשָּׂא ubique interpretatur ἄρμα *pondus*, ut Prov. 31. v. 1. Isai. 21. v. 13. cap. 23. v. 1. &c. Præterea antiquissimus codex noster mss. Sangermanensis habet characteribus Latinis *arma.* Denique ipse Hieronymi contextus hanc etiam lectionem videtur postulare; cum enim ait S. Doctor prophetam *exstitisse condignum, qui prophetiam Ægypti* cerneret, *sive* portaret: per verbum *cerneret*, Lxx. versionem, quæ est ὅρασις *visio*; per verbum autem *portaret*, suam & Aquilæ interpretationem designat. Vide Hexapl. D. Bernardi *de Montfaucon*, tom. II. pag. 120. col. 1. Sym. & Theod. interpretantur λῆμμα *assumtionem*; quia verbum Hebraïcum נָשָׂא, unde מַשָּׂא, & *portare* & *assumere* significat.

PALUS [σκόλοψ] sive *stimulus carnis, angelus Satanæ*, qui, Deo permittente, S. Paulo *datus est, ut eum colaphizaret*, 2. Cor. 12. v. 7. motus libidinis, qui S. Apostolum quanvis saltem quinquagenarium, multisque vigiliis, jejuniis, peregrinationibus, &c. attritum stimulabant, innuit, secundum Augustinum, aliosque SS. Patres non paucos. Confer Rom. 7. v. 23.

PERPENDICULUM, REGULA, FUNICULUS, ædificationis recte peragendæ instrumentum, metaphorice etiam destructionem significat; architecti enim, quod perditum ac dejectum volunt, signant linea ad amussim sive regulam ducta. Hinc *funiculo metiri, funiculum extendere*, &c. solo æquare significat. 2. Reg. 8. v. 2. *Et percussit* (David) *Moabitas, & mensus est eos funiculo, coæquans terræ*, &c.

4. Reg. 21. v. 13. *Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus* sive *perpendiculum domus Achab*, &c. h. e. funditus evertam Jerusalem, sicuti destruxi Samariam & domum Achab. Vide etiam Isai. 34. v. 11. Thren. 2. v. 8.

Vox eadem de justitia ac judicio Dei usurpata, ejus veritatem, & ἀκρίβειαν denotat. Isai. 28. v. 17. *Ponam in pondere judicium, & justitiam in mensura*, h. e. justitiam & judicium certissime & accuratissime Messiæ temporibus exercebo.

Denique *lineam* sive *regulam* cœlis tributam, Psal. 18. Heb. 19. v. 4. al. 5. vide supra pag. 107. col. 1.

PILA, MORTARIUM, metaphorice significat

1°. Cavernam illam, cui dens in maxilla infigitur, quam à similitudine Latini *mortariolum* dixerunt. Jud. 15. v. 19. *Aperuit itaque Dominus* מַכְתֵּשׁ *mortarium, quod est in maxilla*, &c. Vulg. *molarem dentem in maxilla.*

2°. Jerusalem, vel illius locum aliquem cavum & profundum, in quo Judæi, tan-

quam in mortario, à Chaldæis erant contundendi. Soph. 1. v. 11. *Ululatæ habitores* מַכְתֵּשׁ, Vulg. *pilæ*. Lxx. θρηνήσατε οἱ κατοικοῦντες τὴν κατακεκομμένην, *plangite qui habitatis concisam* (Jerusalem). Aq. teste S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 1651. & Sym. ex cod. Barberino, מַכְתֵּשׁ interpretati sunt εἰς τὸν ὅλμον, *in mortarium*, vel *in mortario*. Theod. secundum eundem cod. Barberinum, ἐν τῷ βάθει, *in profundo*. Quidam nomen istud proprium esse volunt. Vide tom. I. pag. 451. col. 1.

PONDUS adhibetur

1°. Ad magnitudinem gloriæ cœlestis denotandam. 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, h. e. momentanea & levis tribulatio in hac vita patienter tolerata, solidam ac in æternum duraturam nobis gloriam acquiret. Ratio metaphoræ est, quod, quæ graviora sunt, ea solidiora ac diutius permansura deprehendantur. Hinc *gloria* Hebraice dicitur כָּבוֹד à *gravitate*.

2°. Et sæpius quidem, molestias, sortemque difficiliorem indicat. Matth. 20. v. 12. *Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus.* Vide etiam Act. 15. v. 28. 1. Thess. 2. v. 6. Apoc. 2. v. 24. Sensum eundem habet adjectivum βαρὺς *gravis, ponderosus*, Matth. 23. vv. 4. 23. Act. 20. v. 29. c. 25. v. 7. 2. Cor. 10. v. 10. 1. Joan. 5. v. 3. & verbum βαρέεσθαι *gravari*, 2. Cor. 1. v. 8. c. 5. v. 4. 1. Tim. 5. v. 16. Confer Prov. 27. v. 3.

Heb. 12. v. 1. Peccatum dicitur etiam *pondus*, quod, cum in stadio virtutis currentes gravet ac impediat, deponi jubet Apostolus. *Ideoque ... deponentes omne pondus, & (id est) circumstans peccatum, per patientiam curramus certamen*, i. curramus ut præmium certaminis sive cursus, nempe cœlestem gloriam, assequamur. Conjunctio & hic recte exponitur *id est*, quam significationem interdum obtinet. Vide tom. I. pag. 614. col. 1.

ROTA moderatum ac prudentem sermonem significat, Prov. 25. v. 11. *Mala* sive *poma aurea in lectis* seu *thecis argenteis, verbum dictum* עַל אָפְנָיו *super rotas suas*. Vulg. *qui loquitur verbum in tempore suo*. Voces בְּמַשְׂכִּיּוֹת כָּסֶף *in lectis* seu *thecis argenteis*, Symm. & Theod. interpretantur, ἐν περιβλέπτοις ἀργυρίου, *in spectabilibus argenti*, h. e. in thecis perforatis, ut aurum, quod intrinsecus est, conspiciatur. Sensus est: quemadmodum poma aurea thecis argenteis & undequaque perforatis inclusa, oculos mirum in modum delectant: ita sermo tempestive prolatus aures jucundissime demulcet. Rotarum autem metaphora ab auriga desumitur, qui pro locorum circumstantiis, rotæ cursum industrie moderatur.

Vox eadem pœnam talionis inflictam notat, Prov. 20. v. 26. *Dissipat impios rex sapiens, & incurvat*, vel *redire facit super eos* אוֹפָן Lxx. τροχὸν *rotam*. Vulg. *fornicem*. In eo metaphora fundatur, quod sicut rota in circumvolutione ad idem redit: ita malum in suum auctorem revertitur.

Jac. 3. v. 6. *Rota nativitatis*, vitæ cursum significat.

Orbita rotæ decurrentis vestigium, significat *tum* rectam informationem & doctrinam, ad quam vita instituitur: quemadmodum rota certam in decurrendo super orbita rationem tenet. Psal. 16. Heb. 17. v. 5. *Perfice gressus meos in orbitis tuis*, Vulg. *in semitis tuis*, i. fac ut vitam meam ad præcepta tua exigam; vel fac ut in præceptis tuis gressu firmo ambulem. Vide etiam Psal. 22. Heb. 23. v. 3. Prov. 2. v. 9. *Tum* quanvis actuum institutionem, Prov. 5. v. 21. *Respicit Dominus vias hominis; & omnes orbitas* (Vulg. *gressus*) *ejus considerat*, h. e. omnes ejus actiones. Vide etiam Isai. 26. v. 7. c. 59. v. 8.

Denique Heb. 12. v. 13. *orbitas* sive *gressus suos rectos facere pedibus suis*, rectum vitæ cursum ad Legis Divinæ normam exigere, atque bono vitæ exemplo aliis præire significat.

SIGILLUM, seu SIGNACULUM, rei alicujus confirmationem vel auctoritate certa, vel testimonio vero factam denotat. Rom. 4. v. 11. *Et signum accepit* (Abraham) *circumcisionis*, vel *circumcisionem* (quidam enim codices habent περιτομήν, vide D. Mill. pag. 341.)

41.) *signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*, h. e. confirmationem fidei, quam (fidem) in præputio habuerat. Vide etiam 1. Cor. 9. v. 2. 2. Tim. 2. v. 19. Unde verbum

SIGNARE, OBSIGNARE, significat confirmare, ratum facere, vel testimonio, vel reipsa. Joan. 3. v. 33. *Qui accepit ejus* (Christi) *testimonium, signavit, quia verax est Deus*, i. quasi sigillo apposito, Deum esse veracem declaravit.

Ibid. cap. 6. v. 27. *Hunc enim* (filium hominis) *pater signavit Deus*, h. e. auctoritate sua & testimonio comprobavit suum esse filium. Aliam loci hujus explicationem vide supra in Anthropopatheia, pag. 82. col. 1.

Præterea, idem verbum significat

1°. Fideliter committere & deponere. Rom. 15. v. 28. *Hoc igitur cum consummavero, & σφραγισάμενος signavero*, vel *assignavero eis* (pauperibus sanctorum, qui sunt in Jerusalem) *fructum hunc*, &c.

2°. Occludere & prohibere; quæ enim obsignantur, à prospectu vel lectione aliorum removentur. Vide 2. Cor. cap. 11. v. 10. Rom. 3. v. 19. Heb. 11. v. 33. Verum his in locis pro σφραγίζω *signo*, libri accuratiores cum mss. tum editi, habent φράσσω *obstruo*. Vide D. Mill. pag. 420.

3°. De sermone usurpatum, abscondere & occultare significat. Dan. 8. v. 26. *Tu ergo visionem σφράγισον signa*, Heb. סְתֹם *claude, occulta*. Vide c. 12. v. 4. Apoc. 10. v. 4. c. 22. v. 10. Item complere; sicut enim sigillum confirmatio scripti est, cui appenditur: ita complementum vaticiniorum, est eorumdem confirmatio & quasi sigillum. Dan. 9. v. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt* .... לַחְתֹּם חָזוֹן *ad signandam visionem*, i. *ut impleatur visio*, Vulg.

SORS metaphorice sumitur

1°. Pro bono spirituali. Act. 8. v. 21. *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*, vel potius in hac re, nimirum in receptione & collatione Spiritus Sancti; λόγος enim Græcorum, sicut & דָּבָר Hebræorum, pro *re* vel *negotio* interdum usurpatur. Vide insuper cap. 26. v. 18. Coloss. 1. v. 12. Ephes. 1. v. 11.

2°. Pro Ecclesia, quæ Dei quasi hæreditas est; sors enim metonymice pro hæreditate, cujus distributio sorte fiebat, nonnunquam usurpatur. 1. Pet. 5. v. 3. *Neque ut dominantes in sortibus*, Vulg. *cleris*, h. e. in Ecclesia, vel ejus portione, quæ regenda vobis obtigit. Sic in Vet. Testam. populus Dei vocatur *hæreditas Domini*, 2. Reg. 21. v. 3. Psal. 32. Heb. 33. v. 12. Psal. 73. Heb. 74. v. 2.

3°. Pro pœnis Divinitus immissis. Isai. 17. v. 14. *Hæc est pars eorum, qui vastaverunt nos, & sors diripientium nos.* Vide etiam Jerem. 13. v. 25. &c.

SPECULUM ejusque inspectio, cognitionis mysteriorum Dei imperfectionem in hac vita denotat. Quemadmodum enim res corporeas imperfecte aspicit, qui earum tantum imagines in speculo intuetur: sic in hoc sæculo tenuem quandam Dei & mysteriorum ejus cognitionem duntaxat habemus, si cum perfectissima illa vitæ æternæ sapientia conferatur. 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, &c. i. imperfecte & obscure; ænigma enim sermo obscurus est, & captu explicatuque difficilis. Alia ratione *speculi* metaphoram adhibet idem Apost. 2. Cor. 3. v. 18. *Nos vero omnes* (verbi Evangelici præcones) *revelata facie*, (non velata, quemadmodum olim Moyses populum alloquebatur) *gloriam Domini κατοπτριζόμενοι instar speculi recipientes* (Vulg. *contemplantes*), *in eandem imaginem transformamur* (sicuti imago in speculo, forma quodammodo speculi est) *à claritate in claritatem* (crescentes), *ὡς quasi*, id est, *nempe à Domini Spiritu*, vel per Dominum, qui Spiritus est, ac gloriæ seu claritatis nostræ origo. Hujus itaque versiculi is sensus est: nos vero omnes Evangelii ministri, revelata facie gloriam Domini, h. e. salutis nostræ mysteriorum, in quibus gloria Domini potissimum elucet, notitiam quasi speculum recipientes, ac in eandem transformati, i. ea plane imbuti, illam in alios refundimus, crescentes & ipsi ac euntes de claritate in claritatem per Domini Spiritus illuminationem.

SPOLIA hostibus erepta ac divisa, spiritualem Christi adversus Diabolos victoriam significant. Isai. 53. v. 12. *Ideo dispertiam ei*

(Christo) *plurimos* (Judæos & Gentiles, ex quibus componitur Ecclesia), *& fortium dividet spolia*, &c. h. e. Diaboli & mortis. Vide etiam Luc. 11. v. 22. Coloss. 2. v. 15. quo in ultimo loco ἀπεκδύειν *exspoliare, victoriam reportare* significat.

Jerem. 21. v. 9. *Animam esse alicui quasi spolium*, ex præsentissimo mortis periculo Divinitus eripi denotat; qui enim spolia reportat, is prius mortis periculo se commisit. Vide etiam c. 38. v. 2. c. 39. v. 18. c. 45. v. 5.

STIPENDIUM, quod militibus dari consueverat, peccati mercedem, quæ est mors æterna, significat. Rom. 6. v. 23. *Stipendia enim peccati, mors; gratia autem Dei, vita æterna*, &c. h. e. bonorum autem operum, quæ per Dei gratiam exercentur, merces est vita æterna.

TABULA de corde usurpatur, dum infixum ipsi quippiam innuitur. Prov. 3. v. 3. *Describe* (misericordiam & veritatem) *in tabulis cordis tui.* Metaphora desumitur ex tabulis, in quibus olim scribebatur. Vide insuper Jerem. 17. v. 1.

TEGMEN, INVOLUCRUM, &c. de rerum Divinarum ignorantia quandoque accipitur. Isai. 25. v. 7. *Et præcipitabit* (Dominus) *in monte hoc* (Sion) פְּנֵי־הַלּוֹט הַלּוֹט עַל־כָּל־הָעַמִּים וְהַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה עַל־כָּל־הַגּוֹיִם *faciem operimenti operimenti* (i. multiplicis operimenti), *quod est super omnes populos; & operimentum expansum super omnes nationes*, h. e. Deus subito auferet in monte hoc velum, quod positum est super cor omnium populorum, quodque impedit quominus Evangelii lucem intueantur. Qua metaphora Judæorum & Gentium ad Christi fidem conversio designatur. Vide 2. Cor. c. 3. vv. 14. 15. 16. Pro *faciem operimenti*, Aq. & Theod. interpretantur, πρόσωπον τῆς σκοτίας, *faciem tenebrarum*. Vulg. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam* (i. velum), *quam orditus est super omnes nationes.* Pro ultimo הַלּוֹט videtur legisse הָלוּט in paoúl qál, vide tom. I. pag. 250. col. 1. Qimhhi tamen in lib. Rad. ad idem participium refert istud הָלוּט, scribitque ו positum esse pro ו. Vel sensum hîc respexit Vulg. operimentum enim sive vinculum multiplex idem fere est ac vinculum colligatum.

Thren. 3. v. 65. מְגִנַּת־לֵב *operimentum cordis*, obdurationem ejus significat; quod *traditionem in reprobum sensum* vocat Apost. Rom. 1. v. 28. Confer Deut. 28. vv. 28. 29. Psal. 68. Heb. 69. v. 24. Rom. 11. vv. 8. 10.

TORQUES usurpatur

1°. De sapientiæ cœlestis pulchritudine & eximia utilitate. Prov. 1. v. 8. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ?* Vers. 9. *ut addatur gratia* (i. corona) *capiti tuo, & torques collo tuo*, h. e. ut honoratissimus ab omnibus habearis.

2°. De superbiæ ostentatione. Psal. 72. Heb. 73. v. 6. *Ideo tenuit eos superbia*, Heb. עֲנָקַתְמוֹ quasi *torque cingit eos* (impios) *superbia*, h. e. de superbia sua tanquam de torque vel monili gloriantur.

VAGINA corpus designat, quod idem est animæ, ac vagina gladio. Dan. 7. v. 15. *Horruit* vel *transfixus est spiritus meus* ... בְּגוֹ נִדְנֶה *in media vagina*, i. in medio corpore, quod Tertulliano, lib. de resurrect. carnis, cap. 9. pag. 330. edit. Paris. 1664. dicitur *afflatus Dei vagina.* Hanc metaphoram videre est etiam apud Plin. l. 7. cap. 52. tom. 2. pag. 85. edit. Hard. in 4°. in historia Hermotimi Clazomenii. LXX. ἐν τῇ ἕξει μου, *in habitu meo.* Vulg. *territus sum in his*, pro נִדְנֶה legisse videtur נִדְמֵה Heb. *excîsus, succîsus* sum, à verbo דָּמָה.

VAS metaphorice quoque de corpore humano accipitur. 1. Reg. 21. v. 5. *Et fuerunt vasa* (h. e. corpora) *puerorum tuorum sancta. Porro* (si) *via hæc polluta est*, (hoc est, si legalem aliquam impuritatem in itinere isto contraximus) *sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis*, id est, corporibus; proindeque panes propositionis comedere poterimus. Vide etiam 1. Thess. 4. v. 4.

2. Cor. 4. v. 7. *Vasa fictilia* vocat se & collegas suos Apostolus, ob contemtum, ignominiam, pericula, &c. quibus erant obnoxii: quemadmodum vas fictile præ aureis & argenteis contemnitur, ac facile frangitur.

1. Pet. 3. v. 7. Mulier dicitur *vasculum infirmius*, idque ratione tum corporis, tum animi.

Act. 9. v. 15. Paulus appellatur *vas electionis*, h. e. instrumentum præstantissimum, quo ad gentes convertendas Deus uti volebat.

Rom. 9. vv. 22. 23. Electi, quos Deus misericordia sua ad gloriam vocat, dicuntur *vasa misericordiæ*, reprobi autem, quos ob peccata rejicit & damnat, *vasa iræ* appellantur. Confer 2. Tim. 2. vv. 20. 21.

Velum, seu operimentum, munitiones & propugnacula, quibus Judæa quasi velo operiebatur, denotat; & *illud retegere*, est civitates illas munitas expugnare. Isai. 22. v. 8. *Et revelabitur operimentum Judæ*, hoc est, loca, quæ Judæam tegebant, capientur.

Vestimentum, quo corpus tegitur, munitur, & ornatur; de re spirituali intellectum, & metaphorice acceptum, beneficiorum Christi collationem denotat, quibus animæ nuditas operitur, ipsa contra peccati frigus ex charitatis absentia profectum defenditur, & ut Dei oculis placeat, ornatur. Isai. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino .... quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me.* Vide etiam Apoc. 3. v. 18. c. 7. v. 14. c. 16. v. 15. Confer Matth. 22. vv. 11. 12. Luc. 15. v. 22. Apoc. 7. vv. 13. 14. c. 19. v. 8. c. 21. v. 2. Spirituali illi vestimento opponitur *tunica maculata*, Jud. v. 23. & *vestium inquinatio*, Apoc. 3. v. 4. quibus *vetus homo*, seu peccati affectus & habitus significantur.

Matth. 7. v. 15. *Vestimentis ovium*, quæ pseudo-prophetis, & falsis in Ecclesia doctoribus tribuuntur, denotatur ex Tertull. l. de præscript. c. 4. pag. 203. edit. Paris. 1664. *nominis Christiani extrinsecus superficies.* Ex S. Hieron. comment. in h. l. tom. 4. nov. edit. col. 24. significantur *omnes, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Sed specialiter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis se veste circumdare: intrinsecus vero habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt.*

Vincula & funes denotant

1°. Servitutem, oppressionem, calamitatem, & pœnas. Psal. 17. Heb. 18. v. 5. *Circumdederunt me* חֶבְלֵי־מָוֶת *funes mortis*, &c. Lxx. ὠδῖνες θανάτου *dolores mortis*, h. e. quales in morte experiuntur homines. Vox Heb. חֶבֶל & *funem* & *dolorem* significat. At prior interpretatio melius eo loci convenire videtur, tum ob verbum *circumdare*, tum ob sequens hemistichium, in quo *laqueorum* fit mentio. Vide etiam Psal. 115. Heb. 116. v. 3. Prov. 5. v. 22. Isai. 28. v. 22. c. 49. v. 9. c. 52. v. 2. c. 58. v. 6. Nah. 1. v. 13. &c.

2°. Obedientiam ob fœdus initum debitam. Jerem. 2. v. 20. Vulg. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea*, &c. h. e. obedientiam, & mandatorum meorum observationem, quam mihi promiseras, quæque sicuti vincula te mihi alligabant, dereliquisti. Hunc Jerem. contextum aliter legunt Massorethæ, & olim legerunt Lxx. interpretes. Heb. sic habet: כִּי מֵעוֹלָם שָׁבַרְתִּי עֻלֵּךְ, נִתַּקְתִּי מוֹסְרוֹתַיִךְ *quia à sæculo confregi jugum tuum, disrupi vincula tua*, nimirum è terra Ægypti educendo te. Lxx. ὅτι ἀπ' αἰῶνος συνέτριψας τὸν ζυγόν σου, καὶ διέσπασας (Ald. Complut. διέρρηξας) τοὺς δεσμούς σου, *quia à sæculo confregisti jugum tuum, disrupisti vincula tua.* Pro שָׁבַרְתִּי *confregi*, in prima pers. legebant שָׁבַרְתְּ *confregisti*, in secunda; & pro נִתַּקְתִּי *disrupi*, נִתַּקְתְּ *disrupisti*, in eadem secunda pers. eaque fem. (quia sermo ad Ecclesiam Judaicam dirigitur), & cum (י) utrobique nunc pleonastico, sed olim vocali *e*, vide tom. I. pag. 163. col. 2. pag. 175. col. 1. &c. Vulg. legebat cum Lxx. verba in secunda pers. sed præterea pro עֻלֵּךְ *jugum tuum*, legebat עֻלִּי *jugum meum*; & pro מוֹסְרוֹתַיִךְ *vincula tua*, מוֹסְרוֹתַי *vincula mea*; sive quod ita haberent ejus codices; sive quod proprio marte, & commodioris sensus, ut ipsi videbatur, efficiendi gratia, verba primæ personæ in secunda: & vice versa, pronomina secundæ personæ in prima transtulerit. Vide etiam Ezech. 20. v. 37. & Psal. 2. v. 3.

Ezech. 4. v. 8. *Funes imponere*, seu *vinculis circumdare* Ezechielem dicitur Deus, *tum* ut hoc signo aspectabili, decreti Divini firmitatem denotet; *tum* ut civium Jerusalem vinciendorum typum in prophetæ hujus persona exprimat. Vide etiam cap. 3. v. 25. ubi

verbum *ligabunt* impersonaliter exponendum est, *ligaberis*.

Coloss. 3. v. 14. Charitas dicitur *vinculum perfectionis*, hoc est, omnes fideles invicem perfectissime conjungens, tanquam multa unius ejusdemque corporis membra; ita ut in Christo unum sint, videlicet sententiis, animis, &c. Sic *vinculum pacis*, Ephes. 4. v. 3.

Zach. 9. v. 12. *Vincti spei* sunt, qui in captivitate & calamitatibus spem in Deum non abjecerunt; ideoque ad *munitionem*, h. e. Ecclesiam Christi tutissimum salutis asylum revocantur seu convertuntur.

Act. 20. v. 22. *Alligatum spiritu* vocat se Apostolus, i. Spiritu Sancto fortiter impulsum, quasi ad profectionem Hierosolymam injectis vinculis, illæsa tamen libertate, traheretur.

Denique *funes* & *vincula iniquitatis*, seu *mendacii* significant *cum* impiorum colligationem conspirationemque, *tum* spiritualem peccati captivitatem, & gravissimas, quæ illud comitantur sequunturque, pœnas. Isai. 5. v. 18. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* seu *nequitiæ, & quasi vinculo plaustri, peccatum*, hoc est, væ vobis, qui magno conatu ac labore, quasi plaustrum onustum traheretis, pœnas iniquitatis ac peccati vobis accersitis; iniquitas enim & peccatum nonnunquam in Scripturis pro eorum pœnis usurpantur. Vide supra pag. 37. col. 1. & conf. 2. Tim. 2. v. 25.

VIRGA castigationem quamvis denotat, Job. 21. v. 9. *Domus eorum* (impiorum) *securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.* Vide etiam Isai. 9. v. 4. 1. Cor. 4. v. 21. & supra pag. 94. col. 2. in fine.

ARTICULUS XX.

De Metaphoris à personis, locis, & ritibus sacris desumtis.

§. I.

Metaphora à personis sacris desumta.

HOMINES Deo sacri, vel *singuli* sunt, vel *conjuncti*, atque ita integer populus.

Homines singuli.

DAVID, vir secundum cor Dei, sæpe pro Messia ponitur ex ejus stirpe nascituro. Ratio autem hujusce denominationis quærenda videtur *tum* in singulari Dei favore & beneplacito, quo Davidem regem complexus est, & in quo figuram quasi & specimen amoris sui perfectissimi erga filium suum unigenitum hominibus prisci fœderis exhibuit; *tum* in regni Davidis conditione, quod typus regni Messiæ fuit, ut patet ex Isai. c. 9. v. 7. Luc. 1. vv. 32. 33. Alias rationes brevitatis causa missas facio.

Isai. 55. v. 3. *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles*, sive firmas ac stabiles; nempe salutem, quam per Christum non Israëli modo, verum etiam universo orbi exhibiturus sum. Per Davidem hîc Messiam intelligi clare asserit Qimhhi. Id etiam liquet ex versu sequenti: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Vide etiam v. 6. & Psal. 131. Heb. 132. v. 10. Jerem. 30. v. 9. Ezech. 34. vv. 23. 24. cap. 37. vv. 24. 25. Ose. 3. v. 5. In quibusdam ex his locis, scilicet Jerem. 30. & Ose. 3. Chald. Paraph. vertit, *Messias filius Davidis.*

SALOMONIS nomen mystico, sed certo ac vero sensu, Messiæ etiam tribuitur. Cant. 3. v. 11. *Egredimini & videte, filiæ Sion, regem Salomonem* (i. Christum) *in diademate* (scilicet carne humana), *quo coronavit eum mater sua* (Sanctissima Virgo) *in die desponsationis illius*, hoc est, quo naturam humanam assumsit, ac sibi desponsavit.

2. Reg. 7. v. 14. *Ego ero ei* (Salomoni, sive potius Christo) *in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quæ explicatio confirmatur Heb. 1. v. 5. Vide etiam 1. Paral. 17. v. 13. &c. Christo autem tribuitur nomen Salomonis ob eximiam regis hujus sapientiam, pacatum imperium, (Salomon enim dicitur à שלום *pax*) Templi ædificationem, &c.

ZOROBABEL, Agg. 2. v. 24. secundum quosdam interpretes, est etiam typus Christi, qui ex ejus prosapia ortus est, Matth. 1. vv. 12. 16. Sicut enim Zorobabel ex captivitate Babylonica Judæos eduxit: ita Christus ex captivitate Diabolica nos liberavit, &c.

JOANNES BAPTISTA (explicante ipso Christo) Matth. 11. v. 14. cap. 17. vv. 11. 12. 13. dicitur *Elias.* Conf. Malach. 4. v. 5. & vide tom. I. pag. 452. col. 1. ubi appellationis hujus quædam rationes afferuntur.

Ut autem à personis typicis quædam desumta Christo tribuuntur: ita vicissim à Christo ipso quædam translationes fiunt ad Ecclesiam &c. nam

1°. Ecclesia ipsa *Christus* vocatur, 1. Cor. 12. v. 12. *Sicut enim .... omnia membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita Christus*, i. Christi Ecclesia.

2°. A Christi conceptione & formatione, ad doctrinam fidei de Christo solo servatore metaphora ducitur. Gal. 4. v. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, h. e. donec accipiatis rectam fidem de Christo, qua credatis eam vobis ad salutem sufficere sine legalium observatione. Galatæ enim à falsis doctoribus seducti, existimabant fidem solam in Christum, licet etiam cum bonis operibus conjunctam, ad salutem nequaquam sufficere, sed cum ea circumcisionem, aliosque Mosaïcæ Legis ritus esse conjungendos.

3°. A Christi ætatis incremento, ad spiritualem in fide & pietate profectum, metaphorica fit translatio. Ephes. 4. v. 13. *Donec occurramus omnes* (tam Judæi quam Gentiles) *in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, h. e. donec fide adulta in Christum simus præditi. Ut enim Christus proficiebat ætate, Luc. 2. vv. 40. 52. sic in fidei, pietatis, sanctitatisque studio fideles jugiter proficere debent, *ut non sint sicut parvuli fluctuantes*, &c. v. 14.

4°. Crucifixione, morte, & sepultura Christi, credentium renovatio significatur. Rom. 6. v. 4. *Consepulti enim sumus cum illo* (Christo) *per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Vide etiam vv. 5. 6. Gal. 2. v. 20. Coloss. 2. v. 12.

Gal. 5. v. 25. *Crucifigere carnem*, est concupiscentias carnis pravas edomare, ac spiritui subjicere; quod non sine acerbo veteris hominis dolore fit, haud secus ac si cruci affigeretur.

Ibid. c. 6. v. 14. *Mundus Paulo crucifixus dicitur, & Paulus mundo*, qua phrasi metaphorica indicat Apostolus se nihil commercii habere cum mundo, & vicissim. Vel æque mundum à se despici, atque cruci affixum, qui ab adstantibus despici solet. Et vice versa, se à mundo despici, quasi ipse cruci esset affixus. Per *mundum* autem intelligit homines mundanos & carnales, quæque ab iis tantopere expetuntur, puta honores, opes, voluptates, &c.

Denique vox *crucis* ad afflictiones, quibus fidem suorum explorat Deus, non raro transfertur. Matth. 10. v. 38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Vide etiam c. 16. v. 24. Marc. 8. v. 34. c. 10. v. 21. Luc. 9. v. 23. c. 14. v. 27. Joan. 19. v. 17. Gal. 6. v. 12.

Homines conjuncti.

Conjuncti homines, sive populus integer, ut *Israël & Juda*, in utroque Testamento, pro Ecclesia Christiana usurpantur; idque *tum* ob Divinum fœdus cum populo illo initum, *tum* ob sanctificationis beneficium, *tum* ob regni Judæ & Davidis constitutionem, quod regni Messiæ spiritualis typus fuit, &c. Vide Gen. 22. v. 17. Jerem. 23. v. 6. c. 30. v. 10. c. 33. vv. 14. 16. Ezech. 37. vv. 23. 28. Luc. 1. v. 33. Rom. 4. vv. 13. 17. Gal. 4. vv. 28. 31. 1. Pet. 2. v. 9. &c.

§. II.

Metaphora à locis Deo sacris desumta.

TERRA CHANAAN, quam inhabitaverunt Israëlitæ, quæque postea *terra Juda* interdum appellatur, ob ejus fertilitatem ad denotandam Christi Ecclesiam non raro transfertur. Benedictiones enim temporales, quas Judæis promiserat Deus, figuræ erant bonorum spiritualium, quibus Ecclesiam N. T. cumulavit; sicque à Judæis spiritualibus spectabantur.

Isai. 26. v. 1. *In die illa* (tempore Messiæ) *cantabitur canticum istud in terra Juda*, h. e. in Ecclesia. Vide etiam c. 35. vv. 1. 2. cap. 57. v. 13. cap. 60. v. 13. c. 65. vv. 9. 10. Ezech. 37. v. 25. Joel. 3. v. 23. Amos 9. vv. 13. 14. 15. Mich. 4. v. 4. Zach. 3. v. 10.

Huc pertinet adductio, accessus, properatio gentium ad Judæorum terram, & cultus Divini locum; qua loquutione significatur aggregatio gentium ad Ecclesiam Christi, quod est spirituale ejus regnum. Psal. 21. Heb. 22. v. 28. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* Vers. 29. *Quoniam Domini est regnum & ipse dominabitur gentium.* Vide etiam v. 32. Psal. 46. Heb. 47. v. 10. Psal. 86. Heb. 87. vv. 4. 5. 6. Isai. 2. vv. 2. 3. c. 49. vv. 12. 18. 19. 20. 21. 22. 23. c. 60. vv. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 14. c. 62. vv. 10. 12. c. 66. v. 20. Ezech. 36. v. 8. & seqq. Mich. 4. vv. 1. 2. 6. 7. Zach. 14. v. 16. & seqq. In specie,

JERUSALEM Judææ metropolis, in qua peculiariter se Deus revelavit, Ecclesiam quoque Christianam denotat. Isai. 4. v. 3. *Omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem,* (i. in Ecclesia) *sanctus vocabitur.* Apostolus *sanctos* passim vocat Christianos. Vide Rom. 1. v. 7. c. 12. v. 13. cap. 15. vv. 25. 26. 31. cap. 16. vv. 2. 15. 1. Cor. cap. 1. v. 2. c. 6. v. 1. c. 14. v. 33. c. 16. vv. 1. 15. &c. Vide etiam, ad Jerusalem quod attinet, Isai. cap. 40. vv. 2. 9. c. 52. vv. 1. 2. Zach. 9. v. 9. c. 12. v. 2. Gal. 4. v. 26. Heb. 12. v. 22. Apoc. 21. vv. 2. 10. &c. Ecclesia, quæ triumphat in cœlis, appellatur *Jerusalem nova.*

SION mons in urbe Jerusalem, in quo regia Davidis sita erat, quique κατ' ἐξοχὴν quandoque *mons Domini, mons sanctus* appellatur, eandem significationem obtinet, ac ut Ecclesiæ N. T. symbolum proponitur. Psal. 2. v. 6. וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי עַל־צִיּוֹן הַר־קָדְשִׁי *ego autem constitui regem meum* (Christum, qui nomine meo imperet; loquitur enim Deus Pater) *super Sion montem sanctum meum.* Aq. Sym. V^a. & VI^a. editt. βασιλέα μου, S. Hieron. *regem meum.* LXX. ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ, ἐπὶ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιον αὐτοῦ, Vulg. Lat. *ego autem constitutus sum rex ab eo* (Deo Patre; loquitur enim filius) *super Sion montem sanctum ejus.* Pro נָסַכְתִּי in activa voce, legebant נִסַּכְתִּי in passiva, & pro מַלְכִּי legeb. מַלְכּוֹ *rex ejus*, quod idem est ac *rex ab eo.* Denique pro קָדְשִׁי legeb. קָדְשׁוֹ. Vide insuper Psal. 67. Heb. 68. v. 17. Psal. 86. Heb. 87. vv. 1. 2. 5. Psal. 131. Heb. 132. vv. 13. 14. Isai. 4. vv. 4. 5. c. 11. v. 9. c. 28. v. 16. c. 40. v. 9. c. 49. v. 14. c. 56. v. 7. c. 59. v. 20. c. 62. v. [illegible]. c. 65. v. 25. Zach. 9. v. 9. Heb. 12. v. 22.

Mons idem Ecclesiam in cœlis triumphantem quandoque etiam designat. Psal. 14. Heb. 15. v. 1. *Quis requiescet in monte sancto tuo*, nempe in Sion, vel potius in cœlo. Vide Psal. 23. Heb. 24. v. 3. Isai. 35. v. 10. cap. 51. v. 11. & supra pag. 137. col. 1.

Denique Amos 9. v. 11. *Tabernaculum David collapsum* (h. e. est regia Davidis), cujus instauratio promittitur, Ecclesiam ex gentibus colligendam significat, ut liquet ex v. 12. & Act. 15. vv. 14. 15. 16. 17. Confer Isai. 16. v. 5.

TEMPLUM, quod unicum fuit in populo Israëlitico, quodque Dei *habitaculum* & *domus* crebro dicitur, significat

1°. Cœlum, in quo Deus lucem inaccessibilem habitat. Psal. 10. Heb. 11. v. 4. *Dominus in Templo sancto suo:* sequitur explicatio,

Dominus in cœlo sedes ejus. Vide etiam Mich. 1. v. 2.

2°. Ecclesiam, seu cœtum fidelium in terris degentem. Psal. 25. Heb. 26. v. 8. *Domine, dilexi decorem domus tuæ*, &c. Vide etiam Psal. 26. Heb. 27. v. 4. Psal. 28. Heb. 29. v. 9. Psal. 47. Heb. 48. v. 10. Psal. 83. Heb. 84. vv. 2. 3. 5. Isai. 56. v. 7. Ephes. 2. v. 21. 1. Cor. 3. vv. 16. 17. c. 6. v. 19. 2. Cor. 6. v. 16. Heb. 3. v. 6. c. 10. v. 11. Quibus in locis vox *templi*, sive *domus*, aut *habitationis*, &c. ad literam significat modo Tabernaculum, modo Templum ipsum à Salomone exstructum; sed quæ figuræ erant Ecclesiæ Christianæ, & præcipue cordis fidelium, in quo Deus tanquam in Templo sibi gratissimo amat habitare.

3°. Vitam æternam, & Ecclesiam in cœlis triumphantem. Apoc. 21. v. 22. *Et templum non vidi in ea* (Jerusalem cœlesti); *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & agnus.* Cum enim in cœlis Deus cuilibet beato sit intime præsens, necesse non est ut in locum aliquem conveniant beati, ut præsentiæ Divinæ effectus experiantur.

4°. Corpus Christi in unitatem personæ Verbi assumtum. Joan. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Vers. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui*, in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloss. 2. v. 9. i. verissime, perfectissime; non vero umbratiliter & typice, ut in Templo Jerosolymitano. Vide supra pag. 65. col. 2.

TABERNACULUM [σκηνὴ] denotat etiam

1°. Veram Christi humanitatem. Heb. 9. v. 11. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, hujus creationis.* Vers. 12. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum: sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta*, &c. Hic respicit Apostolus ad ritum Lev. 16. v. 12. &c. quo summus Sacerdos semel in anno per primam partem Tabernaculi transiens, ad alteram sive Sanctuarium pergebat illud expiaturus sanguine vituli & hirci secum illato. Metaphorice autem *tabernaculum* est corpus Christi, quod dicitur non manufactum sive hujus creationis, h. e. non ab homine, neque secundum ordinem in natura constitutum; sed Spiritus Sancti operatione in sinu & ex carne SS. Virginis divinitus formatum. *Sancta* autem, de quibus hic agitur, cœlum est, in quod Christus per proprium sanguinem, non alienum, i. vitulorum aut hircorum, introivit, ut & illud nobis reseraret, *æterna redemtione inventa.*

Eadem Christi humanitas, *velamenti* etiam nomine significatur Heb. c. 10. v. 20. *Quam initiavit nobis* (Christus) *viam bonam & viventem, per velamentum* seu *velamen, id est, carnem suam*, sub qua latebat Divinitas.

2°. Ipsum cœlum & bona cœlestia merito Christi parata & acquisita. Heb. cap. 8. v. 2. *Sanctorum minister* (Christus) *& tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Ibi vox *Sanctorum* pro Sanctuario usurpatur. Vide insuper c. 10. v. 19. & conf. c. 6. vv. 19. 20. c. 9. v. 24.

ALTARE bona spiritualia morte Christi nobis acquisita significat. Heb. 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt*, hoc est, qui adhuc adhærent ceremoniis Legis, atque in illis suam coram Deo justitiam quærunt, non possunt edere de hoc altari spirituali, i. non possunt esse participes Christi sacrificii, & beneficiorum per mortem ejus partorum. Confer v. 9. ubi *escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*, intelliguntur victimæ, quæ sine fide in Christum non justificabant eos, qui illas offerebant.

Isai. 19. v. 19. *Altare* & *titulus*, sive *statua*, cultum Divinum in Novo Test. Deo exhibendum denotant. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus.* Hoc Isaïæ vaticinium ad literam explicans Onias, Templum in Ægypto, sub Philometore rege, vero Deo condidit. Vide Joseph. lib. 13. Antiq. c. 6. Titulus autem, de quo hic agitur, indicat statuas & monumenta, quæ in beneficiorum à Deo acceptorum memoriam erigebantur. Vide Gen. 28. v. 18. Jos. 3. vv. 5. 6. 20. &c.

PROPITIATORIUM [ἱλαστήριον] qua voce

LXX. Hebræum כַּפֹּרֶת, Arcæ fœderis operculum, plerumque interpretantur, vocatur Christus, Rom. 33. v. 25. *Quem* (Christum) *proposuit Deus ἱλαστήριον propitiatorium* (Vulg. Lat. *propitiationem*) *per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ* (qua homines vere justi constituuntur), *propter remissionem præcedentium delictorum.* Sumta est, ut diximus, metaphora ab Arcæ operculo dicto Hebræis כַּפֹּרֶת, à verbo כִּפֵּר *expiavit;* quod Deus illic se propitium ostenderet. Sic autem appellatur Christus, quod peccata nostra pretioso suo sanguine in cruce pro nobis effuso expiarit; unde & *ἱλασμὸς propitiatio* dicitur 1. Joan. 2. v. 2. Ratione autem typi, ad quem respicit Apostolus, hæc institui possunt comparationis membra. 1°. Quemadmodum Exod. 25. v. 22. promiserat Deus se præsentem fore in propitiatorio, quod erat Christi typus: ita in antitypo Christo tota plenitudo Divinitatis habitat, Coloss. 2. v. 9. 2°. Ut propitiatorium Divinorum oraculorum sedes erat, ut dicitur in Exod. loco mox laudato: sic Filius Dei, qui est in sinu Patris, voluntatem Dei de salute nostra nobis revelavit, Joan. 1. v. 18. 3°. Quemadmodum propitiatorium tabulas Legis, qua cognitum est peccatum (Rom. 3. v. 20.) in Arca obtegebat: ita Christus peccatorum in Legem Divinam à nobis admissorum multitudinem SS. passionis suæ merito non operit modo, verum etiam penitus delet, ac veram inhærentemque justitiam nobis confert. Alias comparationes, quas pietas cum eruditione conjuncta facile excogitare potest, missas facio.

COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS dicitur Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 15. ubi Apostolus respexisse videtur ad duas columnas in Templo Salomonis exstructas, quarum altera vocabatur יָכִין *stabiliet, confirmabit;* altera בֹּעַז *in eo robur*, 3. Reg. 7. v. 21. 2. Paral. 3. v. 17. quibus nominibus Ecclesiæ stabilitas, firmitas, & robur adversus ejus hostes significantur.

§. III.

Metaphora à ritibus & actionibus sacris desumta.

RITUS actusque sacri, ex quibus metaphoræ deducuntur, *vel* Deo proxime agenti tribuuntur, *vel* hominibus, cultus sacri gratia, præscribuntur imperanturque.

Ad priorem classem pertinent *visiones* & *somnia*, doctrinæ ac revelationis secretioris causa, à Deo hominibus immissa. Tale est somnium Jacobi, Gen. 28. v. 12. *Viditque in somnis* (Jacob) *scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Hanc sibi visionem Christus applicat, Joan. 1. v. 52. *Amen, amen, dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Cœlum aperuit Christus, dum merito suo Deum nobis peccatoribus reconciliavit, & cœlestis regni hæreditatem fide vera, i. cum bonis operibus conjuncta, possidendam acquisivit. Angeli autem ascendentes, & descendentes denotant *tum* regiam Christi dignitatem, sed spiritualem; cum veluti seduli ministri sursum ac deorsum obsequii studio sub eo, hoc est, ejus imperio, commeant. Vide v. 49. ubi *rex Israël* à Nathanaële vocatur. *Tum* insigne meriti ejus beneficium; quandoquidem è cœlo descendunt ministraturi, & curam suscepturi credentium, vide Psal. 33. Heb. 34. v. 8. & ascendunt iterum, animas eorum in sinum Abrahæ portantes, vide Luc. 16. v. 22. In genere autem

PROPHETIÆ, SOMNIA, ET VISIONES, quæ *filiis ac filiabus, senibus & juvenibus* promittuntur, Joel. 2. v. 28. Spiritus Sancti Apostolis aliisque fidelibus dati varia dona & operationes, præsertim vero doctrinæ cœlestis lumen ac revelationem significant. Vide Act. 2. vv. 16. 17.

MANNA spirituale vocat se Christus per oppositionem ad materiale, quod ab anima mortem non depellebat. Joan. 6. v. 32. *Dixit ergo eis Jesus: amen, amen, dico vobis, non*

Moyses

Moyses dedit vobis panem de cœlo (id est, cœlestem), *sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, hoc est, panem vere cœlestem, quem si quis digne manducaverit, vivet in æternum. Quæ sane non erat proprietas manna, quod objiciebant Judæi v. 31. quandoquidem *patres vestri*, inquit Christus v. 49. *manducaverunt manna in deserto & mortui sunt*. Panis autem ille cœlestis, quem τῷ manna materiali opponit idem Christus, caro ejus est. *Panis, quem ego dabo* (inquit v. 52.) *caro mea est pro mundi vita*. Et vers. 56. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Lege à v. 27. ad finem usque capitis.

Eadem *manna* voce Christus ipse significatur, Apoc. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum*, h. e. plenam mei ipsius possessionem, quæ τῷ manna dulcedinem longe suavitate superat, quæque inexpertis abscondita est. Vel respicit Christus ad manna jussu Dei in Tabernaculo juxta Arcam fœderis in urna reconditum. Vide Exod. 16. v. 33.

Ritus sacri ad Divini cultus exercitium pertinentes, spectant 1°. Ad *personas*. 2°. Ad *actiones*. 3°. Ad *tempora*.

PERSONARUM alia est *dirigens* & quasi caput; reliquæ *ministrantes* & subditæ.

Dirigens est *Summus Sacerdos* sive *Pontifex*, quo nomine appellatur Christus, Heb. 2. v. 17. c. 3. v. 1. c. 4. vv. 14. 15. c. 5. vv. 5. 10. c. 6. v. 20. c. 7. v. 26. c. 8. v. 1. c. 9. v. 11. c. 10. v. 21. idque *tum* ob Divinam & immediatam vocationem, c. 5. vv. 4. 5. 6. *tum* ob naturæ humanæ participationem, cap. 2. vv. 16. 17. cap. 5. vv. 1. 2. *tum* ob precum effusionem, c. 5. v. 7. maxime vero ob sui ipsius in sacrificio oblationem, qua simul exstitit & Sacerdos, & victima, & introivit in Sancta, c. 9. v. 6. & seqq. i. in cœlum, quod & nobis aperuit.

Proximum post Summum Pontificem locum obtinent reliqui Sacerdotes, qui sub Summi Sacerdotis regimine sacrificia in loco sancto peragebant, docebant populum, & figuræ erant Novæ Legis Sacerdotum, qui in sancto altari crucis sacrificium, sed incruentum, tradita sibi à Christo per manus Episcoporum potestate, quotidie offerunt.

Id etiam nominis tribuitur fidelibus, 1. Pet. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*, &c. Vide etiam Apoc. 1. v. 6. c. 5. v. 10. c. 20. v. 6. *tum* quia cum Christi Sacerdotio per unctionem Spiritus Sancti participant; cum Sacerdotibus enim salutis nostræ victimam, sed diversa ratione, offerunt: *tum* ob sacrificia spiritualia, de quibus mox agemus: *tum* denique ob Christianæ religionis dignitatem; nam apud Judæos summo in honore Sacerdotes habebantur. Quare Davidis filii *Sacerdotes* dicuntur, 2. Reg. 8. v. 18. i. principes, præfecti; vel, ut explicatur 1. Paral. 18. v. 17. *primi ad manum regis*.

Sacerdotibus suberant Levitæ, eisque ministrabant. Per illos autem Levitas novi fœderis Diaconi designantur. Isai. 66. v. 21. *Et assumam ex eis* (Gentilibus ad Christi fidem conversis) *in Sacerdotes & Levitas*. Vide etiam Jerem. 33. vv. 18. 21. 22.

Actiones sacræ vel *Deum* vel *homines*, habita tamen Divini cultus ratione, pro objecto immediate habent.

Deum nullo medio respiciunt

SACRIFICIA, quo nomine κατ' ἐξοχὴν appellatur præstantissimum illud, quo Christus pro totius mundi salute Patri suo in ara crucis se ipse obtulit, & cujus figuræ erant antiquæ Legis sacrificia, ut passim in epist. ad Heb. explicatur. Eadem *sacrificii* voce, præter sacrificium crucis à Sacerdotibus in Missa renovatum, innuitur totus Christianorum cultus. Isai. 19. v. 21. *Et cognoscetur Dominus ab Ægypto .... & colent eum* (Ægyptii) *in hostiis & muneribus, & vota vovebunt Domino & solvent*. Hunc in locum ita scribit Hieron. tom. 3. nov. edit. col. 131. *Respondeant Judæi: Lege præceptum est ut altare non fiat nisi in loco uno, quem elegerit Dominus Deus; & hostiæ tantum à Sacerdotibus Levitici generis immolentur. Ecce Isaias aperte docet, quod Ægyptii cognoscant Dominum, & colant eum, & hostias & munera offerant, & vota voveant atque persolvant. Si Ægyptii sacerdotium habent, impletur & in illis Pauli testimonium dicentis:* translato Sacerdotio,

necesse est ut Legis translatio fiat. Heb. 7. v. 12. Vide insuper Isai. c. 56. v. 7. c. 60. v. 7. 1. Petr. 2. v. 5.

In specie autem, *sacrificii*, *hostiæ*, &c. nomine appellantur

1°. Seria cordis contritio. Psal. 50. Heb. 51. v. 19. *Sacrificium* (est) *Deo spiritus* נִשְׁבָּרָה *contritus* (Vulg. Lat. *contribulatus*), *cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.*

2°. Fides in Christum, eaque oblatione ipsius in sacrificio Missæ potissimum exhibita. Malach. 1. v. 11. *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, h. e. pura & gratissima, nempe filius meus, in quo mihi bene complacui. Vide etiam Rom. 15. vv. 16. 18. (conf. c. 1. v. 5.) & Philip. 2. v. 17.

3°. Carnis maceratio. Rom. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos, fratres .... ut exhibeatis corpora vestra θυσίαν sacrificium*, Vulg. Lat. *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, &c. ubi respicit Apostolus ad antiquæ Legis victimas.

4°. Precatio cum pietate conjuncta: Isai. 56. v. 7. *Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo; quia domus mea, domus orationis vocabitur* (i. erit) *cunctis gentibus.*

Psal. 140. Heb. 141. v. 2. *Dirigatur oratio mea incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* LXX. neglecta metaphora supplent in priori hemistichio particulam similitudinis ὡς, Vulg. Lat. *sicut*, hoc modo: *sicut incensum in conspectu tuo;* quæ particula, secundum illos, in posteriori etiam supplenda est, ac è priori repetenda, *sicut sacrificium vespertinum.*

5°. Dei glorificatio, Psal. 49. Heb. 50. v. 14. *Immola Deo sacrificium laudis*, &c. Vide etiam Psal. 106. Heb. 107. v. 22. Ose. 14. v. 3. &c.

6°. Proximi sublevatio. Philip. 4. v. 18. *Habeo autem omnia, & abundo .... acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Vide etiam Heb. 13. v. 16.

7°. Verbi Evangelici per mortem testificatio. Philip. 2. v. 17. *Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo*, &c. i. si contingeret, ut propter fidem, quam vobis prædicavi, & qua accepta vosmetipsos Deo in sacrificium & obsequium obtulistis, immolarer seu martyrio afficerer; gauderem utique, &c. Vel, si sanguis meus aspergeretur supra sacrificium & victimam fidei vestræ; gauderem, &c. Respicit Apost. ad prisci fœderis hostias, quæ vino vel oleo aspergebantur, quæ est propria significatio verbi σπένδω; atque se Philippensium fidem cum gaudio sanguine suo confirmaturum.

8°. Gravis Dei adversus Ecclesiæ suæ hostes vindicta. Isai. 34. v. 6. *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum & hircorum .... sacrificium* (Vulg. Lat. *victima*) *enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.*

Denique Habac. 1. v. 16. *Immolare sagenæ suæ, & reti suo sacrificare* dicitur rex Babylonis, h. e. victoriam copiis & viribus suis, quæ hîc sagena & reti designantur, acceptam referre, atque ex his arroganter ut Deum terrestrem sese venditare. Conf. Isai. 37. vv. 24. 25.

PRIMITIARUM nomen transfertur

1°. Ad Christum, qui 1. Cor. 15. v. 20. dicitur *primitiæ dormientium*, i. mortuorum; qua metaphora probat Apostolus mortuorum resurrectionem. Sicut enim oblationem primitiarum sequebatur messis: ita Christum à mortuis excitatum ceterorum quoque hominum sequetur resurrectio. *Quoniam quidem per hominem* (Adam) *mors: &* (vel *ita*) *per hominem* (Christum) *resurrectio mortuorum*, v. 21. Christus autem appellatur primitiæ mortuorum, eorum scilicet, qui postquam resurrexerint, non morientur amplius; nam ante Christum à mortuis excitatum, quidam ab Elia, Eliseo, & à Christo ipso vitæ redditi leguntur: at postea iterum mortui sunt. Ideo autem, secundum quosdam interpretes, hac similitudine utitur Paulus, quòd ea die, qua Christus resurrexit, nempe die Dominica, eo anno primitiarum oblatio contigerit.

2°. Ad credentes. Jac. 1. v. 18. *Voluntarie enim genuit nos* (Deus) *verbo veritatis*, *ut*

ſimus primitiæ quædam creaturarum ejus. Vulg. Lat. *initium aliquod creaturæ ejus*, h. e. ex toto hominum cœtu delecti, & ipſi conſecrati, ſicut olim primitiæ à reliquis frugibus ſeparatæ, Deo offerebantur & conſecrabantur. Vide etiam Apoc. 14. v. 4.

Rom. 8. v. 23. Iidem credentes *primitias Spiritus habere dicuntur;* quemadmodum enim Iſraëlitæ ex primitiarum oblatione ſpem concipiebant reliquarum frugum abunde colligendarum: ita credentes ex donis Spiritus Sancti, quorum parte aliqua in hoc ſæculo donantur, eorumdem in altero plenitudinem, ſive gaudia æterna ſibi pollicentur.

3°. Ad Judæorum populum, qui vocatur *ſanctus Domino, & primitiæ frugum ejus*, Jerem. 2. v. 3. h. e. ex omnibus mundi populis ſelectus, ac Deo conſecratus; ut primitiæ ex omnibus frugibus ſanctæ erant & Deo dicatæ; unde ſequitur: *omnes qui devorant eum, delinquunt*, &c. ſicuti qui primitias Deo oblatas intervertit, is reus eſt & pœnas luit ex lege Lev. 5. vv. 15. 21.

Denique *primitiis* Patriarchæ & Judæorum majores ſignificantur. Rom. 11. v. 16. *Quod ſi ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, primitiæ ſanctæ* (ſunt), *& maſſa* (ſancta eſt): *& ſi radix ſancta* (eſt), *& rami* (ſancti ſunt), h. e. ſi Patriarchæ, qui fuerunt primitiæ & radix Judaïcæ gentis Deo conſecratæ, ſancti ſunt: profecto tota natio Judaïca, & ſanctorum illorum poſteritas ſancta eſt, i. ex mente Apoſtoli, jus habet ad ſanctitatem & juſtitiam, quæ ex fide eſt, conſequendam; proindeque non eſt de ejus ſalute deſperandum, ut contendebant nonnulli ex Gentilibus ad fidem converſi. Hic autem reſpexiſſe videtur Apoſtolus ad legem Lev. 23. vv. 14. 17. & Num. 15. v. 21. qua, oblatis Deo panibus, reliqua maſſa ſancta erat, h. e. nequaquam polluta & immunda, ſed humano eſui permiſſa.

Actiones ſacræ, quæ homines immediate pro objecto habent, quanvis primario ad Dei cultum referantur, hæ ſunt:

CIRCUMCISIO peculiaris populi Dei character, & ſecundum Patres quoſdam, præſertim Auguſt. regenerationis inſtrumentum atque organum, ad denotandam renovationem & regenerationem Spiritus Sancti virtute factam, transfertur. Deut. 10. v. 16. *Circumcidite præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis amplius.* Vide etiam cap. 30. v. 6. Rom. 2. vv. 28. 29.

Coloſſ. 2. v. 11. *In quo* (Chriſto) *circumciſi eſtis circumciſione non manufacta*, (ſcilicet) *in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti*, i. ſpirituali per Chriſtum facta. Sic Vulg. interpres Lat. qui legebat: ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς, *in exſpoliatione* ſeu *exuitione corporis carnis*, ut habent mſſ. quidam codd. à D. Millio pag. 468. laudati; cum Græcus vulgaris præ ſe ferat, ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, *in exſpoliatione corporis peccatorum carnis.*

E contrario, phraſis: *præputiatum & incircumciſum eſſe* corde, ſeu mente, & auribus, homines incredulos, impios, & profanos ſignificat. Levit. 26. v. 41. *Inducam illos* (impios Iſraëlitas) *in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſum cor* (Vulg. *incircumciſa mens*) *eorum.* Vide etiam Iſai. 52. v. 1. Jerem. 4. v. 4. c. 6. v. 10. c. 9. v. 26. Ezech. 44. v. 9. Act. 7. v. 51. Coloſſ. 2. v. 13.

Ad alia etiam transfertur *circumciſio.* Hinc Exod. 6. vv. 12. 30. Moyſes dicitur *incircumciſus labiis*, hoc eſt, *gravis loquela*, ut vertit Chaldæus; idque ob non exſectam carnem, quæ orationem impedit.

Denique cum metonymice Judæi *circumciſio* dicantur, metaphorice etiam ea vox ad credentes transfertur. Philip. 3. v. 2. *Videte* (i. cavete) *canes*, (Judaïzantes, qui more canum ad vomitum, i. ad Judaïſmum redeunt)... *videte* ſeu *cavete κατατομὴν conciſionem*, (h. e. ejuſmodi homines, qui parte tantum corporis conciſi ſunt, non vere circumciſi, nempe circumciſione cordis. Verſ. 3. *Nos enim ſumus circumciſio* (h. e. vere circumciſi), *qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne* (tantum circumciſa) *fiduciam habentes.*

ASPERSIO, quæ ſuper populum fiebat *vel* ſanguine, Exod. 24. v. 9. c. 29. v. 21. Levit. 14. v. 7. &c. *vel* aqua cineri vaccæ rufæ mixta, Num. 19. v. 2. Heb. 9. v. 13. &c. ſpiritua-

lem à peccatis mundationem per sanguinem Christi metaphorice significat. Isai. 52. v. 15. *Et asperget* (Christus) *gentes multas, super ipsum continebunt gentes os suum*, h. e. eum reverebuntur. Vide etiam Heb. 10. v. 22. c. 12. v. 24. 1. Petr. 1. vv. 1. 2.

UNCTIO, quia obtingebat 1°. *Regi*, 1. Reg. 10. v. 1. c. 16. v. 13. 3. Reg. 19. v. 16. 2°. *Summo Sacerdoti*, Exod. 40. v. 12. & seqq. 3°. *Prophetæ*, 3. Reg. 19. v. 16. quoscunque à Deo singulariter vocatos, & ipsi consecratos Scriptura Sacra *unctos* vocat. Psal. 104. Heb. 105. v. 15. *Nolite tangere Christos meos* (i. Prophetas, ut sequitur explicatio) *&* (vel *id est*) *in prophetis meis nolite malignari.* Vel intelliguntur hîc Patriarchæ, qui simul erant prophetæ, & gentis Hebraïcæ quasi reges. Vide etiam Isai. 45. v. 1. ubi Cyrus appellatur *Christus*, sive unctus.

At per excellentiam מָשִׁיחַ *Messias* sive Χριστὸς *unctus* dicitur *JESUS*, Summus noster Sacerdos, rex, & propheta, Dan. 9. v. 24. Psal. 2. v. 2. Joan. 1. v. 42. cap. 4. v. 25. Unde sæpissime in Novo Testam. vocatur *Christus*, sive *unctus*. Matth. 1. vv. 16. 17. cap. 2. v. 4. c. 11. v. 16. c. 22. v. 42. Luc. 2. vv. 11. 26. Unctionis ejus mysticæ & cœlestis mentio fit, Psal. 2. v. 6. Psal. 44. Heb. 45. v. 8. Isai. 61. v. 1. Dan. 9. v. 25. Luc. 4. v. 18. Act. 10. v. 38. Heb. 1. v. 9. Quæ unctio nihil aliud est, quam plenitudo donorum Spiritus Sancti, imo totius Divinitatis, quæ in humana natura in hypostasim Verbi assumta personaliter habitat. A Christo autem, qui in eum credunt, *Christiani* appellati sunt, Act. 11. v. 26. h. e. unctionis sanctæ participes, Heb. 1. v. 9. 1. Joan. 2. v. 20. unde facti sunt à Christo *reges & sacerdotes Deo & Patri*, Apoc. 1. v. 6. Vulg. Lat. *regnum*, interpretatur, quia legebat βασιλείαν, ut habent mss. aliquot codices. Vide D. Mill. p. 599.

Tempora & sacrati dies, ex quibus metaphoræ desumuntur, sunt:

SABBATHUM, quo exprimitur

1°. Novi Testamenti cultus. Isai. 56. v. 4. *Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum.* Vers. 5. *Dabo eis in domo mea* (i. in Ecclesia) *& in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus* (respicit ad eunuchos, de quibus v. 3.); *nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*, &c. usque ad v. 9. quæ nonnisi de Ecclesia novi fœderis intelligi possunt, ut attendenti patet.

2°. Vitæ æternæ requies. Isai. 66. v. 23. *Et erit* (in cœlis) *mensis ex mense*, seu *neomenia ex neomenia*, (qui dies erat festus Judæis), *& sabbathum ex sabbatho*, i. perpetua festivitas & requies. Nemo autem Christianus nescit Sabbathum diem esse quietis; unde Heb. 4. v. 9. *relinquitur Sabbathismus populo Dei*, i. æterna requies.

PASCHA, cui dies azymorum conjuncti erant, pulcherrimam metaphoram simul & allegoriam suppeditavit Apostolo, 1. Cor. 5. v. 7. *Expurgate vetus fermentum* (incestuosum illum, de quo v. 1.) *ut sitis nova conspersio*, sive *massa*, (h. e. nova creatura, seu novus homo, deposito veteri) *sicut estis azymi* (vel potius debetis esse azymi, i. à fermento peccati immunes, idque non septem dierum spatio duntaxat, sed cunctis vitæ vestræ diebus); *etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Vers. 8. *Itaque epulemur* (vitam nostram instituamus) *non in fermento veteri* (peccatorum), *neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis*, i. in sinceritate & veritate. Hic autem *pascha nostrum* dicitur Christus, quod pro nobis immolatus & occisus fuerit, uti in V. T. agni Paschales, qui Messiæ typi erant, jugulabantur.

TABERNACULORUM festum pro toto Novi Testamenti cultu usurpatur. Zach. 14. v. 16. *Et omnes, qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem* (h. e. Ecclesiam Christi oppugnarunt), *ascendent ab anno ad annum* (singulis annis), *ut adorent regem, Dominum exercituum, & celebrent festivitatem Tabernaculorum.* Vide etiam vv. 17. 18. 19. Hujus autem festi, non reliquorum, mentionem facit propheta, quod omnes Christiani, dum peregrinantur hîc à Domino, jugiter festum Tabernaculorum celebrent; utpote qui hospites ac peregrini in hoc mundo ad civitatem cœlestem adspi-

rent. Confer Gen. 47. v. 9. Pſal. 38. Heb. 39. v. 13. Pſal. 118. Heb. 119. v. 19. 2. Cor. 5. vv. 4. 6. 8. Heb. 11. vv. 13. 14.

Hucuſque de antiquæ Legis ritibus, ex quibus metaphoræ deſumuntur. In nova

BAPTISMUS Sacramentorum à Chriſto inſtitutorum primum, metaphorice ſignificat

1°. Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos & alios credentes in primitiva Eccleſia effuſionem. Matth. 3. v. 11. *Ego quidem* (Joannes) *baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt* (Christus).... *ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto*) *& igni*. Hendyadis, pro *ſpiritu igneo*, qui vos purificabit, inflammabit, illuminabitque. Vide tom. I. pag. 460. can. I. Vel reſpexit Joannes ad futurum Spiritus Sancti ſymbolum externum, de quo Act. 2. v. 3. Vide inſuper Marc. 1. v. 8. Luc. 3. v. 16. Joan. 1. v. 33. Act. 1. v. 5. c. 11. v. 16. Ratio autem metaphoræ hujus petitur *tum* à Spiritus Sancti donorum copia, ſicuti baptizatis copioſe olim affundebatur aqua, vel in hanc illi plane immergebantur; *tum* à Spiritus Sancti efficacia, qui inſtar aquæ vivæ in æſtu reficit, ſordes abluit, purificat, &c.

2°. Calamitates & afflictiones (Chriſti præſertim), quæ non raro in V. Teſt. *aquis multis & profundis* deſignantur. Matth. 20. v. 22. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* & præterea in Græco hodierno, ϰὶ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; *& baptiſmate, quo ego baptizor, baptizari?* Vide etiam v. 23. Porro ultima hæc pericope: ϰὶ βάπτισμα &c. deſideratur in mſſ. codd. Steph. 2. 8. Cantab. Colbert. num. 2467. Veleſ. Barberini decem, Vulg. Æthiop. Hilar. Ambroſ. Hieron. Coptica verſione, & Origene, qui comm. in Matth. tom. I. edit. Huet. pag. 415. D. eam diſerte Marco tribuit, apud quem legitur cap. 10. v. 38. At exſtat in mſſ. codd. non paucis, quos vide apud D. Mill. pag. 45. col. 1.

3°. Iſraëlitarum per mare rubrum tranſitum, qui fuit typus baptiſmi in Novo Teſtamento inſtituti. 1. Cor. 10. v. 2. *Omnes* (patres noſtri) *in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari*, hoc eſt, duce Moyſe, vel in Moyſen Chriſti typum baptizati ſunt, ut Moſaïcæ doctrinæ adhærerent; apud Judæos enim, ſicuti apud Chriſtianos, novi fœderis initiatio erat baptiſmus, qui tamen paucis Iſraëlitis profuit, *neque enim in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo; nam proſtrati ſunt in deſerto*, v. 5. Sic Chriſtiani de vero baptiſmo gloriari non debent, ſi opera eorum adverſentur ſanctitati, quam in eo recipiendo profeſſi ſunt.

CAPUT IV.

De Synecdoche.

SYNECDOCHE [συνεκδοχὴ] tropus eſt, quo totum pro parte; & vice verſa, pars pro toto ponitur. Quintilianum merito, ut videtur, carpit Voſſius lib. 4. Inſtit. Orat. cap. 8. quod huicce definitioni addiderit voces: *præcedentia pro ſequentibus, vel contra;* neque enim, cum ex antecedentibus colligimus ſequentia, ſynecdoche eſt, ſed metonymia: & illud Virgil. Eclog. 2. quod in exemplum ſynecdoches affert ipſe Quintil. *Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci*, metonymia ſigni eſt; boves enim ſtabulum veſpere repetentes noctis ſunt appropinquantis indicium. Totum autem vel eſt *genus*, vel *integrum*. Pars vero vel eſt *ſpecies*, vel *membrum*.

ARTICULUS I.

De Synecdoche Generis.

SYNECDOCHE generis est, cum genus pro specie, vel universale pro particulari accipitur.

Duplex illa generis synecdoche facile distinguitur. Prior enim est, cum universalitatis notandæ signa adhibentur, qualia sunt *omnis, quicunque, nullus, nemo, nihil, non.* Posterior, quando usurpantur vocabula, quæ universalitatem quandam pluralitatemve suo significatu exprimunt. Prioris generis hæc inter alia proferuntur exempla.

OMNIS pro majori parte sæpius ponitur, ita ut *omnes* sint pro *multis.*

Exod. 9. v. 6. *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum*, h. e. omnia, quæ in agro erant, ut liquet ex v. 19. in quo jumenta adhuc memorantur.

Ibid. v. 25. *Cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit*, i. maximam partem, ut ex c. 10. v. 5. constat ..... *comedetur* (à locusta), *quod residuum fuerit grandini; corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris.*

Ibid. c. 32. v. 3. *Omnis populus abruperunt inaures suas, & attulerunt ad Aaronem*, h. e. maxima pars populi, ut patet v. 26. in quo omnes filii Levi ad Moysen congregati dicuntur; proindeque in partem idololatriæ non venerant. Confer 1. Cor. 10. v. 7. Neque etiam omnes Levitæ ad idololatras puniendos Moysi sese adjunxerunt; multi enim ex eis in idololatria instituenda Aaroni adhæserant, qui proinde idem in aliis crimen plectendum nequaquam in se susceperunt. Unde v. 29. eos, qui in idololatras animadverterant, sic alloquitur Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo,* &c. Vide etiam Deut. 33. v. 9.

Alia exempla sunt, Deut. 28. v. 64. 2. Reg. 16. v. 22. c. 17. v. 14. 1. Paral. 14. v. 17. Psal. 21. Heb. 22. vv. 8. 30. Psal. 41. Heb. 42. v. 8. Psal. 117. Heb. 118. v. 10. Isai. 2. v. 2. (conf. v. 3. & Mich. 4. v. 1.) Jerem. 26. vv. 9. 16. (conf. v. 17.) Ose. 7. v. 4. Agg. 2. v. 8. &c.

In Novo Testamento, Matth. 3. v. 5. *Tunc exibat ad eum* (Joannem) *Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem*, h. e. plurimi ex Judæa &c. ibi enim est etiam metonymia continentis pro contento, ut & cap. 8. v. 34. Marc. 1. v. 33. &c. Vide supra pag. 48. col. 1.

Marc. 9. v. 23. *Omnia sunt possibilia credenti*, quæ videlicet divinis promissionibus nituntur, quæque ad salutem credentis conducunt.

Joan. 10. v. 8. *Omnes quotquot* (Græc. *ante me*) *venerunt, fures sunt & latrones*, h. e. omnes, qui nec vocati, nec missi fuerunt; quique ostii salutis, & Messiæ sive mediatoris nomen sibi arrogarunt; Moyses enim, prophetæ, & Joannes Baptista latrones non fuere.

Act. 2. v. 5. *Erant autem Jerosolymis habitantes Judæi ..... ex omni natione, quæ sub cœlo est*, h. e. ex plurimis regionibus.

Ephes. 1. v. 11. *Qui* (Deus) *omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ*, omnia scilicet, quæ ad salutis & electionis mysterium pertinent.

Philipp. 2. v. 21. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt*, i. plerique.

Alia exempla vide Matth. 10. v. 22. c. 16. v. 19. c. 18. v. 18. c. 21. v. 26. c. 24. v. 9. Luc. 15. v. 1. 1. Cor. 6. v. 2. c. 9. vv. 19. 21. c. 13. v. 7. Coloss. 1. v. 28. Heb. 6. v. 16. &c.

Huc pertinet, quod universalis propositio affirmativa quandoque intelligenda sit non de singulis individuis, sed de quibuslibet speciebus. Vel, ut aliis placet, non de singulis generum, sed de generibus singulorum.

Gen. 2. v. 16. *Ex omni ligno Paradisi comede*, h. e. ex omnis generis arborum fructu; præterquam arboris scientiæ boni & mali. Vide etiam c. 24. v. 10. & confer vv. 52. 53.

Joel. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, i. omnis generis homines, non erit distinctio Judæi & Græci, servi & liberi, maris & feminæ, senioris & junioris, &c. Confer Act. 2. v. 17.

Soph. 2. v. 14. *Et accubabunt in medio ejus* (Ninives) *omnes bestiæ gentium*, h. e. omnis generis bestiæ.

Matth. 4. v. 23. *Sanans* (Jesus) *omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo*, h. e. omnis generis languores & infirmitates.

Act. 10. v. 12. *In quo* (vasi seu linteo magno) *erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli*, i. omnis generis quadrupedia, &c.

1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, &c. h. e. cujusvis ordinis, status, conditionis, &c. Plura de hoc Apostoli contextu vide apud theologos & interpretes orthodoxos, & confer cum eo 2. Pet. 3. v. 9.

Sic propositio universalis negativa quandoque restringenda est, & in particularem convertenda. Exod. 20. v. 10. *Non facietis omne opus in eo* (Sabbatho) *tu, & filius tuus, & filia tua*, &c. h. e. non facietis omne opus servile & mechanicum, ut liquet ex Lev. 23. vv. 7. 8. Num. 28. v. 18.

1. Reg. 20. v. 26. *Et non loquutus est Saül quidquam in die illa*, nempe de Davidis absentia.

3. Reg. 19. v. 11. *Non in Spiritu Dominus .... non in commotione Dominus .... v. 12. non in igne Dominus*, sese Eliæ exhibiturus erat; nam ubique est Dominus.

Jerem. 8. v. 6. *Nemo, quod bonum est, loquitur; nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo*, i. paucissimi sunt.

Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, h. e. temere, leviter, & in rebus parvi momenti.

Luc. 7. v. 28. *Non surrexit major Joanne Baptista*, scilicet inter eos, qui vulgari modo nati sunt.

Joan. 3. v. 32. *Testimonium ejus nemo accipit*, h. e. pauci. Confer v. 33.

Ibid. c. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*, nimirum quod ad animæ salutem conducat.

Ibid. c. 18. v. 20. *In occulto loquutus sum nihil*, quod non etiam palam & publice loquutus fuerim; sicque seditionis & conspirationis crimen Christus à se amolitur.

Act. 27. v. 33. *Quarta decima die hodie exspectantes, jejuni permanetis, nihil accipientes*, i. parum omnino, quod, ut aiunt vulgo, pro nihilo reputatur.

2. Thess. 3. v. 11. *Nihil operantes*, supp. utile & necessarium.

1. Tim. 6. v. 4. *Nihil sciens*, videlicet sanum & utile.

Huc pertinent adverbia *πανταχοῦ ubique*, pro *passim*, Marc. 16. v. 20. Act. 28. v. 22. 1. Cor. 4. v. 17. & *semper*, pro *sæpe*, vel *frequenter*, Luc. 18. v. 1. c. 24. v. 53. Vide tom. I. pag. 562. can. II.

Ad posterioris generis exempla quod attinet; nomina latiora pro angustioribus, & universaliora pro specialioribus usurpantur.

I. *Nomina latiora pro angustioribus posita.*

CARO pro homine. Gen. 6. v. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*, i. omnes homines. Vide etiam Psal. 144. Heb. 145. v. 21. Isai. 40. v. 5. cap. 66. v. 23. Matth. 24. v. 22. Luc. 3. v. 6. Rom. 3. v. 20. Præterea ibi est membri synecdoche; *caro* enim ponitur pro corpore; *corpus* pro toto animali; *animal* pro homine.

CREATURA pro homine. Marc. 16. v. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, hoc est, omni homini. Vide etiam Coloss. 1. v. 23. & conf. Matth. 28. v. 19. Luc. 24. v. 47.

DOMICILIUM, sive HABITACULUM pro carcere. Act. 12. v. 7. *Ecce angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo*, i. carcere, in quo Petrus detinebatur. Sic etiam carcer Athenis vocabatur, teste Plutarcho in vita Solonis.

DOMUS pro Templo. Luc. 11. v. 51. *Qui* (Zacharias) *periit inter altare & domum*, sive *ædem*, ut reddit Vulg. h. e. Templum, ut Matth. 23. v. 35. legitur.

HOMO pro viro. Matth. 19. v. 10. *Si ita est causa hominis cum uxore*, h. e. גַּבְרָא viri, ut habet Syrus.

LINGUA pro lingua maledica, sive pro

obtrectatione & calumnia. Psal. 139. Heb. 140. v. 12. *Vir lingua* (Vulg. Lat. *linguosus*) *non dirigetur in terra*, h. e. vir maledicus; unde verbum לָשַׁן, Psal. 100. Heb. 101. v. 5. & Prov. 30. v. 10. *detrahere, calumniari* significat.

MUTATIO pro morte, quæ maxima omnium mutatio est. Job. 14. v. 14. *Exspecto donec veniat immutatio mea*, i. mors mea. Vide etiam Prov. 31. v. 8. ubi בְּנֵי חֲלוֹף *filii mutationis*, sive *transitus*, sunt rei mortis, & interfectioni destinati.

RESURRECTIO simpliciter, pro resurrectione ad vitam æternam. Luc. 20. v. 35. *Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo* (futuro) *& resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores*, &c. boni & mali resurgent pariter; sed illi ad vitam æternam, hi vero ad supplicium æternum. Conf. Joan. 5. v. 29.

SPIRITUS pro anima hominis. Psal. 30. Heb. 31. v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Vide etiam Psal. 145. Heb. 146. v. 4. Eccle. 4. v. 21. cap. 8. v. 8. c. 12. v. 7. Isai. 42. v. 5. Zach. 12. v. 5. Luc. 8. v. 55. c. 23. v. 46. Act. 7. v. 59. 1. Cor. 5. v. 5. Heb. 12. v. 23.

STATUTUM [חֹק] pro cibo ordinario, & quasi demenso: Gen. 47. v. 22. *Et comedebant* (Sacerdotes) חֻקָּם *statutum suum, quod dederat ipsis Pharao.* Eleganter Vulg. *quibus statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.*

VISCERA pro corde viscerum præcipuo. Psal. 39. Heb. 40. v. 9. *Lex tua in medio* מֵעָי *viscerum meorum*, i. ut interpretantur LXX. Vatic. τῆς καρδίας μου, Vulg. Lat. *cordis mei.* Confer v. 11.

VIVENTES pro hominibus. Gen. 3. v. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva; quod mater esset cunctorum viventium*, hoc est, hominum. Vide etiam Psal. 142. Heb. 143. v. 2.

Huc referendum, quando nomen commune pro nomine proprio κατ' ἐξοχὴν *per excellentiam*, quod alii *antonomasian* appellant, ponitur. Sic:

DEUS sæpe dicitur אֵל *fortis, potens.* Vide Gen. 14. v. 22. c. 21. v. 33. Psal. 5. v. 5. Psal. 21. Heb. 22. v. 2. &c.

CHRISTUS sæpe vocatur *Dominus*, Matth. 21. v. 3. Joan. 11. vv. 3. 12. &c. *Præceptor*, Matth. 22. v. 24. Joan. 11. v. 28. *Filius hominis*, Matth. 8. v. 20. cap. 9. v. 6. c. 10. v. 23. c. 11. v. 19. c. 12. v. 8. &c. *Angelus*, Gen. 48. v. 16. Exod. 23. v. 20. *Angelus Domini*, Exod. 3. v. 2. Jud. 6. v. 11. *Semen Mulieris, Messias, Servus Dei, Propheta*, &c. Gen. 3. v. 15. Joan. 1. v. 41. c. 7. v. 40. Philip. 2. v. 7. &c.

MOSES appellatur *propheta*, Ose. 12. v. 13. al. 14. quia maxime insignis inter prophetas exstitit. Vide Deut. 34. vv. 10. 11. 12.

EUPHRATES *flumen* dicitur κατ' ἐξοχὴν, per *excellentiam*, ob ejus magnitudinem. Gen. 31. v. 21. Jos. 24. v. 2. Psal. 79. Heb. 80. v. 12. Psal. 71. Heb. 72. v. 8. Mich. 7. v. 12.

NERO imperator, vocatur à Festo *Dominus*, Act. 25. v. 26. quem titulum, ut nimis sublimem, rejecerant Augustus & Tiberius, ut liquet ex Sueton. in Aug. cap. 53. & in Tiber. c. 27.

Denique JUSTORUM nomine, *Abraham, Isaac, & Jacob* designantur; unde *liber Justorum*, cujus mentio fit Josue 10. v. 13. & 2. Reg. 1. v. 18. ex mente S Hieron. comment. in cap. 18. Ezech. tom. 3. nov. edit. col. 819. est liber Genesis, in quo trium illorum Patriarcharum gesta referuntur. Eadem sententia legitur in Thalmud. tract. *Avoda Zara*, fol. 25. pag. 1. Eam quoque amplectuntur Rabbini Salomon & Qimhhi comment. in 2. Reg. 1. v. 18. At in assignandis Geneseos contextibus, ad quos prædicta loca respiciunt, non convenit inter illos, multaque aliena, contorta, & incerta proferunt. Rectius illis sensisse videtur R. Levi, qui comment. in Jos. 10. scribit *librum justorum fuisse sic vocatum certum librum, qui in captivitate perierit.*

Huc quoque pertinere videtur, cum pro singulari numero ponitur pluralis, qui, cum multitudinem complectatur, *generis* quasi vicem obtinet. Gen. 21. v. 7. *Quis dixisset Abrahamo: lactat filios Sara*, i. filium; sequitur enim: *quia peperi filium senectuti, vel in senectute ejus.* Vulg. *Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni.*

Ibid. c. 46. v. 7. dicuntur cum Jacobo in Ægyptum

Ægyptum descendisse בְּנֹתָיו וּבְנוֹת בָּנָיו *filiæ ejus, & filiæ filiorum ejus*, cum sola descenderit *Dina* Liæ filia, & *Sara* filia Aser, Jacobi neptis, ut liquet ex vv. 15. & 17. Hanc synecdoches speciem apud Latinos quoque in usu fuisse docet Gellius l. 2. noct. Attic. c. 13. ubi liberos in multitudinis numero, etiam unum filium filiamve veteres dixisse ostendit.

Jud. 12. v. 7. *Mortuus est* (Jephte) *ac sepultus est in urbibus Galaad*, h. e. *in urbe sua Galaad*, ut interpretatur Vulg. Vide tom. I. pag. 479. col. 1. & 1. Paral. c. 1. v. 41. cap. 2. vv. 7. 8. 31. 34. c. 7. v. 12. 2. Paral. 24. v. 25. ubi voces *filii* & *filiæ*, de unico filio vel filia usurpantur.

Act. 13. v. 40. *Quod dictum est in Prophetis*, h. e. uno prophetarum, nempe Abacuc c. 1. v. 5. antiquitus enim Prophetarum, & præcipue minorum, unus erat liber; unde in plurali *Propheta* citantur pro uno ex eis. Sic Matth. 2. v. 23. Marc. 1. v. 2. Joan. 6. v. 45. Act. 7. v. 42. quo in ultimo loco *libri prophetarum* expressa fit mentio. Aliam pluralium pro singularibus positorum explicationem vide in tom. I. pag. 476. can. II.

II. *Verba generaliora pro specialioribus posita.*

ABDUCERE, seu DUCERE, pro rapere seu ducere ad supplicium, Act. 12. v. 19. *Herodes autem .... inquisitione facta de custodibus, jussit eos ἀπαχθῆναι abduci*, seu *duci*, ad supplicium scilicet.

ACCIPERE [לָקַח] in Scripturis synecdochice adhibetur 1°. Pro emere, seu comparare. 3. Reg. 10. v. 28. *Negotiatores regis* יִקְחוּ *accipiebant* (equos) *de Coa*, h. e. *emebant*, Vulg. Vide etiam Nehem. sive 2. Esd. c. 10. v. 31. Prov. 31. v. 16. Isai. 52. v. 5. & conf. v. 3.

2°. Pro ducere in uxorem. 1. Paral. 2. v. 19. וַיִּקַּח־לוֹ *& accepit sibi uxorem Caleb, Ephrata*, sic Vulg. interpres, qui recte adjecit vocem *uxorem*. Vide etiam v. 21.

3°. Pro discere. Prov. 1. v. 3. לָקַחַת *ad discendam eruditionem doctrinæ*, Vulg. *ad suscipiendam*. Inde nomen לֶקַח *doctrina*, Prov. 4. v. 12. &c. Vide tom. I. pag. 526. col. 2. initio, & supra pag. 200. col. 1.

AFFLIGERE pro constuprare & comprimere mulierem. Jud. 19. v. 24. *Educam eas ad vos, ut affligatis* (Vulg. *humilietis*) *eas, & vestram libidinem compleatis*. Vide etiam cap. 20. v. 5. 2. Reg. 13. v. 14. Ezech. 22. vv. 10. 11. &c.

Idem verbum de animabus usurpatum, jejunare significat. Lev. 16. v. 29. *Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras*. Confer Psal. 34. Heb. 35. v. 13.

APERIRE, 1°. Pro arare, & terram colere. Isai. 28. v. 24. *Nunquid tota die arabit arans ut serat:* יְפַתַּח *aperiet* (Vulg. *proscindet*) *& sarriet humum suam?* 2°. Pro sculpere in gemmis, ære, lapide, &c. utrumque enim aperiendo fit. Exod. 28. v. 9. *Sumesque duos lapides Onychinos*, וּפִתַּחְתָּ *& aperies* (Vulg. *& sculpes*) *in eis nomina filiorum Israël*. Vide etiam 3. Reg. 17. v. 36. Zach. 3. v. 9.

CONVENIRE pro rem cum uxore habere. Matth. 1. v. 18. *Antequam convenirent, inventa est* (Maria) *in utero habens de Spiritu Sancto*. Conf. 1. Cor. 7. v. 5. Huic loquutioni convenit cum Hebraica, *ingredi ad mulierem*, Gen. 6. v. 4. c. 16. vv. 2. 4. &c.

DICERE pro jubere, vel monere. Rom. 12. v. 3. *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere*, &c.

ESSE sumitur 1°. Pro vivere. Matth. 2. v. 18. *Et noluit consolari* (Rachel), *quia non sunt*, filii ejus. Respondet Hebræo אֵינֶנּוּ *non sunt ipsi*, Jerem. 31. v. 15. 2°. Pro habitare. Ruth. 1. v. 2. *Ingressique regionem Moabitidem*, וַיִּהְיוּ־שָׁם *erant ibi*, i. habitabant, vel *morabantur*, Vulg. Conf. v. 4.

FACERE, 1°. Pro parare in cibum. Gen. 18. v. 7. *Ipse vero* (Abraham) *ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero, qui festinavit* לַעֲשׂוֹת אֹתוֹ *ad faciendum eum*, i. ad parandum in cibum; vel, ut interpretatur Vulg. *& coxit illum*. Vide etiam v. 8. Exod. 12. v. 16. 2°. Pro parare in sacrificium, sacrificare. Psal. 65. Heb. 66. v. 15. אֶעֱשֶׂה *faciam* (Vulg. *offeram*) *tibi boves cum hircis*. Vide etiam Jerem. 31. v. 16.

LOQUI seu DICERE synecdochice usurpatur,

1°. Pro stipulari seu promittere. Deut. 26. v. 17. *Dominum* הֶאֱמַרְתָּ *fecisti dicere* seu *spondere*, vel *sponsionem stipulatus es à Domino hodie, ut sit tibi Deus*, &c. Lxx. τ͂ Θεὸν εἵλου σήμερον εἶναί σου Θεὸν, Vulg. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus*, sensum non verbum expresserunt. Vide etiam Jos. 23. v. 5. Luc. 1. v. 55. &c.

2°. Pro decernere. Gen. 24. v. 51. *En Rebecca coram te est .... sit uxor filii Domini tui, sicut loquutus est Dominus*, i. decrevit.

3°. Pro præcipere. Luc. 10. v. 40. *Dic ergo illi, ut me adjuvet*, h. e. præcipe. Vide etiam Rom. 12. v. 3.

4°. Pro consolari, si ei jungantur voces *ad cor*. Jud. 19. v. 3. *Et surrexit vir ejus, & sequutus est eam, ut loqueretur ad cor ejus*, Vulg. *volens reconciliari ei atque blandiri*. Vide etiam Isai. 40. v. 2. Ose. 2. v. 14.

Sic Joan. 11. v. 19. *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas*. Syrus: *ut loquerentur cum corde ipsarum*.

OPERARI pro parare, comparare. Joan. 6. v. 27. *Operamini non cibum, qui perit: sed qui permanet in vitam æternam*, i. comparate. Sic Psal. 7. v. 14. *Et in eo* (arcu) *paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus*, vel *ardentes* יִפְעָל. Lxx. ἐξειργάσατο *operatus est*, Vulg. Lat. *effecit*, h. e. paravit.

POSSE pro prævalere. Gen. 30. v. 8. *Luctationibus Dei* (i. maximis) *luctata sum cum sorore mea*, גַּם־יָכֹלְתִּי *& prævalui*. Vide etiam cap. 32. v. 28. Jud. 16. v. 5. Psal. 138. Heb. 139. v. 6. Ose. 12. v. 5.

POSSIDERE pro generando vel gignendo acquirere. Gen. 4. v. 2. *Possedi hominem per Deum*, i. gignendo acquisi cum Dei auxilio. Vide etiam Prov. 8. v. 22. & quæ in h. l. scripsimus in tom. I. pag. 592. col. 2.

TESTARI, TESTIMONIUM DARE, pro commendare, laudare, & celebrare. Luc. 4. v. 22. *Et omnes testimonium illi* (Christo Jesu) *dabant*, &c. Vide etiam Act. 6. v. 3. c. 10. v. 22. c. 22. v. 12. &c.

ARTICULUS II.

De Synecdoche speciei.

SYNECDOCHE speciei est, cum species pro genere, vel particulare pro universali ponitur. Utraque illa synecdoche, uti & præcedens, facile cognosci potest *tum* ex signis, *tum* ex vocibus particularitatem illam exprimentibus. Signum particularitatis unicum est, nempe

MULTUS, quod nomen pro *omnibus* accipitur. Dan. 12. v. 2. *Multi de his, qui dormierunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium*, לְדִרְאוֹן עוֹלָם (&) *in contemtum sempiternum*. Lxx. καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον, *& in dedecus æternum*. Vulg. *ut videant semper*, i. vivant, vel sentiant experianturque opprobrium, quo afficientur. Is interpres pro לְדִרְאוֹן legisse videtur לְרָאוֹן *ad visionem*, à רָאוֹן formæ חָזוֹן. Vel existimavit vocem לְדִרְאוֹן compositam esse ex præfix. לְ *ad*, דַּי *sufficientia*, & רָאוֹן *visio*; unde Chald. interpretatur מִסַּת חֵיזְוָא *sufficientiam visionis*. In hoc autem versu multi pro omnibus ponuntur, uti explicat Christus Joan. 5. v. 28.

Isai. 53. v. 12. *Ipse* (Messias) *peccata multorum tulit*, h. e. omnium omnino hominum, ut dicit idem propheta v. 6. & ut explicat Apost. 2. Cor. 5. v. 15. Vide insuper Matth. 20. vv. 16. 28. c. 26. v. 28. Rom. 5. vv. 15. 18. 19. c. 8. v. 29. &c.

Huc etiam refert August. l. 20. de Civit. Dei, c. 23. tom. 7. nov. edit. col. 606. illud Gen. 17. v. 5. *Patrem multarum gentium constitui te*, i. omnium; capite enim 22. v. 18. dicitur: *benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*.

Denique huc etiam pertinet indefinitum pronomen τὶς *quidam, quis*, quod interdum pro *quicunque* accipitur, ut Joan. 6. v. 50. *Hic est panis de cœlo descendens, ἵνα τὶς ἐξ*

αὐτῦ φάγῃ, καὶ μὴ ἀποθάνῃ, *ut aliquis* (h. e. quicunque) *ex eo manducaverit, & non moriatur.* Vulg. *ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, legeb. ἵνα ἐάν *ut si*, quemadmodum habet cod. Cantab. non legebat καὶ *&*, quæ conjunctio in versione etiam Æthiopica desideratur.

Voces particularitatem exprimentes sunt nomina quædam & verba; ex iis enim nonnulla angustiora pro latioribus, & specialiora pro universalioribus usurpantur.

I. *Nomina angustiora pro latioribus posita.*

VIR pro quovis homine. Psal. 1. v. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, &c. qua voce vir & mulier intelliguntur. Vide etiam Psal. 31. Heb. 32. v. 1. Psal. 111. Heb. 112. v. 1. Jerem. 17. vv. 5. 7. &c. In nominibus relativis hæc synecdoche in primis conspicitur. Hinc ponuntur

PATRES pro quibusvis majoribus. Psal. 21. Heb. 22. v. 5. *In te speraverunt patres nostri* &c. h. e. majores. Vide etiam Psal. 105. Heb. 106. v. 6. & sic sæpe in Scriptura. Hinc *pater* pro avo, 2. Reg. 9. v. 7. *Restituam tibi omnes agros Saül patris tui*, i. avi tui; Miphiboseth enim, quem hîc alloquitur David, filius erat Jonatæ filii Saül. Vide etiam cap. 19. v. 28. Dan. 5. vv. 11. 18. Et *mater* pro avia. 3. Reg. 15. v. 10. *Nomen matris ejus* (Asa) *Maacha filia Abessalom*, h. e. nomen aviæ ejus; nam v. 2. illa Maacha dicitur mater Abiæ, qui fuit pater Asa.

FRATRES pro cognatis & consanguineis. 1. Paral. 12. v. 29. *De filiis autem Benjamin fratribus Saül, tria millia*, &c. h. e. cognatis & consanguineis Saül. Vide etiam Matth. 12. vv. 46. 47. Pseudo-Hieronymus in c. 1. epist. ad Gal. tom. 5. nov. edit. col. 1037. quatuor fratrum genera recenset, 1°. natura, Gen. 27. v. 11. 2°. gente, Deut. 15. v. 3. 3°. cognatione, Gen. 13. v. 8. 4°. affectu sive mente, Psal. 132. Heb. 133. v. 2. Quo pertinet fraternitas fidei unius in Christo, Rom. 14. v. 10. 1. Petr. 2. v. 17. &c.

FILII & FILIÆ pro posteris. Exod. 1. v. 7. *Filii Israël creverunt*, &c. hoc est, posteri. Vide etiam Jerem. 31. v. 29. &c.

Hinc & in singulari numero, *filius* usurpatur 1°. Pro nepote, Gen. 29. v. 5. *Nunquid nostis Laban filium Nachor?* i. nepotem; Laban enim filius erat Bathuelis filii Nachor. 2°. Pro pronepote, Jos. 7. v. 24. *Tollens quoque Josue Achan filium Zare*, &c. h. e. pronepotem; nam ex v. 1. Achan erat filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare. 3°. Pro quovis ex posteris etiam remotioribus. Hinc Christus Dominus dicitur *filius Davidis & Abrahami*, Matth. 1. v. 1. Et *filius Davidis* aliquoties vocatur, Matth. 9. v. 27. c. 12. v. 23. c. 15. v. 22. cap. 20. vv. 30. 31. c. 21. vv. 9. 15. c. 22. v. 42. Marc. 2. v. 35. Luc. 18. vv. 38. 39. Conf. Rom. 1. v. 3. 2. Tim. 2. v. 8. Apoc. 22. v. 16. Unde & David *pater ipsius* dicitur Luc. 1. v. 32.

Zachæus *filius Abrahami* vocatur, Luc. 19. v. 9. Sicut vice versa, percrebra fuit in populo Judaïco *Patris Abrahami* appellatio. Vide Luc. 1. v. 73. Joan. 8. vv. 39. 56. Act. 7. v. 2. Rom. 4. v. 1. &c.

Idem dicendum de *filia*, quæ pro nepte usurpatur. Vide Gen. 24. v. 48. ubi Rebecca dicitur *filia fratris Abrahami*, nempe Nachoris, cum ejus tantum neptis fuerit, utpote quæ patrem habuerit Bathuelem filium Nachoris. Item pro posteritate etiam remotissima. Vide Luc. 13. v. 16. ubi mulier à Christo sanata, appellatur *Abrahæ filia*.

Eodem tropo *Græci* pro quibusvis gentilibus usurpantur. Act. 16. v. 1. *Discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patris* Ἕλληνος *Græci*, Vulg. *patre Gentili.* Vide etiam v. 3. Rom. 1. v. 16. c. 2. v. 9. 1. Cor. 1. vv. 22. 23. Galat. 3. v. 28. Coloss. 3. v. 11.

Sic mulier Chananæa dicitur ἑλληνὶς *Græca*, Marc. 7. v. 26. h. e. *Gentilis*, ut reddit Vulg.

Huc pertinet, quod in Vet. Test. cum de conversione gentium ad Christi fidem agitur, synecdochicè pro omnibus gentibus adhibentur *Ægyptii*, Isai. 19. v. 18. & seqq. & una Assyrii, vv. 23. 24. 25.

Nomen proprium pro communi, & individua pro universalibus quandoque usurpantur. Isai. 63. v. 16. *Abraham nescivit nos, &*

Israël ignoravit nos, h. e. sancti patres nostri seu patriarchæ pie defuncti abjecerunt nos, Deum pro nobis non orant, quia à fide ac pietate illorum defecimus. Vide insuper 1. Cor. 3. v. 6. ubi Paulo, qui *plantavit*, & Apollo, *qui rigavit*, omnes verbi Divini ministri fideles intelliguntur. Vide etiam Rom. 2. v. 17. c. 9. vv. 19. 20. 1. Cor. 7. v. 16. Gal. 4. v. 7. quibus in locis alloquutio ad unum hominem directa, totam eorum, quibuscum est sermo, universitatem denotat.

Species rei pro genere sumitur.

ARCUS, GLADIUS, HASTA, &c. pro omni armorum genere; quia his maxime utebantur veteres. Psal. 43. Heb. 44. v. 7. *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me.* Vide etiam Psal. 45. Heb. 46. v. 10. Zach. 10. v. 4.

ASINUS pro omni jumento sacrificiis inepto, quæ species nominatur, quia major ejus, quam aliarum, his in regionibus erat copia & usus. Exod. 13. v. 13. *Primogenitum asini mutabis ove*, h. e. redimes.

AURUM pro quolibet munere; quia pretiosissima sunt auri munera. Psal. 71. Heb. 72. v. 25. *Et vivet* (Christus), *& dabitur ei de auro Arabiæ*, &c. Vide etiam Isai. 60. v. 6.

LAPIS pro quovis agri noxio. Job. 5. v. 23. *Sed cum lapidibus agri* (erit) *pactum tuum*, h. e. lapides, qui agros steriles efficiunt, tuo non nocebunt, nec ejus fertilitatem impedient. Hîc etiam agri noxium pro quovis detrimento per synecdochen accipitur.

LEO pro quavis immani bellua. Isai. 15. v. 9. *His, qui fugerint de Moab, ponam*, seu *immittam leonem*, i. omnis generis feras bestias, quæ eos devorabunt. Ibi etiam est enallage sing. pro plur. *leonem* pro *leones*.

MANDATUM pro quavis doctrina cœlesti. 2. Petr. 2. v. 21. *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam .... retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Vide etiam cap. 3. v. 2. Sic Heb. מצוה in hoc sensu sæpius accipitur. Vide Psal. 118. Heb. 119. v. 6. &c.

MEL pro quavis re dulci & delectabili, ac maxima rerum omnium copia. Exod. 3. v. 8. *Descendi ut .... educam* (populum meum) *de terra illa* (Ægypti) *in terram, quæ fluit lacte & melle.* Vide etiam v. 17. cap. 13. v. 5. c. 33. v. 3. Lev. 20. v. 24. Num. 13. v. 27. c. 14. v. 8. Et sæpissime in Vet. Test. Sic Euripid. in Bacch. vv. 142. 143. 144. ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι, *campus fluit etiam lacte, fluit etiam vino, fluit & apum nectare.* Præter *lac*, melli etiam adjungitur *oleum*, & quandoque *ficus*, Deut. 8. v. 8. c. 32. v. 19. 4. Reg. 18. v. 32. Ezech. 16. vv. 13. 19. Item *butyrum*, Job. 20. v. 17.

PANIS pro quibuslibet rebus ad vitam sustentandam necessariis. Gen. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Vide etiam c. 18. v. 5. c. 39. v. 6. c. 43. v. 31. c. 49. v. 20. Lev. 3. v. 11. Et sic sæpissime in Vet. Test. In Novo autem, Matth. 6. v. 11. c. 15. v. 2. Luc. 14. v. 1. &c.

Aqua pani interdum additur. Vide Isai. 3. v. 1. c. 33. v. 16. Imo *aqua* sola eundem significatum obtinet, 2. Esd. 4. v. 17. al. 23. *Non deponebamus vestimenta nostra*, אִישׁ שִׁלְחוֹ הַמָּיִם *unicuique* (erat) *gladius suus* (&) *aqua*, h. e. singuli armis & cibario instructi erant. Vulg. alio sensu: *Unusquisque tantum nudabatur ad baptismum*, i. ad lavandum. שִׁלְחוֹ. spectavit ut præterit. piël, *deponebat ipsum*, scilicet vestimentum, & præpositionem אֶל־ *ad* sic supplevit: *ad baptismum*, seu lotionem, E contrario, R. Salomon negationem אֵין ex membro præcedenti repetit, & שִׁלְחוֹ idem ipsi est ac *exuitio ejus*, hoc sensu: & non deponebamus vestimenta nostra, & nullius erat exuitio ad aquas, i. nunquam vestimenta exuebamus, nequidem ad lavandum, vel ad ablutiones & purificationes Leviticas, quas omittebamus, ne interea temporis ab hostibus subito opprimeremur; ceremonialia enim cedunt necessitati.

PAX bonorum præcipuum, præsertim in salutationibus usurpata, pro omnigena felicitate accipitur. Gen. 43. v. 23. *Pax vobis: nolite timere*, &c. i. omnia tranquilla, salva, & integra sint vobis, tranquillo animo estote. Vide etiam Num. 6. v. 26. Psal. 118. Heb. 119. v. 165. Rom. 2. v. 10. Jac. 3. v. 18. &c. In primis autem cœlestium beneficiorum merito Christi partorum plenitudinem & abun-

dantiam significat. Joan. 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, &c. Vide etiam c. 20. vv. 19. 21. 26. Rom. 1. v. 7. c. 5. v. 1. c. 14. v. 17. Philip. 4. v. 7. &c.

RAPINA [טֶרֶף], qua feræ vivunt, pro quavis esca seu cibo sumitur. Psal. 110. Heb. 111. v. 5. טֶרֶף *escam dedit* (Dominus) *timentibus se*. Vide etiam Prov. 31. v. 15. Malach. 3. v. 10. &c. E contrario, *panis* de pabulo & alimento animalium seu ferarum quarumvis accipitur. Psal. 146. Heb. 147. v. 9. Heb. *Qui dat jumento* לַחְמָהּ *panem* (Vulg. Lat. *escam*) *ejus*, &c. Vide etiam Isai. 65. v. 25.

SANGUINUM voce denotantur

1°. Homicidia seu cædes cruentæ. Deut. 19. v. 12. *Mittent seniores civitatis illius, & arripient eum* (homicidam) *de loco effugii, tradentque in manu* גֹּאֵל הַדָּם *vindicis sanguinis illius*, i. homicidii. Vulg. *proximi, cujus sanguis effusus est*. Vide etiam Psal. 9. v. 13. Ose. 1. v. 4. c. 4. v. 2. Matth. 23. v. 35. c. 27. v. 24. Heb. 12. v. 4.

2°. Reatus ac pœna. Lev. 20. v. 9. *Patri matrique, qui maledixerit*, דָּמָיו בּוֹ *sanguines ejus* (sint) *super eum*, h. e. morte moriatur, ut dicitur in priori membro, & sanguis ejus effundatur pro pœna & expiatione hujus flagitii. Vel, culpa sua pereat; vel, cædis suæ causa ipse sit. Vide seqq. & Deut. 19. v. 10. c. 21. vv. 8. 9. 4. Reg. 24. v. 6.

3°. Peccata qualibet gravissima. Psal. 50. Heb. 51. v. 16. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ*, &c. h. e. non solum de reatu cædis Uriæ, sed de quibuslibet aliis gravissimis peccatis. Vide etiam Isai. 1. v. 15. &c.

VESTIS pro quibusvis necessariis. Isai. 3. v. 6. *Vestimentum tibi est, princeps esto noster*. Vide etiam v. 7.

VIDUA & PUPILLUS, pro omnibus afflictis & ope destitutis. Exod. 22. v. 21. *Viduæ & pupillo non nocebitis*. Vide etiam Deut. 10. v. 18. c. 27. v. 19. Psal. 145. Heb. 146. v. 9. Prov. 23. v. 10. Isai. 1. vv. 17. 23. Jerem. 7. v. 6. c. 22. v. 3. Ezech. 22. v. 7. Jac. 1. v. 27. Et sic sæpissime cum in Vet. tum in Novo Test.

Species numeri certa pro multitudine indeterminata ponitur.

DUPLUM seu duplicia pro multo & eo, quod plus satis est. Isai. 40. v. 2. *Suscepit* (Jerusalem) *de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*, h. e. satis superque castigata est Jerusalem. Vide etiam c. 61. v. 7. Jerem. 16. v. 18. Zach. 9. v. 12. Apoc. 18. v. 6.

Duo vel BIS pro sæpe, aut aliquoties. Psal. 61. Heb. 62. v. 12. *Semel* (i. constanter & immutabiliter, vide tom. I. pag. 566. §. III. col. 2.) *loquutus est Deus, duo hæc audivi*, id est, hoc sæpius mecum repeto, nimirum quod Deus solus salvare possit, proindeque spes in eo, non in robore, opibus, &c. reponenda sit. Vel, misso tropo, is est hujus versiculi sensus: Ex eo quod *semel*, h. e. immutabiliter per prophetas suos loquutus sit Deus, duo hæc intellexi: *tum* eum solum potentem esse ad salvandum, quos misericordia sua elegit; *tum* unicuique secundum opera sua reddere.

QUINQUE verba pro paucis, 1. Cor. c. 14. v. 19. quibus ibidem opponuntur *decem millia verborum*, i. permulta, sive sermo prolixus.

SEPTENARIUS numerus pro multitudine indefinita; unde Qimhhi in Isai. c. 4. v. 1. *Mos est Scripturæ* (inquit) *septenarium numerum pro multis usurpare; propterea quod omnes dies sæculi in septimanas distribuantur.*

Levit. 26. v. 18. *Addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra*, h. e. peccata vestra multipliciter puniam. Vide etiam vv. 21. 24. 28. 1. Reg. 2. v. 5. Ruth. 4. v. 15. Prov. 26. v. 25. Isai. 4. v. 1. Jerem. 15. v. 9. Ezech. 39. vv. 9. 12. Zach. 3. v. 9. Matth. 12. v. 45.

Septenarius numerus interdum dividitur in tria & quatuor. Amos. 1. v. 3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, non convertam eum*, h. e. super septem, vel potius multis sceleribus populi Damasci, non convertam eum ad me per pœnitentiam, quod fecissem utique, si bis aut ter tantum peccasset: at quia *septies*, id est, multoties peccavit, non convertam eum. Vide etiam vv. 6. 9. 11. 13. c. 2. vv. 1. 4. 6.

Septenario numero *octonarius* additur, quo major numerus itidem indefinitus exprimitur. Eccle. 11. v. 2. *Da partem* (panis tui,

i. bonorum tuorum) *septem, necnon & octo* (h. e. multis); *quia ignoras quid futurum sit mali super terram;* ingruere enim potest calamitas, qua tu ipse bonis tuis spoliatus, aliorum subsidio indigeas. Hinc *septies* adverbialiter pro *sæpe* crebro ponitur. Gen. 4. v. 15. *Qui occiderit Cain, septies* (Vulg. *septuplum*) *punietur.* Conf. quæ de hoc versu dicta sunt in tom. I. pag. 622. coll. 1. 2. & vide v. 24. Psal. 11. Heb. 12. v. 7. Psal. 118. Heb. 119. v. 164. Prov. 24. v. 16. &c. Et *septuagies septies* pro ingenti numero indefinite accipitur. Vide Gen. 4. v. 24. Matth. 18. v. 22. &c.

DECEM 1°. Pro multis. Gen. 31. v. 7. *Mutavit mercedem meam decem vicibus*, i. plurimis. Vide etiam Lev. 26. v. 26. Num. 14. v. 22. Nehem. 4. v. 12. Job. 19. v. 3. Eccle. 7. v. 20. Zach. 8. v. 23. 2°. Pro paucis aliquot, Isai. 6. v. 13. *Adhuc in ea* (terra Juda) *erit decimatio*, h. e. pauci aliquot supererunt. Quidam sic explicant: *adhuc erunt decimæ*, i. terra Juda iterum habitabitur, decimas & primitias offeret, &c. Confer Ezech. 20. v. 40. Vide insuper Amos. 5. v. 3. Apoc. 2. v. 10.

CENTUM pro multis indeterminate. Eccle. 6. v. 3. *Si genuerit quispiam centum liberos*, id est, plurimos. Vide etiam c. 8. v. 12. Prov. 17. v. 10. 1. Paral. c. 21. v. 3. Matth. 19. v. 29. Luc. 8. v. 8.

MILLIA pro permultis. Exod. 20. v. 6. *Et faciens misericordiam in millia* (generationum) *his, qui diligunt me.* Vide etiam c. 34. v. 7. Deut. 1. v. 11. 1. Reg. 18. v. 7. Psal. 118. Heb. 119. v. 72.

Decem millia, seu *myrias*, pro maximo numero. 1. Reg. 18. v. 7. *Percussit Saül mille, & David decem millia.* Vide etiam Psal. 3. v. 6.

Millia millium vel *myriadum*, pro maximo omnium numero. Gen. 24. v. 60. *Esto in millia millium* sive *myriadum.* Vulg. *crescas in mille millia*, h. e. posteritas tua sit innumerabilis. Vide etiam Num. 10. v. 36. Dan. 7. v. 20. Apoc. 5. v. 11. &c.

Singularis numerus pro plurali interdum ponitur, idque

1°. In nominibus communibus, quando collecta multitudo, vel species tota denotatur. Gen. 3. v. 8. *Abscondit se Adam & uxor ejus in medio arboris Paradisi*, i. arborum. Vide tom. I. pag. 476. §. VII. can. I.

2°. In nominibus patronymicis. Gen. 10. v. 16. *Chanaan autem* (genuit) *Sidonem .... Hetheum*, &c. i. Sidonios, Hetheos, &c. h. e. principes seu auctores Sidoniorum, Hethæorum, &c. Vide vv. 17. 18. 2. Reg. 8. v. 18. c. 15. v. 18. Psal. 86. Heb. 87. v. 4. &c.

II. *Verba quædam specialiora pro generalioribus posita.*

ASCENDERE pro venire, maxime cum de mentis cogitationibus agitur. 4. Reg. 12. v. 4. al. 5. *Omnem pecuniam .... quæ* יַעֲלֶה עַל לֶב־אִישׁ *ascendit in cor cujuslibet, ut afferat* (eam) *in domum Domini*, vers. 5. al. 6. *sument sibi Sacerdotes*, &c. h. e. sument Sacerdotes omnem pecuniam, quam afferre in domum Domini cuilibet in mentem venerit. Vulg. *quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in Templum Domini.* Vide etiam Jerem. 7. v. 31. Ezech. 38. v. 10. 1. Cor. 2. v. 9. &c.

FACERE [ποιεῖν] pro commorari in aliquo loco. Act. 15. v. 33. ποιήσαντες δὲ χρόνον, *cum autem tempus fecissent*, h. e. commorati fuissent. Vulg. *facto autem ibi aliquanto tempore.* Vide etiam c. 18. v. 23. c. 20. v. 3. 2. Cor. 11. v. 25. Jac. 4. v. 13.

INGREDI & EGREDI, pro omnibus vitæ actionibus & officiis usurpatur. Num. 27. v. 21. *Ad verbum ejus* (Domini) *egredietur & ingredietur ipse* (Eleazar) &c. h. e. actiones suas instituet, Gallice *se conduira.* Vide etiam v. 17. 2. Paral. 1. v. 10. Psal. 120. Heb. 121. v. 8. Isai. 37. v. 28. Act. 1. v. 21. &c. Quibus in locis, qua ratione ea loquutio exponenda sit, ex serie orationis liquet.

INVENIRE pro consequi & potiri. Gen. 6. v. 8. *Noe vero invenit gratiam coram Domino*, h. e. consequutus est. Vide etiam c. 26. v. 12. Luc. 1. v. 30. Rom. 4. v. 1. c. 7. v. 18. Heb. 9. v. 12. Passivum *inveniri* pro existere sumitur 1. Reg. 13. v. 15. Luc. 9. v. 36. Philipp. 2. v. 8. c. 3. v. 9. Heb. 11. v. 5.

INVOCARE Deum, pro Divinum ipsi cultum exhibere. Gen. 4. v. 26. אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה *tum cœptum est invocare nomen Domini.* Vulg. *Iste* (Enos) *cœpit invocare nomen*

Domini, cultu videlicet publico, & nova quadam c certa ratione, per ſacrificia, ceremonias, preces, &c. nam ante Enoſum Adam & Abel nomen Domini invocabant, ſed forſitan ritu ſibi peculiari. Porro iſte interpres pro הוּחַל legebat הוֹחִל à חוּל vel חָלַל, ſed in forma quieſc. Pe (י). Lxx. ὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίυ τῦ θεῦ, *iſte ſperavit invocare nomen Domini Dei*, i. ſpem ſuam in invocatione Domini collocavit; legebant הוֹחִל à יָחַל. Aq. τότε ἤρχθη τῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίυ, *tunc cœptum vocari*, vel *invocari in nomine Domini*; legebat הוּחַל, ut etiamnum legunt Maſſorethæ. Plerique Hebræorum tempore S. Hieronymi hunc locum longe aliter explicabant, ut ſcribit S. Doctor quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 512. eum enim ſic interpretabantur: *tunc profanatum eſt in invocando nomine Domini*, in cujus ſimilitudine fabricata ſunt idola, atque inde initium idololatriæ repetunt. In antiquis Rabbinorum commentariis, ſæculum Enos ut impium deſcribitur. At prior ſententia, quæ Lxx. Aq. & Vulg. verſionibus nititur, videtur ſimplicior, quanvis verbum. הוּחַל & *cœptum eſt*, & *profanatum eſt* ſignificare poſſit. Vide inſuper Iſai. 43. v. 22. Joan. 4. vv. 23. 24.

PERNOCTARE pro permanere. Pſal. 48. Heb. 49. v. 13. *Homo, cum in honore eſſet*, בַּל־יָלִין *non pernoctavit* (ad verb. *non pernoctabit*) i. non permanſit. Lxx. ὐ συνῆκε, Vulg. Lat. *non intellexit*; legebant יָבִין pro יָלִין, quod confirmatur v. ultimo, ubi eadem ſententia totidem fere verbis repetitur, & in quo legere eſt יָבִין. Vide tom. I. pag. 580. can. VI. & Iſai. 1. v. 21. &c.

PONERE pro efficere, conſtituere. Rom. 4. v. 17. *Quia patrem multarum gentium poſui te*, i. conſtitui. Vide etiam Heb. 1. v. 2.

POTUM DARE pro alere. 1. Cor. 3. v. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam* ſolidiorem, h. e. prima fidei rudimenta, & ſimpliciorem doctrinam tradidi vobis, non ſublimiorem. Sic etiam *edere* potum includit apud Homerum Iliad. M. vv. 319. 320. ἔδυσί τε πίονα μῆλα, οἶνόν τ' ἔξαιτον, *eduntque pingues oves, & vinum eximium.*

RESPONDERE pro loqui. Job. 3. v. 1. *Poſt hæc aperuit Job os ſuum, & maledixit diei ſuo*, וַיַּעַן *& reſpondit, & dixit*, i. & loquutus eſt dicens. Vide etiam Pſal. 118. Heb. 119. v. 172. (ubi תַּעַן *reſpondebit*, Lxx. interpretantur φθέγξαιτο *pronuntiet*. Mſ. Alex. φθέγξεται, Vulg. Lat. *pronuntiabit lingua mea eloquium tuum*) Matth. 11. v. 25. Marc. 11. v. 14. Luc. 7. v. 40. & ſic ſæpe in Novo Teſtamento.

SEDERE pro conſtitutum eſſe, ſeu verſari alicubi. Matth. 4. v. 16. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*, &c. Vide etiam Act. 18. v. 11.

Phraſis, *ſedere & ſurgere*, pro quibuſlibet vitæ actibus uſurpatur. Pſal. 138. Heb. 139. v. 2. *Tu cognoviſti ſedere meum & ſurgere meum.* Lxx. τ̀ καθέδραν μυ, κ̀ τ̀ ἔγερσίν μυ, *cathedram meam* (Vulg. Lat. *ſeſſionem meam*) *& reſurrectionem meam*, h. e. omnes vitæ meæ actiones exploratas habuiſti, vel habes.

VENIRE [בּוֹא, ἔρχεσθαι] pro ire, vadere, &c. Joan. 6. v. 17. c. 11. v. 29. Act. 28. v. 14. &c. Hinc Joan. 20. v. 1. Maria dicitur *veniſſe ad monumentum, cum adhuc tenebræ eſſent*, h. e. vadere ſeu ire cœpiſſe; eò enim pervenit *orto jam ſole*, ut Marc. 16. v. 2. dicitur.

Denique huc pertinet ille de ſynecdoche canon, quo *Scriptura, quod generale eſt, illuſtri aliqua ſpecie proponere ſolet, idque evidentiæ cauſa.* Quod fit

I. In actionibus hominum.

Deut. 19. v. 5. *Securis è manubrio exſilientis, & hominem fortuito occidentis* exemplum ad omnia homicidia involuntaria pertinet.

Pſal. 111. Heb. 112. v. 5. De juſto ac probo homine dicitur, quod *miſereatur, & mutuo det, & diſponat* ſeu *moderetur ſermones ſuos in judicio*; quibus actionibus totum pietatis charitatiſque proximo debitæ curriculum ſeu officium deſignatur. Alia exempla vide Prov. 20. v. 10. c. 27. v. 14. Jerem. 15. v. 10. Dan. 8. v. 11. c. 11. v. 31. Zach. 5. v. 3. Matth. 5. v. 22. c. 6. vv. 1. 5. 16. Marc. 11. v. 23. (conf. Luc. 17. v. 6.) Heb. 13. v. 9. ubi per *eſcas* omnis cultus ceremonialis intelligitur.

II. In præceptis & monitis Divinis ad homines. Exod. 20. v. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam*, &c. h. e. quoſvis ſuperiores. Sicque reliqua Decalogi præcepta conciſe à

Deo proponuntur, quæ tamen multa comprehendunt. Vide insuper cap. 22. vv. 22. 26. c. 23. vv. 4. 5. (confer Deut. 22. v. 3. &c.) Levit. 19. v. 14. Prov. 25. v. 21. Luc. 3. v. 11. c. 14. v. 8. & seqq. Joan. 13. v. 14. (conf. 1. Reg. 25. v. 41. 1. Tim. 5. v. 10.) &c.

ARTICULUS III.

De Synecdoche totius pro parte, seu integri pro membro.

SYNECDOCHE integri est, cum integrum pro membro, seu totum specialiter sic dictum, pro parte ponitur. Idque locum habet in nominibus 1°. Personas, 2°. Res aliquas, 3°. Loca, 4°. Tempus denotantibus.

I. *Persona integra pro parte posita.*

HOMO pro anima. Luc. 16. v. 23. *Elevans autem oculos* (dives impius in inferno sepultus)....*vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu ejus*, i. animas Abrahami & Lazari.

Ibid. c. 23. v. 43. *Et dixit illi* (latroni in cruce pendenti) *Jesus: hodie mecum eris in Paradiso*, h. e. anima tua.

Homo sumitur etiam pro corpore. Gen. 3. v. 19.....*donec revertaris in terram, de qua sumtus es; quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Quod de corpore, non vero de anima, dictum esse liquet. Conf. Eccle. 12. v. 7. &c. Vide insuper Gen. 23. v. 19. c. 25. v. 10. c. 35. v. 19. c. 50. v. 13. Joan. 11. v. 34. &c.

Sic Christus Jesus pro corpore ejus mortuo ponitur Joan. 19. v. 42. c. 20. vv. 2. 13. confer v. 12. & Luc. 24. v. 3.

Huc pertinet, cum aliquid dicitur de multis conjunctim, quod tamen non spectat ad singulos præcise. Gen. 35. v. 26. *Hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ;* quod dici nequit de Benjamin, qui natus est prope Ephratam, quique tamen reliquis v. 24. annumeratur.

Matth. 19. v. 28. Christus ad duodecim Apostolos dicit, quod *sessuri sint super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël*, cum hæc promissio ad Judam Iscariotem minime pertineat.

1. Cor. 1. v. 2. Paulus vocat Corinthios *sanctificatos in Christo Jesu, vocatos sanctos.* Vers. 5. *Divites factos in omni verbo, & in omni scientia* salutis videlicet, & tamen in capp. seqq. de multis in illa Ecclesia publicis ac scelestissimis peccatoribus conqueritur. Unde Aug. epist. ad Paulinum, tom. 2. nov. edit. col. 510. hanc statuit regulam: *Scripturæ mos est, ita loqui de parte, tanquam de toto; sicut Corinthios in primis epistola sua partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant.*

II. *Res tota pro parte ipsius posita.*

Gen. 8. v. 13. *Aperiens Noë tectum arcæ*, &c. h. e. partem tecti, quantum satis erat ad huc illuc circumspiciendum. Alii hæc exponunt de fenestra arcæ, quæ alta cubitum unum circa totam arcam infra ejus tectum fabricata erat. Vide diatribam D. *Le Pelletier* de arca Noë, c. 9.

Exod. 22. v. 13. *Si discerptum fuerit* (Jumentum à bestia) *adducet illud in testimonium*, &c. h. e. partem illius.

1. Reg. 5. v. 4. *Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini*, id est, partem illius, nempe *corpus* ut vertit Chald. nam *caput ejus, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant*, ac *super limen* positæ, ut sequitur ibidem.

CARO pro pudendo hominis. Levit. 15. v. 3. Ezech. 16. v. 26. c. 23. v. 20. &c. Item pro pelle, Psal. 101. Heb. 102. v. 6. *Adhæsit os meum carni meæ*, h. e. pelli meæ; qua loquutione summa macies denotatur. Conf. Thren. 4. v. 8.

NUDUS pro partim nudo. 1. Reg. 19. v. 24. *Et cecidit* (Saül) *nudus tota die illa & nocte*, h. e. summis & extimis vestibus depositis, ac

ac interula tantum servata.

Sic 2. Reg. c. 6. v. 20. David dicitur *nudatus*, nimirum paludamento regio; nam *accinctus erat Ephod lineo*, v. 14.

Joan. 21. v. 7. *Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est*, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, *tunica succinxit se*, (superiori videlicet & exteriori, ut fert Græcæ vocis etymon); *erat enim nudus*, ex parte scilicet, & sola interula indutus. Vide etiam Job. 22. v. 6. cap. 24. v. 10. Matth. 25. vv. 36. 43. Jac. 2. v. 15. ubi per *nudos* male vestiti intelliguntur. Ita Senec. De beneficiis, l. 5. c. 13. *Sic, qui male vestitum & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* Quod loquendi genus apud nos etiam Gallos obtinet.

III. *Locus pro parte loci positus.*

MUNDUS pro terra, quæ pars est mundi. 2. Petr. 3. v. 6. *Ille tunc mundus aqua inundatus periit*, h. e. terra, quæ etiam hîc per metonymiam subjecti accipitur pro aspectabili ejus decore, & omnibus ejus animantibus, quæ aquis diluvii periere, præter Noë & uxorem ejus, & tres filios ejus cum uxoribus eorum, &c. qui in arca servati sunt.

Mundus etiam accipitur pro terra Chanaan, Rom. 4. v. 13. *Non enim per Legem promissio Abrahæ, aut semini ejus* (facta est), *ut hæres esset mundi*, &c. h. e. terræ Chanaan, quam Deus in hæreditatem & in peculium populi sui selegerat; quæque pignus & symbolum erat hæreditatis totius orbis Abrahæ semini, nempe Christo, conferendæ, in quo *benedicendæ erant omnes gentes terræ*. Confer Paraph. Chald. ad Num. 23. v. 13. ubi populus Israëliticus *mundum hæreditare* dicitur.

ORBIS TERRÆ pro magna ejus parte. Isai. 13. v. 11. *Et visitabo super orbis mala*, i. Babyloniorum. Conf. v. 1. & vide insuper cap. 14. v. 17. Luc. 2. v. 1. &c.

OMNIS TERRA pro magna ejus incolarum parte; ubi simul metonymia est, ut supra in voce MUNDUS. Gen. 41. v. 57. *Et omnis terra* (Vulg. *omnesque provinciæ*) *veniebant in Ægyptum*, vicinæ scilicet. Vide etiam 2. Reg. 15. v. 23. Et specialiter pro terra Chaldæorum. Isai. 13. v. 5. *Dominus & vasa furoris ejus* (veniunt), *ut disperdant omnem terram*, nempe Babyloniam. Hunc in locum S. Hieron. tom. 3. nov. edit. col. 109. sic scribit: *Idioma est Sanctæ Scripturæ, ut omnem terram illius significet provinciæ, de qua sermo est: quod quidam non intelligentes, ad omnium terrarum subversionem trahunt.*

TERRA pro Judæa. Ose. 1. v. 2. *Auribus percipite omnes habitatores terræ*, Judææ scilicet. Vide etiam c. 4. v. 1. Joel. 1. v. 2. Et pro certa illius urbe, Matth. 2. v. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda*, i. urbs Juda. Sic apud Euripidem in Oreste, v. 1328. θανεῖν Ὀρέστην κἀμ' ἔδοξε τῇδε γῇ, *mori Orestem & me decretum est huic terræ*, h. e. urbi. Virg. Æneid. l. 11. v. 245. *qua concidit Ilia tellus*, h. e. urbs Ilia, ut notat Servius. Denique *terra Sodomorum & Gomorrhæorum*, pro his urbibus accipitur, Matth. 10. v. 15.

PLAGA mundi pro certa plagæ hujus regione; & per metonymiam continentis pro contento, pro ejus incolis. Sic *Oriens* pro Persis, Medis, aliisque ad orientem Judææ habitantibus, 3. Reg. 4. v. 30. Isai. 2. v. 6. Ezech. 25. v. 4. Matth. 2. v. 1. *Auster* pro Ægypto, respectu Judææ, Jerem. 13. v. 19. Dan. 11. v. 5. Quandoque etiam Judæa ita dicitur respectu Babylonis, Ezech. 20. vv. 26. 47. Confer cap. 21. v. 2. &c. *Septentrio* pro Chaldæa, & primaria ejus urbe Babylone, respectu Judææ, Jerem. 1. vv. 13. 14. 15. c. 13. v. 20. c. 47. v. 2. Soph. 2. v. 13. Eodem etiam septentrionis nomine vocatur Persia & Media respectu Babylonis, Jerem. 50. vv. 3. 41. &c.

Denique Luc. 2. v. 46. Templum, in quo Christus *sedisse* dicitur *in medio doctorum, audiens & interrogans illos*, ponitur pro parte ejus, quæ erat *vel* porticus subdialis Israëlitarum, ut ex Barucho & Thalmudicis licet colligere; *vel* locus ad portam Templi orientalem, in quo Legis magistri docebant, secundum Ariam Montanum. In tract. Sanhedrin c. 11. hæc leguntur: *Tres consessus erant in Templo: unus in porta atrii gentium; alius in porta atrii Israëlis; tertius in conclavi Gazith. Vel* denique erat Synagoga primaria, Templo Jerosolymitano vicina, & in ipso exteriori Templi ambitu comprehensa. Syna-

gogæ hujus meminit Glossa in *Joma*, fol. 68. pag. 2. his verbis: *Synagoga erat prope atrium, in monte Templi.* Vide Lightfoot. tom. 2. pag. 500. edit. Roterod. 1686.

IV. *Tempus pro temporis parte positum.*

Gen. 6. v. 4. *Isti sunt potentes*, sive *gigantes à sæculo*, i. jam à longo tempore; nempe à Caini & Lamechi temporibus.

Ibid. c. 17. v. 8. *Daboque tibi & semini tuo, terram peregrinationis tuæ .... in possessionem* עוֹלָם *æternam*, h. e. quandiu politia Judaica durabit.

Exod. 21. v. 6. *Et erit ei servus in sæculum*, h. e. usque ad Jubilæum, ut explicatur in *Midras elle haddevarim*, i. expositione Deuteronomii; itemque in lib. Qiddufchin, h. e. *sponsaliorum.* Eidem expositioni adstipulantur etiam S. Hieronymus infra laudandus, RR. Salomon & Qimhhi. Vide v. 15. Lev. 25. v. 46. Deut. 15. v. 17. 1. Reg. 1. v. 22. (quo in ultimo loco עַד־עוֹלָם *usque in æternum*, per *quandiu vivet*, Qimhhi explicat) 1. Paral. 15. v. 2. 2. Reg. 12. v. 10. & epist. ad Philem. v. 15.

Jerem. 5. v. 15. Babylonii dicuntur גּוֹי מֵעוֹלָם *gens ab æterno*, i. *antiqua*, Vulg.

Ibid. c. 17. v. 4. & c. 25. v. 9. Judæorum servitus duratura dicitur עוֹלָם *in æternum*, quæ tamen v. 11. capitis 25. *septuaginta annorum* spatio definitur. Itaque vox עולם & *infinitum & finitum* tempus, pro locorum circumstantiis, denotat; neque in nostris codicibus Hebræis animadvertitur discrimen à S. Hieronymo comment. in cap. 1. epist. ad Galatas, tom. 4. nov. edit. col. 227. assignatum. *In Hebræo*, inquit, *sæculum, id est, OLAM, ubi VAV literam positam habuerit, æternitatem significat: ubi vero sine VAV scribitur, annum quinquagesimum, quem illi Jubilæum vocant. Ob hanc causam & ille Hebræus, qui propter uxorem & liberos amans dominum suum, aure pertusa servitio subjugatur, servire jubetur in sæculum, hoc est, usque ad annum quinquagesimum.* Hoc, inquam, discrimen in Bibliis hodiernis etiam accuratissimis nequaquam observatur; nam Exod. 15. v. 18. *Dominus regnabit* לְעֹלָם *in æternum & ultra*, vox עלם sine ו scribitur. Vice versa, Deut. 15. v. 17. ubi lex eadem refertur, quæ supra Exod. 21. v. 6. לְעוֹלָם scribitur cum ו, quanvis tempus finitum denotet. At in S. Hieronymi codicibus voces illæ scriptæ esse potuerunt, prout scriptas hîc dicit; neque est quod illum festinationis aut hallucinationis arguamus; quod fecerunt nuperi quidam critici.

ARTICULUS IV.

De Synecdoche partis pro toto, seu membri pro integro.

SYNECDOCHE partis seu membri est, cum pars specialiter sic dicta, pro toto, & membrum pro integro ponitur. Quod fit vel in *hominibus*, vel in *rebus aliis*, vel in communi rerum accidente, *tempore.*

I. *Synecdoche partis, &c. in hominibus.*

Homines quod attinet, vel *singuli* sunt, vel certa ratione in unum *conjuncti* unum veluti totum constituunt.

In hominibus *singulis* partes sunt vel *essentiales*, vel *integrales*. Essentiales sunt:

ANIMA, quæ pro toto homine ponitur. Gen. 12. v. 5. *Tulitque* (Abram) *Sarai uxorem suam .... & animas, quas fecerant in Haran*, i. homines. Vide etiam c. 14. v. 21. c. 17. v. 14. c. 46. vv. 15. 27. Exod. 12. v. 19. Lev. 2. v. 1. c. 5. vv. 2. 4. Psal. 3. v. 2. Psal. 10. Heb. 11. v. 1. Psal. 24. Heb. 25. v. 13. Psal. 34. Heb. 35. v. 13. Isai. 58. v. 5. Ezech. 18. vv. 4. 20. Luc. 6. v. 9. Act. 2. vv. 41. 43. c. 7. v. 14. Rom. 13. v. 1. c. 16. v. 4. 1. Petr. 1. v. 9. c. 3. v. 20. Unde quibusdam in locis *mors* & *occisio* de anima dicuntur. Num. 23. v. 10. *Moriatur anima mea morte justorum*, h. e. moriar ego. Vide etiam Jos. 20. v. 3. Jud. 16. v. 32. Job. 36. v. 14. Jon. 4. v. 8. Qui etiam tropus apud profanos auctores invenitur. Polyb. lib.

16. ψυχῆς ἐπ' ἀπηλγηκυίας, *anima est deplorata*, h. e. hominis deplorati. Euripid. in Herc. v. 452. ἢ τίς ταλαίνης τ' ἐμῆς ψυχῆς φονεὺς, *aut quis misera mea anima occisor?* h. e. meiipsius. Horat. Satyr. 5. vv. 41. 42. *Animæ quales neque candidiores terra tulit*, &c. h. e. homines candidiores.

Generalius adhuc *anima* pro quovis animali bruto sumitur, Gen. 1. v. 24. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ.*

CORPUS, quod sumitur itidem pro toto homine. Exod. 21. v. 3. אִם־בְּגַפּוֹ יָבֹא בְּגַפּוֹ יֵצֵא *si cum corpore suo venit* (servus), *cum corpore suo egredietur*: h. e. si solus venit sine uxore, solus egredietur; si autem habuerit uxorem quando venit, egredietur & uxor ejus cum illo, i. libertate donabitur. Hanc explicationem confirmant LXX. ἐὰν αὐτὸς μόνος εἰσέλθῃ, καὶ μόνος ἐξελεύσεται· ἐὰν ἡ γυνὴ συνέλθῃ μετ' αὐτοῦ, ἐξελεύσεται ἡ γυνὴ αὐτοῦ, vel μετ' αὐτοῦ; *si ipse solus ingressus est, & solus egredietur: si autem uxor ingressa fuerit cum eo, egredietur uxor ejus*, vel *cum eo*, μετ' αὐτοῦ, ut habent mss. Alexand. Oxon. & Complut. edit. Vulg. *cum quali veste intraverit, cum tali exeat.* Vocem גַּף in sensu Thalmudistarum accepit, apud quos significat *alam* sive *oram vestis*, & synecdochice vestem. Vide insuper Rom. 12. v. 1. 1. Cor. 6. v. 15. Jac. 3. v. 6.

Partes hominis integrales, sunt vel *similares*, vel *dissimilares*. Ex similaribus sunt

CARO, quæ usurpatur

1°. Pro corpore, Gen. 17. v. 13. *Eritque pactum meum in carne vestra*, h. e. in corpore vestro. Vide etiam Psal. 15. Heb. 16. v. 9. (conf. Act. 2. vv. 26. 31. &c.) Prov. 14. v. 30. Joan. 6. v. 51. (confer Luc. 22. v. 19.) 2. Cor. 7. v. 1.

2°. Pro toto homine, Gen. 6. v. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, h. e. omnis homo. Vide etiam Psal. 55. Heb. 56. v. 5. (conf. v. 12.) Psal. 64. Heb. 65. v. 3. Psal. 144. Heb. 145. v. 21. Isai. 40. v. 6. (conf. Luc. 3. v. 6. 1. Petr. 1. v. 24.) Rom. 3. v. 20. 1. Cor. 1. v. 29.

Vox eadem de filio Dei incarnato accepta, integram & veram ejus humanitatem propria hypostasi destitutam, & *Verbo* personaliter unitam significat, Joan. 1. v. 14. *Et verbum caro factum est*, h. e. humanitatem assumsit. Vide etiam 1. Tim. 3. v. 16. Heb. 2. v. 14. 1. Pet. 3. v. 18. cap. 4. v. 1. 1. Joan. 4. v. 2.

3°. Pro omni animali vivente. Gen. 6. v. 13. *Finis universæ carnis venit coram me.* Vide etiam v. 17. Psal. 135. Heb. 136. v. 25.

SANGUIS, qui accipitur pro homine. Psal. 93. Heb. 94. v. 21. *Turmatim convenient* (Vulg. *captabunt*) *in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt*, h. e. hominem innocentem. Vide etiam Prov. 1. v. 11. Matth. 27. v. 4. Act. 17. v. 26.

Sanguis cum carne conjunctus denotat

1°. Hominis corpus, quatenus animale est & corruptibile. 1. Cor. 15. v. 50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* Conf. v. 42. & seqq. h. e. caro ista, & sanguis iste corruptibilis, non possunt gloriæ cœlestis cum anima participes fieri, nisi prius immutentur, & ex corruptibilibus fiant incorruptibiles.

2°. Totum hominem ut in se est, & Deo sive Divinæ vitæ aut naturæ opponitur. Matth. 16. v. 17. *Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi* (me esse Dei filium); *sed pater meus, qui in cœlis est*, hoc est, beatus es, quia homo carne & sanguine constans, ratio carnalis, humana & terrena intelligentia, &c. non revelavit tibi, &c. Vide etiam Gal. 1. v. 16. ubi Paulus post revelationem sibi à Deo factam negat se *carni & sanguini acquievisse*, h. e. cum homine quoquam contulisse. Sic Hebræi sæpe loquuntur. Thalm. Babyl. Berachoth, fol. 28. pag. 2. *Si me adducturi essent coram rege carnis & sanguinis*, &c. *at me adducturi sunt coram rege regum*, &c. Tanhhum, fol. 12. 4. *Rex carnis & sanguinis format imaginem suam in tabula*, &c. *Sanctus, Benedictus suam*, &c. Ibid. fol. 18. 3. *Deus Sanctus Benedictus non agit prout agit caro & sanguis*, &c. *Caro & sanguis una re vulnerant, alia sanant: at Sanctus Benedictus una eademque re vulnerat & sanat*, &c. Vide Lightfoot. in h. l. tom. 2. edit. Roterod. 1686. pag. 335. col. 2.

Ex partibus dissimilaribus synecdochen constituunt,

CAPUT, quod pro homine ipso ponitur. Jud. 5. v. 30. רַחַם רַחֲמָתַיִם לְרֹאשׁ גֶּבֶר *puella, dua puella* (dantur) *capiti viri*, h. e. singulis viris.

4. Reg. 2. v. 3. *Nunquid nosti, quia Dominus tollet Dominum tuum à capite tuo*, h. e. *à te*, Vulg. Vide etiam Psal. 3. v. 4. Psal. 7. v. 17. Psal. 65. Heb. 66. v. 12. Prov. 10. v. 6. Isai. 35. v. 10. Hinc phrasis: *sanguinem esse super caput alicujus*, est ipsummet mortis suæ causam esse, vel pœnam peccati sui luere. Vide 2. Reg. 1. v. 16. 3. Reg. 2. v. 37. Ezech. 33. v. 4. Act. 18. v. 6. & conf. Matth. 27. v. 25.

Cranium, pars capitis, sumitur etiam pro homine, Exod. 16. v. 16. *Colligat unusquisque .... Gomor* לַגֻּלְגֹּלֶת *per cranium*, id est, per singula capita, sive homines.

FACIES, quæ itidem pro homine sumitur. Gen. 32. v. 20. al. 21. *Dixit enim* (Jacob): *placabo* פָּנָיו *faciem ejus* (i. *illum*, Vulg.) *muneribus, quæ præcedunt* לְפָנָי *faciem meam* (i. me); *& postea videbo* פָּנָיו *facies ejus*, (h. e. *illum*, Vulg.): *forsitan propitiabitur* לְפָנָי *faciebus meis* (id est, *mihi*, Vulg.) Vide etiam c. 19. v. 21. 2. Reg. 17. v. 11. 3. Reg. 2. v. 20. c. 10. v. 24. Job. 11. v. 19. Psal. 41. Heb. 42. v. 12. Psal. 131. Heb. 132. v. 10. Prov. 28. v. 21. Eccle. 8. v. 1. Isai. 3. v. 15. c. 36. v. 9. Thren. 5. v. 12.

OCULUS, qui usurpatur etiam pro homine. Matth. 13. v. 16. *Vestri autem beati oculi, quia vident*, &c. h. e. vos autem beati, quia videtis, &c. Vide etiam Luc. 10. v. 23. 1. Cor. 2. v. 9. &c. Hinc *oculi elati* seu *sublimes* pro hominibus superbis ponuntur. Vide Psal. 17. Heb. 18. v. 28. Prov. 6. v. 17.

OS, ORIS, quod adhibetur quoque pro homine. Prov. 8. v. 13. *Os perversitatum detestor*, Vulg. *os bilingue*, h. e. hominem perversum & mendacem.

VENTER, qui pariter hominem integrum significat. Tit. 1. v. 12. *Cretenses ventres pigri*, &c. i. homines ignavi, *quorum Deus venter est*, Philip. 3. v. 19. & *qui nonnisi ventri suo serviunt*, Rom. 16. v. 18. &c.

UTERUS [רַחַם], qui pro femina bello capta ponitur. Jud. 5. v. 30. Vide supra in voce CAPUT.

COR, quod sumitur etiam pro homine. Gen. 31. v. 26. *Quid fecisti, & furatus es cor meum, & abduxisti filias meas tanquam captivas gladio?* h. e. *quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio?* Vulg. Unde v. 27. pro, *furatus es cor meum*, legitur, *furatus es me.* Chald. utrobique, *occultasti te à me.* In hac autem phrasi *furari aliquem*, videtur esse quædam hypallage pro *furari se ab aliquo*, h. e. per metaphoram, clam eo se subducere. Vide etiam supra pag. 203. coll. 1. 2. & Luc. 21. v. 34.

PEDES denique, qui pro homine ipso accipiuntur. Prov. 1. v. 16. *Pedes illorum* (impiorum) *ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem*, h. e. improbi ipsi ad malum currunt, &c. Vide etiam c. 6. v. 18. Isai. 59. v. 7. Rom. 3. v. 15. &c.

Huc etiam referri potest illud Isai. 52. v. 7. Rom. 10. v. 15. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem*, &c. h. e. quam pulchri sunt annuntiantes & prædicantes pacem, &c.

Hactenus de hominibus singulis, sive seorsim consideratis; nunc de iisdem conjunctis.

In hominibus conjunctis hæc synecdoche, vel analogon ejus, conspicitur.

Exod. 12. v. 40. *Habitatio autem filiorum Israël, qui manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, ubi per filios Israël simul intelligendi sunt & pater, qui *Jacob* est, & avus *Isaac*, & proavus *Abraham*; stirps enim cum posteris, ut unum quoddam integrum, consideranda est. Id ita fieri debere supputatio chronologica ostendit; nam ultra 210. annos Israëlitæ in Ægypto non fuerunt, ut liquet ex *Seder olam*, sive Chronico Hebræorum, & ex Chronico R. Abrahami Levitæ, qui sic scribit: *A descensu Jacobi in Ægyptum fluxerunt anni 17. Hinc ad mortem Josephi 53. Hinc usque ad tempus, quo surrexerunt falsi prophetæ de filiis Ephraim & Galaad, qui seduxerunt filios Israël, & ob id occisi fuerunt, anni 110. Hinc ad exitum 30. anni*, qui omnes conficiunt summam 210. annorum. Præterea Caath, qui descendit in

Ægyptum cum Levi (Gen. 46.) vixit annis tantum 133. Amramus ejus filius, annis duntaxat 137. Moyses autem ejus filius natus erat annos 80. cum eduxit Israëlitas ex Ægypto. Porro hi omnes anni summam tantum 350. non vero 430. conficiunt. Ex his autem annis 350. demendi sunt ii, quos vixit Caath ante descensum ejus in Ægyptum, & post natum Amramum, & quos Amramus vixit post natum Mosen. Anni igitur 430. incipiendi sunt ab exitu Abrahami de Ur Chaldæorum, & promissione à Deo ipsi facta, ut liquet ex epist. ad Galat. 3. v. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones ..... v. 17. Hoc autem dico, Testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.* Lex autem data est eodem anno, quo Israëlitæ ex Ægypto egressi sunt. Hanc sententiam confirmat Textus Samaritanus: ࠅࠌࠅࠔࠁ ࠁࠍࠉ ࠉࠔࠓࠀࠋ ࠅࠀࠁࠅࠕࠌ ࠀࠔࠓ ࠉࠔࠁࠅ ࠁࠀࠓࠑ ࠊࠍࠏࠍ ࠅࠁࠀࠓࠑ ࠌࠑࠓࠉࠌ ࠔࠋࠔࠉࠌ ࠔࠍࠄ ࠅࠀࠓࠁࠏ ࠌࠀࠅࠕ ࠔࠍࠄ: *Commoratio autem filiorum Israël, & patrum eorum, quam habitaverunt in terra Chanaan, & in terra Ægypti, quadringentorum fuit & triginta annorum.* Lxx. Vatic. ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν (msſ. Oxon. & Complut. edit. αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν) ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα, *habitatio autem filiorum Israël, quam habitaverunt* (msſ. Oxon. & Complut. edit. (*ipsi & patres eorum*) *in terra Ægypti, & in terra Chanaan, fuit quadringentorum & triginta annorum.* Hanc peregrinationem prædixerat Deus Abrahamo, Gen. 15. v. 13. *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua* (nempe in terra Chanaan, & in Ægypto), *& subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis.* Vide etiam Act. 7. v. 6. Hic 30. annorum supra 400. non fit mentio; *vel* quia vaticinium istud impleri tantum cœpit à nativitate Isaaci, ut volunt nonnulli, à qua ad exitum usque ex Ægypto 400. circiter anni effluxerunt; ab ea enim ad Jacobi nativitatem numerantur anni 60. (Gen. 25. v. 26.) Inde ad Jacobi adventum in Ægyptum, 130. (Gen. 47. v. 9.) Inde ad mortem ejus, 17. (ibid. v. 28.) Inde ad mortem Josephi, 53. (Gen. 50.) Inde ad nativitatem Mosis, 90. Inde ad exitum ex Ægypto, 80. (Exod. 7. v. 10.) Summa est annorum 430. *Vel* numerus rotundus, ut aiunt, pro accurato & definito ponitur. Vide de hac quæstione chronologos, maxime annales Usserii.

3. Reg. 8. v. 66. *Profecti sunt* (Israëlitæ) *in tabernacula sua lætantes & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo*, adde *& Salomoni*, sicuti additur 2. Paral. 7. v. 10.

Ibid. c. 10. v. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir*, &c. intellige & classem Salomonis, ut liquet ex c. 9. v. 26. *Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber*, &c. Vers. 27. *Misitque Hiram in classe illa servos suos nauticos & gnaros maris, cum servis Salomonis.*

Ibid. c. 11. v. 32. *Porro una tribus remanebit ei* (Salomoni) *propter servum meum David*, &c. Cum hac tribu conjungenda est pars tribus Benjamin & Simeonis, eique insuper accensendi sunt Levitæ cum quibusdam ex reliquo populo, qui in Jeroboami idololatriæ partem venire noluerunt, cap. 12. v. 23. 2. Paral. 11. v. 13. Alia hujus synecdoches exempla vide 4. Reg. 17. v. 18. Job. 32. v. 4. conf. vv. 5. 6. 7. 11. &c.

Huc etiam pertinet cum ponitur

EPHRAIM pro decem tribubus. Vide Isai. 7. vv. 2. 5. 8. 9. cap. 9. v. 9. tum quia in illa tribu erat sedes regia, nempe Samaria; tum quia Jeroboam, primus regum Israël, ex illa tribu erat oriundus.

JOSEPH (ex quo Ephraim) pro toto populo Israëlitico, Psal. 79. Heb. 80. v. 2. Psal. 80. Heb. 81. v. 6. Et pro decem tribubus, aut regno Israëlitico specialiter sic dicto, Amos c. 5. v. 15. c. 6. v. 6.

BENJAMINITÆ pro Judæis omnibus, Jerem. 6. v. 1. Denique

IMPERATOR, caput exercitus, pro toto exercitu, 1. Reg. 18. v. 7. *Percussit Saül mille, & David decem millia*, h. e. exercitus Davidis, vel David cum suo exercitu, &c. Vide etiam Exod. 17. v. 13. Jos. 10. vv. 28. 40.

II. *Synecdoche partis &c. in aliis rebus.*

AGER pro terra vel regione. Gen. 14. v. 7. *Et percusserunt omnem agrum Amalecitarum*, Vulg. optime, *regionem*. Vide etiam 1. Reg. 27. v. 7.

ANGULUS pro arce vel turri. Soph. 1. v. 16. *Dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & angulos excelsos*, h. e. arces sive turres excelsas. Vide etiam c. 3. v. 6. Zach. 10. v. 4.

BAPTISMUS Joannis pro toto ejus ministerio. Act. 1. v. 22. *Incipiens* (Jesus) *à baptismate Joannis, usque in diem, qua assumtus est à nobis*, &c. Vide etiam cap. 10. v. 37. c. 18. v. 25. &c. Alii tamen Act. 1. v. 22. per baptismum Joannis, eum intelligunt, quo à Joanne baptizatus est ipse Jesus. Vide interpretes.

CLAVUS pro tentoriis militaribus, quæ clavis panguntur & affiguntur. Zach. 10. v. 4. *Ex ipso* (Domino) *angulus* (i. turres & propugnacula, vide supra), *ex ipso clavus*, (Vulg. *paxillus*, i. tentoria), *ex ipso arcus prælii*, hoc est, omnis generis arma. Vide supra pag. 236. col. 1. in voce ARCUS.

HYSSOPUS pars aspergilli seu aspersorii pro toto aspergillo. Exod. 12. v. 22. *Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est* בַּסַּף *in vasi*, ita Hebræi omnes. Lxx. παρὰ τὴν θύραν, *juxta ostium*. Vulg. *in limine*. Vox Heb. סַף & *vas* quodlibet, & *limen* ac *ostium* significat. Hyssopum autem eo loci esse tantum aspergilli partem liquet ex Levit. 14. v. 4. *Præcipiet* (Sacerdos) *ei, qui purificatur, ut offerat .... lignum cedrinum, vermiculumque, & hyssopum*. Ligno cedrino alligabatur cum vermiculo sive filo coccineo hyssopus exiguus humilisque fruticulus, ut patet ex 3. Reg. c. 4. v. 33. sicque aspergillum fiebat. Neque explicationi illi adversatur illud Joan. 19. v. 29. *Illi autem* (milites) *spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus*, Christi; non enim spongia hyssopo tanquam calamo circumponitur; sed calamo alligatur cum hyssopo, quæ erat instar vinculi. Unde Matth. c. 27. v. 48. spongia illa dicitur imposita καλάμῳ *arundini*. Vide insuper Num. 19. v. 18. Psal. 50. Heb. 51. v. 9. Heb. 9. v. 19.

LAPIDES pro structura redintegrata. Psal. 101. Heb. 102. v. 15. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus*, Sionis, hoc est, quoniam volunt vel avidissime cupiunt servi tui Urbem sanctam instaurare.

MURUS pro urbe seu civitate. Amos 1. v. 7. *Et mittam ignem in murum Gazæ* (h. e. in urbem Gazam), *& devorabit ædes ejus*. Vide etiam vv. 10. 14. & conf. v. 12. cap. 2. vv. 2. 5. &c.

PORTA pro urbe. Gen. 22. v. 17. *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum*, i. urbes. Vide etiam Exod. 20. v. 10. Deut. 12. v. 12. c. 14. v. 27. c. 16. vv. 5. 18. &c. Psal. 86. Heb. 87. v. 2. Jerem. 15. v. 7. &c.

Vox eadem metonymice etiam sumitur pro urbis incolis, qui per portas ingrediuntur & egrediuntur. Ruth. 3. v. 11. כִּי יוֹדֵעַ כָּל־שַׁעַר עַמִּי *quia novit omnis porta populi mei*, &c. i. *omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ*, ut optime interpretatur Vulg. Vide etiam c. 4. v. 10. Isai. 14. v. 31.

TIGNUM pro tecto, & consequenter pro tota domo. Gen. 19. v. 8. *Quia ingressi sunt sub umbra* קֹרָתִי *tigni mei*, Vulg. *culminis mei*, h. e. domus meæ.

Sanctissimum hujus synecdoches exemplum elucet,

1°. In sanguine Christi Servatoris nostri, qui pro tota ejus passione & morte accipitur, Rom. 3. v. 25. *Quem* (Christum Jesum) *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, h. e. in passione & morte ejus. Vide insuper cap. 5. v. 9. Ephes. 1. v. 7. c. 2. v. 13. Coloss. 1. vv. 14. 20. Heb. 9. v. 14. c. 10. v. 19. c. 12. v. 24. 1. Pet. 1. vv. 2. 19. 1. Joan. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5. &c.

2°. In cruce, idque per metonymiam subjecti. 1. Cor. 1. v. 17. *Ut non evacuetur crux Christi*, h. e. meritum per passionem & mortem ejus nobis præstitum. Vide etiam v. 18. c. 2. v. 2. Galat. 6. v. 14. Eph. 2. v. 16. Coloss. 1. v. 20. c. 2. v. 14. &c.

3°. In morte. Rom. 5. v. 10. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*, &c. intellige & passionem. Vide quoque 1. Cor. 11. v. 26. Coloss. 1. v. 22. Heb. 2. v. 14.

III. *Synecdoche partis in tempore.*

Pars temporis pro tempore ipso ponitur, eoque vel indefinito, vel definito & certo.

ANNUS pro tempore. Isai. 61. v. 2. *Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro*, h. e. tempus. Vide etiam c. 63. v. 4. Jerem. 11. v. 23.

DIES etiam usurpatur,

1°. Pro tempore. Gen. 8. v. 22. *Cunctis diebus terræ*, &c. h. e. toto tempore, quo terra perseverabit. Vide etiam 4. Reg. 20. v. 1. Psal. 101. Heb. 102. v. 12. Psal. 102. Heb. 103. v. 5. Isai. 4. v. 1. c. 9. v. 4. Ose. 9. v. 9. Matth. 2. v. 1. Act. 5. v. 36. &c.

2°. Pro anno, quando videlicet voci plurali יָמִים *dies*, non additur dictio numeralis. Levit. 25. v. 29. *Si quis vendiderit domum habitabilem in urbe muro cincta, jus redimendi eam erit usque ad complementum anni venditionis ejus*, יָמִים *diebus*, inquam, *erit jus redimendi eam*, h. e. anno integro, ut patet ex priori membro, quod in posteriori illo repetitur.

Jud. 17. v. 10. *Dixitque Michas* (Levitæ) *mane apud me, & esto mihi parens ac Sacerdos, daboque tibi* לַיָּמִים *in dies decem argenteos*, &c. h. e. per *singulos annos*, Vulg.

Huc etiam referunt multi, Gen. 40. v. 4. Exod. 13. v. 10. 1. Reg. 1. v. 3. c. 27. v. 7.

Interdum tamen additur vox numeralis. Amos 4. v. 4. *Afferte mane victimas vestras*, לִשְׁלֹשֶׁת יָמִים *tribus diebus primitias vestras*, h. e. tertio quoque anno; respicitur enim ad legem Deut. 14. v. 28. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi*, &c.

3°. Vox illa videtur etiam accipi pro æternitate, Isai. 24. v. 22. *Et congregabuntur* (Dæmones aliique reprobi) *congregatione unius fascis in lacum*; (h. e. quemadmodum colligitur fascis ac in ignem projicitur) *& claudentur ibi in carcere*, (id est, in inferno): וּמֵרֹב יָמִים יִפָּקֵדוּ *& post dies multos visitabuntur*. Ita Vulg. has voces transtulit, quæ etiam verti possunt: *& in multitudine dierum* (h. e. æternum) *punientur*; nam præpositio מ interdum etiam significat *in*, ut Exod. 32. v. 30. Vide tom. I. pag. 601. col. 1. num. VI. & verbum פָּקַד *visitavit*, in malum quandoque accipitur, nempe pro *punire*. Vide sup. pag. 86. col. 1. & pag. 209. col. 2.

SABBATHUM pro tota hebdomade. Luc. 18. v. 12. *Jejuno bis in Sabbatho*, hoc est, in hebdomada, nempe die secundo & quinto, h. e. lunæ & jovis. Vide tom. I. pag. 478. col. 2. Judæi, qui præ cæteris religiosi videri cupiunt, etiamnum his diebus jejunant. Cur, & quomodo id faciant, dicemus in l. seq. cap. VII. art. III.

MANE pro continuo tempore. Psal. 72, Heb. 73. v. 14. *Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis*, h. e. continuo castigatus sum. Vide etiam Psal. 100. Heb. 101. v. 8. Isai. 33. v. 2. Eccle. 11. v. 6. Thren. 3. v. 23. &c.

VESPERE & MANE pro νυχθημέρῳ, i. *tota nocte & die*. Gen. 1. v. 5. *Factumque est vespere & mane dies unus*, i. primus. Mentio fit vespertini temporis ante matutinum, quia Judæi à vespera diem incipiunt. Vide etiam vv. 9. 13. 19. 23. 31.

HORA pro tempore. Joan. 4. v. 23. *Sed venit hora, & nunc est*, &c. i. tempus. Vide etiam c. 5. v. 35. c. 16. v. 2. c. 17. v. 1. 1. Joan. 2. v. 18. &c. Sic apud Platonem, καὶ μοι ὥρα ἀπιέναι, *jam abeundi mihi tempus est.*

Vox eadem pro parvo temporis spatio indefinite sumto accipitur, Gal. 2. v. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectione*, &c. h. e. ad tempus brevissimum. Vide etiam 1. Thess. 2. v. 17. Philem. 2. v. 15.

Huc pertinet, cum in chronologia pars major temporis pro toto tempore ponitur. 3. Reg. 2. v. 11. *In Hebron regnavit* (David) *septem annis*, adde: *& sex mensibus*, ex 2. Reg. c. 2. v. 11.

4. Reg. 24. v. 8. *Decem & octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem*, adde: *ac decem diebus*, ex 2. Paral. 36. v. 9.

Hactenus Troporum species expendimus; nunc eorum *affectiones* considerandæ. Tres numerantur, *Catachresis, Hyperbole*, & *Allegoria*, de quibus in tribus sequentibus capitibus agendum.

CAPUT V.

De Catachresi.

CATACHRESIS [*κατάχρησις abusus*] tropi affectio est, qua à communi tropice loquendi consuetudine quædam aliquantulum discedunt, & durius efferuntur vel cohærent. Id autem contingit I. In vocum acceptione seu significatione. II. In earum conjunctione. III. Denique in earumdem permutatione.

ARTICULUS I.

De Catachrestica vocum acceptione.

CATACHRESTICÆ vocum acceptionis hæc afferuntur exempla.

Levit. 26. v. 30. Heb. *Destruam excelsa vestra, & confringam simulachra vestra, & ponam cadavera vestra super cadavera idolorum vestrorum*, &c. Hic fragmenta simulachrorum, sive simulachra confracta, dicuntur *cadavera*.

Num. 9. v. 18. *Os Domini* pro ejus imperio ponitur, quod non manifesta loquutio, sed nubes signabat.

Deut. 16. v. 7. Verbum בָּשֵׁל *coquere*, usurpatur de agno Paschali, qui coquendus non erat, sed assandus ex Dei mandato, Exod. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo* (agno Paschatis) *crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni.*

1. Reg. 2. v. 15. *Caro* חַי *viva* dicitur pro *cruda*, ut optime reddidit Vulg.

2. Reg. 23. v. 17. *Aqua* Davidi vitæ militum periculo allata, *sanguis militum* ab ipso vocatur.

Job. 4. v. 12. Oraculum angeli Eliphazo factum *in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, furto allatum* dicitur, h. e. clanculum; sumta à latronibus metaphora, qui nocte, dum homines dormiunt, domos expilant.

Psal. 87. Heb. 88. v. 6. *Liber* seu *libertate donatus*, pro destituto omni ope accipitur.

Matth. 12. v. 5. Sacerdotes Sabbathum βεβηλῦν, *profanare* à Christo dicuntur, pro manibus in eo operari. Loquitur autem Christus ex Pharisæorum sententia, qui non licere quidquam die sabbathi agere contendebant.

Rom. 7. v. 23. Queritur Apostolus experiri se legem in membris suis (i. corpore suo), nempe concupiscentiam, quæ repugnet legi mentis suæ, h. e. *interiori homini*, de quo v. præced. & quæ eum *captivet in lege peccati*, h. e. captivare conetur; concupiscentia enim, quantumvis efferveat, voluntatis consensum non extorquet, sed sollicitat tantum.

Coloss. 3. v. 5. *Fornicatio, immunditia, libido*, &c. dicuntur *membra, quæ sunt super terram*, h. e. quæ terrena sapiunt, quæque mortificare nos jubet Apostolus. Sunt autem membra veteris hominis, qui Rom. 6. v. 6. dicitur *corpus peccati*.

Sic apud Latinos *paricida* non solum significat eum, qui patrem occidit (paricida enim per syncopen est pro patricida); sed eum etiã, qui alium quemlibet sustulit. Hinc Cicero pro Milone vocat Clodium *paricidam*, quod M. Papirium equitem Romanum interfecisset.

ARTICULUS

ARTICULUS II.

De Catachrestica vocum conjunctione.

AD Catachresticam vocum conjunctionem quod attinet; quædam interdum conjunguntur, quæ respondere sibi invicem non videntur.

Exod. 5. v. 21. *Fœtere fecistis odorem nostrum in oculis Pharaonis*, &c. Fœtor & oculi hîc catachrestice conjunguntur; eaque metaphora innuitur maxima ex parte Pharaonis aversatio.

Ibid. cap. 20. v. 18. *Cunctus autem populus videbat voces & fulgetra*, (Vulg. *lampades*) *& sonitum buccinæ*, &c. Catachresis, pro, videbat fulgetra, audiebat voces & sonitum buccinæ. Vide supra pag. 187. §. III. col. 1.

Marc. 7. v. 21. *Ab intus enim de corde hominum .... procedunt adulteria .... v. 22. oculus malus*, h. e. invidia, quæ solet oculis se prodere. Unde Græci dicunt βασκαίνειν *fascinare*, pro φθονεῖν *invidere*. Vide supra p. 179. col. 2.

Apoc. 7. v. 14. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni*, h. e. purificaverunt eas. Alia exempla vide 1. Tim. 6. v. 19. 2. Cor. 5. v. 2. Apoc. 1. v. 12. &c.

ARTICULUS III.

De Catachrestica vocum permutatione.

EA locum habet in Græca Lxx. versione, maxime vero in Novo Testamento. Illi enim interpretes, & θεόπνευστοι novi fœderis scriptores, vocum Hebræarum, quas interpretantur, vel ad quas respiciunt, obviam duntaxat significationem interdū exprimunt, licet alias etiam obtineant, quæ commodiorem sensum quandoque efficere videntur. Vel, ut aliis placet, apud priscos S. Scripturæ interpretes significationis unius interpretamentum pro alterius significationis interpretamento ponitur. Vel denique interpretes illi aut scriptores, Græcis vocibus sensus Hebraïcos nonnunquam affingunt, qui ex Hebræo idiomate potius quam ex Græco repetendi sunt. Vide præfat. tom. I. pag. xxxvj.

Isai. 55. v. 3. *Feriam vobiscum pactum sempiternum* חַסְדֵי Sym. τὰ ἐλέη, Vulg. *misericordias David fideles.* Lxx. & Apost. Act. 13. v. 34. τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστὰ, *sancta David fidelia.* Vox Hebraïca & *misericordias*, & *sanctitates* sive *sancta* significat.

Matth. 6. v. 34. *Sufficit diei ἡ κακία αὐτῆς, malitia sua*, pro ἡ κάκωσις αὐτῆς *afflictio, vexatio ejus.* Respexit Evangelista ad רָעָה, quod utrumque significat. Conf. Amos. 3. v. 6.

Luc. 1. v. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne* ῥῆμα *verbum*, pro πρᾶγμα, *res, negotium*; ab Hebræo דָּבָר, quod & *verbum* & *rem* sive *negotium* significat, quodque in mente habuit S. Lucas.

1. Cor. 15. v. 54. *Absorpta est mors* εἰς νῖκος *in victoria*, pro εἰς αἰῶνα, *in sempiternum*, ut interpretatur Vulg. Isai. 25. v. 8. unde contextus ille desumtus est, & ubi legitur לָנֶצַח quod significat & εἰς νῖκος *in victoria*, ut reddunt ibidem Aq. & Theod. & εἰς αἰῶνα *in sempiternum*, vel εἰς τέλος *in finem*, ut interpretatur Symm.

Gal. 2. v. 21. *Si per Legem justitia, ergo* δωρεὰν *gratis Christus mortuus est*, hoc est, frustra, ex Hebræo חִנָּם quod significat & *gratis*, pro ut merito, pretio, & mercedi opponitur; & *frustra*, quatenus effectus sperati privationem innuit; quo in ultimo sensu adverbium *gratis* hîc accipitur.

Heb. 11. v. 31. *Fide Rahab ἡ πόρνη meretrix non periit cum incredulis*, h. e. hospita, cau-

ponaria; id enim significat זוֹנָה Jos. 2. v. 1. (ad quem locum respexit auctor epistolæ), si vox illa derivetur à זון *alere, pascere, sustentare*, &c. uti ex illa deductam forma ejus ostendit. Si vero referatur ad זָנָה *scortari*, erit πόρνη *meretrix*. Rabbini aliique interpretes non pauci loco Jos. mox laudato זוֹנָה *hospitam, cauponariam* interpretantur. Vide etiam Jac. 2. v. 25.

Apoc. 14. v. 8. *Cecidit, cecidit Babylon .... quæ vino* θυμῦ *iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes*, h. e. vino veneni seu veneuato fornicationis suæ, &c. Heb. חֵמָה *iram* & *venenum* significat. Sic c. 18. v. 3.

Alia exempla vide Matth. 24. v. 29. ubi per δυνάμεις *virtutes*, intelligi potest *στρατιᾶ exercitus*, ab חַיִל, quod utraque significatione gaudet. Heb. 1. v. 2. ubi αἰῶνες *sæcula* ponuntur pro *mundo*, ab עוֹלָם, quod *sæculum* & *mundum* significat, &c.

CAPUT VI.

De Hyperbole, &, quæ ad eam per antiphrasin pertinet, Meiosi.

HYPERBOLE [ὑπερβολή] tropi affectio est, qua voces insolentius & audacius, rerum amplificandarum aut extenuandarum gratia, à nativa sua significatione in aliam traducuntur. Vel, ut scribit S. Aug. lib. 16. de Civit. Dei, c. 21. tom. 7. nov. edit. part. 1 col. 434. *Tropus vel modus loquutionis est, quando id, quod dicitur, longe amplius est, quam quod eo dicto significatur.* In priori definitione additæ sunt voces: *aut extenuandarum; μείωσις* enim, i. *imminutio*, sive *extenuatio*, ad hyperbolen etiam per antiphrasin pertinet.

Duplex autem statuitur hyperbole, *Rhetorica* & *Logica*. Rhetorica ea est, qua vocum ipsarum insolentior audaciorque fit translatio; Logica vero, qua audacior, atque à veritate simplici alienior comparatio, verbis tamen propriis concepta atque expressa, instituitur.

ARTICULUS I.

De Hyperbole Rhetorica.

EX exemplis, quæ allaturi sumus, alia spectant ad voces *singulas*, alia ad voces *connexas*.

I. Ad voces singulas hæc pertinent, in quibus ponitur

BELLUM pro quavis rixa privata. Jac. 4. v. 1. *Unde bella & lites in vobis?* Verbum Heb. נִלְחַם *pugnare*, eodem significatu accipitur Jerem. 1. v. 19. c. 15. v. 20.

CASTRARE seipsum, pro illicitis carnis voluptatibus & matrimonio ipsi nuntium remittere, Matth. 19. v. 12. *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.*

COELUM pro maxima altitudine; & è contrario, ABYSSUS sive INFERNUS pro magna profunditate seu dejectione. Psal. 106. Heb. 107. v. 26. *Ascendunt* (fluctus maris) *usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.* Vide

etiam Gen. 11. v. 4. Deut. 1. v. 28. c. 9. v. 1. Isai. 57. v. 9. Thren. 2. v. 1. Matth. 11. v. 23. Luc. 10. v. 18. &c.

DESERERE seu RELINQUERE pro posthabere. Gen. 2. v. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*, h. e. anteponet uxorem suam patri suo & matri suæ; non enim hoc præcepto amor erga parentes prohibetur, sed amori conjugali postponitur. Vide etiam Matth. 19. v. 5.

LASSITUDO pro summa contentione. Dan. 9. v. 21. *Ecce vir Gabriël* .... בִּיעָף *in lassitudine volans*, i. *cito*, Vulg. in sanctos enim illos spiritus non cadit lassitudo.

MUNDUS pro plenitudine. Jac. 3. v. 6. *Lingua ignis est, mundus* (Vulg. *universitas*) *iniquitatis*, h. e. plenissima malorum, sicuti mundus plurimis rebus repletus est.

NUBES, ut supra cœlum, pro magna altitudine. Jerem. 4. v. 29. *Fugit omnis civitas, ingressi sunt* בֶּעָבִים *nubes*, id est, loca præalta, seu *ardua*, ut reddit Vulg. ascenderunt, ut vitæ suæ consulerent.

ODISSE pro posthabere, minus diligere. Gen. 29. v. 31. *Videns autem Dominus, quod exosa esset Lia*, &c. h e. minus amata, ut liquet ex v. præcedenti: *Tandemque potitus* (Jacob) *optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit*. Vel, secundum Heb. *dilexit* (Jacob) *Rachelem magis quam Liam*. Vide tom. I. pag. 528. can. XIX. & Luc. 14. v. 26.

PERDERE pro damnum aliquod pati. Ruth. 4. v. 6. *Et dixit vindex ille* seu *propinquus: non possum vindicare mihi* (Ruth), *ne perdam possessionem meam*, h. e. ne patiar damnum in possessione mea; nam præter primogenitum propinquo substituendum, ceteri pari jure cum filiis meis, quos alia ex uxore suscepi, hæredes mei censebuntur; sicque possessio mea inter plurimos divisa valde extenuabitur. Quod autem vir ille jam uxorem habuerit, indicat Paraph. Chaldæus, qui ita vertit: *Non isto colore ego possum vindicare mihi, propterea quod mihi uxor est, non mihi licitum est accipere aliam ad ipsam, ne sit mihi jurgio in domo mea; & ita perdam hæreditatem meam*, &c. Vulg. aliter sensit dum sic interpretatus est: *Cedo juri propinquitatis; neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo*, &c. q. d. forte unicum filium ex ea suscipiam, qui in defuncti nomen succedet, atque ita meum interibit.

PRÆDARI, seu exspoliare, pro ab alio accipere. 2. Cor. 11. v. 8. *Alias Ecclesias* ἐσύλησα *deprædatus sum* (Vulg. *exspoliavi*) *accipiens stipendium ad ministerium vestrum*.

RIVI OLEI, pro omnium bonorum abundantia. Job. 29. v. 6. *Quando* .... *petra fundebat mihi rivos olei*. Conf. c. 20. v. 17.

Mich. 6. v. 7. *Nunquid placari potest Dominus* .... בְּרִבְבוֹת נַחֲלֵי־שָׁמֶן *in myriadibus torrentium olei*. Lxx. ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων, *in myriadibus* (Vulg. *in multis millibus*) *hircorum pinguium*. In Lxx. versione, quam sequutus est Vulg. mendum esse videtur in χιμάρων *hircorum*, pro χειμάῤῥων *torrentium*.

TONITRU pro forti hinnitu equi. Job. 39. v. 19. *Nunquid* .... *circumdabis collo ejus* (equi) רַעְמָה *tonitru*, Vulg. *hinnitum*.

TURRIS pro suggesto. 2. Esdr. 8. v. 4. *Stetit autem Esdras Scriba super*, מִגְדַּל־עֵץ *turrim ligneam*, hoc est, suggestum, sive *gradum ligneum*, Vulg.

II. In vocibus connexis, sive in phrasi conjuncta, hæ occurrunt hyperbolæ.

Gen. 41. v. 47. *Et fecit* (produxit) *terra septem illis annis saturitatis, ad manipulos*, seu *manipulatim*, q. d. ex uno grano integer manipulus colligebatur; qua hyperbole maximus proventus innuitur.

Ibid. c. 42. v. 28. *Et exiit cor eorum*, i. animus eorum defecit.

Exod. 8. v. 13. al. 17. *Omnis pulvis terræ versus est in* כִּנִּים *pediculos*, ut interpretantur omnes Hebræi, & plurimi recentiores. Lxx. σκνίφες, Vulg. *sciniphes*; de cujus vocis significatione non consentiunt interpretes.

Alia hujus hyperboles exempla vide (maxime in Heb. Vulgatus enim hyperbolicum sermonem interdum in simplicem commutat) Jud. 5. vv. 4. 5. c. 20. v. 16. 1. Reg. 25. v. 37. 2. Reg. 17. v. 13. 3. Reg. 1. v. 40. c. 10. v. 5. 4. Reg. 19. v. 24. Job. 29. v. 6. c. 40. v. 18. Psal. 6. v. 7. Psal. 118. Heb. 119. v. 136. Isai. 5. v. 25. c. 13. v. 13. c. 14. v. 14. c. 34. vv. 3. 4. 7. c. 42. v. 15. Jerem. 9. v. 1. Thren. 2.

v. 11. c. 3. vv. 4. 8. 49. Ezech. 26. v. 4. c. 27. v. 28. cap. 31. vv. 5. 6. 7. 8. c. 39. vv. 9. 10. Amos. 9. v. 13. Nah. 2. vv. 3. 4. Galat. 4. v. 15. &c.

ARTICULUS II.

De Hyperbole Logica.

HYPERBOLEN logicam quæ attinent, quæque propriis verbis efferuntur, occurrunt,

I. In hyperbolicis comparationibus. Gen. 13. v. 16. *Faciam semen tuum sicut pulverem terræ; si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.* Vide in h. l. Aug. l. 16. de Civ. Dei, c. 21. tom. 7. nov. edit. part. 1. col. 434. Eadem comparatio cum arena maris & pulvere terræ occurrit Gen. 22. v. 17. c. 28. v. 14. Jud. 7. v. 12. 1. Reg. 13. v. 5. 3. Reg. 4. vv. 20. 29. 2. Paral. 1. v. 9. Job. 29. v. 18. Psal. 77. Heb. 78. v. 27. Isai. 29. v. 5. Jerem. 15. v. 8. Heb. 11. v. 12. &c.

2. Reg. 1. v. 23. *Saül & Jonathas .... aquilis velociores* dicuntur, &c. Sic Jerem. 4. v. 13. Thren. 4. v. 19.

Alia hyperbolicæ comparationis exempla vide 3. Reg. 10. v. 27. (conf. v. 21.) 2. Paral. 1. v. 15. c. 9. v. 20. Job. 6. v. 3. c. 41. v. 9. & seqq. Hab. 2. v. 5. Thren. 4. vv. 7. 8. &c.

II. In hypotesibus quibusdam. Psal. 138. Heb. 139. v. 8. *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Vers. 9. *Si sumsero pennas meas diluculo* (vel secundum Heb. *pennas auroræ*), *& habitavero in extremis maris.* Vers. 10. *Illuc manus tua deducet me*, &c. Nullus homo vivens in cœlum ascendere, aut ad infernum descendere, &c. potest; sed per fictionem hyperbolicam hæc ita commemorantur ad illustrandam Dei in omni loco præsentiam, quam nemo effugere potest. Vide insuper Prov. 27. v. 22. Abd. v. 4. (conf. Jerem. 49. v. 16. &c.) Matth. 16. v. 26. Marc. 8. v. 36. Luc. 9. v. 25. 1. Cor. 4. v. 15. c. 13. vv. 1. 2. Gal. 1. v. 8.

III. In quibusdam aliis. 3. Reg. 20. v. 10. *Non sufficeret pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.* Thrasonica Benadadi regis Syriæ jactatio, qua ingens copiarum ejus numerus indicatur. Vide etiam Ose. 2. v. 17. Matth. 5. vv. 29. 30. c. 24. v. 2.

Luc. 19. v. 44. *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Vide Jansenii Gandav. comment. in concordiam Evang. c. 110. pag. 771. col. 1. Quanquam Josephus Scaliger animadv. in Chron. Euseb. pag. 211. edit. Amstelæd. 1658. nullam ibi hyperbolen agnoscit; existimat enim Hierosolymam funditus à Tito dirutam fuisse, adeo ut ne vestigium quidem urbis appareret; ea siquidem προέῤῥιζος ἐκ βάθρων ἀνήρπασται, *radicitus ab ipsis fundamentis eruta est*, ut scribit Joseph. l. 7. de bello Jud. c. 28. pag. 993. edit. Genev. 1611. paucis turribus exceptis, ac in victoriæ monumentum relictis. Vide eundem lib. 7. c. 18. pag. 970. Sed proprie de Templo loquitur Christus, quod plane eversum est, cuique aratrum inductum fuit à T. Annio Rufo, ut scribit S. Hieron. comment. in cap. 8. Zach. tom. 3. nov. edit. coll. 1752. 1753. *In hoc mense .... aratum templum in ignominiam gentis oppressæ, à Tito Annio Rufo.* Is à Judæis vocatur *Turannus Rufus.* Sanhedrin c. 7. & alibi טורנוס רופוס חרש החיכל *Turannus Rufus aravit Templum.* Vide Scalig. Canon. Isagog. l. 3. pag. 311. edit. supra laudatæ, ubi Hieronymum emendandum contendit. At forte Judæi Rufum illum odii causa Turannum aut Tyrannum appellarunt, quanvis Titus Annius Rufus vocaretur.

Luc. 10. v. 4. *Neminem per viam salutaveritis*, qua hyperbole maxima inter eundum celeritas innuitur. Conf. 4. Reg. 4. v. 29.

Joan. 21. v. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus .... nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Vide etiam Rom. 9. v. 3. cujus tamen loci alia, eaque fortasse commodior, affertur expositio in tom. I. pag. 603. col. 1.

ARTICULUS III.

De Meiosi, sive extenuatione.

MEIOSIN sive extenuationem quod attinet, triplicis generis statuitur. *Rhetorica, Logica, & Grammatica.*

MEIOSIS Rhetorica ea est, in qua tropus adhibetur. Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis*, h. e. homo vilissimus. Vide etiam 1. Reg. 24. v. 15. 3. Reg. 16. v. 2. Isai. 41. v. 14. Psal. 21. Heb. 22. v. 7. Psal. 112. Heb. 113. v. 7. Job. 25. v. 6. &c.

MEIOSIS Logica censetur, quando extenuationis gratia, cum re minima instituitur comparatio. Num. 13. v. 34. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere Giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Conf. Isai. 40. vv. 15. 17. &c.

MEIOSIS Grammatica denique cernitur, 1°. In formatione nominum, quæ *diminutiva* appellantur. 2°. In significatione quorumdam itidem nominum ac verborum.

I. Diminutiva formantur præcipue addita litera ן ceteris radicalibus. 4. Reg. 18. v. 4. *Et vocavit nomen ejus* (serpentis ænei) נחשתן *parvum æs*, sive *æneolum*, ut interpretatur Pagninus lib. 2. Instit. Hebraïc. cap. 8. à rad. נחש *auguratus est*, unde נחשת *æs*, & נחשתן *æneolus* per contemtum. LXX. Vatic. Νεεσθὰν, mſ. Alex. Νεσθὰν, Complut. Νεεθὰν, Vulg. *Nohestan*; ut nomen proprium spectarunt.

Huc etiam referunt צורון *collulum*, Cant. 4. v. 9. à צואר *collum*. אמינון *Aminonulus*, 2. Reg. c. 13. v. 20. ab אמנון inserto (י), quod etiam diminutivis formandis inservit, secundum eundem Pagninum mox laudatum. At hoc in exemplo (י) illud videtur esse antiqua vocalis *e*, quæ nunc per (ִ) exprimitur in אמנון *Amnon*. Quare hîc etiam LXX. habent Ἀμνὼν, Vulg. *Amnon*. אישון *pupilla*, Psal. 17. Heb. 18. v. 8. ab איש *vir*; quod in oculo parva quædam imago viri conspiciatur. שבתון *sabbathulum*, Exod. 16. v. 23. vel *cessatiuncula*, ut vertitur in Vatibli Bibliis. שמשון *Samson*, Jud. 13. v. 24. &c. à שמש *sol*, quasi *soliculum* seu *parvum solem* dixeris.

Diminutiva formari quoque geminata secunda & tertia radicali vult idem Pagninus loco supra laudato, ut: שחרחרת *subnigra*, Cant. 1. v. 6. ירקרק *subviridis*, Lev. 13. v. 49. אדמדם *subrufus*, ibidem. אדמדמת *subrufa*, v. 43. אלילים *Deiculi, idola*, Levit. 26. v. 1. &c. laudatque in sententiæ suæ confirmationem R. Abraham, D. Qimhhi ad rad. נחש & R. Emmanuël. At Qimhhi in Psal. 3. v. 3. ad vocem ישועתה sic scribit: *Omnis duplicatio vocis facit ad duplicationem rei.* Imo idem Rabbi in Jerem. 46. v. 20. ad nomen femin. יפה־פיה, quod est à יפה, monet *secundam & tertiam radicalem geminari ad summam pulchritudinem indicandam.* Vide tom. I. pag. 471. col. 1. in fine. Eandem de geminatarum literarum potestate regulam tradit Aben-Esra; sed in literis illis assignandis contrarius est Rabbi Davidi Qimhhi; scribit enim ad verbum יפיפית, Psal. 44. Heb. 45. v. 3. *duplicationem secundæ & tertiæ radicalis minuere: duplicationem vero primæ & secundæ augere significationem.* Vide tom. I. pag. 297. col. 2. in fine, & pag. 471. col. 2. initio. Itaque attenti & eruditi lectoris est, quandonam geminatio literarum augeat vel minuat vocum significationem, dijudicare.

II. Significationem cum nominum, tum verborum, quod attinet, eorum quædam minus dicunt quam revera significant. Vel, ut aliis placet, leniora pro vehementioribus usurpantur. Quod spectat ad nomina,

ALIQUIS pro eximio quodam seu magno ponitur, Act. 5. v. 36. *Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem*, hoc est, magnum quempiam, ut explicatur c. 8. v. 9. de Simone mago. Sic apud Juven. Satyr. 1. v. 73. *Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, si vis esse aliquis.* Ita etiam neutrum *aliquid* accipitur Gal. 2. v. 6. *Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid*, &c. Vide etiã c. 6. v. 3.

In plurali numero *aliqui*, *quidam*, ponuntur pro multis. Rom. 3. v. 3. *Quid enim, si quidam illorum* (Judæorum) *non crediderunt*, &c. h. e. multi; pauci enim crediderunt Judæi. Vide etiam 1. Tim. 4. v. 1.

INFIRMUS pro mortuo in peccatis. Rom. 5. v. 6. *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* h. e. cum essemus plane mortui spiritualiter. Unde, qui hîc *infirmi* dicuntur, ii statim *impii* nominantur, & *peccatores*, v. 8. & *inimici*, v. 10.

OBJURGATIO pro gravissima excommunicationis pœna. 2. Cor. 2. v. 6. *Sufficit illi* (Corinthio incestuoso) *objurgatio hæc*, &c. i. excommunicationis pœna.

UNUS in plurali numero, pro paucis. Gen. 27. v. 44. *Habitabisque cum eo* (Labane) *dies* אֲחָדִים *unos*, i. *paucos*. Vulg. Vide etiam c. 29. v. 20.

Significationem verborum quod spectat.

APERIRE OS, pro eximium quid dicere, vel libere & aperte loqui. Jud. 11. v. 35. *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero*, h. e. votum magnum vovi Domino, quod mutare non possum. Vide v. 36. Psal. 77. Heb. 78. v. 2. Prov. 8. v. 6. cap. 24. v. 7. Matth. 5. v. 2. c. 13. v. 35. Eph. 6. v. 19. &c.

GUSTARE VINUM, pro ejus potationi egregie indulgere. Dan. 5. v. 2. *Præcepit ergo* (Baltassar) בִּטְעֵם חַמְרָא *in gustu vini* (existens), i. *temulentus*, ut reddit Vulg. Eodem sensu *bibere vinum* accipitur, Prov. 31. v. 4.

NON ESSE, pro vilem & abjectum esse; & vice versa, ESSE, pro in pretio haberi. 1. Cor. 1. v. 28. τὰ μὴ ὄντα (ἐξελέξατο ὁ Θεὸς) ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ; *ea, quæ non sunt* (elegit Deus), *ut ea, quæ sunt, destrueret*, h. e. ut in priori versiculi parte, *ignobilia mundi & contemtibilia*, sive, ut in v. præcedenti, *infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia*. Eadem fere loquutio est, 2. Reg. 19. v. 6. al. 7. *Ostendisti hodie, quia* אֵין לְךָ שָׂרִים *non sunt tibi principes* sive *duces*, &c. h. e. *quia non curas de ducibus tuis*, ut optime interpretatur Vulg.

PERMITTERE, pro vires præbere & adjuvare. Heb. 6. v. 3. *Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus*, h. e. gratiam suam dederit.

QUÆRERE, pro nimis sollicite, & posthabito Deo, in aliquid intentum esse. Matth. 6. v. 32. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*, nimio videlicet studio ac diffidentia. Vide etiam Luc. 12. v. 30.

SALUTARE, pro invisere, ac familiariter colloqui. Act. 18. v. 22. *Et descendens* (Paulus) *Cæsaream, ascendit* (Jerosolymam) *& salutavit Ecclesiam*, h. e. invisit Ecclesiam Jerosolymitanam, Apostolos videlicet & fideles, qui erant Jerosolymis. Vide etiam c. 20. v. 1. c. 21. vv. 7. 19. c. 25. v. 13. Atque ita quidam explicant, quæ de prohibitione salutis habentur, 4. Reg. 4. v. 29. Luc. 10. v. 4. & 2. Joan. vv. 10. & 11.

TANGERE, 1°. pro lædere, aut quacunque ratione injuriam inferre. Gen. 26. v. 28. *Ineamus fœdus*; v. 29. *ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus*, &c. Vide etiam Ruth. 2. v. 9. Job. 1. v. 11. c. 2. v. 5. c. 19. v. 21. Psal. 104. Heb. 105. v. 15. Jerem. 12. v. 14. Ezech. 17. v. 10. Zach. 2. v. 8. Heb. 11. v. 28. 1. Joan. 5. v. 18. 2°. Pro conjugali, aliave illicita consuetudine. Gen. 20. v. 6. *Non dimisi*, seu *non permisi*, *ut tangeres eam*, Saram. Vide Prov. 6. v. 29. 1. Cor. 7. v. 1. 3°. Pro diuturniori detentione. Joan. 20. v. 17. *Noli me tangere*, i. ne in me tangendo diutius immoreris; *nondum enim ascendi ad patrem meum*: per totos 40. dies contingere me poteris; *sed vade ad fratres meos, & dic eis*, &c. Conf. 4. Reg. 4. v. 27.

VENIRE, pro adesse, & totum illud exsequi, cujus gratia ventum est. Matth. 11. v. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* h. e. Tu-ne ille es promissus Messias, qui restituet regnum Israël, &c. Vide etiam 1. Joan. 4. vv. 2. 3. c. 5. v. 6.

VIDERE SE INVICEM, pro inire prælium, & bello confligere. 4. Reg. 14. v. 8. *Veni, & videamus nos*, h. e. prælium committamus. Vide etiam v. 11. c. 23. v. 29. &c.

Huc pertinent verba negantia pro contrariis affirmantibus posita. Psal. 50. Heb. 51. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, i. acceptum habebis. Vide plura alia exempla in tom. I. pag. 528. can. XX.

quibus add. Gen. 20. v. 11. *Non est reverentia Dei in loco isto*, h. e. summa dominatur impietas. Psal. 3. v. 3. *Non est salus ipsi in Deo*, i. manet ira & perditio. Nah. 1. v. 9. *Non consurget duplex tribulatio*, h. e. prima clade perdemini. Adde etiã Rom. 1. v. 16. Heb. 13. v. 17.

CAPUT VII.

De Allegoria.

ALLEGORIA [ἀλληγορία] tropi, ac in primis metaphoræ, continuatio est, qua aliud dicitur, aliud significatur; seu aliud verbis, aliud sensu ostenditur. Duplicis generis statui potest Allegoria, *simplex* & *allusiva*. Simplex est, quæ à rebus quibuscunque naturalibus desumitur; allusiva, quæ ad alia sive dicta, sive facta respicit.

ARTICULUS I.

De Allegoria simplici.

ALLEGORIÆ simplicis hæc proferuntur exempla. Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te* (ô serpens), *& mulierem, & semen tuum, & semen illius:* הוּא *ipsum* (semen) *conteret caput tuum, & tu* תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב *conteres calcaneum ejus.* Per *serpentem* eo loci allegorice intelligitur Diabolus, qui in serpente latens Hevam alloquutus est; quique alias serpentis & draconis nominibus designatur, nempe Apoc. 12. vv. 7. 8. &c. Per *mulierem* synecdochice Adamus, & totum genus humanum ex his protoplastis oriturum. Per *semen serpentis*, tota Diabolorum caterva, quæ Messiæ interitum machinatura erat. Per *semen vero mulieris*, Messias ex SS. Virgine natus, quique sæpius in Novo Test. vocat se *filium hominis.* Ipsum sanctissimum semen *contrivit caput serpentis*, h. e. Diaboli imperium destruxit; sicut enim contrito serpentis capite, nihil ipsi veneni, roboris, ac vitæ superest: ita per Christi mortem sublata Diaboli potentia, quam in homines per peccatum exercebat, nihil amplius in eos juris ac roboris habet, nisi quantum ab ipsis ei tribuitur. Denique Messiæ *calcaneum contriturus* Diabolus dicitur (idem enim verbum שׁוּף & de Christo ac de Diabolo usurpatur), quo vaticinio declaratur Messiam ad passionem & mortem ignominiosissimam per Diaboli membra Judæos fore perducendum. Verum Deus Pater eum à mortuis suscitavit, ac victorem dominumque inferni constituit. Quamobrem in calcaneo tantum, non in capite, neque plaga insanabili læsus est à Diabolo, qui è contrario, contrito capite, non calcaneo solum, penitus interiit. Non moror, quod in Vulg. Latina legatur *ipsa conteret caput tuum*; nam 1°. Vetustissima quædam exemplaria Latina habent *ipse*, teste Luca Brugensi. 2°. Sic etiam legerunt triplicis Targum auctores, necnon Hebræi reliqui, & ipsi LXX. qui interpretati sunt, αὐτὸς *ipse*; quanvis præcesserit σπέρμα neut. gen. Sed vel sensum non verba respexerunt; vel in mente habuerunt υἱὸν, masc. gen. loco σπέρμα. Similem constructionem, aut generis enallagen, vide Matth. 28. v. 19. Luc. 8. v. 5. Sic apud Terentium, And. Act. 3. Scen.

5. v. 1. *Ubi illic est ſcelus, qui me perdidit?* i. ſceleſtus. Vide tom. I. pag. 509. col. 2. Ita etiam legebant SS. Iren. Cyprian. Hieron. Leo, &c. 3°. In phraſi Hebraïca & verbum & affixum maſculina ſunt: יְשׁוּפְךָ non תְּשׁוּפְךָ, תְּשׁוּפֶנּוּ non תְּשׁוּפֶנָּה. 4°. Denique Maſſorethæ puncta, quæ maſculinum, non femininum genus denotant, appoſuerunt: הוּא non הִוא, aut הִיא; neque ullam diverſitatem lectionis notarunt. Fatendum tamen eſt perantiquam eſſe Vulg. lectionem, utpotequam ſequantur S. Aug. Chryſoſt. Ambroſ. Greg. Beda, Alcuinus, Bernardus, Eucherius, Rupertus, &c. Vetus quidam interpres in mſſ. aliquot laudatus vertit: *αὐτή σου τειρήσει κεφαλὴν, ipſa conteret caput tuum.* Complut. edit. habet etiam *τειρήσει*, & *τειρήσεις*, pro *τηρήσει obſervabit*, & *τηρήσεις obſervabis*, quæ Lxx. Vatic. lectio librariorum incuria vitiata videtur, mutato *ει* in *η*. Ceterum non eſt quod Vulgatæ lectioni adeo infenſi ſint Heterodoxi; qui enim ex Catholicis eam tuentur, non exiſtimant ſanctiſſimam Virginem immediate per ſe, ſed per filium ſuum Chriſtum, caput ſerpentis contriviſſe.

Gen. 49. v. 11. *Ligans* (Juda) *ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Verſ. 12. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Judæi cum Chriſtianis quibuſdam hæc explicant de fertilitate terræ tribus Juda, quæ tanta hîc futura prædicitur, maxime in vitibus & lacticiniis, ut ejus incolæ aſinas cum pullis ſuis ad vites, quaſi ad ſepes & dumeta alligaturi ſint; & vino vice aquæ ad res quaſlibet, quæ ſtola & pallio deſignantur, lavandas uſuri ſint; ex eoque tam large potaturi, ut futuri ſint rubicundi oculis, & ob maximam lactis copiam albi dentibus; Hebræa enim verſus 12. ſic verti poſſunt: *Rubicundus oculis* (Juda) *propter vinum, & albus dentibus propter lac.* At ſenſum procul dubio ſublimiorem in mente habuit S. Patriarcha, qui hæc quoque Meſſiæ, de quo in verbis immediate præcedentibus, applicat. In his itaque hyperbole non eſt, ſed allegoria, cujus iſte videtur eſſe ſenſus: *Filius meus* (Chriſtus Meſſias) *ligabit*, h. e. vocabit & triplici fidei, ſpei, & charitatis vinculo ligabit *ad vineam*, Eccleſiam ſuam, quæ ſæpe in Scripturis *vinea* appellatur, *pullum ſuum*, populum gentilem, qui jugum Legis nunquam tulit; *& ad vitem*, i. ad ſe, qui ſe ipſe *vitem veram* dicit Joan. 15. v. 1. &c. *aſinam ſuam*, populum Judaïcum jugo Legis aſſuetum & attritum. *Lavabit in vino*, ſanguine ſuo, *ſtolam ſuam*, carnem ſuam, quam Deitas ſicuti veſtimentum induit; vel Eccleſiam ſuam, qua veluti ſtola amicitur, quamque pretioſiſſimo ſanguine ſuo lavit, & peccatorum ſordibus emundavit; *& in ſanguine uvæ pallium ſuum*, verborum præcedentium repetitio & idem ſenſus. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino*, &c. his & ſequentibus verbis ſpiritualis Chriſti pulchritudo deſcribitur. Metaphoricum oculorum ruborem quod attinet, reſpexit S. Patriarcha ad morem ſtibio oculos pingendi in Palæſtina receptum. Vide 4. Reg. 9. v. 30.

Eccle. 12. Senectutem & mortem pulchra allegoria deſcribit Salomon.

Verſ. 1. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ*, ama & cole creatorem tuum; verba enim notitiæ, praxim & affectum denotant. *In diebus juventutis tuæ;* neſcis enim utrum ad ſenium perventurus ſis, & quia juventus bene tranſacta, maximum eſt ſenectutis ſolatium; vel etiam quia incommoda, quæ ſenibus contingunt, eos ſæpe à cultu Divino, ut par eſt, exſequendo avocant. *Antequam veniant dies malitiæ*, ſeu *mali*, (Vulg. *tempus afflictionis*), *& appropinquent anni, de quibus dicas: non eſt mihi in eis voluntas* ſeu *beneplacitum*, h. e. *diſplicent*, Vulg.

Verſ. 2. *Antequam tenebreſcat ſol, & lumen, & luna, & ſtellæ*, antequam cæcutias, & ſol, lumen, luna, & ſtellæ reſpectu tui obtenebreſcant. Aliis non placet hæc expoſitio, quod in verſu ſequenti oculorum caliginis fiat mentio. Per ſolem igitur, lumen, lunam, & ſtellas, animæ facultates intelligunt, videlicet intellectum, judicium, perſpicacitatem, memoriam, &c. quæ in ſenibus plerumque debilitantur. Iſthæc explicatio

plicatio eo videtur probabilior, quod quatuor ſequentes verſus ad partes corporis referantur. Quare is mentem ſpectare debet, cujus alioquin, licet præcipua ſit pars hominis, infirmitates à Salomone omitterentur; quod vero ſimile non eſt. *Et revertantur nubes poſt pluviam*, i. calamitates calamitatibus ſuccedant. Notum proverbium: *Nubes poſt imbrem*, de malis ſibi cito ſuccedentibus; & contra: *Poſt nubila Phœbus*, de gaudio triſtitiam ſequente, uſurpatum.

Verſ. 3. *Quando commovebuntur* ſeu *trement cuſtodes domus*, quando manus & brachia erunt remiſſa, quæ dicuntur cuſtodes domus, i. corporis, quod eſt animæ domus, quod univerſum corpus cuſtodiant, & ab eo mala propulſent. *Et nutabunt viri fortiſſimi*, genua & crura, quæ ſunt Atlantes corporis, & in quibus hominis robur collocatur, Pſal. 146. Heb. 147. v. 10. Cant. 5. v. 15. Act. 3. vv. 7. 8. 16. *Et otioſæ erunt molentes in minuto numero*, & ceſſabunt dentes molares, iique in parvo numero, cibum mandere, ob eorum imbecillitatem. *Et tenebreſcent videntes per foramina*, oculi per intervalla palpebrarum, ſive per orbitas, quæ ſex oſſibus conſtantes fornicem efficiunt, proſpicientes. Hîc etiam eſt metonymia organi pro cauſa eo utente, nempe anima.

Verſ. 4. *Et claudent* ſive *claudentur oſtia in platea*, ſive *foris*, vel *exteriora*, nempe labia, quæ oris fores ſunt, *in humilitate vocis molentis*, propter tenuitatem vocis, quæ in ore, quod veluti mola panaria eſt, dentium præſertim ope formatur. Lxx. ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς τῆς ἀληθούσης, *in infirmitate vocis molentis*, Sym. ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς, *voce inutili reddita*. Ejus autem, qui loqui non poteſt, clauduntur labia. *Et conſurgent ad vocem volucris*, ſummo mane, quo aves garrire ſolent. Vel ad galli cantum, ſeu potius tempore galli cantus; non enim ab eo excitantur, quandoquidem mox ſurditas ipſis tribuetur. Senes autem parum vulgo dormiunt. *Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, aures ſcilicet, quæ cum ob id factæ ſint, ut voces & carmina audiant, eorum filiæ eſſe videntur, ut recte annotat Cornelius à lapide. Alii per *filias carminis* intelligunt cantatrices, quæ ſenibus obſurdeſcunt, h. e. non audiuntur (ſicuti ſol reſpectu eorum obtenebreſcere ſupra dictus eſt), imo & diſplicent, aut ſaltem jucundæ non ſunt. Unde 2. Reg. 19. v. 35. *Octogenarius ſum hodie* (inquit Berzellai ad David) *nunquid audire poſſum ultra vocem cantorum atque cantatricum?* Quibuſdam *filiæ carminis* ſive cantici, hîc ſunt concentus muſici, harmoniæ, & omnia, quæ muſicæ inſerviunt, vel in voce, vel in organis muſicis, ut *filius hominis* idem eſt, qui homo. Huic opinioni favet Aquilæ interpretatio, καὶ κλιθήσονται πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς, *& jacebunt omnia, quæ ſunt cantici*, vel *omnia cantica*.

Verſ. 5. *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via*, loca alta fugiunt ſenes, ſive ob laſſitudinem, ſive ob difficultatem ſpirandi, ſive ob vertiginem, ſive ob lapſus metum, &c. imo viam quamlibet averſantur, utpote qui vel ad feſtucam impingant. *Florebit amygdalus*, caput conſpergetur canitie, & albeſcet ſicut flores amygdali, cujus ſimilitudine utitur Salomon, quod aliis arboribus citius floreat. Et recte id quidem; cani enim opinione citius emergunt, & non opinantibus obrepit ſenectus. *Impinguabitur locuſta*, aggravabitur ſpina dorſi, quæ ob multas ejus vertebras locuſtæ comparatur. Ita Lxx. & Vulg. per metonymiam antecedentis pro conſequente; quæ enim impinguantur, ea aggravantur. Heb. וְיִסְתַּבֵּל הֶחָגָב *onerabitur* vel *aggravabitur locuſta*, h. e. tam debilis erit ſenex, ut vel ſi locuſta, parvum licet animal ac leviſſimum, ſuper eum requieverit, ei futura ſit oneri. *Et diſſipabitur capparis*, h. e. *libido refrigeſcet, & organa coitus diſſipabuntur*, ut explicat S. Hieron comment. in h. l. tom. 2. nov. edit. col. 784. cappari enim excitatur appetitus venereus, teſte Avicenna, l. 2. cap. 141. al. 142. Ruell. l. 2. de nat. ſtirp. cap. 103. &c. *Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, ſepulchrum, quod hominis domus dicitur Iſai. 14. v. 18. & quidem *æterna* ſive *in æternum*, Pſal. 48. Heb. 49. v. 12. h. e. in qua longiſſimo tempore habitabit, nempe ad ultimum uſque judicium. Vox Heb. עוֹלָם & *æternitatem*, &

longum tempus significat. *Et circuibunt in platea plangentes* amici, vel præfici & præficæ funus undique ambientes. Vide Jerem. 9. v. 17. Matth. 9. v. 23. &c.

Verf. 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus*, medulla ſpinæ dorſi, quæ alba eſt ut argentum, & qua rupta vel laxata, homo fit paralyticus, aut moritur. *Et recurrat vitta aurea*, ita Vulg. qui וְתָרֻץ deducebat à רוּץ *currere, recurrere*. LXX. καὶ συντριβῇ τὸ ἀνθέμιον τοῦ χρυσίου, *& conteratur vitta aurea*, Symm. καὶ ἐλαθῇ τὸ περιφερὲς χρυσίου, *& diducatur zona aurea*, Heb. וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב *& confringatur lenticula aurea*, à רָצַץ *confringere*. גֻּלָּה ſignificare poteſt & *vittam*, & *lenticulam*. Per vittam autem ſive lenticulam aut phialam, hîc intelligitur μῆνιγξ, h. e. membrana, præſertim interior, quæ cerebrum involvit, & in omnes ejus anfractus alte ſe inſinuat, eiſque firmiter annexa, ſingulas partes in propriis ſuis locis & texturis retinet. Aurea dicitur, quia rufa & flava eſt, & auro propior, quam ulla alia pars corporis. Porro illa membrana, quæ vulgo *pia mater* appellatur, inſtante morte ſæpe rumpitur, & in ſe recurrit, unde cerebrum ſubſidit. *Et conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam*. Hydria, de qua hîc agitur, ex mente Doctiſſimi viri D. *Smith*, à quo maximam hujus allegoricæ expoſitionis partem mutuati ſumus, venæ ſunt, verum ac proprium ſanguinis vas ſive conceptaculum. Fons autem, dexter cordis ventriculus, vitæ ſpirituumque vitalium origo; venæ ſiquidem ab eo (dextro cordis ventriculo) proficiſcuntur, quæ, cum à naturali actione & uſu ceſſant, h. e. cum ſanguinem nequeunt in cor refundere, ſed ſtagnari eum in ſe ſinunt, tunc *hydria ſuper fontem conteri* dicitur. Confractionem rotæ ſuper ciſternam quod attinet, nihil aliud eſt quam ceſſatio ſive abolitio pulſus, quod ſymptoma morientis certum eſt indicium. Quod ut facilius intelligatur, ſciendum eſt ſanguinem naturaliter & ſponte in venis ad cor tendere, indeque in reliquas corporis partes pelli, ac primo quidem in arteriam aortam, quæ cum ſit primum ac præcipuum *rotationis* ſive circulationis inſtrumentum, *rota* merito à Salomone appellatur; cumque officio ſuo fungi deſinit, confringi dicitur ſuper ciſternam, i. ſiniſtrum cordis ventriculum, cui annectitur, & unde oritur. Ut autem majori adhuc luce, quæ dicta ſunt, perfundantur, non ab re fuerit verba D. Smith circulationem ſanguinis deſcribentis, hîc attexere.

« Sanguinis primaria ſedes & fons eſt cor, « ubi fit, & unde diſpergitur in totum cor- « pus. In corde duæ ſunt cavitates, ſive « ventriculi, dexter & ſiniſter. E dextro « procedit magna illa vena *cava* dicta, & « vena arterioſa; è ſiniſtro, arteria magna « ſive *aorta*, & arteria venoſa; quarum om- « nium aditus valvulis clauditur atque mu- « nitur. Vena cava ſanguinem leniter tranſ- « mittit in dextrum ventriculum cordis, qui « dilatatur in diaſtole ſua ad ipſius receptio- « nem, & ſtatim contrahens ſeſe in ſyſtole « ſua (valvulis tricuſpidibus regreſſum in « cavam prohibentibus), neceſſario trudit « ſanguinem per venam arterioſam, inde- « que (valvulis ſigmoidibus regreſſum im- « pedientibus), in pulmones, ac deinde in « ramos arteriæ venoſæ, per quam in ſini- « ſtrum cordis ventriculum perducitur, un- « de per pulſum expellitur in aortam (val- « vulis hîc, ut antea, reditum intercluden- « tibus), per cujus ramos transfertur ad om- « nes partes corporis, ut eas vivificet: quo « peracto, reliquum ſanguinis recipitur in « venis capillaribus variarum partium, unde « naturaliter tranſit in magnum truncum « venæ cavæ, indeque in dextrum cordis « ventriculum: & ſic perpetua reciprocatio- « ne fertur. Hucuſque D. Smith, qui doctrinam illam de circulatione, quæ hodie *Harvæana* dicitur ab ejus excitatore D. Harvæo, Salomoni prius fuiſſe cognitam exiſtimat.

Alii per *hydriam, fontem, rotam, & ciſternam*, partes humani corporis nequaquam præciſe deſignari putant, ſed comparationem tantum inſtitui volunt hoc modo: Quemadmodum hydria, rota, ſive trochlea, fune, & urceo ſive ſitula confractis, aquam haurire & domum aſportare non licet: ita

deficientibus & exhaustis facultatibus naturalibus & vitalibus, vita retineri non potest. Epitheta vero *auri* & *argenti*, quorum prius funi, posterius lenticulæ tribuuntur, vitæ dignitatem ac pretium, ex eorum mente, designant.

Vers. 7. *Et revertatur pulvis*, i. corpus *in terram suam*, de qua formatum est; *& spiritus* (h. e. anima) *redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hîc desinit metaphora, & propriis, non allegoricis, verbis mors describitur, simulque animæ immortalitas asseritur.

Canticum canticorum perpetua est etiam allegoria, qua Christi & Ecclesiæ, sub sponsi & sponsæ nominibus, mutui amores exprimuntur.

Alia simplicis allegoriæ exempla vide Isai. 28. v. 20. c. 38. v. 12. Jerem. 11. vv. 16. 17. &c. c. 12. v. 5. Ezech. 16. v. 3. & seqq. Amos. 3. v. 12. & alia plurima cum Veteris, tum Novi Testamenti loca, quorum explicatio ex metaphora superius tradita, majori ex parte desumi potest; ita ut hîc actum agere necesse non sit.

ARTICULUS II.

De Allegoria allusiva.

Allegoriæ allusivæ hæc inter alia ponere sufficiat exempla.

Psal. 10. Heb. 11. v. 6. *Pluet super peccatores* (Dominus) *laqueos, ignem, & sulphur, & spiritum procellarum, partem calicis eorum.* Vel, ut Vulg. *ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum* (erunt), h. e. pars seu portio omnimoda. Alludit Psaltes ad excidii Sodomitici modum, ad quem etiam respexit Isai. c. 34. vv. 9. 10. &c.

Psal. 19. Heb. 20. v. 4. *Memor sit* (Dominus) *omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum* יְדַשְּׁנֶה *in cinerem redigat*, h. e. acceptum habeat. Hîc respicitur ad sacrificiorum oblationem, quæ, igne misso de cœlo, quandoque in cinerem convertebat Dominus, eoque signo grata sibi esse declarabat, ut Levit. 9. v. 24. 3. Reg. 18. v. 38. 1. Paral. 21. v. 26. Vulg. *pingue fiat*, i. pingue habeatur, proindeque acceptum; pinguedo enim utpote pars animalis optima Deo peculiariter consecrata erat. Sym. τὴν ἀναφορὰν σου πίονα ποιήσῃ, *oblationem tuam pinguem faciat.* Hier. ut Vulg.

Psal. 54. Heb. 55. v. 10. *Præcipita* vel *perde, Domine, divide linguas eorum*, ubi allusio fit ad linguarum confusionem, de qua Gen. 11. v. 7. In eodem Psalmo v. 16. *Descendant in infernum viventes*, de interitu hostium ut de supplicio Dathan & Abiron, Num. 16. vv. 30. 37. loquitur Psaltes.

Alia exempla vide in primis Isai. 24. v. 18. ubi alluditur ad diluvium universale, Gen. 7. v. 11. Item Isai. cap. 34. v. 11. ubi respectus habetur ad primam terræ vastitatem, Gen. 1. v. 2. uti & Jerem. 4. v. 23. Insuper Isai. c. 43. vv. 19. 20. ubi respicitur ad historiam exitus ex Ægypto, & peregrinationem filiorum Israël in deserto. Alia exempla facile advertet lector in Scripturis nonnihil exercitatus.

In Novo Testamento, Matth. 5. v. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, ῥακά* rhaca, *reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Alludit Christus ad formam civilium judiciorum, quæ apud Judæos exercebantur, & ad pœnas sontibus irrogari solitas. Per *judicium*, pœna à judicio inflicta significatur. Porro judicium constabat 23. judicibus; concilium autem sive *συνέδριον* (unde vox *Sanhedrin*) 72. *Gehenna ignis* erat vallis prope Jerusalem, in qua olim Judæi crudelem Phœnicum superstitionem imitati, infantes ignibus ad mortem usque cruciabant. Vide Psal. 105. Heb. 106. v. 37. Jerem. 7. v. 31. cap. 19. v. 2. &c. Locus ille dictus erat גֵּי בֶן־הִנֹּם *vallis filii Hinnom*, Jos. 15. v. 8. vel simpliciter גֵּי־הִנֹּם *vallis Hinnom*, ibid. unde nata est vox Græca *γέεννα geenna*, & cum aspiratione *gehenna.* Pœnis autem à judicio & concilio inflictis, designat Christus

æterna supplicia, & distinctos eorum gradus, ratione diversorum in peccatis graduum, quæ supplicia gehennæ ignibus exprimuntur. Quid sit autem discriminis inter רֵקָא, vel, ut scribunt Thalmudistæ ריקא aut רֵיקָא, & μωρὸς *fatuus*, assignare conatur *Lightfootus*, Hor. Hebr. tom. 2. edit. Roter. pag. 286. *Raka*, inquit, *vox contemnentis summo contemtu: apud auctores Hebræos usitatissima, & tritissima in ore gentis.* Midras Tillim in Psal. 136. Heb. 137. *Nupta est regis filia sordido cuidam nebuloni: imperat ille ut ea sibi adstet ut servula, & sit à poculis. Cui illa: Raka, ego sum filia regis.* Laudat præterea Tanhhum fol. 5. 2. fol. 18. 4. Thalm. Babylon. Berachoth fol. 32. 2. &c. Huic expositioni favet radix, quæ est vel רָקַק *spuit*, vel רִיק *evacuavit*, q. d. *cerebro vacuus.* Μωρὸς autem quod attinet, *interpres esto rex Salomon*, scribit idem Lightfoot. pag. 287. *qui ubique per stultum intelligit improbum & reprobum, stultitia spirituali sapientiæ opposita. Raka morositatem quidem denotat, & morum & vitæ levitatem: at μωρὲ de statu spirituali, & æterno acerbe judicat, & ad perditionem certam decernit.*

Matth. 6. v. 17. *Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Alludit Christus ad Pharisæorum hypocrisin, qui faciem suam in jejunio deformabant, eique opponit v. 16. ritum illius temporis, quo soliti erant uti unctionibus in lætitia. Vide Psal. 22. Heb. 23. v. 5. Ruth. 3. v. 3. Amos. 6. v. 6. Luc. 7. v. 46.

Denique Novi Testamenti cultus sæpe describitur habito respectu ad ea, quæ Veteris propria sunt. Sic Isai. 4. v. 5. *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte....* Vers. 6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & pluvia.* Hic Divina Christi Ecclesiæ & credentium protectio describitur, respiciturque tum ad columnam nubis & ignis, de qua Exod. 13. v. 21. cum ad Tabernaculum à Mose jussu Dei exstructum.

Ibid. c. 52. v. 11. Christianorum, & maxime novi fœderis Sacerdotum puritas sanctitate legali exprimitur, ... *pollutum nolite tangere.... mundamini, qui fertis vasa Domini.* Confer 2. Cor. 6. v. 17. vide insuper ejusdem Isai. c. 61. vv. 6. 7. 8. 9. Ose. 2. v. 15. Amos. 9. vv. 13. 14. 15. Zach. c. 14. vv. 10. 11. &c.

2. Cor. 3. vv. 11. 15. A velamine, quod Moses ponebat super faciem suam, Exod. 34. v. 33. eo quod filii Israël in eam intendere non possent ob nimium ejus splendorem, ibid. v. 29. pulcherrimam allegoriam ducit Apostolus, qua 1°. Novæ Legis dignitatem commendat; *si enim*, inquit, v. 11. *quod evacuatur, per gloriam est* (i. gloriosum): *multo magis, quod manet, in gloria est.* 2°. Judæorum Χειστομάχων, *Christi hostium* cœcitatem demonstrat, qui spiritualem Mosaïcæ faciei splendorem, id est, scriptorum ejus finem atque scopum, qui Christus est, non vident. Nam *obtusi sunt*, inquit v. 14. *sensus eorum; usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum; quoniam in Christo evacuatur.* Vers. 15. *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Vers. 16. *Cum autem conversus fuerit* (Israël) *ad Dominum, auferetur velamen.*

Galat. 4. v. 22. & seqq. Duo filii, quos Abraham habuit, unum de ancilla *Agar*, nempe *Ismaëlem* secundum carnem natum; & unum de libera *Sara*, videlicet *Isaacum*, qui secundum repromissionem natus est, allegorice duo testamenta significant, explicante ipso Apostolo, unum quidem in monte *Sina* in servitutem generans; alterum vero in Jerusalem, quæ sursum est, libera, & est mater nostra, scilicet Christi Ecclesia, cujus filii sumus; nos enim secundum Isaac promissionis filii sumus, & filii liberæ, qua libertate Christus nos liberavit, à jugo Mosaïcæ legis asserendo. Cum autem v. 25. *Sina συστοιχεῖν conjunctus esse* dicitur Jerosolymæ terrestri, qua Ecclesia Judaïca intelligitur, id accipiendum non est de locorum illorum situ; Sina enim distat Hierosolymis itinere ferme viginti dierum; sed de moribus, nempe servitute. Nam verbum illud *ejusdem ordinis ac sortis esse* significat, teste Suida,

cui σύστοιχα dicuntur, quæ ἀλλήλοις καὶ τὰ ὁμοίως ἔχοντα πρός τινα, καὶ κατὰ ἀναλογίαν εἶεν ἄν· ὡς ἐπιστήμη καὶ αἴσθησις, &c. *Similiter se ad aliqua habent, & sibi invicem certa ratione respondent, ut scientia & sensus*, &c. Sina itaque & Jerusalem, quæ nunc est, sive terrena, ejusdem sunt conditionis, quod serviant, & servos gignant: illa autem, quæ sursum est, Jerusalem, videlicet Ecclesia Christiana, libera est, & liberos gignit. Apoc. 7. v. 15. Dei in vita æterna celebratio, respectu ad Leviticum ministerium habito, exprimitur. *Ideo sunt* (electi) *ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in Templo ejus.*

CAPUT VIII.

De Proverbio.

PROVERBIUM, quatenus hîc consideratur, sermo est à publica loquendi consuetudine, quæ vulgo etiam ignota non est, petitus; unde Græcis dicitur παροιμία, à vocibus παρὰ *à*, vel *ab*, & οἶμος *via*; quasi *sermo trivialis*.

Proverbium vocibus vel proprie acceptis, vel tropo aliquo, quod hîc potissimum respicitur, affectis enuntiatur. Utrumque autem vel in *sententiis integris*, vel in *phrasibus*, quas vocant *proverbiales*, quæque ex communi usu desumuntur, occurrit.

ARTICULUS I.

De sententiis integris Proverbialibus.

SENTENTIÆ integræ proverbiales exstant, Gen. 10. v. 9. *Ob hoc exivit proverbium: quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Vide etiam c. 22. v. 14. Num. 21. v. 27. 1. Reg. 10. v. 12. c. 24. v. 14. 2. Reg. 5. v. 8. c. 20. v. 18. Jerem. 31. v. 29. Ezech. 16. v. 44. c. 18. v. 2. Luc. 4. v. 23. Joan. 4. v. 37. 2. Pet. 2. v. 22. quibus in locis sententias illas in proverbia abiisse affirmat Spiritus Sanctus.

Præterea sunt & aliæ proverbiales sententiæ, quæ licet proverbiorum titulum adjectum non habeant, illorum tamen formam & usum fere obtinuerunt. Deut. 25. v. 4. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.* Conf. 1. Cor. 9. v. 9. & vide insuper

3. Reg. 8. v. 46. cap. 20. v. 11. 2. Paral. 25. v. 9. Job. 6. v. 5. cap. 14. v. 19. c. 27. v. 19. c. 28. v. 18. Psal. 41. Heb. 42. v. 8. Psal. 61. Heb. 62. v. 10. Psal. 110. Heb. 111. v. 10.

Prov. 1. vv. 7. 17. 32. c. 3. v. 12. c. 6. vv. 6. 27. c. 9. v. 10. c. 10. vv. 5. 13. 19. 25. c. 11. vv. 15. 22. 27. c. 12. vv. 11. 15. c. 15. vv. 2. 33. c. 17. vv. 1. 10. 19. 28. c. 19. vv. 2. 24. c. 20. vv. 4. 11. 14. 21. 25. c. 22. vv. 6. 13. c. 25. vv. 11. 16. 27. c. 26. vv. 4. 10. 11. 14. 17. 28. c. 27. vv. 6. 7. 8. 10. 14. 17. 22. c. 28. v. 21. c. 30. v. 15. &c.

Eccle. c. 1. vv. 15. 18. c. 4. vv. 5. 12. c. 5. vv. 2. 6. 8. 9. 10. c. 6. v. 9. c. 7. v. 17. c. 9. vv. 4. 18. cap. 10. vv. 1. 2. 8. 9. 15. 19. 20. c. 11. v. 3. 4. 6. 7. c. 12. v. 12.

Eccli. 1. v. 16.

Jerem. 13. v. 23. c. 23. v. 28. Ezech. 7. v. 5. Mich. 7. vv. 5. 6. Habac. 2. v. 6. Malach. 2. v. 10. &c.

In Novo Testamento.

Matth. 5. v. 13. *Vos estis sal terræ*, &c. Vers. 14. *Vos estis lux mundi*, &c. Vide etiam c. 6. vv. 3. 21. 24. 34.

Ibid. cap. 7 v. 2. & simul Marc. 4. v. 24. Luc. 6. v. 38. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quæ sententia exstat in Thalm. Babyl. tract. Sanhedrin, fol. 100. 1. prope finem, *mensura illa, qua homo metitur, eadem metientur illi.* Vide Tanhhum, fol. 56. 4. Sota. c. 1. & Targ. Jerosolym. in Gen. 38. v. 26. *Mensura, qua mensurat homo, eadem remetietur illi, sive mensura bona, sive mensura mala.* Vide supra pag. 214. col. 2. & ejusdem capitis Matth. vv. 5. 16. c. 9. vv. 12. 16. c. 10. vv. 10. 22. 24. 26. c. 12. v. 34. c. 13. vv. 12. 57. c. 15. v. 14.

Ibid. c. 19. v. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Thalm. Babyl. Beracoth, fol. 55. 2. *Non ostendunt* (somniorum interpretes) *homini palmam ex auro, nec elephantem incedentem per foramen acus.* Glossa, *rem quam non solitus est videre, nec de qua unquam cogitavit.* Idem in Bava Mefsia fol. 38. 2. *Forte tu è Pumbedithanis es, qui introducere possunt elephantem per foramen acus*, i. interprete Aruch, *qui dicunt impossibilia.* Pro *elephante*, quem pauci viderant, Christus posuit *camelum* bestiam in Syria notissimam. *Pumbeditha* autem urbs erat Babyloniæ, in qua Academia erecta erat, secundum Rabbinos, circa annum Christi 230. Vide ejusd. Matth. c. 23. v. 23. c. 24. v. 28. Marc. 9. v. 50.

Luc. 6. v. 42. *Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo*, &c. Thalm. Babyl. Bava Bathra, fol. 15. 2. *Scriptum est in diebus, cum judicarent judices, id est, in generatione, quæ judicavit judices suos, cum diceret quis* (judex) *alicui: ejice festucam ex oculo tuo, respondit ille: ejice & tu trabem ex oculo tuo.* Idem in Erachin fol. 16. 2. *Si dicat quis alteri: ejice festucam ex oculo tuo; responsurus ille est: ejice trabem ex oculo tuo.* Vide Lightfoot. in Matth. 7. v. 4. & ejusd. Luc. c. 9. v. 62. c. 12. v. 48. cap. 23. v. 31. Act. 9. v. 5. c. 20. v. 35. 1. Cor. 5. v. 6. c. 10. v. 12. c. 15. v. 33. 2. Cor. 9. vv. 6. 7. Tit. 1. v. 15.

2. Thess. 3. v. 10. *Si quis non vult operari, nec manducet.* In Bereschith Rabba, *qui non operatur non edit.* Qui plura voluerit Scripturæ Sacræ proverbia, legat Horas Hebraïcas Lightfooti, Adagia sacra Joachimi Zehneri, &c.

ARTICULUS II.

De Phrasibus Proverbialibus.

PHRASES proverbiales quod attinet, Exod. 11. v. 7. *Apud omnes filios Israël non movebit canis linguam suam, ab homine usque ad pecus*, i. contra hominem aut pecudem; qua phrasi tanta tranquillitas futura innuitur, ut ne canis quidem, qui vel minimo strepitu excitari solet, cuiquam oblatraturus sit.

1. Reg. 25. vv. 22. 34. 3. Reg. 14. v. 10. cap. 16. v. 11. 4. Reg. 9. v. 8. Phrasis *perdere* seu *delere mingentem ad parietem*, extremam internecionem denotat, qua nec cani quidem parcitur, qui altero pede sublato ad parietem mingere solet. Sic Aurelianus imperator in Flav. Vopisco circa med. *Cum Thyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur: canem in hoc oppido non relinquam.* Capta urbe, ac militibus direptionem ejus postulantibus, imperatorem iis respondisse scribit idem auctor: *Canem negavi in hac urbe me relicturum; canes omnes occidite.*

Esth. 1. v. 22. *Loqui linguam populi sui*, in domo sua dominari, seu imperium habere significat. *Misitque* (Mamuchan) *literas ad omnes provincias regis, ad unamquamque provinciam secundum scripturam ejus, & ad unumquemque populum, secundum linguam ejus, ut esset quisque vir dominator in domo sua*, וּמְדַבֵּר כִּלְשׁוֹן עַמּוֹ *& loquens linguam populi sui.* Hæc ultima verba: *& loquens*, &c. quæ desiderantur in LXX. versione, addidit

Origenes, καὶ λαλεῖν κατὰ τὴν γλῶσσαν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, & loqui vel ut loqueretur secundum linguam populi sui. Vulg. & hoc per cunctos populos divulgari, is pro מְדַבֵּר in activa voce loquens, legebat in passiva מְדֻבָּר dictum, nuntiatum, &c. q. d. & hoc per cunctos populos dictum esse seu divulgari.

Job. 16. v. 10. al. 11. Maxilla percussio graves injurias & calamitates denotat. Aperuerunt (inimici mei) super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam.

Psal. 3. v. 8. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi לֶחִי (in) maxilla. Aq. & Sym. vertunt σιαγόνα, maxillam. LXX. ματαίως sine causa, ἢ κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἀντίγραφα ὑπέρως εὑρηκότα, καθά φασί τινες τῶν Ἑβραίων, ἢ τῆς λέξεως τὸ εὐτελὲς ἀποφεύγοντες, vel quia vetera exemplaria variabant, ut quidam Hebræorum testificantur, vel ut à vocis vilitate declinarent, ut monet Eusebius in hunc Psalmum, post Origenem. Quidam suspicantur pro ματαίως LXX. posuisse μαθυίας, quæ vox Hesychio & Phavorino malas, genas, significat, ac in ejus locum vitio librariorum irrepsisse ματαίως. Hic autem לֶחִי, sive in pausa לֶחִי, maxillam vertendum, probat sequens hemistichium: dentes peccatorum contrivisti. Vide etiam Thren. 3. v. 30. Mich. 4. v. 14. Matth. 5. v. 39. Luc. 6. v. 29. & confer Isai. 3. v. 15. 2. Cor. 11. v. 20. cap. 12. v. 7.

Prov. 6. v. 10. c. 24. v. 33. Eccle. 4. v. 5. Conserere sive complicare manus, pro ignavia & turpi otio usurpatur. Sic Livius: compressis manibus sedere. Lucanus compressas tenuisse manus.

Prov. 26. v. 17. Apprehendere auribus canem, periculis temere sese objicere significat. Sic apud Græcos τῶν ὤτων κρατεῖν τὸν λύκον, lupum auribus tenere.

Prov. 28. v. 21. Pro buccella panis prævaricari, vel ut Vulg. deserere veritatem, cadit in judices, qui muneribus vel levissimis corrupti, jus pervertunt. Ita Cato apud Gellium: frusto panis conduci potest, vel ut taceat, vel ut loquatur.

Matth. 3. v. 11. Calceamenta portare, & Joan. 1. v. 27. Solvere corrigiam calceamenti, vilissimum ministerium synecdochice notat. Matth. 23. v. 24. Excolare culicem, & deglutire camelum, dicitur de iis, qui in minimis superstitiosi sunt, in maximis vero negligentes & securi.

Act. 9. v. 5. cap. 26. v. 14. Contra stimulum calcitrare, potentioribus se, & in primis Deo potentissimo, frustra & magno suo malo reluctari significat. Metaphora illa sumta est à bobus arantibus, qui, cum stimulis recalcitrant, non stimulos, sed seipsos lædunt. Sic apud Plaut. in Trucul. Act. 4. Scen. 2. v. 55. Si stimulos pugnis cædas, manibus plus dolet; quod in Casin. Act. 2. Scen. 4. v. 4. propriis non figuratis verbis exprimit: Stultitia est te ei esse tristem, cujus potestas plus potest, &c. Euripid. in Bacch. v. 794. Θυμούμενος πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ, mortalis iratus contra stimulos calcitrarem Deo. Pindar. in Pyth. Od. 2. vv. 174. 175. Ποτὶ κέντρα δέ τοι λακτιζέμεν, τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος, contra stimulos autem calcitrare, lubrica est via. Terent. Phorm. Act. 1. Scen. 2. vv. 27. 28. Nam quæ inscitia est adversum stimulum calces? supp. jactare.

1. Cor. 3. v. 15. Si cujus opus arserit; detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, h. e. vix salvabitur, idque tantummodo per flammas piaculares; ut exponunt omnes fere Patres cum Græci, tum Latini, & concilium Florentinum. Per aurum autem, argentum, & lapides pretiosos, de quibus v. 12. sana doctrina intelligitur, quæ igne probata remanebit, & pro qua mercedem, qui eam prædicaverit, accipiet. Ligna autem, fœnum & stipula, sunt curiosa & inutilia dogmata, quæ comburentur, & qui ea disseminaverit, mercedem pro iis non recipiet, sed tantummodo salvabitur quasi qui ex incensa domo elabitur, & transit ambustus per ignem.

Ibid. c. 13. v. 2. Montes transferre, rem hominibus natura impossibilem, Deo autem possibilem denotat; quare Divina potentia hoc modo declaratur, Job. 9. v. 5. Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. Conf. Psal. 17. Heb. 18. v. 8. ubi à Deo irato fundamenta montium conturbata & commota dicuntur.

CAPUT IX.

De Ænigmate.

ÆNIGMA [*αἴνιγμα*] definiente S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 9. *Obscura est allegoria, sicuti est:* Sanguisugæ duæ erant filiæ, &c. Prov. 30. v. 15. Vossio lib. 4. instit. Orat. cap. II. *Ænigma proprie esse videtur oratio obscuritate allegoriæ rem notam significans.*

Ænigma stricte & late potest accipi. De hoc utroque ænigmatis genere in duobus sequentibus articulis agemus, quibus etiam nonnulla de *ὑπαίνιξι* sive *tacita & obscura declaratione* subjungemus.

ARTICULUS I.

De Ænigmate stricte sumto.

ÆNIGMA stricte sumtum vix unum aut alterum in Scriptura repereris. Adducunt in exemplum

Jud. 14. v. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Hîc per *comedentem* & *fortem*, leo intelligitur per synecdochen generis; per *dulcedinem* vero mel, per metonymiam adjuncti, ut v. 18. explicatio subjungitur. De hoc Samsonis problemate ita loquitur Vossius loco supra laudato. *Quanquam, ut ingenue, quod res est, dicam, si presse sumamus ænigmatis vocem, id quod Samson proposuerat, ænigma non erat; quia ignotum erat Philisthæis leonem à Samsone interemtum esse, aut mel exceptum esse è leonis cadavere.*

Ænigma quoque est, sive sermo ænigmaticus, sententia illa angelica manu in pariete regis Chaldæorum exarata, Dan. 5. v. 25. מְנֵא תְּקֵל וּפַרְסִין. Theod. *Μανὴ, Θεκὲλ, Φάρες*, Vulg. *Mane, Thecel, Phares*, non *oupharsin*, aut sine copula *pharsin*; cujus loco scriptum olim fuisse פְּרֵס vel פָּרֵס suspicari licet, *tum* eo, quod Theod. & Vulg. hanc vocem sic legerint, *tum* quia v. 28. ubi explicatio vocis illius subjungitur, textus habet פְּרֵס *Peres*, quod verbum exponitur *divisum est* regnum tuum, & datum est Medis & Persis, qui (Persæ) ænigmatice designantur voce פְּרֵס vel פַּרְסִין, per *ὑπαίνιξιν*, de qua post sequentem articulum differemus. Ceterum Babylonis sapientes has voces legere non potuerunt, v. 8. quod antiquis characteribus Hebræis, nempe Samariticis, essent exarata.

ARTICULUS II.

De Ænigmate late sumto.

ÆNIGMATIS late sumti nomine obscuriores parabolæ & allegoriæ possunt intelligi; atque ita ænigmatis hujus plurima in Scripturis reperire est exempla. Hæc attulisse sufficiat.

Psal. 48. Heb. 49. v. 6. *Cur timebo in die mala?*

mala ? iniquitas calcanei mei, vel secundum lectionem Massor. *calcaneorum meorum circumdabit me.* Non convenit inter interpretes de *die illa mala*, nec de *iniquitate calcaneorum.* Hæc expositio nobis videtur simplicior. *Cur timebo* (pauperiem) *in die mala*, nempe senectutis, cujus dies *mali* dicuntur Eccle. 12. v. 1. si huic occurrere velim divitias comparando, quæ vix sine peccato acquiruntur, *iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me*, h. e. pœna iniquitatis gressuum meorum sive actionum mearum circumdabit me; ita ut calcaneus synecdochice accipiatur pro pede, & pes metonymice pro gressu, sive actione, Gallice *démarche.* Conf. v. seq. Quidam hunc versiculum sic exponunt: *cur timebo in die mala*, nempe mortis, quando *iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me*, scilicet mors, adeo ut respiciatur ad illud Gen. 3. v. 15. *Ipsum* (semen) *conteret caput tuum, & tu* (serpens) *conteres calcaneum ejus.* Mors autem dicitur iniquitas calcaneorum, sive pœna calcaneis inflicta, quia totus homo ea non perit; quandoquidem illius superest anima, estque à Christo in vitam revocandus.

Prov. 26. v. 10. רַב מְחוֹלֵל כֹּל וְשֹׂכֵר כְּסִיל וְשֹׂכֵר עֹבְרִים. Tot sunt versiculi hujus interpretationes ob omnium fere vocum homonymiam, & variam earum lectionem, ut ænigmatis loco esse possit; nam רַב *magnum*, *magnatem*, *multum* significat. חולל *formandi*, *creandi*, *dolore afficiendi* significatum obtinet. שָׂכַר pro *mercede conducere*, *mercedem dare*, & *includere*, *obstruere*, *concludere* à סָגַר mutato ס in שׂ, & ג in כ; aut potius à סָכַר mutato solo ס in שׂ, ponitur. כְּסִיל *stultus* est, itemque *stella Orionis.* עָבַר denique, tam *localem transitionem*, quam legis & rationis *transgressionem*, itemque *indignationem* significat. Unde sic vertunt: Chald. *Multum dolet caro stulti, & ebrius transit mare.* Legebat מְחוּלָּל in puál pro מְחוֹלֵל, & neglexit vocem כֹּל. Pro primo וְשֹׂכֵר legebat וּבְשַׂר *caro*, transpositis כ & שׂ, & lecto ב pro כ, neglectaque copulativa ו. Pro ultimo וְשֹׂכֵר legebat וְשִׁכֹּר aut וְשִׁכּוֹר *& ebrius*, à שָׁכַר *inebriari.* Denique pro עֹבְרִים legebat cum duabus vocibus עֹבֵר יָם *transiens mare.* Hunc autem sensum respexisse videtur: multum sibi laborem ac dolorem stultus parit, adeo ut ebrius etiam mare transeat.

LXX. πολλὰ χειμάζεται πᾶσα σὰρξ ἀφρόνων, συντρίβεται γὰρ ἡ ἔκστασις αὐτῶν, *multum jactatur* (quasi à procella) *omnis caro stultorum, conteritur enim excessus eorum*, h. e. multum agitantur stulti dum excessus eorum à sapientibus reprimitur. 1°. Pro מְחוֹלֵל, legebant מְחוֹלָל, à verbo חָלַל *tripudiare*, *saltare*, *movere se*, &c. 2°. Vice prioris וְשֹׂכֵר, legebant וּבְשַׂר ut supra Chald. 3°. Loco posterioris וְשֹׂכֵר, legebant וְשֹׁבֵר mutato כ in ב. 4°. Denique pro עֹבְרִים legebant עָבְרָם *transire eorum*, in infinitivo qál, quem loco substantivi acceperunt. Sym. καὶ ὁ φράσσων ἄφρονα, ἐμφράσσει ὀργὰς αὐτοῦ, *& qui obturat amentem, obturat iras ejus.* Theod. καὶ φιμῶν ἄφρονα, φιμοῖ χόλους, *& qui capistrat amentem, capistrat iras.* Verbo שָׂכַר significatum *obturandi*, sive *concludendi, & comprimendi* affingebant quasi à סכר *concludere*, &c. & pro עֹבְרִים legebant עֶבְרִים ab עֶבֶר *transitus*, & metaphorice *ira*, *excandescentia*, &c. Præterea Sym. addidit αὐτοῦ sensus complendi gratia.

Vulg. *Judicium* (i. disceptatio à judicibus instituta) *determinat causas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Pro רַב legebat רִב à רִיב *contendere*, *disceptare*, *causam agere*, &c. *Determinat*, i. finem imponit litibus; ad verbum, *confodit omnia*, à rad. חָלַל, in poél *confodere.* Præterea כֹּל interpretatur *causas*, per synecdochen partis pro toto, sive singularitatis pro universalitate. Ad alterum hemistichium quod attinet, sequitur Theodotionem.

Recentiores interpretes, qui Massorethicæ lectioni adhærent, varie etiam hunc contextum exponunt.

Pagninus, *Magnus* (Dominus) *creat omnia, & mercedem dat stulto, & mercedem dat transgressoribus*, h. e. reddit unicuique secundum opera sua; bonis & sapientibus, bona: malis & insipientibus, mala. Quidam apud R. Salomon. h. l. sic exponunt: *Sanctus benedictus Deus includit stellam Orionem, quæ servit seu lucet in diebus solis inde à mense Thisri & ulterius: & abinde concludit omnes transeuntes mare, ut in eo navigare*

haud quaquam possint usque ad Paschatis tempus. Hi accipiunt כְּסִיל pro *stella Orionis*, ut Amos. 5. v. 8. Isai. 13. v. 10. & שֹׂכֵר in significatu *includendi*, ut Isai. 19. v. 10. in nomine derivato. Ipse R. Salomon hunc versiculum præcedenti conjunctum sic explicat: v. 9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in manu stultorum* est. Hoc est, inquit is Rabbinus: *Sicut spina adhærens manui ebrii: ita & parabola seu sententia, quæ mox sequitur, adhærens ori stultorum, est ipsis spina pungens & dolorifica. Et quænam est illa parabola sive sententia? quæ versu 10. subjicitur:* Magister format omnia, &c. *hoc est, Sanctus Benedictus Deus creavit omnes, & alit sustentatque omnes homines, tam stultos, quam sapientes; quare non opus habemus sapientiam sectari. Et is mercedem dat stulto non ut caro & sanguis, seu homines, qui non dant mercedem nisi operatoribus exploratis, & iis qui diligenter labori suo incumbunt: sed Deus Benedictus mercedem dat stultis, & mercedem dat transgressoribus viæ, qui ignave ab omni opere abstinent*, &c. Sic R. Salomon hominem impium loquentem & hac sententia seu parabola abutentem, seque ea tanquam spina in manu lædentem inducit.

Quidam apud Vatablum. *Magnus* (in populo, sive princeps) *coercet omnia, & obturat* (os) *stultorum, & obturat* (os) *transgressorum.* Quidam è contrario: *Magnus* sive *potens* (in populo) *dolore omnes afficit, & conducit stultum, & conducit transgressores*, sive improbos, quos tyrannidis & violentiæ suæ ministros adsciscit. Alii: *Deus, qui creavit omnia, stultis & improbis dat mercedem*, i. stultos & improbos pascit & nutrit, haud secus ac sapientes & justos, ut Matth. 5. v. 45. *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Alias bene multas commatis hujus expositiones vide apud interpretes.

In N. Testamento. Matth. 12. v. 43. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.* Vers. 44. *Tunc dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam.* Vers. 45. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi; & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, &c. Vide etiam Luc. 11. v. 24. 25. 26. Parabolicum hunc Christi sermonem Erasmus paraph. in Luc. 11. v. 24. vocat *ænigma*, quo significatur gravius damnari eos, qui aliquousque progressi ad justitiam, ad pristina flagitia relabuntur; quam qui nunquam cognita luce veritatis Evangelicæ, in caligine vitiorum perseverarunt. *Populus Judaicus*, inquit, *per Legem segregatus est ab idololatris gentibus, sed subinde relapsus ad priora crimina, tandem huc devenit impietatis, ut quidquid majores peccassent, occidendis prophetis, conspirando adversus Mosen, id septuplo sceleratius renovarent in filium Dei & hujus discipulos. Quanquam hæc parabola & ad unumquemvis hominem pertinet, qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel Evangelico sermone liberatus est à spiritu malo hujus mundi, negligenter habet donum Dei, nec curat semper ad perfectiora progredi. Huic ad pristinam vitam revoluto ad nihil aliud proderit baptismus ac cognitio sacræ doctrinæ, nisi ut graviorem damnationem sibi accersat in die judicii, videlicet ad pristinos errores ingratitudinem etiam ac malitiam adjungens.* Itaque per *hominem* eo loci significatur populus Judaicus ab idololatris gentibus primo segregatus, deinde Evangelii luce collustratus, ac Dæmonis imperio liberatus. *Loca arida*, Gentiles sunt cælestis gratiæ rore destituti, in quibus Diabolus requiem non invenit, exagitante eum, post illorum conversionem, Evangelio. Loquitur Christus ex mente Judæorum, qui Dæmones in locis desertis habitare credebant; quare eos שֵׁדִים vocabant à שָׁדַד *vastare*; sed forma est à שׁוּד. *Domum vacantem* sive vacuam reperit, nempe Christi gratia, quæ respectu Dæmonis, qui peccatorum sordibus delectatur tanquam ornamentis, *scopa* dicitur. *Septem*, i. multos alios spiritus sive Dæmones assumit nequiores se, ne iterum expellatur. Sicque *fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, h. e. ex quo fit, ut populus Judaicus sub Diaboli imperio magis quam antea, ob rejectum Christum Messiam, captivatur. Vide etiam 2. Petr. 2. v. 20.

APPENDIX

De Ὑπαίνιξι sive subobscura & tacita declaratione.

FRANCISCUS Junius lib. I. Parall. c. 8. distinguit *duo ænigmatum genera. Unum majus, quod totam sententiam complectitur, eamque obscurat vocibus compluribus: alterum minus sive angustius, quod sententiam quidem integram obscurat, sed obscura vocis unius tantum aut alterius translatione*, &c. Illud simpliciter *ænigma* vocat; hoc vero ὑπαίνιγμα sive ὑπαίνιξιν, i. *tacitam & subobscuram declarationem*. De hoc posteriori genere Hermogenem sic scribentem laudat. *Alterum præter hoc, sive acumen, sive acrimoniam dixeris, genus est acuminis, de quo est difficile statuere utrum in dictione versetur, an vero in sensu. Nam consideratur quidem in distinctione acumen illud vel acrimonia; sed illa ipsa dictio, quæ acumen habet, nihil per seipsam habet acuminis, si quis illam ab ea sententia, ubi est, subduxerit, aut ab iis rebus, quæ ante dictæ fuerint*, &c. Hæc inter alia sacræ hypænixeos afferuntur exempla.

Gen. 48. v. 22. Jacobus dat Josepho, præter partem, quam habiturus erat cum fratribus suis in divisione terræ Chanaan, שְׁכֶם *partem unam, quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo*, h. e. labore & industria, sive pecunia sua; eam siquidem emerat *centum agnis*, ut dicitur Gen. 33. v. 19. & Jos. 24. v. 32. nempe centum nummis figuram agni signatam habentibus. Sic Latini, quod propria opera effecerint, dicere solent *meis copiis, meo marte partum*. Vox autem שְׁכֶם, qua utitur Jacobus, obscure designat ipsum agrum *Sichem*, qui filiis Josephi obtigit, Jos. 24. v. 32. *& quem dedit Jacob Joseph filio suo*, Joan. 4. v. 5. ubi pro *Sichem* legitur *Sichar*; vel librariorum vitio, & corrupta temporibus pronuntiatione, ut censet Hieronymus epist. ad Eustoch. tom. 4. nov. edit. col. 676. & ut legitur *Achar* pro *Achan*, I. Paral. 2. v. 7. vel denique hæc mutatio ex odio Judæorum profecta est, qui nomen istud corruperunt, ut Sichimitas *ebriorum* stigmate notarent, ex Isai. 28. v. I. ubi populus regni Samariæ vocatur *ebrii Ephraim*; שָׁכַר enim *inebriari*, significat.

Isai. II. v. I. c. 60. v. 21. Christus dicitur נֵצֶר *radix, surculus*, qua voce innuitur locus educationis ejus, nempe *Nazareth*; atque huc respexisse videtur Matth. c. 2. v. 23. *Et veniens* (Joseph) *habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas* (i. unum è prophetis): *quoniam Nazaræus vocabitur*.

Ibid. c. 21. v. I. Babylon dicitur *desertum maris*, qua loquutione significatur eam vastandam fore à Medis & Persis, ac in desertum convertendam. Dicitur autem desertum maris, *tum* ob ingentes lacus & paludes, quibus circumdata erat; *tum* ob statum, in quo futura erat, cum à Cyro obsidenda esset. Nam mare ingens sive palus 320. stadiorum in latitudinem opera Nitocris reginæ septentrionem versus effecta erat; & regio quoque supra Babylonem, versus pagum nomine *Ardericam*, in quamplurimos anfractus diducto Euphrate, deserta facta, ut scribit Herodotus in Clio. Nomen autem maris apud Hebræos quibusvis majoribus aquæ conceptaculis tribuitur, ut *lacubus*, Isai. 9. v. I. Matth. 4. v. 18. Collat. cum Luc. 5. v. I. & *lavacro*, Jerem. 52. v. 17. Adde quod Babylon dicitur *super aquas multas habitare*, Jerem. 51. v. 13.

Ibidem v. II. *Idumæa*, quæ hîc clamosa dicitur, Deique populo illudens, appellatur *Duma*; qua paronomasia significatur futurum ut aliquando sileat; cum nempe Divinum super eam ingruerit judicium. Aliis tamen *Duma* est urbs Idumeæ, quæ à Stephano Byzantino *Dumathæa* vocatur. Aliis est ipsa Idumæa, quæ sic dicitur vel per aphæresin, ut *Ram* pro *Aram*, I. Paral. 2. v. 9. & Job. 32. v. 2. Vide etiam tom. I. pag. 433. col. I. Vel sic vocatur à *Duma* uno ex Ismaëlis filiis, Gen. 25. v. 14. I. Paral. I. v. 30.

Ibid. c. 22. v. I. Judæa, vel, ut aliis placet, Jerusalem appellatur *vallis visionis*; quan-

vis Judæa montosa maxime sit, & Jerusalem in monte, saltem ex parte, sita esset. At Propheta hoc vaticinio innuit eam instar vallis divino judicio deprimendam. Dicitur autem *vallis visionis*, vel à monte Moria, qui *visionem* significat; vel quia sedes erat prophetarum, qui olim *videntes* appellabantur. Vide 1. Reg. 9. v. 9.

Isai. c. 30. v. 6. Ægyptus dicitur *terra* צָרָה *angustiæ*, in qua appellatione respicitur ad ejus nomen מִצְרַיִם; quia angustias tantum & oppressiones, non auxilium, Judæis allatura erat. Vide v. 7.

Jerem. c. 4. v. 16. per נֹצְרִים *custodes, qui de terra longinqua veniunt*, significatur exercitus נְבוּכַדְנֶאצַּר *Nabuchodonosoris*, cujus nominis posterior pars ab eadem radice נָצַר derivatur; א enim, quod nunc otiosum est, antiquitus vocalis munere fungebatur.

Ibid. c. 13. v. 19. *Civitates austri* (id est, Ægypti, quæ ad meridiem Judææ sita est,) *clausæ sunt, & non est qui aperiat:* הָגְלָת יְהוּדָה כֻּלָּהּ הָגְלַת שְׁלוֹמִים *translata est Judæa omnis* (continens pro contento, sive regio pro incolis ejus), *translata est* (urbs) *pacificorum*, h. e. Jerusalem, ad cujus nomen respicit propheta; nam יְרוּשָׁלַם *Jerusalem*, venit ex parte à verbo שָׁלַם *pacatum, pacificum esse*, item *perfici*; unde LXX. συνετέλεσαν (mſ. Alex. & Complut. συνετέλεσεν) ἀποικίαν τελείαν, *perfecerunt* (mſ. Alex. & Complut. *perfecit*) *translationem perfectam*. Pro כֻּלָּהּ legebant כִּלָּה in piël, quam vocem jungebant cum sequenti הָגְלַת, quam è contrario ut nomen acceperunt, sic: הָגְלַת שְׁלוֹמִים *translationem perfectorum*, i. e. perfectam aut perfectissimam. Vulg.... *translata est omnis Juda transmigratione perfecta*, posterius הָגְלַת ut nomen substantivum etiam consideravit.

Ibid. c. 25. v. 26. Babylon vocatur *Sesach*, quo nomine innuitur tempus quo expugnanda erat à Cyro; nempe cum in festo & conviviis celebrandis occupandi essent Babylonii. Athæneus libr. 14. pagin. 639. edit. Lugd. 1612. refert ex Beroso & Ctesia, *per quinque dies Babylone festum celebrari* Σακέαν *nominatum*. Græci vocem hanc more suo corrupisse videntur, cum scripserint Σακέαν pro Σεσακέαν. Vide Casauboni annotat. in li. l. Porro Babylonem à Cyro captam fuisse cum Babylonii festum diem & convivia agerent, testantur Herodot. l. 1. p. 79. edit. Francofurt. 1608. & Xenophon l. 7. pag. 190. edit. itidem Francofurt. 1596. Conviviorum illorum meminit etiam Scriptura Isai. 21. v. 5. Jerem. 51. vv. 39. & 57. Judæi etiam in Alphabetho suo Qabbalistico dicto *Athbasch*, שֵׁשַׁךְ in בָּבֶל reperiunt. Vide Alphabetha illa in lib. III. cap. IV. art. III. Itaque Jerem. 25. v. 26. *Rex Sesach*, idem est ac *rex Babylonis*; remque definit ipse Jerem. 51. v. 41. *Quomodo capta est Sesach ..... Quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes?* ubi posterius hemistichium prioris est repetitio simul & explanatio.

Psal. 7. in titulo: *Psalmus David, ... propter verba* כּוּשׁ *Chus, filii Jemini*, qua voce indicari volunt Saülem filium קִישׁ de tribu Benjamin, qui forte etiam dicitur כּוּשׁ *Æthiops*, quia sicuti *Æthiops pellem suam mutare non potest*, Jerem. 13. v. 23. ita Saül pravos mores, ac odium in Davidem conceptum deponere non valebat, seu potius nolebat.





TRACTATUS III.

De Schematis seu Figuris.

PRæter figuras Grammaticas, de quibus in tractatu primo disputavimus, & Rhetoricas, de quibus in secundo; aliæ sunt, quæ à Græcis σχήματα *habitus* vocantur, quod ad orationis *habitum* spectent atque ornatum.

Figuræ illæ duplicis sunt generis; *dictionis* & *sententiæ*. Figuræ dictionis ad materiam & veluti corpus orationis; figuræ vero sententiæ, ad ejus formam & quasi animam, pertinent.

Figuræ dictionis sunt, cum sermo figuratur dictionibus, quæ vel certo ordine repetuntur, vel sono sibi apte & concinne respondent.

Figuras sententiæ vocant, quæ non in verbis, sed in rebus ipsis positæ sunt, & ex quarum habitu, orationi pondus & vis conferuntur. Differunt itaque figuræ *dictionis* & *sententiæ*, quod illæ pereant variato verborum ordine, aut voce aliqua ejusdem significationis substituta; hæ vero non exstinguantur verborum immutatione. Sive ut scribit Tullius lib. 3. de oratore: *Inter conformationem verborum & sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris; sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis.*

CAPUT I.

De Figuris Dictionis.

I.

EPIZEUXIS [Ἐπίζευξις] *subjunctio* sive *geminatio*, figura est, qua unius duarumve, aut plurium vocum continue & in eadem sententia fit repetitio, idque emphaseos, evidentiæ, & ornatus gratia. Vide tom. 1. pag. 457. Can. II. pag. 469. §. IV. pag. 560. Can. II. &c.

I. UNIUS VOCIS. Exod. 34. v. 6. *Domine, Domine, Deus misericors & clemens, &c.*

Deut. 28. v. 44. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te superne superne* (i. perquam superne super te efferetur); *tu autem descendes inferne inferne*, i. perquam inferne infra advenam deprimêris.

Psal. 21. Heb. 22. v. 2. אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sic Christus Matth. 27. v. 46. nisi quod pro verbo Hebræo עֲזַבְתָּנִי usus sit verbo Syro-Chaldaico שְׁבַקְתָּנִי *schebactani* vel *scha-*

bactani, prolato (ׅ) initiali secundum sonum vocalis sequentis, prout olim legebatur, vide tom. I. pag. 37. col. I. Lxx. ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, πρόσχες μοι, *Deus meus, Deus meus, attende mihi*. Vulg. Latin. *respice in me*. Hæc ultima verba: πρόσχες μοι, à Lxx. addita sunt, ut liquet ex nota in 2. mss. codicibus apposita: πρόσχες μοι οὐ πρόσκειται ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, ἀλλ' ἐν μόνοις Ο, attende mihi, *non exstat in Hebräico, sed in solis Lxx*. Euseb. comm. in h. l. μὴ προσκειμένου γὰρ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ τοῦ, πρόσχες μοι, ὃ δὴ κατὰ μόνους τοὺς ἑβδομήκοντα προσέκειτο τῷ πρώτῳ στίχῳ, ἀκριβῶς καὶ ὑπὸ τῆς φωνῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν παραλέλειπται, *cum in Hebræo illud*, respice in me, *non compareat; sed in solis Septuaginta interpretibus primo versui inseratur; jure à Salvatore nostro hæc vociferante, prætermissum est*. Vide tom. I. pag. 457. col. I. & 4. Reg. 4. v. 19. Psal. 136. Psal. 137. v. 7. Isai. 6. v. 3. Jerem. 22. v. 29. Ezech. 21. v. 27. Matth. 23. v. 37. Luc. 22. v. 31. c. 23. v. 21. Joan. 5. v. 24. Act. 9. v. 4. Apoc. 18. v. 2.

II. DUARUM AUT PLURIUM VOCUM. Lev. 24. v. 8. *In die sabbathi, in die sabbathi ordinabit illos* (panes propositionis); Vulg. eleganter: *per singula sabbatha mutabuntur*, ubi sensum non verba expressit. Vide etiam 2. Reg. 18. v. 33. Isai. 28. v. 10. &c.

Huc referunt, cum inter vocem continue repetendam, interponitur vel parenthesis, vel quædam alia dictio. Ose 2. v. 21. *Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos*. Ezech. 34. v. 17. *Ecce ego judico* בֵּין שֶׂה לָשֶׂה *inter pecus & pecus*, &c.

II.

ANADIPLOSIS [ἀναδίπλωσις] *reduplicatio*, figura est, qua vox eadem repetitur in fine præcedentis, & in principio sequentis sententiæ.

Psal. 120. Heb. 121. v. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Vers. 2. *Auxilium meum à Domino*, &c.

Psal. 121. Heb. 122. v. 2. *Stantes erant pedes nostri in atriis*, vel *in portis tuis Jerusalem*. Vers. 3. *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas*, &c. Vide etiam Psal. 97. Heb. 98. vv. 4. 5. Rom. 8. v. 17. c. 9. v. 30. c. 10. v. 17. Philip. 2. v. 8. Jac. 1. v. 3. &c.

Duarum vocum fit repetitio Psal. 112. Heb. 113. v. 8. *Ut collocet eum* (pauperem & egenum) *cum principibus, cum principibus populi sui*. Hæc autem figura ad rei explicationem & evidentiam facit.

III.

CLIMAX [κλίμαξ] *gradus, gradatio*, est Anadiplosis pluribus gradibus ita continuata, ut antecedentis sententiæ ultimum sive verbum, sive membrum, in principio sequentis sæpius repetatur.

Ose 2. v. 21. *Tunc exaudiam cœlos, & illi* (cœli) *exaudient terram*. Vers. 22. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc* (triticum, vinum & oleum) *exaudient Jezraël*.

Joan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Vers. 2. *Hoc* (Verbum) *in principio erat apud Deum*, &c. qua gradatione & vera J. C. Divinitas, & distincta à Patre hypostasis pulcherrime exprimitur. Ut autem sibi constaret isthæc gradatio, in tertia propositione fit terminorum inversio: *Deus erat Verbum*, pro: *Verbum erat Deus*; nam dictio *Verbum*, ut jam diximus in tom. I. pag. 428. Can. IV. col. 2. est propositionis subjectum, *Deus* vero attributum. Vide etiam vv. 4. 5. & Joel. 1. vv. 3. 4. Sap. 6. vv. 18. 19. 20. Rom. 5. vv. 3. 4. 5. cap. 8. vv. 29. 30. c. 10. vv. 14. 15. 1. Cor. 11. vv. 31. 32. Jac. 1. vv. 4. 15. 2. Petr. 1. vv. 5. 6. 7.

IV.

ANAPHORA [ἀναφορά] *relatio*, figura est, qua vox eadem (vel etiam plures) in principiis clausularum iteratur.

Deut. 28. v. 3. *Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro*. Vers. 4. *Benedictus fructus ventris tui......* Vers. 5. *Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ*. Vers. 6. *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens*. De maledictione similis *Anaphora* occurrit vv. 16. 17. 18. 19. Vide etiam Psal. 3. vv. 2. 3. Psal. 28. Heb. 29. v. 3. & seqq. Psal. 66. Heb. 67. vv.

6. 7. 8. Psal. 93. Heb. 94. v. 3. Psal. 114. Heb. 115. vv. 12. 13. Psal. 117. Heb. 118. vv. 8. 9. 15. 16. Psal. 148. v. 1. & seqq. Psal. 150. v. 1. & seqq. Isai. 2. vv. 7. 8. Jerem. 4. vv. 23. 24. 25. 2>. c. 5. v. 17. Et sic sæpe in V. Testamento.

1. Cor. c. 12. v. 8. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ.....* Vers. 9. *Alii fides in eodem spiritu : alii gratia sanitatum.....* Vers. 10. *Alii operatio virtutum : alii prophetia : alii discretio spirituum : alii genera linguarum : alii interpretatio sermonum.* Vide insuper c. 13. vv. 4. 7. 11. Rom. 8. vv. 35. 38. 39. 2. Cor. 7. v. 11. c. 11. v. 26. Philip. 4. v. 8. &c.

Huc pertinet *polysyntheton*, quo conjunctio copulativa ו sæpius in principiis commatum iteratur. Vide tom. 1. pag. 616. col. 1. versus initium.

V.

EPISTROPHE [ἐπιστροφὴ] *conversio*, figura est, qua eadem vox, vel phrasis, in fine sententiarum, vel clausularum repetitur.

Deut. 32. v. 10. יִמְצָאֵהוּ בְּאֶרֶץ מִדְבָּר ... יְסֹבְבֶנְהוּ יְבוֹנְנֵהוּ יִצְּרֶנְהוּ כְּאִישׁוֹן עֵינוֹ *invenit eum* (Jacobum, seu populum Israëliticum) *in terra deserta..... circumduxit eum, docuit eum, custodivit eum quasi pupillam oculi sui.* In his futuris, quæ præteritorum loco usurpantur, affixum הו quater repetitur. Vide etiam Ezech. 36. vv. 23. 24. 25. 26. 27. quibus in versiculis pronomen כֶּם sæpius iteratur.

Rom. 8. v. 31. εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν ; *si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Vide etiam 2. Cor. 11. vv. 22. 23.

Repetitionis integræ phraseos vel sententiolæ exempla sunt, Psal. 113. Heb. 114. vv. 9. 10. 11. ubi ter repetitur : *adjutor eorum, & protector eorum est.* Psal. 135. Heb. 136. ubi in fine singulorum versuum repetitur : *quoniam in sæculum misericordia ejus.* Vide insuper Deut. 27. v. 15. & seqq. Psal. 23. Heb. 24. v. 10.

VI.

SYMPLOCE [συμπλοκὴ] *complicatio*, figura est, qua vox eadem, vel phrasis, initio simul & in fine clausularum repetitur; adeoque est *Anaphoræ* & *Epistrophes* conjunctio. Sic in Psal. 117. Heb. 118. versus 2. 3. 4. incipiunt à voce *dicat* vel *dicant nunc*, clauduntur vero per sententiam : *quoniam in sæculum misericordia ejus.* Vide etiam Psal. 135. Heb. 136. vv. 1. 2. 3. qui incipiunt ab הוֹדוּ *confitemini*, & desinunt in præcedentem sententiolam : *quoniam in sæculum*, &c. Jerem. 9. v. 22. al. 23. in cujus membrorum initio repetitur אַל־יִתְהַלֵּל *ne glorietur*; in fine vero affixum ו. 1. Cor. 12. vv. 4. 5. 6. c. 14. v. 15. 2. Cor. 9. v. 6. &c.

VII.

EPANALEPSIS [ἐπανάληψις] *resumtio*, figura est, qua eadem vox in principio, & in fine sententiæ repetitur.

Psal. 52. Heb. 53. v. 3. אֱלֹהִים *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens* אֱלֹהִים *Deum.*

Eccle. 1. v. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Vide etiam c. 7. v. 2.

Marc. 13. v. 35. *Vigilate ergo.....* Vers. 37. *Omnibus dico : vigilate.* Vide etiam Rom. 8. v. 24. Phil. 4. v. 4.

Huc pertinet cum integra sententia in principio & fine totius sermonis repetitur, ut Psal. 8. v. 1. & 10. *Domine Dominus noster*, &c. Psal. 102. Heb. 103. v. 1. & 22. *Benedic anima mea Domino.*

VIII.

EPANODOS [ἐπάνοδος] *regressio*, figura est, qua per eadem recurrimus, verba ordine inverso relegentes.

Isai. 5. v. 20. *Væ ! qui dicitis malum bonum, & bonum malum : ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras : ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

Ezech. 7. v. 6. *Finis venit, venit finis*, &c. Vide etiam Galat. 2. v. 16. ubi in conjunctis vocibus hæc figura deprehenditur. Exstat etiam in simplicibus apud Hieron. Vidam; *Nec sine sole suo lux, nec sine luce sua sol.*

IX.

POLYPTOTON [πολύπτωτον] *casuum varietas*, figura est, qua voces ejusdem the-

matis alia atque alia terminatione seu relatione repetuntur; per *casus* enim hîc non intelliguntur tantum casus nominum, sed quælibet vocum inflexiones.

Psal. 67. Heb. 68. v. 16. הַר־אֱלֹהִים הַר־בָּשָׁן הַר גַּבְנֻנִּים הַר־בָּשָׁן *Mons Dei* (est) *mons Basan* (i. mons Basan celsissimus est), *mons gibborum* vel *gibbosus* (h. e. multis colliculis assurgens) *mons Basan.* Vers. 17. לָמָּה תְּרַצְּדוּן הָרִים גַּבְנֻנִּים הָהָר חָמַד אֱלֹהִים לְשִׁבְתּוֹ אַף־יְהוָה יִשְׁכֹּן לָנֶצַח *Ut quid* (tamen) *contenderetis* (ô Basan aliique) *montes gibbosi* (adversus montem Sion)? *hunc* (enim) *montem desideravit Deus ut habitaret in eo; etenim Dominus habitabit* (in eo) *in finem.* Hic confert Psaltes montem Basan aliosque montes celsissimos cum monte Sion, qui, licet altitudine ipsis cedat, eos tamen dignitate longe superat, utpote quem elegerit Deus, ut habitaret in eo semper. Symm. v. 16. ὄρος θεῦ, ὄρος εὐτροφίας, ὄρος ὑψηλότατον, ὄρος εὐτροφίας. *Mons Dei, mons boni alimenti, mons celsissimus, mons boni alimenti.* Vers. 17. εἰς τί περισπουδάζετε τὰ ὄρη τὰ ὑψηλά; τὸ ὄρος ὅπερ ἐπόθησεν ὁ θεὸς εἰς τὸ κατοικεῖν ἐν αὐτῷ, καὶ κύριος κατασκηνώσει εἰς τέλος. *Ad quid sollicitudo vobis est circa montes excelsos?* (Sion) *mons ille est, quem desideravit Deus ad habitandum in eo, & Dominus habitabit in finem.* Aq. v. 17. εἰς τί ἐρίζετε ὄρη ὀφρυώματα; τὸ ὄρος ὃ ἐπιθύμησεν ὁ θεὸς καθῆσαι αὐτῷ. *Ad quid contenditis montes superciliosi? mons ille, quem desideravit Deus habitare in eo*, est Sion. Theod. v. 17. ἵνα τί ἐρίζετε περὶ τούτου τοῦ ὄρους; *Ut quid contenditis de hoc monte?* S. Hieron. v. 16. *Mons Dei, mons pinguis: mons excelsus, mons pinguis.* Vers. 17. *Quare contenditis montes excelsi adversus montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo? siquidem Dominus habitabit semper.* LXX. v. 16. ὄρος τοῦ θεοῦ, ὄρος πῖον, ὄρος τετυρωμένον, ὄρος πῖον. *Mons Dei, mons pinguis; mons coagulatus, mons pinguis.* Vers. 17. ἱνατί ὑπολαμβάνετε ὄρη τετυρωμένα; τὸ ὄρος ὃ εὐδόκησεν ὁ θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ, καὶ γὰρ ὁ κύριος κατασκηνώσει εἰς τέλος. *Ut quid suspicamini montes coagulatos? mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.* Vocem בָּשָׁן *Basan* pro *pingui* metaphorice acceperunt; mons enim ille pascuis abundabat, unde *tauri Basan*, Psal. 21. Heb. 22. v. 13. h. e. pingues. Vide supra pag. 138. col. 1. Præterea גַּבְנֻנִּים τετυρωμένον *coagulatum* interpretati sunt; à verbo enim inusitato גבן derivatur גִּבֵּן *gibbosus, eminens*, & גְּבִינָה *caseus.* Alia exempla vide Isai. 24. v. 16. Ose. 10. v. 1. Mich. 2. v. 4. Rom. 2. vv. 21. 22. 23. cap. 4. v. 18. 2. Cor. 9. v. 8. cap. 10. v. 12. Gal. 2. vv. 19. 20. Eph. 1. v. 3. &c.

Huc pertinet, 1°. Cum substantivum seipsum in genitivo regit, ut *servus servorum*, i. vilissima servitute pressus; ea enim loquutione superlativus gradus exprimitur. Vide tom. 1. pag. 469. Can. IV. col. 2. 2°. Cum verba regunt nomen conjugatum, quo vel significati emphasis, vel effectus & objectum actionis innuitur, ut: *gaudium gaudere*, pro, maximo gaudio affici; *vovere votum*, &c. Vide tom. 1. pag. 533. Can. I. 3°. Cum verbum finitum cum suo infinitivo ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam construitur, ut: *moriendo morieris*, &c. Vide tom. 1. pag. 536. Can. VI. 4°. Cum conjugatæ simul & synonymæ voces emphatice conjunguntur, ut Thren. 2. v. 5...... תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה *mæror & mæstitia.* Nah. 2. v. 11. בּוּקָה וּמְבוּקָה *vacuitas & evacuatio.* Soph. 1. v. 15. *Dies* שֹׁאָה וּמְשׁוֹאָה, LXX. θορύβου καὶ θορυβήματος, *tumultus & tumultuationis*, seu *vastitatis & vastationis*, Vulg. *calamitatis & miseriæ*, hoc est, dies calamitosissima, & malorum plenissima.

X.

PARONOMASIA [παρονομασία] *agnominatio*, figura est, qua dictio commutatione vel literæ, vel syllabæ, simul significationem mutat.

Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum, cum* vel *quamvis sim* עָפָר וָאֵפֶר *pulvis & cinis.*

1. Reg. 13. v. 7. וְעִבְרִים עָבְרוּ *& Hebræi transierunt Jordanem*, &c.

Isai. 5. v. 7. *Exspectavit* (Deus) מִשְׁפָּט *judicium, & ecce* מִשְׂפָּח *iniquitas*, צְדָקָה *justitiam, & ecce* צְעָקָה *clamor.*

Ibid. c. 6. v. 13. & Joel. 1. v. 15. כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי *ut vastitas ab Omnipotente.*

Jerem.

Jerem. 1. v. 11. *Virgam* שָׁקֵד, Theodot. ἀμυγδαλίνην *amygdalinam ego video.* Aq. Symm. & S. Hieron. qui eos laudat, *vigilantem* interpretantur, à rad. שָׁקַד *vigilavit, maturavit*, unde שָׁקֵד *amygdala*, quæ arbor sic appellatur, quod mense januario flores, martio vero poma sua producat, teste Plinio lib. 16. cap. 25. Vers. 12.... *bene vidisti; quia* שֹׁקֵד אֲנִי *vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.*

Dan. 13. vv. 54. & 55. in Græco paronomasia est inter voces σχῖνον *lentiscum*, & σχίσει *scindet.* Vers. 58. & 59. inter πρῖνον *ilicem* & πρίσαι *secare.* Ex hac allusione probare nititur Glassius *historiam illam Susannæ, non Hebræa, cui talis allusio non convenit, sed Græca lingua scriptam, atque sic haudquaquam canonicam esse.* In sententiæ suæ confirmationem laudat Hieronymum proœm. in Dan. Verum id non dicit S. Doctor, sed tantum se audivisse *quemdam de præceptoribus Judæorum, cum Susannæ derideret historiam, & à Græco nescio quo diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Africanus opposuit, etymologias has* ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, *de Græco sermone descendere.* Deinde lineis aliquot interjectis: *Super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo*, &c. Mentem itaque suam circa hujus historiæ αὐθεντίαν non aperit S. Hieronymus, nedum eam *haudquaquam canonicam esse* pronuntiet. Vide tom. 1. nov. edit. pag. 989. Quod autem ad argumentum ex allusione in lingua Græca petitum attinet, partem illam Danielis Græce primum scriptam fuisse non evincit; fieri enim potest, ut eadem allusio in Hebræo etiam vel Chaldæo olim exstiterit (neque enim omnes voces Hebrææ aut Chaldææ supersunt); vel, si revera non exstitit; in lingua tamen Græca reperta fuerit, in quam facta est translatio.

Alia Paronomasiæ exempla vide Gen. 9. v. 6. in vocibus הָאָדָם & דָּם. Psal. 39. Heb. 40. v. 4. in יִרְאוּ & וְיִירָאוּ. Isai. 7. v. 9. in תַאֲמִינוּ & תֵאָמֵנוּ. Ibid. c. 24. v. 4. in אָבְלָה & נָבְלָה. Ibid. c. 25. v. 6. in שְׁמָנִים & שְׁמָרִים. Ibid. c. 61. v. 3. in פְּאֵר & אֵפֶר transpositis literis. Ezech. 25. v. 16. in וְהִכְרַתִּי & כְּרֵתִים. Ose. 4. v. 18. in הֵבוּ & אָהֲבוּ. Ibid. c. 8. v. 7. in קָמָה, קֶמַח, & צֶמַח. Amos. 8. v. 2. in קֵץ & קָיִץ. Zach. 9. v. 3. in צֹר & מָצוֹר. Ibid. v. 5. in תֵּרֶא & תִירָא, &c.

In Novo Testamento. Luc. 21. v. 11. in καὶ λιμοὶ καὶ λοιμοί. Act. 8. v. 30. in γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; Rom. 1. v. 29. in πορνείᾳ, πονηρίᾳ, φθόνου, φόνου. Vers. 31. ἀσυνέτους ἀσυνθέτους. Ibid. c. 12. v. 3. in φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. 2. Cor. 4. v. 8. in ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι. 2. Thess. 3. v. 11. in ἐργαζομένους, περιεργαζομένους, &c.

In specie occurrit Paronomasia in nominibus propriis, quibus adduntur voces conjugatæ, h. e. verba, ex quibus nomina illa deducuntur.

Gen. 4. v. 25...... *vocavitque nomen ejus* שֵׁת *dicens:* שָׁת *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Vide etiam c. 5. v. 29. c. 11. v. 9. &c. In hac autem Paronomasia sæpe includitur prophetia sive *in bonum*, sive *in malum*.

In bonum, Gen. 9. v. 27. יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת *Dilatet Deus Japheth* (i. amplissimam ipsi ejusque posteris regionem habitandam largiatur: quod revera ipsi contigit; nam præter Europam, nepotes ejus maximam Asiæ partem, ac totum novum orbem obtinuerunt), *& habitet in tabernaculis Sem*, h. e. & Gentiles ex Japhetho oriundi in Ecclesia Christi una cum Judæis ex Semo ortis habitent, vide Ephes. 2. vv. 13. 14. 15. 16. Vel, ipsis etiam Judæis ob incredulitatem exclusis & rejectis, in eorum locum Gentiles assumantur. Hoc itaque vaticinio Gentilium ad Christi fidem conversio prædicitur.

Ibidem c. 49. v. 8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ *Juda tu, laudabunt te fratres tui.* Hoc nomen accepit à matre sua Judas, quod ortus ejus Deum laudandi fuerit ei argumentum, Gen. 29. v. 35. At Messiam ex semine Juda nasciturum respexit Jacobus; unde sequitur: *adorabunt te filii patris tui.* Vide similia exempla in eod. cap. vv. 16. 19. &c.

1. Paral. 22. v. 9. *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus ..... & ob hanc causam erit nomen ejus;* שְׁלֹמֹה *nam* שָׁלוֹם *pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus ejus.*

Matth. 16. v. 18. σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c.

In malum, Isai. 15. v. 9. *Aquæ* דִּימוֹן *repletæ sunt* דָם *sanguine.* Hic *Dimon* videtur esse rivus aut torrens ille, quem Eliseus precibus regum Juda, Israël, & Edom, à Deo impetravit, 4. Reg. c. 3. vv. 16. 17. 20. cujus aquæ, *orto sole ex adverso*, Moabitis instar sanguinis rubræ apparuerunt, v. 22. unde *Dimon*, h. e. *sanguineus* appellatus est. Dicit itaque Deus *positurum se super Dimon additamenta*, h. e. aucturum se illius aquas sanguine Moabitarum per Assyrios interficiendorum. Vel aquas ejus, quæ 4. Reg. 3. v. 22. rubræ tantum apparuerant, quanvis tales non essent, revera futuras esse rubras ob Moabitarum sanguinem illis commiscendum. Pro *Dimon* (ut habent Heb. Lxx. Vatic. Aq. Symm. & Theod.) editio Complut. præ se fert Διβῶν, Vulg. *Dibon*, Ald. Δεβὼν (in codicibus à XII. seculo manu descriptis literæ β & μ fere similes sunt) ms. Alex. Ῥεμμὼν, quæ sunt amanuensium sphalmata; genuina enim lectio videtur esse Διμὼν aut Δειμὼν ob Paronomasian.

Jerem. 6. v. 1. בִּתְקוֹעַ תִּקְעוּ *in Thecoa* (Vulg. Thecua) *clangite buccina .... quia malum visum est ab Aquilone*, &c. i. ab Assyriis.

Ibid. c. 48. v. 2. בְּחֶשְׁבּוֹן חָשְׁבוּ *De Hesebon cogitaverunt contra eam malum.* Vide etiam Isai. 65. v. 11. Amos. 5. v. 5. Mich. 1. vv. 10. 12. 14. 15. Soph. 2. v. 4. &c.

Quandoque in alia lingua, quam in ea, qua scripsit auctor θεόπνευστος, quærenda est Paronomasia. Matth. 11. v. 17. *Cecinimus vobis* (læta), *& non* ὠρχήσασθε *saltastis: lamentavimus* (i. tristia cecinimus), *& non* ἐκόψασθε *planxistis.* In lingua Syriaca, qua loquutus est Christus, allusio pulchra est in duabus vocibus *saltastis*, & *planxistis*, quæ sunt ejusdem radicis, & sola conjugatione differunt, רַקֵּדְתּוּן *saltastis*, in paël, & אַרְקֶדְתּוּן *planxistis*, in Aphel. Glassius, qui hoc exemplum affert, Matthæi Evangelium primitus Græco idiomate scriptum arbitratur: at contrarium summo consensu tradunt veteres, Papias, Irenæus, Origenes, Eusebius, Cyrillus Jerosolymitanus, Epiphanius, Hieronymus, auctor synopseos, quæ sub D. Athanasii nomine circumfertur, Dorothæus, Theophilactus, Euthymius, &c. qui Matthæum Hebraïce, id est, Hebræo-Chaldaïce, sive Syriace scripsisse testificantur. Textus autem ille Hebraïcus, quamprimum fere prodiit, in hæc, quæ habemus, Græca translatus est, sive à S. Jacobo Hierosolymitano Episcopo, ut tradit auctor synopseos mox laudatæ; sive à S. Joanne Evangelista, ut ex fama refert Theophilactus; sive à quolibet alio; adeo ut præter archetypum ipsum Matthæi, & apographum unum aut alterum, quæ secum detulerunt Ebionæi, haud jam exstiterit usquam Matthæi textus Hebraïcus. Vide D. Mill. pag. 8. col. 1. Prolegom. num. 65. Matthæi autem Evangelium Hebraïcum, quod *Munsterus* cum versione Latina & annotationibus edidit *Basileæ* anno 1537. inepti ac barbari interpretis fœtus est, ut agnoscunt eruditi.

Joan. 10. v. 1. *Qui non intrat* διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν, *per ostium in ovile*, Syr. מֶן תַּרְעָא לְטִירָא. Alias similes Paronomasias in hoc Evangelista deprehendunt eruditi; unde Heinsius in Aristarcho suo non semel ostendit *Joannem Hellenistica lingua scripsisse, sed in Syriaca ea, quæ scripsit, concepisse.*

XI.

ANTANACLASIS [ἀντανάκλασις] *refractio* sive *reciprocatio*, figura est, qua vox eadem repetitur, sed in diversa significatione.

Jud. 15. v. 16. .... בִּלְחִי הַחֲמוֹר חֲמוֹר חֲמֹרָתָיִם הִכֵּיתִי אֶלֶף אִישׁ *in* vel *cum maxilla asini acervum, duos acervos .... occidi mille viros*, h. e. cum maxilla asini hostes hinc inde, per medium agmen transiens, acervatim ad mille usque viros interfeci. חֲמוֹר & *asinum*, & *acervum* significat. Paraph. Chald. Syr. Arabs, & omnes Hebræi, חֲמוֹר & חֲמֹרָה, unde in duali חֲמֹרָתַיִם, & in pausa חֲמֹרָתָיִם, *acervum* eo loci interpretantur. Lxx. ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτοὺς, *delens delevi eos*, legeb. חָמוֹר חֲמַרְתִּים q. d. coacervando coacervavi eos, quam significationem à nomine derivato

חֲמוֹר *acervus*, verbo חָמַר tribuisse videntur. Vulg. *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum*, &c. Vocem חֲמוֹר in uno significatu accepit.

1. Reg. 1. v. 24. וְהַנַּעַר נָעַר *Puer autem erat puer*, vel, ut reddit Vulg. *infantulus*. Priori loco vox *puer* Samuelem, posteriori vero teneram ejus ætatem significat.

Eccle. 7. v. 7. *Sicut sonitus* הַסִּירִים *spinarum* תַּחַת הַסִּיר *sub olla: sic risus stulti.* Alia exempla pro Veteri Testamento vide Psal. 140. Heb. 141. v. 5. in voce רֹאשׁ. Isai. 37. v. 18. in אֲרָצוֹת & אַרְצָם, & conf. 4. Reg. 19. v. 17. &c.

In Novo Test. Matth. 8. v. 22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* In priori loco per *mortuos*, spiritualiter in peccatis mortui; in posteriori vero proprie sic dicti mortui significantur.

Joan. 1. v. 10. *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Priori voce *mundus*, tota rerum universalitas intelligitur; posteriori vero, impii & infideles.

Rom. 9. v. 6. *Non omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israël*, vel *Israëlitæ*, h. e. non omnes, qui ex Israël secundum carnem nati sunt, veri & secundum spiritum Israëlitæ sunt.

Ibid. cap. 12. v. 13. *τὴν φιλοξενίαν διώκοντες*, v. 14. *εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς*, *hospitalitatem sectantes*, v. 14. *benedicite insectantibus vos.* Prius *διώκειν sectari* seu rem amice persequi; posterius vero hostiliter & animo lædendi hominem persequi significat.

1. Cor. 15. v. 28. *Cum autem subjecta fuerint illi* (Christo) *omnia: tunc & ipse filius subjectus erit ei* (Deo Patri), *qui subjecit ei omnia.* Prior subjectio hostium Christi universorum abolitionem denotat, ut patet ex Psal. 109. Heb. 110. v. 1. à Paulo allegato & explicato vv. 25. 26. 27. posterior vero Christi ipsius subjectio plane contrarium significat, nempe summam beatitudinem, quæ iis contingit, qui subjecti sunt Deo, cui servire regnare est. Christus autem Patri subjicietur non secundum Divinitatem, qua Patri æqualis est; neque secundum humanitatem, qua ipsi semper subjectus fuit: sed in corpore suo mystico, nempe Ecclesia, quæ dicitur *Christus* (vide supra pag. 49. col. 2. in fine) & cujus gloria per *κοινοποίησιν* Christo capiti adscribitur; quemadmodum passiones credentium in hac vita sibi Christus appropriat, Matth. 25. v. 35. Act. 9. v. 4. Christus ergo subjicietur Patri, cum Ecclesia Christi Patri subjicietur; Ecclesiæ enim subjectio, Christi dicitur subjectio. Unde sequitur: *ut sit Deus omnia in omnibus*, h. e. vice rerum omnium; scilicet ut sit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, gaudium, ac desideriorum omnium satietas. Vide Divi Gregorii Nysseni orationem in hunc Pauli contextum, tom. 2. edit. Paris. 1638. pag. 6. & seqq. Alia figuræ hujus exempla sunt Matth. 26. v. 29. in voce *bibere*. Joan. 2. vv. 23. 24. in voce *credere*. Rom. 2. vv. 26. 28. 29. in voce *præputium*. c. 3. vv. 21. 27. c. 7. v. 23. in voce *lex*. 1. Cor. 11. v. 24. in verbo *frangere*, quod in priori loco proprie accipitur de fractione panis in corpus Christi nondum conversi, in posteriori autem de ipso corpore quatenus frangendum erat flagellis, clavis, & lancea, usurpatur; in Græco enim est *κλώμενον*, *quod frangitur*, i. jamjam frangetur (Vulg. *tradetur*, legebat *παραδοθησόμενον*, ut habent mss. quidam codices. Vide D. Mill. pag. 387.) 2. Cor. 5. v. 21. in voce *peccatum*, quod priori loco proprie accipitur, posteriori vero hostiam pro peccato significat. Vide tom. I. pag. 50. col. 2.

Quandoque in diversa illa unius vocis significatione, ad aliorum sermonem respicitur.

Matth. 5. v. 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis.... minimus vocabitur in regno cœlorum*, i. nullus vocabitur, seu non ingredietur in regnum cœlorum. In priori voce *minimis*, respicit Christus ad Pharisæorum sententiam, qui quædam præcepta Dei vocabant *minima*; posterior autem *minimus*, nullum significat.

Ibid. 18. v. 1. *Quis, putas, major est in regno cœlorum?* i. reliquis ut inferioribus præeminet, ut intelligebant discipuli. Vers. 4. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum*, h. e. regni

cœlorum est particeps, nulla habita dominationis in alios ratione.

Act. 26. v. 28. *Agrippa autem ad Paulum* (ait:) ἐν ὀλίγῳ, *in modico* (i. propemodum) *suades me Christianum fieri.* Vers. 29. *Et Paulus: opto apud Deum* καὶ ἐν ὀλίγῳ, καὶ ἐν πολλῷ, *& in modico, & in magno*, (i. non solum aliquantulum, sed etiam multum) *non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Alia exempla sunt Matth. 19. vv. 16. 17. Joan. 4. vv. 31. 32. c. 6. v. 28.

Interdum etiam vox posterior per ellipsin omittitur; unde ex antecedenti membro supplenda est, & pro ratione prædicati explicanda.

2. Paral. c. 31. v. 8. *Cumque ingressi fuissent Ezechias & principes ejus, viderunt acervos, & benedixerunt Domino ac populo Israël*, supple *benedixerunt*, h. e. gratias egerunt Domino, & fausta omnia populo Israëlitico precati sunt.

Joël. 2. v. 13. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Prius *scindere* metaphoricum est, posterius vero, quod subintelligitur, proprium.

Denique huc referunt quidam rationem, cur ex *subcinericio pane*, quem per somnium viderat Madianita, Jud. 7. v. 13. conjectaverit socius ejus venturum esse in castra Madianitarum Gedeonis gladium. Conjectavit autem ex ambigua vocis significatione; nam לָחַם, unde לֶחֶם *panis*, & *vesci*, & *pugnare* significat.

CAPUT II.

De Figuris Sententiæ.

FIGURÆ sententiæ illæ sunt, ut diximus supra pag. 269. quæ non in verbis, ut præcedentes, sed in rebus sunt positæ; quæque orationi vim ac pondus conferunt. Ita vero distinguuntur, quod vel in *logismo* versentur, vel in *dialogismo*. Illas vocant, cum sine colloquutione oratio figuratur; has vero, cum dialogus sive colloquutio accedit.

ARTICULUS I.

De Figuris sententiæ in logismo.

I.

EXCLAMATIO [ἐκφώνησις] fit per varias interjectiones affectuum notas, easque vel expressas, vel subintellectas. Figura illa usurpatur,

1°. In admiratione. Psal. 83. Heb. 84. v. 2. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Vide etiam Psal. 132. Heb. 133. v. 1. Rom. 11. v. 33.

2°. In voto vel exoptatione. 1. Paral. c. 11. v. 17. *O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta!* Vide etiam Psal. 13. Heb. 14. v. 7. Psal. 41. Heb. 42. v. 3. Isai. 64. v. 1. Rom. 7. v. 24. Gal. 5. v. 12.

3°. In laudatione. Matth. 15. v. 28. *O mulier, magna est fides tua!* Vide etiam c. 25. vv. 21. 23.

4°. In dolore & conquestione. Psal. 21.

Heb. 22. v. 2. Matth. 27. v. 46. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti!* Vide etiam Isai. 6. v. 5.

5°. In commiseratione. Jos. 7. v. 7. *Ah, Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes!* Vide etiam Ezech. 9. v. 8. Quanvis illa exempla ad præcedentem num. pertinere possint.

6°. In indignatione, detestatione, & objurgatione. Isai. 1. v. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*, &c. Vide etiam Ezech. 16. vv. 23. 24. Matth. 11. v. 21. c. 17. v. 17. Luc. 24. v. 25. Act. 7. v. 51. c. 13. v. 10. Rom. 9. v. 20.

7°. In gaudio & exsultatione. Psal. 56. Heb. 57. v. 8. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*, &c. Vide etiam Psal. 134. Heb. 135. v. 21.

8°. In obsecratione. Psal. 117. Heb. 118. v. 25. Heb. *Obsecro, Domine, salva quæso: obsecro, Domine, salva quæso!* Vide etiam Apoc. 22. v. 20.

Ad exclamationem pertinet *Epiphonema*, cum post expositam rem, clausula seu sententia additur quandam emphasin concisa brevitate exhibens. Psal. 2. v. 12. *Beati omnes qui confidunt in eo!* Vide etiam Psal. 3. v. 9. Matth. 22. v. 14.

II.

EPANORTHOSIS [ἐπανόρθωσις] *correctio*, figura est, qua id, quod dictum est, è vestigio corrigitur. Quod tripliciter fieri solet,

1°. Cum simpliciter tollitur & corrigitur id, quod dictum erat, atque in ejus locum aliud commodius, magis proprium, & significantius substituitur. Joan. 16. v. 32. *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: attamen non sum solus, quia Pater mecum est.* Vide etiam Marc. 9. v. 24. Joan. 12. v. 27. (confer Matth. 26. v. 39.) Rom. 14. v. 4. 1. Cor. 7. v. 10. c. 15. v. 10. Gal. 2. v. 20. &c.

2°. Cum verbum præcedens per expressam minorum comparationem corrigitur, ac tanquam illustriori ac significantiori voce amplificatur & illustratur. Prov. 6. v. 16. *Sex sunt, quæ odit Dominus, &* (i. imo) *septem detestatur anima ejus.* Vide etiam Rom. 8 v. 34. 2. Tim. 4. v. 8. 1. Joan. 2. v. 2.

3°. Cum antecedens quiddam positum & affirmatum, per conjunctionem *si* corrigitur. Gal. 3. v. 4. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa*, q. d. itane est, ut tanta ob Christianæ fidei confessionem pertuleritis sine fructu; si tamen sine fructu duntaxat, & non etiam cum damno & detrimento; qui enim veritatem cognitam abjecerunt, gravius punientur iis, qui eam ignorarunt; atque ita reprehensionem amplificat Apostolus. Alii hanc epanorthosin in bonum accipiunt, q. d. Paulus: sed spero meliora; confido enim vos à lege ad gratiam redituros, ut non frustra hæc passi fueritis. Hinc colligunt Theologi bona opera subsequenti peccato *mortificari*, i. infructuosa reddi; eademque rursus per pœnitentiam *vivificari.*

III.

RETICENTIA [ἀποσιώπησις] est, cum orationis cursus ita abrumpitur, ut pars ejus aliqua, fere principalis, reticeatur. Hæc autem figura locum habet,

1°. In promissione. 2. Reg. 5. v. 8. *Dixitque David in die illa: quicunque percusserit Jebusæum, & tetigerit domatum fistulas*, (i. canales, quibus pluvia tecti excipitur, & per synecdochen, domos ipsas) supple: *is erit caput & princeps populi*, ut additur 1. Paral. 11. v. 6. ubi eadem historia narratur.

1. Paral. c. 4. v. 10. *Si benedicens benedixeris mihi*, &c. supple: gratum me tibi exhibebo, te celebrabo & colam, tibi parebo, &c.

Luc. 13. v. 9. *Et si quidem fecerit fructum* (ficulnea illa), supple: non exscindatur.

2°. In ira & comminatione. Gen. 3. v. 22. *Nunc ergo ne forte mittat* (Adamus) *manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*, subintellige: ejiciamus eum foras. Quod ita factum fuisse verba sequentia declarant: *& emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis.*

Ezech. 34. v. 8. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, si non, pro eo quod facti sunt greges*

mei in rapinam .... eo quod non esset pastor, &c. supple ex v. 10. *super pastores requiram gregem meum de manu eorum*, &c.

Quandoque in comminationibus Divinis per reticentiam abest conditio, quæ necessario subintelligenda est. Gen. 20. v. 3. *En morieris propter mulierem, quam tulisti*, adde: si eam non restituas, ut ex v. 7. colligitur. Vide etiam 4. Reg. 20. v. 1. ubi supplendum est: nisi orando vitæ prorogationem à Deo impetraveris.

3°. In dolore & querimonia. Gen. 25. v. 22. Heb. *Si sic* (h. e. si gravida sum), *cur hoc ego?* supple: patior. LXX. εἰ οὕτω μοι μέλλει γίνεσθαι, ἵνα τί μοι τοῦτο; *Si sic mihi futurum est, ut quid mihi hoc?* supple: quod conceperim. Vulg. optime: *Si sic mihi futurum erat* (ut parvuli in utero colliderentur, seque mutuo perimerent), *quid necesse fuit concipere?*

Psal. 6. v. 4. *Et anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, usquequo?* supple: auxilium protrahis.

Luc. 19. v. 42. *Quia si cognovisses & tu .... quæ ad pacem tibi* sunt, suppl. quæreres ea, curares amplecti ea, & per veram pœnitentiam mala impendentia declinares.

4°. In juramento, in quo membrum illud orationis, quod imprecationem continet, si jurans studio fallat, reticetur; sibi enim malum imprecari, abhorret à natura; alteri vero, à charitate mutua est alienum. Gen. 14. v. 22. *Levo manum meam ad Dominum* (i. juro).... Vers. 23. *Si à filo, usque ad corrigiam caligæ, si inquam, accepero ex omnibus, quæ tua sunt*, &c. supple: *hæc faciat mihi Deus & hæc addat*; qua phraseos euphemia alias Scriptura utitur, ut: 1. Reg. 3. v. 17. c. 14. v. 44. Conf. quæ diximus in tom. I. pag. 618. col. 1. num. 2. &c. Hac autem aposiopesi reticentur mala, quæ vel ipsi jurantes intelligebant, vel Dei judicio committebant.

Eadem reticentia in juramento ipsius etiam Dei occurrit. Isai. 62. v. 8. *Juravit Dominus in dextera sua*, vel *per dexteram suam.... si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis*, &c. quidam supplent: *ne sim Deus*; sed rectius dici potest in hac juramenti formula, loquendi hominum rationi Deum se se accommodare. Vide etiam 1. Reg. 3. v. 14. Psal. 88. Heb. 89. v. 36. Isai. 14. v. 24. &c.

Interdum vitam suam interponit Deus. Num. 14. v. 21. *Vivo ego: implebitur gloria Domini omnis terra.* Vide etiam Ezech. 5. v. 11. c. 33. vv. 11. c. 34. v. 8. &c. tuncque sensus est: tam certo implebitur gloria Domini omnis terra, quam verum certumque est me vivere.

Vitæ etiam hominis mentio interdum additur. 4. Reg. 2. v. 2. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, si derelinquam te*, h. e. ut vere vivit Dominus, & ut tu vivis, non derelinquam te. Vide etiam 1. Reg. 20. v. 3. 2. Reg. 15. v. 21. &c.

Videntur quandoque pii in gravioribus asseverationibus, pro innocentia sua, vel gloria Dei defendenda, imprecationem mali expressisse, ut: Psal. 7. v. 4. *Domine, Deus meus, si feci istud; si est iniquitas in manibus meis....* Vers. 6. *Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam*, &c. At David malum sibi non imprecatur, sed asserit innocentiam suam, vaticinaturque mala hæc sibi ab inimicis suis inferenda, si talia fecisset, qualia falso ipsi imponebant. Sensus itaque est: Domine, Deus meus, si fecissem istud, quod mihi objiciunt.... justam haberent causam me persequendi, &c. at cum nullius talis culpæ mihi conscius sim, peto ut nunc ab iis clementer me liberes. Sic etiam intellige Psal. 136. Heb. 137. vv. 5. 6. Job. 31. vv. 8. 10. & alia Scripturæ loca, in quibus sancti Dei homines sibi vel aliis mala imprecari videntur; tunc enim mala ipsa denuntiant potius, quam illa exoptant futura.

IV.

APOSTROPHE [ἀποστροφὴ] *aversio*, figura est, qua oratio ad aliam personam vel rem, quam instituta oratio requirit, convertitur. Ea fit

I. Ad Deum. 2. Esd. c. 4. v. 4. *Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui*, &c. Vide etiam v. 5. c. 6. v. 9. Psal. 32. Heb. 33.

v. 22. Psal. 81. Heb. 82. v. 8. Psal. 108. Heb. 109. v. 21. Jerem. 11. v. 18. &c. Hæ autem apostrophæ, mentis fidelis ad Deum suspiria exprimunt.

II. Ad homines *tum* vivos, *tum* mortuos. Vivos, 2. Reg. c. 1. v. 24. *Filiæ Israël super Saül flete*, &c. Mortuos, v. 26. *Doleo super te, frater mi Jonatha*, &c. Vide etiam pro vivis hominibus, cap. 7. v. 23. in Heb. (ibi enim pro לָכֶם *vobis*, Vulg. transtulit *eis*, quia legebat לָהֶם, vel quia neglexit apostrophen) Psal. 2. vv. 10. 11. 12.

Isai. 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium* וְקָרָאת *& vocabis* (ô Virgo), *nomen ejus Emmanuël.* Sic LXX. Aq. Symm. Theod. interpretati sunt in secunda pers. καὶ καλέσεις *& vocabis.* Quidam etiam codd. mss. Matth. 1. v. 23. ubi hic contextus allegatur, habent: καὶ καλέσεις *& vocabis.* Vide D. Mill. pag. 6. Vulg. *& vocabitur*, וְקָרָאת spectavit ut tertiam pers. sing. fem. præteriti qál; vide tom. I. pag. 270. col. 1. ubi post vocem וְקָרָאת adde: *aut* וְקָרָאת fem. *ita ut ad virginem referatur.* Porro וְקָרָאת transferri potest *& vocabitur*, ex idiotismo, quo tertiæ personæ, maxime masculinæ, verborum activorum passive sæpe accipiuntur. Vide tom. I. pag. 531. can. III. Vide insuper Psal. 6. v. 9. Psal. 102. Heb. 103. v. 24. Isai. 1. v. 5. Jerem. 5. v. 10. Rom. 11. v. 13.

Quandoque ad secundam personam, incertam tamen, fit apostrophe, qua, per synecdochen speciei, quævis intelligitur. Psal. 26. Heb. 27. v. 14. *Exspecta Dominum & viriliter age*, &c. Vide etiam Psal. 33. Heb. 34. vv. 12. 14. Rom. 2. v. 17. c. 9. vv. 19. 20. c. 12. v. 20. c. 13. v. 3. c. 14. vv. 4. 10. 1. Cor. c. 7. v. 16. Gal. 4. v. 7. c. 6. v. 1.

Huc pertinet, quando ad integras urbes sermo dirigitur; ubi etiam est metonymia, qua illæ pro earum incolis usurpantur. Matth. 11. v. 21. *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaïda*, &c. Vide etiam v. 23. &c.

Interdum etiam fit apostrophe ad propriam animam, quæ per synecdochen pro tota persona ponitur. Psal. 41. Heb. 42. v. 6. *Quare tristis es, anima mea*, &c. Vide etiam v. 12. Psal. 42. Heb. 43. v. 5. Psal. 102. Heb. 103. v. 1. &c. Psal. 103. Heb. 104. v. 1. Psal. 145. Heb. 146. v. 1. &c.

Specialius observandum est apostrophen, quam vocant imperativam sive exhortatoriam, quandoque solum indicativam esse, & vaticinatoriam. Isai. 6. v. 9. *Audite audientes, & nolite intelligere*, &c. Vers. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*, &c. h. e. vaticinare fore ut populus iste audiat & non intelligat, cor ejus excæcetur, &c. nisi resipiscat. Confer Matth. 13. v. 14. Act. 28. vv. 26. 27. Vide insuper ejusd. Isai. c. 23. v. 16. c. 47. vv. 1. 5. Jerem. 6. vv. 1. 6. 26. & tom. I. pag. 525. can. XV.

III. Ad animantia bruta & omni ratione carentia. Joel. 2. v. 22. *Nolite timere, animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti*, &c.

Psal. 148. v. 10. *Laudate Dominum bestiæ & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.*

IV. Ad res mutas, omnique sensu destitutas. 2. Reg. 1. v. 21. *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniant super vos*, &c. Vide etiam 3. Reg. 13. v. 2. Psal. 113. Heb. 114. vv. 5. 6. Psal. 148. v. 3. & seqq. Jerem. 47. v. 6. Ezech. 21. v. 16. c. 36. vv. 1. 4. 8. & seqq. Joel. 2. v. 21. Mich. 6. v. 2. Zach. 11. vv. 1. 2. Ose. 10. v. 8. Luc. 23. v. 30. 1. Cor. 15. v. 55.

In specie autem quandoque cœli & terra compellantur auctoritatis & testimonii causa. Isai. 1. v. 2. *Audite, cœli, & auribus percipe, terra*, &c. quem in locum Hieron. tom. 3. nov. edit. col. 8. *Quia per Moysen testes vocaverat Dominus cœlum & terram, dans populo Israël legem suam .... post prævaricationem populi, eosdem rursum in testimonium vocat, ut cuncta elementa cognoscant juste Dominum in ultionem mandatorum suorum ad iracundiam concitatum.* Vide etiam Deut. 32. v. 1. Jerem. 2. vv. 12. 13. c. 22. v. 29. Dan. 3. v. 59. & seqq.

V.

PROSOPOPOEIA [προσωποποιΐα] *personæ effectio*, figura est, qua in oratione vel alia persona loquens, vel res inanimata ut persona loquens introducitur. In quo figura illa distinguitur ab ea, de qua in metaphora

egimus pag. 103. & seqq. quæque ad solas res inanimatas pertinet. Persona autem vel *aperte* vel *tecte* loquitur. Aperte, cum *dicendi* verbum præmittitur; tecte, cum idem verbum omittitur. In aperta persona, vel sermo reipsa prolatus est, vel ad aliud significandum fictus & efformatus fuit. Sermo revera prolatus, vel *bonus* & verus est, vel *malus* & falsus.

I. Bonus verusque sermo toties proponitur à sacris scriptoribus, quoties vel Dei ipsius, & Salvatoris Christi, vel Sanctorum angelorum, vel credentium, aut recte sentientium hominum verba exprimuntur.

Dei sermo est, Psal. 49. Heb. 50. v. 16. *Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum?* Vide etiam vv. 17. 18. 19. 20. 21. Isai. 66. v. 1. &c.

Christi Salvatoris, Psal. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me : filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vide etiam vv. 8. 9. &c.

Angelorum bonorum, credentium, aut recte sentientium hominum sermonis exempla passim in SS. Scripturis sunt obvia.

II. Malus & falsus sermo proponitur, cum Diaboli vel homines impii loquentes inducuntur.

Psal. 3. v. 3. *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo*, Vulg. *ejus*. Vide etiam Psal. 11. Heb. 12. v. 5. Isai. 14. v. 13. Matth. 23. v. 16. &c.

Circa hoc sermonis genus tria observanda sunt.

1°. Quanvis historica narratio verissima sit, non tamen omnia, quæ ibi dicuntur, vera esse creduntur. Sæpe enim à scriptore Canonico narratur aliquid, quod dictum est minus sapienter ac vere; & tunc scriptor non probat dicta, sed tantum refert. Sic Job. 2. v. 9. uxor ejus illi suadet ut *benedicat Deo* (i. maledicat) *& moriatur*; nempe ut aliquid adversus Deum loquens ab illa intolerabili pœna moriendo liberetur. Joan. 8. v. 48. Judæi Christo dicunt: *Samaritanus es tu, & Dæmonium habes.* Ibid. c. 9. v. 31. *Scimus autem, quia peccatores non audit Deus*, &c.

2°. Cum aliorum malus falsusque sermo refertur, ei vera Spiritus Sancti uno atque altero verbo interdum sententia interseritur. 3. Reg. 21. v. 10. *Submittite duos viros, filios Belial, contra eum, & falsum testimonium dicant*, &c. Voces illæ: *filios Belial*, Jezabelis non sunt, sed Spiritus Sancti, quibus testes ab Jezabele submissos exegetice & κατ' ἀλήθειαν describit. Isai. 28. v. 15...... *posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Hæc verba impiorum non sunt, sed prophetæ, qui ita spem eorum appellat. Ibid. c. 30. v. 10. *Qui dicunt videntibus : nolite videre, & aspicientibus : nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Non infideles illi, sed Spiritus Sanctus has pseudo-prophetias *errores* vocat. Alia exempla sunt Deut. 29. v. 19. Isai. 44. v. 17. Jerem. 18. v. 12. &c.

3°. Non omnia, quæ Diaboli & infideles proloquuti commemorantur, in se mala & falsa sunt, licet animo fallaci & fraudulento ea protulerint.

Marc. 1. v. 24. *Quid nobis & tibi, Jesu Nazarene* (exclamat Spiritus immundus): *venisti perdere nos? scio quis sis, Sanctus Dei.* Vide etiam Luc. 4. v. 43. Joan. 11. vv. 49. 50. Act. 16. vv. 16. 17. &c. Unde S. Greg. l. 23. Moral. cap. I. col. 732. tom. I. nov. edit. *Omne, quod dicitur* (in Sacris literis), *quadripartita potest qualitate distingui : si aut mala male, aut bona bene, aut mala bene, aut bona male dicantur. Male enim malum dicitur, cum res perversa suadetur, sicut scriptum est :* (Job. 2. v. 9.) benedic Deo & morere. *Bonum bene dicitur, cum recte recta prædicantur, sicut Joannes ait :* (Matth. 3. v. 2.) agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum. *Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, ut reprobetur; sicut Paulus ait :* (Rom. 1. v. 26.) feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum, qui est contra naturam. *Quo loco exsecranda quoque virorum facinora subdit : sed honeste inhonesta narravit, ut multos ad honestatis formam inhonesta narrando revocaret. Male autem bonum dicitur, cum rectum aliquid recto studio non profertur; sicut illuminato cœco Pharisæi dixisse perhibentur :* (Joan. 9. v. 28.) Tu sis discipulus

discipulus ejus. *Quod maledictionis utique dixerunt studio, non orationis voto. Vel sicut Caiphas ait:* (Joan. 11. vv. 49. 50.) Expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat. *Bonum quippe, sed non bene loquutus est; quia dum crudelitatem necis appetit, redemtionis gratiam prophetavit.*

III. Sermo ad aliud significandum prudenter fictus & efformatus occurrit in *Parabola*, quæ est similitudo seu comparatio, qua res aliqua ut gesta & confecta apposite fingitur & narratur, & cum alia re spirituali confertur, seu ad eam significandam accommodatur. Hoc docendi genere sæpius usus est Christus, tum quod, teste Hieron. comment. in cap. 18. Matth. tom. 4. nov. edit. col. 85. *Familiare sit Syris, & maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur.* Tum quod docendi illud genus simplicissimum sit, & rudibus accommodatissimum. *Philosophi enim*, inquit Erasmus, in Paraph. ad Marc. 4. v. 2. tom. 7. edit. Ludg. Batav. 1706. pag. 186. *magna arte contortis syllogismis tenebras offundebant auditoribus, Rhetores admirabili dicendi copia vim admovebant animis hominum, Pharisæi retrusa quædam & à populari captu procul semota congerebant. Christus autem hoc doctrinæ genus simplicissimum, & ab omni ostentatione scenica alienum delegit, ut tota gloria mundi per Evangelium innovati esset virtutis divinæ.*

Ceterum in Parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura peragi; sed cum, quid per parabolam intendat ejus auctor, didicerimus: inde utilitate collecta, nihil ulterius anxio est conatu investigandum. *Neque enim omnia, quæ gesta narrantur*, scribit Aug. l. 16. de Civ. Dei, cap. 2. tom. 7. nov. edit. col. 416. *aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, cetera aratri membra sunt necessaria: & soli nervi in citharis atque hujusmodi vasis musicis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint, insunt & cetera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur.* Solus itaque dicentis scopus in Parabolis attendendus est, non vero ea, quæ attexuntur, quæque nihil significant.

In Veteri autem Testamento rariores sunt Parabolæ. Vide Jud. 9. v. 8. & seqq. 2. Reg. c. 12. v. 1. & seqq. Isai. 5. v. 1. & seqq. Ezech. 17. v. 2. & seqq. c. 33. v. 2. & seqq.

At in novo frequentiores sunt, quarum hæ sunt præcipuæ.

Matth. 13. v. 3. seqq. Marc. 4. v. 3. seqq. Luc. 8. v. 4. seqq. Parabola seminatoris.

Matth. 13. v. 24. seqq. Parabola zizaniorum.

Marc. 4. v. 26. seqq. Parabola seminis.

Matth. 13. v. 31. Marc. 4. v. 30. Luc. 13. vv. 18. 19. Parabola grani sinapis.

Matth. 13. v. 33. Luc. 13. v. 21. Parab. fermenti.

Matth. 13. v. 44. Parab. thesauri absconditi.

Matth. 13. vv. 45. 46. Parab. margaritarum.

Matth. 13. v. 47. seqq. Parabola sagenæ.

Matth. 18. v. 23. seqq. Parab. 10000. talent.

Luc. 7. v. 41. seqq. Parabola 2. debitorum.

Joan. 10. v. 1. seqq. Parabola pastoris.

Luc. 12. v. 16. seqq. Parabola divitis, &c.

Luc. 12. v. 42. Matth. 24. v. 45. Marc. 13. v. 34. Parabola œconomi fidelis & prudentis.

Luc. 13. v. 6. seqq. Parabola ficus sterilis.

Luc. 14. v. 16. seqq. Parabola convivarum.

Matth. 18. v. 12. seqq. Luc. 15. v. 4. seqq. Parabola ovis errantis.

Luc. 15. v. 8. seqq. Parab. 10. drachmarum.

Luc. 15. v. 11. seqq. Parabola filii prodigi.

Luc. 16. v. 1. seqq. Parab. œconomi injusti.

Luc. 18. v. 2. seqq. Parab. viduæ importunæ.

Matth. 20. v. 1. seqq. Parabola vineæ & operariorum.

Luc. 19. v. 11. seqq. Parabola 10. mnarum.

Matth. 21. v. 28. seqq. Parab. 2. filiorum.

Matth. 21. v. 33. seqq. Parabola vinitorum homicidarum.

Matth. 22. v. 2. seqq. Parabola convivii nuptiarum.

Matth. 25. v. 1. seqq. Parabola virginum fatuarum & prudentum.

Huc pertinet cum sermo personis attributus rerum statum significat.

Isai. 3. v. 6. *Apprehendet vir fratrem suum*...

vestimentum tibi est, princeps esto noster, &c. Vers. 7. *Respondebit in die illa, dicens: non sum medicus & in domo mea non est panis neque vestimentum*, &c. quo dialogismo futura gubernatorum facultatibus pollentium raritas innuitur.

Ibid. c. 4. v. 1. *Et apprehendent septem* (i. plures) *mulieres virum unum in die illa, dicentes: panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Eo quoque dialogismo prædicitur maxima virorum ob crebras cædes penuria, & mulierum desolatio.

IV. Tecte persona loquitur, cum *dicendi* verbum omittitur; quem prosopopœiæ modum appellant μίμησιν *imitationem*, quæ est vel *simplex*, vel *connexa*.

Simplex mimesis ea est, quæ sine colloquutione fit. Isai. 21. v. 3. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore*, &c. Vers. 4. *Emarcuit cor meum*, &c. quæ verba sunt aut regis Babylonis, cujus vastatio hîc prædicitur; aut alius cujuslibet Babylonii.

Jerem. 49. v. 10. *Vastatum est semen ejus* (Esau), *fratres ejus, & vicini ejus, & non erit* (supple: qui dicat:) Vers. 11. *Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere*, &c. Vide etiam v. 14. & Psal. 2. v. 3. Psal. 81. Heb. 82. v. 9. Psal. 88. Heb. 89. v. 4. Eccle. 4. v. 8. Prov. 23. v. 35. Isai. 14. v. 16. c. 22. v. 13. cap. 33. v. 18. cap. 56. v. 12. cap. 58. v. 3. Jerem. 3. v. 17. c. 6. vv. 4. 5. 6. c. 8. v. 14. c. 11. v. 19. c. 20. v. 10. c. 30. v. 17. c. 31. v. 3. Thren. 3. v. 42. c. 2. v. 15. Mich. 2. v. 11. Act. 1. vv. 4. 5. c. 15. v. 5. c. 17. v. 3. 1. Cor. 15. v. 32. Coloss. 2. v. 21. &c.

Connexa mimesis est, quæ cum dialogismo seu sermocinatione fit. Exempla sunt: Canticum Canticorum, quod continuatus est dialogismus sponsi & sponsæ, i. Christi & Ecclesiæ. Isai. c. 63. in quo instituitur colloquutio inter Christum & Ecclesiam, de glorioso Christi per passionem & mortem triumpho in resurrectione manifestando. Jerem. 47. vv. 6. 7. ubi propheta personam Philisthinorum sustinens gladium Domini compellat, ac responsionem subjicit.

V. Rei mutæ ac inanimatæ sermo tribuitur, puta *arboribus*, Jud. 9. v. 8. 4. Reg. 14. v. 9. *Perditioni & morti*, Job. 28. v. 22. *Abietibus*, Isai. 14. v. 8. *Mortuis*, ibid. v. 10. & Ezech. 32. v. 21. *Justitiæ fidei*, Rom. 10. vv. 6. 7. 8. Vide etiam c. 9. v. 20. 1. Cor. 12. vv. 15. 16. &c. *Sapientia*, ut quibusdam placet, Prov. 1. v. 20. & seqq. c. 8. v. 1. & seqq. usque ad c. 9. v. 7. Verum melius per *sapientiam* Christus Jesus intelligitur, ut patet ex ipsius attributis, c. 8. vv. 14. 17. 22. 23. 24. 25. 27. 30. Confer Matth. 11. v. 19. Luc. 7. v. 35. c. 11. v. 49. 1. Cor. 1. vv. 24. 30. Coloss. 2. v. 3. in quibus Novi Testamenti locis *Sapientia* dicitur Christus.

VI.

INTERROGATIO [ἐρώτησις] spectari potest *tum* quod ad ejus peculiarem vim ac emphasin, *tum* quod ad usum illius singularem attinet.

I. Quod spectat ad singularem interrogationis vim atque emphasin,

QUIS? non solum simpliciter & affirmative quærit: verum etiam quandoque absolute negat, dum de personis sermo est. Psal. 93. Heb. 94. v. 16. *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* i. nemo consurget, &c.

Psal. 105. Heb. 106. v. 2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* quod sic conciliari potest cum Psal. 9. v. 15. *Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*, quod in priori loco intelligatur *laus Dei* ob ea, quæ fecit universo populo suo: in posteriori autem ob ea, quæ Davidi seorsim exhibuit. Ita Qimhhi. Vide insuper Psal. 112. Heb. 113. v. 5. Isai. 51. v. 19. c. 53. v. 8. &c. Luc. 14. v. 5. Joan. 8. v. 46. Rom. 8. vv. 31. 33. 34. 35. cap. 11. vv. 34. 35. 1. Cor. 9. v. 7. Heb. 1. vv. 5. 13. &c.

Quandoque tamen pronomen interrogativum *Quis* non negat absolute, sed restricte tantum; ita ut innuatur vel *paucitas*, Psal. 89. Heb. 90. v. 11. *Quis novit potentiam iræ tuæ?* h. e. quam pauci norunt, &c. Vide etiam Isai. 53. v. 1. Ose. 14. v. 10. &c. Vel *dis-*

ficultas, Prov. 31. v. 10. *Mulierem fortem quis inveniet?* h. e. quam difficile est invenire. Vide etiam 1. Reg. 2. v. 25. Matth. 19. vv. 25. 26. Marc. 10. v. 26. Conf. v. 23.

AN, NUNQUID? præter ordinariam suam affirmative quærendi vim, absolute negare solet, cum de re sermo est. Gen. 18. v. 14. הֲיִפָּלֵא *an difficile erit Domino verbum?* h. e. minime erit difficile. Vide etiam v. 17. cap. 30. v. 2. c. 50. v. 19. Job. 40. v. 20. Joel. 1. v. 2. &c.

In quibusdam tamen locis affirmative interrogat, seu affirmativum sensum efficit; tuncque particula negandi *non* cum interrogatione subintelligenda est, sic: *annon?* 1. Reg. 2. v. 27. הֲנִגְלֹה נִגְלֵיתִי *an manifestando manifestavi me domui patris tui*, &c. h. e. omnino manifestavi me. Lxx. ἀποκαλυφθεὶς ἀπεκαλύφθην, *revelando revelatus sum*, particulam interrogantem neglexere. Vulg. negativam supplevit: *nunquid non aperte revelatus sum*, &c. Eam quoque suppleverunt Pagninus & Junius.

Jerem. 31. v. 20. הֲבֵן *nunquid filius pretiosus est mihi Ephraïm?* hoc est, filius est mihi pretiosus, vel *amabilis*, ut Lxx. υἱὸς ἀγαπητὸς Ἐφραΐμ. Vel negativa supplenda est, ut eam supplevit Pagninus, &c. *nonne filius pretiosus*, &c.

Ibid. c. 23. v. 23. הַאֱלֹהֵי מִקָּרֹב *an Deus de propinquo ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longinquo?* h. e. nonne Deus de propinquo ego sum & non de longinquo? omnipræsens & omniscius sum: non vero absens, & rerum humanarum inscius. Hunc sensum exhibent Lxx. & Theod. Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι.... καὶ οὐχὶ Θεὸς πόῤῥωθεν, *Deus appropinquans ego sum... & non Deus de longe.* Quam explicationem adstruunt sequentia: v. 24. *Si occultabitur vir in absconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Alii è contrario interrogationem affirmativam retinent, & negativum sensum sequuntur. Aq. Sym. *Nunquid Deus de propinquo* sive *de vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longinquo?* Ita hos interpretes laudat Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 638. in fine, & 639. initio. Vulg. *Putasne, Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe?* Qimhhi cum Deut. 32. v. 17. collationem instituit, ubi dii alieni dicuntur *Dii novi, & qui* מִקָּרֹב *de propinquo venerunt*; sicque hunc versiculum explicat: *Num instar Deorum alienorum, de quibus Moses d. l. loquitur, ego sum? & nonne sum Deus è longinquo? Annon à prima usque mundi creatione noverunt me homines, quod sim Deus universi hujus? Et non sum ego sicut Dii novi isti, qui non vident nec audiunt; quia ego video opera filiorum hominis, & audio verba eorum*, &c. Vatablus: *An sum Deus novus & recens, & non potius Deus æternus? non sum similis idolis nuper inventis.* R. Salomon: *Num Deus è propinquo ego sum? qui scilicet non videam nisi ea, quæ mihi conjuncta sunt? & non sit in me virtus judicandi inferiora, quæ à me remota sunt, & nesciam eorum facta?* Vide etiam quæ de hoc pronomine interrogativo diximus in tom. I. pag. 423. col. 1.

QUOMODO? itidem absolute quandoque negat. Exod. 6. v. 12. *Ecce filii Israël non audiunt me, & quomodo audiet Pharao?* h. e. nequaquam audiet me Pharao. Vide etiam v. 30. Deut. 7. v. 17. Jud. 16. v. 15. Psal. 72. Heb. 73. v. 11. Psal. 136. Heb. 137. v. 4. Matth. 12. vv. 26. 34. c. 23. v. 33. Marc. 4. v. 13. Luc. 6. v. 42. Rom. 10. vv. 14. 15. 1. Cor. 14. vv. 7. 9. 16. 1. Tim. 3. v. 5. Heb. 2. v. 3. &c.

CUR? QUARE? in prohibitione non raro adhibetur. Gen. 27. v. 43. *Nunc ergo, fili mi .... fuge ad Laban fratrem meum ....* v. 24. *.... cur utroque orbabor filio in uno die*, h. e. ne orber utroque filio. Vide etiam 1. Reg. 19. v. 17. 2. Reg. 2. v. 22. 2. Paral. 25. v. 16. Psal. 78. Heb. 79. v. 10. Eccle. 5. v. 5. cap. 7. vv. 17. 18. Jerem. 27. vv. 13. 17. cap. 40. v. 15. Ezech. 33. v. 11. Dan. 1. v. 10.

II. Usum interrogationis quod attinet, tam varius est, ut cuicunque propemodum affectui exprimendo inserviat. Est itaque interrogatio

ABOMINATIONIS seu absurditatis declarandæ. Joan. 3. v. 4. *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* &c. h. e. absurdum hoc

est. Vide etiam c. 6. v. 52. (& conf. v. 60.) c. 12. v. 34. &c.

Admirationis. Gen. 17. v. 17. *An centenario nascetur filius ? & Sara nonagenaria pariet ?* Est interrogatio Abrahami Divinam potentiam cum sua & uxoris impotentia comparantis, admirantis, & suspicientis, non vero diffidentis, ut Rom. 4. vv. 19. 20. 21. ostenditur. Vide etiam Gen. 27. v. 20. c. 42. v. 28. Cant. 3. v. 6. Psal. 132. Heb. 133. v. 1. Isai. 1. v. 21. c. 63. v. 1. Ezech. 16. v. 30. &c. Et in Novo Test. Matth. 21. v. 20. Marc. 6. v. 37. quo in ultimo loco interrogatio est cum admiratione & ironia quadam conjuncta.

Demonstrationis. Ezech. 8. v. 6. *Fili hominis, vidésne quid isti faciant?* Vide etiam Psal. 24. Heb. 25. v. 12. Psal. 33. Heb. 34. v. 13. Psal. 106. Heb. 107 v. 43. Jerem. 9. v. 12. Ose. 14. v. 10. Prov. 25. v. 29. Matth. 11. v. 7. &c. quibus in exemplis interrogationi subjecta est responsio.

Dubitationis. Gen. 18. v. 12. *Quæ* (Sara) *risit occulte, dicens :* (an) *postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo ?* quæ verba sunt diffidentis & dubitantis, ut patet ex seqq.

Rom. 10. v. 6. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo* (i. apud temetipsum) : *quis ascendet in cœlum ? id est, Christum deducere*, h. e. ut Christum inde in terram adducat. Vers. 7. *Aut quis descendet in abyssum* (in infernum), *hoc est, Christum à mortuis revocare ?* i. e. ut Christum à mortuis revocet : quæ sunt hominibus impossibilia ; talia enim justitia fidei non imperat : sed è contrario facilia & cuilibet homini possibilia jubet. Hinc v. 9. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* En, quæ jubentur, ut fidei justitia comparetur. Ad justitiam autem, quæ ex Lege est, obtinendam, longe difficiliora imperabantur, quæ qui fecisset homo, vivebat in eis, hoc est, vitam temporalem, longævam & prosperam tantum agebat ; sed qui confitetur Dominum esse Jesum, eumque à mortuis suscitatum credit, is vitam æternam consequitur. In quo novæ legis supra veterem præstantia maxime commendatur. Mens itaque Apostoli hæc est : ad hoc ut quis justitiam, quæ ex fide est, nempe salutem & vitam æternam assequatur, impossibilia ei non injunguntur, puta in cœlum ascendere & inde Christum deducere, vel in infernum descendere, atque ex eo Christum à mortuis suscitare : sed facilia omnino, nimirum ore Christum Dominum confiteri, & eum à mortuis suscitatum corde credere. Cum è contrario justitia, quæ ex Lege est, quæque in vita tantum temporali, longæva ac prospera consistit, non comparetur, nisi mandata difficillima exsequendo. Porro cum ait Apostolus ad justitiam fidei comparandam satis esse ore confiteri Jesum esse Dominum, eumque à mortuis excitatum corde credere, opera bona non excludit ; cum vera fides sine illis esse non possit : quandoquidem illa, teste Jacobo epist. c. 2. v. 20. *sine operibus mortua est.* Et v. 26. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est : ita & fides sine operibus mortua est.*

Exaltationis. Psal. 30. Heb. 31. v. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te !*

Psal. 138. Heb. 139. v. 17. וְלִי מַה־יָּקְרוּ רֵעֶיךָ אֵל מֶה עָצְמוּ רָאשֵׁיהֶם *Mihi autem quam pretiosæ sunt cogitationes* vel *consilia tua, Deus : quam roboratæ* (i. numerosæ) *sunt summæ earum.* Lxx. ἐμοὶ δὲ λίαν ἐτιμήθησαν οἱ φίλοι σου, ὁ Θεός, λίαν ἐκραταιώθησαν αἱ ἀρχαὶ αὐτῶν, Vulg. Lat. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est* (Græc. *confortati sunt*) *principatus eorum !* Vetus interpres ; καὶ ἐμοὶ τίμιοι ἐγένοντο οἱ ἑταῖροί σου, ὁ Θεός, *& mihi pretiosi fuerunt amici tui, Deus!* Alius ; καὶ ἐμοὶ λίαν ἐτιμήθησαν οἱ φίλοι σου, ὁ Θεός, *& mihi nimis honorati sunt amici tui, Deus !* S. Hieron. *Mihi autem quam honorabiles facti sunt amici tui, Deus !* Vox רֵעֶיךָ & *cogitationes* vel *consilia*, ex Chaldaïca dialecto ; & *amicos*, ex Hebraïca significat. In altero hemistichio. Aq. αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν ἐκραταιώθησαν, *capita eorum roborata sunt.* Sym. παμπληθεῖς μοι ἦσαν αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν, *quamplurima erant mihi capita eorum.* Dictio

רָאשֵׁיהֶם significat tum *summas*, ut supra; tum *capita*, ut eo loci Aq. & Sym. interpretantur; tum denique *principatus*, ut Lxx. verterunt. Theod. ἐνεκραταιώθησαν οἱ πένητες αὐτῶν, S. Hieron. *fortes* (facti sunt) *pauperes eorum!* Eandem vocem רָאשֵׁיהֶם deducebant à verbo רִישׁ *pauperem esse*, unde רִשׁ & cum epenthesi τῦ א, רָאשׁ *pauper*. Porro א istud, quod vocant epentheticum, erat antiqua vocalis *a*, quæ ex hac voce, punctis Massorethарum adscriptis, sublata est.

EXTENUATIONIS. Psal. 8. v. 5. *Quid est homo, quod memor es ejus!* hoc est, quam vilis & indignus tua cura & amore est. Vide etiam Psal. 143. Heb. 144. v. 3.

Isai. 2. v. 22. *Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est:* כִּי־בַמֶּה נֶחְשָׁב הוּא *quia in quo reputatus est ipse?* h. e. desinite auxilium sperare ab homine, cujus vita in aëre per nares ducto posita est; qui aër si comprimatur, statim interit homo; unde quantuli æstimandus est? S. Hieron. *quia excelsus reputatus est ipse*, legeb. בָּמָה, & hunc versiculum de Christo explicat. *Moneo*, inquit, comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 30. *atque præcipio, ut quiescatis ab eo, qui secundum carnem quidem homo est, & habet animam, & ita spirat, & naribus halitum trahit, ut nos homines spiramus & vivimus: sed secundum Divinam Majestatem excelsus est, & reputatur, & creditur.* Aquila: παύσασθε ὑμῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ἀναπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ, ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη αὐτός; *cessate vobis ab homine, cui respiratio in naribus ejus est; quia in quo reputatus est ipse?* S. Hieron. qui etiam hanc Aquilæ versionem, sed Latinam tantum affert, sic prosequitur: *Hoc prætermisere Lxx. & in Græcis exemplaribus ab Origene sub asteriscis de editione Aquilæ additum est; quod in Hebræo ita legitur:* HEDALU LACHEM MEN AADAM ASER NASAMA BAAPHPHO CHI BAMA NESAB HU. *Ubi nos diximus:* excelsus reputatus est ipse; *Aquila interpretatus est:* in quo reputatus est ipse. *Verbum Hebraicum* BAMA, vel ὕψωμα *dicitur, id est*, excelsum; *quod & in Regnorum libris, & in Ezechiele legimus; vel certe* in quo; *& eisdem litteris scribitur* BETH, MEM, HE: *ac pro locorum qualitate, si voluerimus legere* in quo, *dicimus* BAMMA; *sin autem* excelsum, *vel* excelsus, *legimus* BAMA. Cave ex postremis illis Hieronymi verbis inferas vocum Hebraicarum lectionem incertam olim fuisse atque arbitrariam. Nihil enim aliud hîc dicit S. Doctor, quam vocem במה pro Scripturæ locorum sensu legi posse בַּמֶּה bammá *in quo*, & בָּמָה bamá *celsitudo* sive *excelsum*. Posteriorem lectionem hîc sequitur Hieronymus, quanvis ejus ætatis Judæi, ut ipse ibidem testatur, & tribus fere ante eum sæculis Aquila, legerent בַּמֶּה bammé *in quo*, ut legendum docent Massorethæ. Veteres quidem Judæi, secundum Hieronymum, legebant *bammá* pro *bammé;* at vel amanuensium incuria corrupta est vocis hujus lectio: vel, si revera lectum olim fuerit *bammá*, idem semper remanet sensus, cum ex analogia utraque lectio & *bammá* & *bammé* significet *in quo*. Alia exempla vide 1. Reg. 9. v. 21. 2. Reg. 7. v. 18. &c.

EXPOSTULATIONIS, ACCUSATIONIS, & EXPROBRATIONIS. Gen. 12. v. 18. *Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? quare non indicasti, quod uxor tua esset?* Vers. 19. *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam?* &c. Vide etiam c. 31. vv. 26. 27. 30. c. 44. vv. 4. 15. Psal. 10. Heb. 11. v. 1. Psal. 49. Heb. 50. v. 16. Isai. 5. v. 4. c. 58. v. 3. Ezech. 12. v. 22. Dan. 3. v. 14. &c.

INDIGNATIONIS. Psal. 2. v. 1. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?* Vide etiam Matth. 17. v. 17.

INSULTATIONIS & IRONIÆ. Psal. 41. Heb. 42. v. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis* (Vulg. Lat. *panes*) *die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?* Vide etiam Psal. 78. Heb. 79. v. 10. &c.

Jerem. 22. v. 23. *Quæ sedes in Libano, & nidificas in cedris,* מַה־נֵּחַנְתְּ *quam gratiosa eris, cum venerint tibi dolores, quasi dolores parturientis?* Lxx. καταστενάξεις *ingemisces.* Vulg. *quomodo congemuisti?* Pro מַה־נֵּחַנְתְּ legeb. מַה־נֶּאֱנַחְתְּ, à נחח *lamentari*, &c. Vide etiam c. 23. v. 33. &c.

Joan. 18. v. 38. *Quid est veritas?* inquit

Pilatus ad Christum. Horum verborum anagramma memini me alicubi legere: *Vir qui adest.*

LAMENTATIONIS. Psal. 21. Heb. 22. v. 2. Heb. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Vide etiam Psal. 3. v. 2. Psal. 76. Heb. 77. vv. 8. 9. 10. Thren. 2. v. 20. Habac. 1. v. 17.

MISERATIONIS. Thren. 1. v. 1. *Quomodo sedet sola, civitas plena populo?* Vide c. 2. v. 1. & sic sæpius in hoc libro, quanvis ad antecedentem figurā hæc etiam pertinere possint.

OPTATIONIS. 2. Reg. 23. v. 15. *Quis mihi dabit potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem, juxta portam?* h. e. utinam aliquis mihi daret, &c. Vide etiam Rom. 7. v. 24.

REJECTIONIS & RECUSATIONIS. Num. 23. v. 8. *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?* &c. Vide etiam Jud. 11. v. 12. 2. Reg. 16. v. 10. 3. Reg. 17. v. 18. 4. Reg. 3. v. 13. Ose. 14. v. 9. Joel. 3. v. 9. Matth. 8. v. 29. Marc. 5. v. 7. Luc. 8. v. 28. Joan. 2. v. 4.

ARTICULUS II.

De Figuris sententiæ in dialogismo.

FIGURÆ sententiæ in dialogismo eæ sunt, ut diximus supra pag. 276. quæ cum sermocinatione sive dialogo conjunctæ sunt. Quinque numerantur, scilicet:

I.

ADDUBITATIO [*ἀπορία* vel *διαπόρησις*] cum ipsi nobiscum de rebus aut dicendis, aut faciendis deliberamus & disquirimus. Psal. 138. Heb. 139. v. 7. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tuâ fugiam?* Vers. 8. *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Vide sequentes quatuor versus, & Thren. 2. v. 13. Luc. 16. vv. 3. 4. 1. Cor. 11. v. 21. Philipp. 1. vv. 22. 23. 24.

II.

COMMUNICATIO [*ἀνακοίνωσις*] est deliberatio cum iis ipsis, apud aut contra quos dicimus, judiciique iis facta oblatio. Isai. 5. v. 3. *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam,* &c. Vide etiam Luc. 11. v. 19. Act. 4. v. 19. 1. Cor. 4. v. 21. c. 10. vv. 15. 16. c. 11. vv. 13. 14. Gal. 3. vv. 1. 2. 5. c. 4. v. 21. seqq.

III.

OCCUPATIO [*πρόληψις*, vel *præoccupatio* *προκατάληψις*] est cum id, quod objici potest, anticipatur & diluitur. Duplicis est generis, *tecta*, & *aperta*.

Tecta est, cum objectione dissimulata responsio ponitur. Rom. 9. v. 6. *Non quod exciderit verbum Dei; non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ,* &c. Occurrit Apostolus huic objectioni: si Israël rejectus est, ergo excidit verbum Dei, quo se Deum Abrahami & posteritatis ejus dixit. Hanc, inquam, objectionem præoccupat ac solvit Apostolus dicendo non omnes, qui ex Israële sunt, hoc est, ex Jacobo nati, esse Israëlitas, veros scilicet & electos. Quod confirmat ex Abrahamo, de quo dicit v. 7. *Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii* (ejus sunt) : *sed in Isaac vocabitur tibi semen:* v. 8. *id est, non qui filii carnis* (secundum carnem ex Abrahamo prognati), *hi* (omnes) *filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*, &c. Argumentationis Apostoli summa hæc est: quanvis pauci Judæi in Christum credant, iique soli credentes promissionis Abrahamo factæ sint participes: non idcirco tamen excidit verbum Dei; non solum enim, qui ex Abrahamo aut Jacobo nati sunt, hi omnes filii eorum, ad promissionem quod attinet, non sunt: verum etiam è contrario Gentiles, qui cre-

dunt, licet ex SS. illis Patriarchis nati non sint, eorum tamen filii reputantur, quod sectentur eorum fidem; proindeque licet pauci admodum Judæi credant & salventur, non idcirco excidit verbum Dei; Gentiles enim, qui in eorum locum subrogati sunt, censentur filii Abrahami, Isaaci, & Jacobi.

Aperta occupatio est, cum objectio ponitur & diluitur. Isai. 49. v. 14. *Et dixit Sion: dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* En objectio; sequitur responsio: v. 15. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* &c. Vide etiam Matth. 3. v. 9. Rom. 3. vv. 1. 2. 3. 4. 27. 29. 31. c. 4. vv. 1. 2. 3. c. 6. vv. 1. 2. c. 7. v. 7. c. 9. vv. 14. 19. 20. c. 10. vv. 18. 19. c. 11. vv. 1. 11. 19. 20. 1. Cor. 15. vv. 35. 36. &c.

IV.

PERMISSIO [ἐπιτροπὴ] est cum rei alicujus potestas vel laus conceditur, idque tum *serio*, tum *ironice*.

Serio & simpliciter, Rom. 2. v. 17. *Ecce tu Judæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo*, &c. q. d. hæc quidem optima sunt, eaque tibi concedo; at cur professioni illi externæ vita tantopere contraria est? v. 20. & seqq. Vide etiam cap. 9. vv. 4. 5. Gal. 4. vv. 14. 15. 16.

Ironice, cum videtur permissio esse, quæ tamen è contrario summa potius prohibitio est. Jud. 10. v. 14. *Ite & invocate Deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Vide insuper 3. Reg. 22. v. 15. Eccle. 11. v. 9. Jerem. 2. v. 28. cap. 7. v. 21. Thren. 4. v. 21. Ezech. 20. v. 39. Amos. 4. vv. 4. 5. Matth. 23. v. 32. c. 26. v. 45. Joan. 2. v. 19. c. 13. v. 27. 1. Cor. 15. v. 32. 2. Cor. 11. v. 19. Apoc. 22. v. 11. &c.

V.

CONCESSIO [συγχώρησις] est cum dictum aliquod conceditur, & inutile tamen id esse subjungitur. Jac. 2. v. 19. *Tu credis, quoniam unus est Deus; benefacis, & Dæmones credunt & contremiscunt.* Fides igitur sine operibus inutilis est, vel, ut loquitur ibidem Apost. *mortua.* Vide etiam Rom. 11. vv. 19. 20. &c.

Concessioni interdum accedit ironia. 1. Cor. 4. v. 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis.* Hucusque concessio ironica, subjungitur correctio: *& utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.* Vide quoque 2. Cor. 10. v. 1. (conf. vv. 2. 11.) cap. 12. v. 16. sequitur correctio vv. 17. 18.

CAPUT III.

De aliis sententiarum & amplificationum figuris.

PRÆTER schemata hactenus explicata, sunt & alia quædam, quæ ad classes locorum dialecticorum potius, quam ad Rhetorum scholas pertinent. De his, quam breviter fieri poterit, servato locorum dialecticorum ordine, differemus.

ARTICULUS I.

De Figuris ex causis desumtis.

I.

ÆTIOLOGIA [αἰτιολογία *causæ redditio*] figura est, qua dicti aut facti alicujus ratio & causa redditur. Rom. 1. v. 13. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (sed prohibitus sum us-*

que adhuc), *ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus.* Vers. 14. causæ redditio, *Græcis* (enim) *& Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum;* &c. Vide etiam vv. 15. 16. cap. 3. v. 20. c. 4. v. 14. 15. &c.

II.

TRANSLATIO [μετάστασις] est, cum causa vel culpa ab alio in aliud transfertur. Rom. 7. v. 8. &c. cum dixisset Apost. peccatum Lege augeri, v. 14. & seqq. ostendit id vitio naturæ corruptæ fieri, non Legis, quæ bona est & spiritualis. Vide etiam c. 8. v. 3. ubi causa, cur Lex justificare non posset, in carnem, h. e. concupiscentiam sive naturam peccato corruptam transfertur.

Huc pertinet, quando in se orator transfert partem culpæ, alios objurgaturus. Sic Prophetæ nonnunquam peccatoribus se adjungunt. Interdum etiam fictione utuntur incertæ personæ, de qua narrant indignum facinus, ut confessionem impetrent ab auditore. Ita 2. Reg. c. 12. Nathan apud Davidem narrat indignum facinus cujusdam divitis, qui rapuerat unam oviculam prædilectam ex sinu pauperis; quo audito David indignitate narrationis commotus damnat hujusmodi hominem. Sic Apostolus 1. Cor. 4. v. 6. doctores quosdam Corinthios, qui sectas ex suis nominibus instituebant, reprehendens, sui & Apollo sæpe meminit. *Hæc autem, fratres,* inquit, *transfiguravi* (i. figura transtuli) *in me & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne, supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio doctore*, q. d. illorum doctorum nominibus peperci, meumque & Apollo posui, quanvis sectarum auctores non simus. Quod si autem ex nostris nominibus sectæ in Ecclesia Christi instituendæ non sunt; multo minus ex aliorum, qui inferiores nobis sunt, debent institui.

ARTICULUS II.

De Figuris ex adjunctis & circumstantiis desumtis.

I.

TOPOGRAPHIA [τοπογραφία *loci descriptio*] est, cum accuratius describitur locus, & oculis quasi videndus exhibetur. Sic Isai. 30. v. 23. Infernus describitur sub imagine Topheth, qui erat locus juxta Jerusalem, in quo infantes Molocho cremabantur. *Præparata est enim ab heri Topheth à Rege* vel *Regi præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Vide alias descriptiones, puta *cæli novi ac terræ novæ*, ubi in æternum electi glorificabuntur, Isai. 65. v. 17. & seqq. Apoc. 21. v. 1. & seqq. *Sionis* seu *Ecclesiæ*, Isai. 33. v. 20. & seqq. *Templi novi, & admirandæ urbis*, Ezech. 40. & seqq. in qua descriptione ex Veteris Testamenti personis, locis, ritibusque sacris desumta, de regno Christi, seu Ecclesia N. T. ejusque conditione & statu agitur; singula autem quid significent, aut quo pacto sint explicanda, difficile dictu est. Hinc Judæi prophetiæ hujus finem numerant inter SS. Codicum partes, quarum adolescentibus & juvenibus lectione interdicitur.

Huc pertinet, cum res aliqua vel factum à loco emphatice describitur. Psal. 41. Heb. 42. v. 7. *Propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim, à monte modico.* Per *terram Jordanis*, intelligit David Judææ terminum Orientalem; per *montem Hermon*, sive *Hermonim*, aut *Hermoniim*, ut habent LXX. & Vulg. Lat. Aquilonarem; denique per *montem modicum*, montana deserti, quibus terra Israëlitica à deserto Ægypti ad austrum disterminabatur.

Psal. 88. Heb. 89. v. 13. *Aquilonem &* ימין *dexteram tu creasti, Thabor & Hermon in nomine tuo exsultabunt*, &c. Quatuor his locis, quatuor terræ Judaïcæ climata designantur, nempe *Aquilo*, qui diserte nominatur; *Meridies* dextera; versis enim ad Orientem, ad

ad dexteram est meridies; *Oriens* Hermone, & *Occidens* Thabore; sunt enim *Hermon* & *Thabor* duo montes Galilææ, quorum alter, nempe Hermon, Orientem versus, cum deflexione tamen ad Septentrionem; alter vero, scilicet Thabor, ad Occidentem situs est. LXX. τὸ βοῤῥᾶν καὶ θάλασσαν σὺ ἔκτισας, Vulg. Lat. *Aquilonem & mare tu creasti.* Pro ימין *dexteram*, legebant ימים, vel in forma Chald. ימין *maria*. Aq. Sym. βοῤῥᾶν καὶ δεξιὰν σὺ ἔκτισας, S. Hieron. *Aquilonem & dextrum tu creasti.* Theod. V^a^. edit. βοῤῥᾶν καὶ νότον, *Aquilonem & austrum tu creasti.*

Hîc autem notandum est climata seu plagas orbis, quales sunt *Oriens*, *Occidens*, *Meridies*, & *Septentrio*, in Scripturis plerumque intelligendas esse secundum situm Judææ, Jerusalem, & Templi, (excipienda enim sunt loca quædam Ezechielis, qui Babylone vixit scripsitque); unde *mare*, mediterraneum scilicet, Occidentem denotat; quia Judæam habitantibus in occasu est. *Hanc habet Scriptura Sacra consuetudinem*, scribit S. Hieron. comment. in Ezech. c. 46. tom. 3. nov. edit. col. 1051. *ut pro situ terræ Judææ, semper mare Occidentem vocet.* Vide eundem in traditionibus seu quæstionibus in Gen. tom. 2. col. 519. ejusd. edit. Excipitur etiam locus Psal. 106. Heb. 107. v. 3. *A solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari*, ubi mare Meridiem significat, & mare rubrum intelligendum, quod ad meridiem Judææ situm est. Confer Psal. 71. Heb. 72. v. 8. Exod. 23. v. 31. &c.

Chronographia [χρονογραφία, *temporis descriptio* [*Pragmatographia* πραγματογραφία, *rei aut actionis descriptio* [& *Prosopographia* προσωπογραφία, *personæ descriptio*], quæ à nonnullis inter schemata seu figuras referuntur, non tam figuræ sunt, quam sermonis historici simpliciter instituti circumstantiæ.

II.

HYPOTYPOSIS [ὑποτύπωσις *repræsentatio*] est, cum res ita oculis subjicitur, ut non tam narrari, quam geri videatur. Figuræ hujus exempla sunt descriptiones vastationis terræ, Isai. 1. v. 7. seqq. c. 34. per totum, Jerem. 4. vv. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 31. Idolorum, Isai. 44. v. 9. c. 46. v. 6. Baruch 6. v. 3. seqq. Exinanitionis & passionis Christi, Isai. 53. ubi Isaias non tam vatem, quam Evangelistam agit. Famis, Thren. 4. vv. 8. 9. Triumphi Christi, Coloss. 2. vv. 14. 15. &c.

Non solum verbales, sed reales etiam Spiritus Sanctus hypotyposes exhibet, quibus futura mala denuntiantur simul & actionibus pinguntur. Sic Isaias c. 20. v. 2. nudus, i. veste prophetica vel toga exutus incedit, ad indicandam cladem Ægyptiorum & Æthiopum. Alia exempla vide Jerem. c. 13. v. 1. seqq. c. 16. vv. 2. 5. c. 18. v. 2. c. 19. vv. 1. 2. 10. c. 27. v. 2. seqq. c. 51. v. 63. Ezech. c. 2. v. 8. seqq. c. 4. v. 2. seqq. c. 12. v. 3. c. 24. vv. 3. 16. c. 37. v. 13. Ose. c. 1. v. 2. seqq. c. 3. v. 1. seqq. Matth. 21. v. 19. Act. 21. v. 10. seqq.

III.

PATHOPOEÏA [παθοποιΐα *affectus expressio*] est, cum affectus dilucido & luculento sermone exprimitur, qualis de Deo occurrit Isai. 49. v. 15. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & , si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*, &c. Vide etiam Jerem. 31. v. 20. Ose. 11. vv. 7. 8. De Paulo, 1. Cor. 4. v. 14. *Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios charissimos moneo.* Vers. 15. ... *nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Vide etiam 2. Cor. 2. v. 4. Gal. 4. vv. 19. 20. Doloris & aversationis exemplum vide Jerem. 9. vv. 1. 2. c. 23. vv. 9. 10.

Huc pertinet *Ethopœïa* [ἠθοποιΐα *morum expressio*], cum videlicet externo aliquo indicio, aut moribus, interni affectus indicantur. Sic Publicanus demisso vultu, & in loco remoto consistens contritum animum ostendit, dum Pharisæus contrario situ contrarium affectum indigitat, Luc. 18. vv. 10. 11. 12. 13. Sic mulierum Judaïcarum superbia per *extentum collum*, *nictum oculorum*, *plausum pedum* indicatur, Isai. 3. vv. 16. 17.

IV.

SYLLOGISMUS [συλλογισμὸς *ratiocinatio*] est, cum à signo aliquo, rei magnitudo

ostenditur. Sic armorum Goliathi magnitudine, statura & robur ejus innuitur, 1. Reg. 17. v. 3. seqq. Ita Roboam filius Salomonis dicit *minimum suum digitum crassiorem fore dorso patris sui*, 3. Reg. 12. v. 10. quo onerum populo imponendorum gravitas indicatur. Denique per externæ pacis signa, notatur pacis spiritualis & internæ amplitudo, Isai. 2. v. 4. conf. Isai. c. 4 v. 1. c. 49. v. 20. Matth. 10. v. 30. Luc. 7. v. 44. &c.

ARTICULUS III.

De Figuris ex diversis seu disparatis desumtis.

I.

PARECBASIS [παρέκβασις *digressio*] est, cum præter propositum aliquid additur, & ab instituta narratione exceeditur. Gen. 2. v. 8. usque ad v. 15. digressio est exponens hominis creati domicilium à Deo conditum. Ibid. integrum caput 38um. παρεκβατικὸν est.

In Epistolis Pauli digressionis hujus insigne artificium conspicitur; is enim sæpius ex alio in aliud paulatim labitur, ita tamen ut nihil alienum à proposito tractet: sed omnia ad præsentem scopum, licet diversa ratione, faciant; tandemque quasi circulo sententiarum facto, ad præcipuum scopum regreditur.

Exemplo est Rom. 1. v. 1. usque ad v. 8. Summa totius inscriptionis ea est: *Paulus Apostolus Romanis salutem*; sed labitur primum à nomine suo, ad vocationis suæ descriptionem, v. 1. deinde ad Evangelii definitionem, v. 2. mox ad descriptionem Christi, vv. 3. 4. rursus delabitur ad suam vocationem, v. 5. tandem Romanis salutem Dei precatur, atque ita circulum suum quasi absolvit; eaque fiunt occasione ultimarum vocum in sententiis. *Paulus Gentium Apostolus, segregatus in Evangelium*, v. 1. *Evangelium est doctrina de filio Dei*, vv. 2. 3. *Filius Dei est verus Deus & homo*, vv. 3. 4. *Ab hoc vero Deo & homine Paulus ad Apostolatum vocatus fuit, ad prædicandum inter Gentes*, v. 5. *Inter Gentes etiam sunt Romani*, v. 6. *Romanis igitur gratia sit & pax*, &c. v. 7. Vide etiam 1. Cor. 1. v. 13. seqq. Ephes. 3. v. 1. seqq. Coloss. v. 3. ad finem usque capitis.

II.

METABASIS [μετάβασις *transitio*] est, cum breviter monetur, quid dictum sit, & quid dicendum sit. 1. Cor. 12. v. 31. *Æmulamini autem charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Prius ad præcedentia respicit, posterius vero ad tractationem sequentem viam parat. Eidem autem Apostolo moris est, ut ad aliam transiens materiam, exordiolum quoddam præmittat, quo ad sequentia quasi lectorem paret. 1. Cor. c. 15. confutaturus Corinthiorum errorem de resurrectione mortuorum, præfatur de doctrina ipsis ab initio tradita: *notum vobis facio*, &c. v. 1. seqq. usque ad v. 12. ubi erroris illius confutationem aggreditur. Vide etiam c. 11. in quo exordiolum adhibet, v. 16. antequam de ἀπαξίᾳ in sacræ Eucharistiæ celebratione agat, v. 17. & seqq.

ARTICULUS IV.

De Figuris ex oppositis & contrariis desumtis.

I.

ANTITHESIS [ἀντίθεσις *contentio*] est, cum opposito contrario res illustratur. 2. Cor. 6. v. 7. *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris*, v. 8. *per infamiam & bonam famam; ut seductores & veraces; sicut qui ignoti & co-*

gniti, &c. Vide etiam vv. 9. 10. Rom. 5. vv. 6. 7. 8. c. 8. vv. 13. 15. 2. Cor. 4. vv. 17. 18. Philip. 3. vv. 7. 8. 9. 14. 2. Petr. 2. v. 19. &c. Et in Vet. Test. Psal. 1. & 36. Heb. 37. ubi sors improborum sorti piorum opponitur; Isai. 1. v. 21. c. 43. v. 22. seqq. c. 59. v. 9. Thren. 1. v. 1. Ezech. 16. vv. 33. 34. &c.

II.

ANTIMETABOLE [ἀντιμεταβολὴ *commutatio*] jucunda est contrariorum inter se permutatio. Marc. 2. v. 27. *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum.* Vide etiam Joan. 15. v. 16. Rom. 4. vv. 1. 2. 3. quorum hæc est sententia: non Lex aut opera Abrahamum fecere justum; sed justus per fidem Abrahamus fecit opera Deo grata. Convenit huic figuræ cum *Epanodo*, de qua supra pag. 271. col. 2. num. VIII.

III.

ANTICATEGORIA [ἀντικατηγορία *accusatio adversa*, vel *translatio in adversarium*] est, cum ipsimet adversario impingitur, quod ab eo suspicando vel accusando afferebatur. Ezech. 18. v. 29. *Et dicunt filii Israël: non est æqua via Domini. Nunquid via mea non sunt æqua, domus Israël, & non magis viæ vestræ pravæ?* Vide etiam c. 33. v. 17.

IV.

ANTISTROPHE [ἀντιστροφὴ *inversio*] est, cum positum quippiam retorquemus in adversarium. Matth. 15. v. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Vers. 27. *Etiam, Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, q. d. recte, Domine; cum enim sim canis, non denegabis mihi micas, quæ cadunt de mensa tua.

V.

OXYMORUM [ὀξύμωρον, q. d. *acutifatuum*] est, quo contraria acute & sapienter conjunguntur; unde fit ut prima facie fatue dictum videatur, quod postea insigni acumine dictum cognoscitur. Job. 22. v. 6.... *nudos spoliasti vestibus.* Qui nudus est, vestes non habet, ideoque iis spoliari non potest. Verum *nudus* hic synecdochice male vestitum significat. Vide supra pag. 240. col. 2. in fine.

Jerem. 22. v. 19. *Sepultura asini sepelietur*, Joakim, hoc est, insepultus projicietur; quod Tullius Philip. 1. num. vulg. 5. Grut. 2. *insepultam sepulturam* appellat.

Act. 5. v. 41. *Et illi quidem* (Apostoli) *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Gloria & ignominia sibi invicem adversari videntur: at summa dignitas est pro Christo indigne tractari.

2. Cor. 8. v. 2. *Altissima paupertas eorum* (Macedonum) *abundavit in divitias simplicitatis eorum*, h. e. cum supra virtutem voluntarie eleemosynas erogarint, ita ut ad summam paupertatem fuerint redacti: ipsa tamen eorum egestas in divitias simplicitatis, i. in simplicitatem seu liberalitatem divitem abundavit; nam ἁπλότης eo loci, sicut & infra c. 9. vv. 11. 13. Rom. 12. v. 8. liberalitatem significat, quæ proficiscitur ab animi simplicitate, h. e. sinceritate, qua nihil aliud spectatur, quam quod in eleemosynis spectandum est, nempe ut pauper juvetur, & honoretur Deus. Vel summa eorum penuria simplicitatem divitem, seu quæ maximarum divitiarum loco est, ipsis comparavit.

1. Tim. 5. v. 6. Vidua, *quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Vita & mors opponuntur; at prius *vivere* de vita temporali usurpatur; posterius autem *mori* de spirituali animæ morte in peccatis intelligitur. Sic S. Epiphanio serm. in sepulturam Domini, tom. 2. edit. Paris. 1622. pag. 162. S. Josephus dicitur ἄνανδρος ἀνὴρ τῆς Μαρίας, *vir Mariæ non vir.*

Apud profanos. Lucian. in Alex. seu Pseudomante, μωρόσοφος, *sapiens stultus.* Cui geminum est illud Horat. lib. 1. carm. Od. 34. *Insanientis dum sapientiæ consultus erro.* Sappho, ut ex Hephæstione discimus, amorem vocat γλυκύπικρον, *dulce amarum.* Sophoc. in Ajace, v. 636. ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, *dona hostium non sunt dona.* Scipio Africanus, referente Tullio, l. 1. de off. initio, dicere solebat, *nunquam se minus otiosum esse, quam*

cum otiosus: nec minus solum, quam cum solus esset. Sexcenta alia figuræ hujus exempla vide apud Vossium Instit. Orat. l. 5. cap. 12. num. 7. & Conradum Rittershusium, comment. in Oppiani Κυνηγετ. lib. 1. Imo in ipsa ὀξύμωρον voce est ὀξύμωρον, ut observat idem Vossius ibid. prima enim facie repugnat acute quid & fatue dici.

VI.

REJECTIO seu DETESTATIO [ἀποδίωξις] figura est, qua aliquid cum indignatione rejicitur tanquam omnino absurdum & nequaquam ferendum. Matth. 16. v. 23. *Vade retro, Satana, scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt: sed ea, quæ hominum.* Vide etiam Luc. 9. v. 55. Act. 8. v. 20. &c.

VII.

ANTHYPOPHORA [ἀνθυποφορὰ *contraria illatio*] est, cum objectio per contrariæ sententiæ oppositionem confutatur. Exemplo est Matth. 21. v. 23. & seqq. ubi Christus principibus Sacerdotum & senioribus populi quærentibus, *qua potestate hoc facis?* respondit: *interrogabo vos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus?* &c.

Figura illa dicitur etiam ἀντισαγωγὴ, ἀντιπαράπλεξις, *compensatio;* quia argumento firmiori opposito quæstionem diluit.

ARTICULUS V.

De Figuris ex comparatis desumtis.

COMPARATIO [σύγκρισις, παράθεσις] est amplificatio collatione similium aut dissimilium, majorum aut minorum, facta. Duplicis est generis, *perfecta* & *imperfecta*.

Comparatio perfecta, *propositione* & *redditione* constat, ut: Matth. 12. v. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Quæ per synecdochen dicuntur; Christus enim partibus tantum ad tres dies pertinentibus in sepulchro mansit; nempe parte sextæ feriæ, toto sabbatho, & parte feriæ primæ; sive duabus noctibus, & die integro. Quod etiam Christus ipse exponit, cum Matth. 16. v. 21. &c. *tertia die resurrecturum se* dicit. Id quoque prænuntiatum legitur Ose. 6. v. 2. al. 3. *Vivificabit non post duos dies, in die tertia suscitabit nos,* &c.

Comparatio imperfecta solam propositionem, seu prius comparationis membrum, tantummodo exhibet; posterius autem, seu redditionem eliciendam relinquit; cujus generis sunt multæ parabolæ Salvatoris in Evangelistarum scriptis recensitæ. Exempla, utpote passim obvia, huc operæ pretium non est congerere. Huc pertinet ellipsis particulæ redditionis *sic*, de qua in tom. I. p. 579. col. 2.

ARTICULUS VI.

De Figuris ex distributione desumtis.

I.

DISTRIBUTIO [μερισμὸς] est, cum totum aliquod diductum per partes sive proprias, sive analogice sic dictas, latius explicatur. Isai. 24. v. 2. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos: & sicut servus, sic dominus ejus: sicut emens, sic ille, qui vendit: sicut fænerator, sic is, qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.* Vide etiam Ezech. 36. v. 4. Rom. 2. vv. 6. 7. 8. Joan. 5. vv. 28. 29.

II.

CONGERIES [συναθροισμὸς] est, quando

plures species coacervantur, cum una sufficeret. Isai. I. v. II. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum* (offertis), *dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Uno verbo dicere potuisset: *sacrificia vestra mihi non placent.* Sic de festivitatibus, vv. 13. 14. De ornamentis mulierum, c. 3. v. 16. & seqq. Vide etiam Rom. I. vv. 29. 30. Gal. 5. vv. 19. 20. 21. 22. &c.

III.

INCREMENTUM [ἀνάβασις] est, cum per gradus ab infimis ad summa ascendit oratio; seu cum congeruntur voces, ita ut semper posteriores sint vehementiores prioribus; atque ita quasi crescat & grandescat oratio. Hæc figura vocatur etiam αὔξησις & κλίμαξ, diversa tamen ratione ab ea, qua superius pag. 270. col. 2. num. III. hæc vocabula accepta sunt.

Psal. I. v. I. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ* (Heb. *derisorum*) *non sedit.* Triplex in hoc versiculo distinguitur ἀνάβασις.

Prima PERSONARUM, quarum primus gradus est *impiorum* seu *improborum*, qui sine quiete & indesinenter impie agunt. Conf. Isai. 57. v. 20. Job. 3. v. 17. Secundus *peccatorum*, qui perfricta fronte & impudenter peccant, quales *peccatores* κατ' ἐξοχὴν vocantur Gen. 13. v. 13. I. Reg. 15. v. 18. Psal. 25. Heb. 26. v. 9. Psal. 103. Heb. 104. v. ult. Matth. 26. v. 45. Luc. 7. v. 37. Joan. 9. vv. 13. 31. Tertius *derisorum* χλευαστῶν, ut vertit Aq. qui religionem, pietatem, justitiam, &c. subsannant ac deludunt.

Secunda VITÆ INSTITUTORUM; improbis enim *consilium*, h. e. inquietæ & malitiosæ cogitationes machinationesque tribuuntur. Peccatoribus assignatur *via*, nimirum in impietate progressus & consuetudo prava. Illusoribus denique datur *cathedra*, i. obstinatio in malitia, ejusque docendæ munus.

Tertia ACTIONUM. Improbi in consilio suo *ambulant*, h. e. ita consilia sua instituunt, ut ea per fas nefasque exsequantur. Peccatores in via sua pessima *consistunt*, i. perseveranter permanent. Denique illusores in cathedra sua plane *consident*, h. e. in animi sui malitia læti perseverant. Uno verbo, vox *improborum* minus dicit, quam vox *peccatorum*; minus peccatorum, quam *derisorum*. 2°. *Consilium* minus est, quam *via* seu vitæ institutum, & via, quam *cathedra*. 3°. Denique *ambulare* in malo tantam improbitatem non arguit, quanta est in eo stare; ambulatio enim moram in loco negat: & stare in malo tam grave non est, quam illud alios docere. Quidam tamen eo loci non tam ἀνάβασιν, quam synonymorum congeriem agnoscunt. Vide interpretes.

Isai. I. v. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis* מַשְׁחִיתִים *corrumpentibus* non tantum se, verum etiam alios. LXX. υἱοὶ ἄνομοι, *filii iniqui.* Ceteri interpretes, teste Hieron. comment. in hunc locum, tom. 3. nov. edit. col. 10. υἱοὶ διαφθείροντες, *filii corrumpentes.* Vulg. *filiis sceleratis.*

Alia exempla vide Psal. 7. v. 6. Psal. 17. Heb. 18. vv. 38. 39. Ezech. 2. v. 6. Dan. 9. v. 5. Habac. I. v. 5. Zach. 7. vv. II. 12. I. Cor. 4. v. 8. I. Joan. I. v. I. &c.

E contrario, à summis ad infima progressus, & quædam quasi κατάβασις est Ezech. 22. v. 18. in metallorum nominibus. *Omnes isti* (Israëlitæ) *æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis* facti sunt. Quo referri posset Philip. 2. vv. 6. 7. 8.

ARTICULUS VII.

De Figuris ex definitione desumtis.

I.

EXPOSITIO [ἐπεξήγησις, sive *expolitio* ἐξεργασία] figura est, qua verba idem significantia ad sententiam illustrandam conjunguntur. Psal. 16. Heb. 17. v. I. *Exaudi, Domine, justitiam meam; intende deprecatio-*

nem meam, auribus percipe orationem meam, &c. Vide etiam Psal. 34. Heb. 35. vv. 1. 2. 3. Psal. 17. Heb. 18. vv. 2. 3. Jon. 2. vv. 3. 4. Zach. 6. vv. 12. 13. &c.

Huc pertinent,

1°. Ἐπιμονὴ *commoratio*, cum in eodem persistit oratio, commutatis tantum verbis & sententiis. Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*, &c. Vers. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus*, &c. Vide etiam c. 12. vv. 31. 32. Coloss. 2. vv. 13. 14. 15. 1. Cor. 7. vv. 36. 37. &c.

2°. Ἑρμηνεία *interpretatio*, quando ea, quæ primum obscurius dicta fuerant, clarius eadem sententia exponuntur. Isai. 1. v. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam*, &c. Vers. 22. *Principes tui infideles*, &c. qui versus præcedentis est interpretatio sive expositio.

Periphrasis [περίφρασις] *circumloquutio* est, cum pluribus verbis aliquid enuntiatur & describitur; idque maxime, vel ut veritas splendidius proferatur, vel ut vitetur fœditas. Hæc figura locum habet *cum* in nominibus propriis, *tum*, in appellativis, & quibusdam verbis.

In nominibus propriis. 1. Paral. 17. v. 13. *Misericordiam meam non auferam ab eo* (Salomone), *sicut abstuli ab eo, qui fuit ante te*, h. e. à Saule.

Psal. 7. v. 1. Saül circumscribitur *Chus filius Jemini.*

Jud. 5. v. 21. Cison dicitur *torrens* קְדוּמִים, Lxx. ἀρχαίων, *antiquitatum* sive *antiquorum*. Vulg. fecit nomen proprium, *Cadumim*. Sic Theod. Καδησὶμ, msf. Alex. Καδησεὶμ, ubi mendum est librariorum, pro Καδημὶμ vel Καδημιὶμ, ut habent editiones Complutensis & Aldina. Vel, quod tam verosimile non est, ipse Theod. legebat קדמים cum מ loco ם, aut קדשים cum ש pro ם.

Isai. 21. v. 1. Babylonia vocatur *desertum maris*, & c. 22. vv. 1. 5. Judæa sive Jerusalem appellatur *vallis visionis*, &c. Vide tom. I. pag. 438. can. VII.

In nominibus appellativis & quibusdam verbis. Gen. 38. v. 14. bivium periphrastice dicitur *janua oculorum*, quod illis janua quasi aperiatur, ut eorum intuitus huc illuc feratur.

Jud. 3. v. 24. 1. Reg. 24. v. 4. *Pedes tegere*, honestissima loquutione pro ventrem purgare usurpatur; Hebræi enim tunicas laxas & circa corpus defluentes gestabant: unde fiebat, ut, dum corpus inclinarent ad purgandam alvum, tunica demitteretur in terram usque, atque ita pedes contegeret. Eodem euphemismo, 4. Reg. 18. v. 27. Isai. 36. v. 12. urina dicitur *aqua pedum*, secundum lectionem Massorethicam; partes enim ventre inferiores, *pedum* nomine appellabant Hebræi.

2. Paral. 26. v. 5. Zacharias dicitur הַמֵּבִין בִּרְאֹת הָאֱלֹהִים *intelligens in visionibus* vel *visiones Dei*, h. e. Propheta. Vulg. *intelligens & videns Deum*. Pro *in visionibus Dei*, Lxx. Vatic. habent ἐν φόβῳ κυρίου *in timore Domini*, pro בִּרְאֹות, aut, ut alia exemplaria præ se ferunt, בִּרְאֹת, legebant בְּיִרְאַת, ut legerunt veteres Talmudici in cod. Sota c. 9. fol. 48. sed per modum disputandi opinabilem. Vide tom. I. pag. 18. col. 1. Alius interpres & Complut. ἐν ὁράσει Θεοῦ, *in visione Dei*, legebant בִּרְאֹת aut בִּרְאֹות cum Massorethis.

2. Paral. 32. v. 21. Filii Sennacherib vocantur *egressiones viscerum ejus*. Confer 4. Reg. 19. v. 37.

Job. 10. v. 21. Mors & sepulchrum periphrastice describuntur per *terram tenebrosam & opertam mortis caligine*, &c. Aliæ mortis periphrases sunt, Gen. 15. v. 15. c. 25. v. 8. c. 42. v. 38. 4. Reg. 22. v. 20. &c.

Ibid. c. 26. v. 13. Balæna dicitur *serpens vectis* seu *oblongus*. Vulg. *coluber tortuosus*.

Hæc pro Veteri Testamento sufficiant exempla. In Novo ea sunt inter alia:

Matth. 11. v. 11. Homines dicuntur *nati mulierum*, Luc. 21. v. 35. *habitantes* seu *sedentes super faciem omnis terræ*, & Joan. 1. v. 9. *venientes in hunc mundum*. Sic Hebræi בָּאֵי עוֹלָם eos vocant.

Luc. 2. v. 23. Primogenitus describitur *masculus adaperiens vulvam.*

Matth. 1. vv. 18. 23. c. 24. v. 19. Marc. 13. v. 17. Luc. 1. v. 31. c. 21. v. 23. 1. Thess. 5. v. 3. Apoc. 12. v. 2. τὸ prægnantem esse exprimitur per *in utero habere.*

ARTICULUS VIII.

De Figuris ex testimonio desumtis.

IN postremo hocce articulo considerabimus I. Testimonia, quæ ex Veteri Testamento ab Evangelistis & Apostolis in Novo allegantur, quæque ad Christum solum pertinent. II. Testimonia, quæ ex veterum Judæorum nequaquam θεοπνεύστων, & profanorum auctorum scriptis in Novo itidem Testamento laudantur.

§. I.

Testimonia ex Veteri Testamento ab Apostolis in Novo laudata.

IN testimoniis ex Vet. Testam. desumtis spectari potest forma cum *interna*, tum *externa*.

Forma interna, oraculorum Scripturæ Sacræ sensus est; externa vero, genus loquendi, & modus allegandi.

Ad formam internam quod attinet, allegatio fit *vel* in sensu à Spiritu Sancto intento, *vel* in analogica accommodatione.

Sensus à Spiritu Sancto intentus tum *literalis* est, tum *typicus* & mysticus.

Sensus literalis immediati exempla sunt, Isai. 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Is contextus in sensu proprio proximoque allegatur & de Christo exponitur Matth. 1. v. 23.

Alia exempla vide Deut. 18. v. 15. cum Act. 3. v. 22.

Psal. 2. v. 7. cum Act. 13. v. 33. Heb. 1. v. 5. c. 5. v. 5.

Psal. 8. v. 3. cum Matth. 21. v. 16.

Psal. 21. Heb. 22. v. 19. cum Matth. 27. v. 35. Joan. 19. v. 24.

Psal. 39. Heb. 40. vv. 7. 8. 9. cum Heb. 10. v. 5. & seqq.

Psal. 44. Heb. 45. vv. 7. 8. cum Heb. 1. vv. 8. 9.

Psal. 67. Heb. 68. v. 19. cum Eph. 4. v. 8.

Psal. 68. Heb. 69. vv. 10. 22. cum Matth. 27. v. 48. Joan. 2. v. 17. c. 19. v. 28. Rom. 15. v. 3.

Psal. 101. Heb. 102. v. 26. cum Heb. 1. v. 10.

Psal. 109. Heb. 110. v. 1. cum Matth. 22. vv. 43. 44. 45. Luc. 20. vv. 42. 43. 44. Act. 2. vv. 34. 35. 1. Cor. 15. v. 25. Heb. 1. v. 13. Et in eodem Psal. v. 4. cum Heb. 5. v. 6. c. 7. v. 17.

Psal. 117. Heb. 118. v. 22. cum Matth. 21. v. 42. Marc. 12. v. 10. Act. 4. v. 11. 1. Petr. 2. v. 7.

Isai. 11. v. 10. cum Rom. 15. v. 12.

Isai. 28. v. 16. cum 1. Pet. 2. v. 6.

Isai. 42. v. 1. & seqq. cum Matth. 12. v. 18. & seqq.

Isai. 45. v. 23. cum Rom. 14. v. 11.

Isai. 61. v. 1. cum Luc. 4. vv. 18. 21.

Amos. 9. v. 11. cum Act. 15. vv. 15. 16.

Mich. 5. v. 2. cum Matth. 2. v. 6.

Zach. 9. v. 9. cum Matth. 21. v. 5. Joan. 12. vv. 14. 15.

Zach. 11. v. 12. cum Matth. 27. v. 9. Et in eodem propheta c. 12. v. 10. cum Joan. 19. v. 37. Et in eodem Zacharia c. 13. v. 7. cum Matth. 26. v. 31.

Malach. 3. v. 1. cum Matth. 11. v. 10. Marc. 1. v. 2. &c.

Sensus typici & mediati hæc proferuntur exempla. Exod. 12. v. 46..... *Nec os illius* (agni paschalis) *confringetis.* In hoc contextu typus est Christi passuri & crucifigendi, uti de eo explicatur Joan. 19. v. 26.

Alia exempla vide Num. 21. vv. 8. 9. cum Joan. 3. vv. 14. 15.

Jon. 2. vv. 1. 11. cum Matth. 12. v. 39.

Gen. 2. vv. 23. 24. cum Ephes. 5. vv. 31. 32.

Ose. 11. v. 1. cum Matth. 2. v. 15. &c. quanvis postremum illud testimonium ad præcedentem classem referant quidam.

Analogica accommodatio est, quando verba Scripturæ Sacræ Vet. Test. usurpantur in Novo, in quo extenduntur accommodanturque eventui, aut personæ, vel rei alicui, propter convenientiam & similitudinem; quam accommodationem aut extensionem Scriptor sacer proxime non intellexit vel saltem non significavit. Sic Matth. 13. v. 35. ad Christum parabolis utentem accommodatur illud Psal. 77. Heb. 78. v. 2. *Aperiam in parabolis os meum*, &c. In Psalte vera exempla adducuntur, in Evangelista vero narrationes fictæ & allegoricæ: quæ tamen in eo communem obtinent rationem, quod ex eis admoneantur homines, quid sibi à Deo exspectandum sit, sive illi adhæreant per fidem & opera bona: sive ab eo recedant per incredulitatem & mala opera.

Matth. c. 8. v. 17. allegantur hæc verba Isaiæ c. 53. v. 4. *Vere languores nostros ipse* (Christus) *tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Si personam & subjectum adæquatum, de quo Propheta loquitur, attendas: sensus literalis est; at si rem, quæ à Matthæo tractatur, spectes: analogica tantum accommodatio invenitur; agitur enim de Christo varios sanante morbos, & in eo dicitur impletum fuisse Isaiæ oraculum, in quo, sensu literali, de spirituali peccatorum nostrorum portatione agitur, exponente Petro epist. 1. c. 2. vv. 24. 25. quæ ex illo textu verba mutuatur ad explicandum redemtionis nostræ mysterium. Recte autem accommodatio illa ab Evangelista fit ob analogiam tum *objecti*; peccatorum enim effectus & pœnæ, inter alia, sunt morbi corporales: tum *actionis*; quia corporis sanatio ægrotis à Christo præstita, sanationis spiritualis ab eo exspectandæ fuit typus.

Alia exempla sunt, Matth. 2. vv. 17. 18. cum Jerem. 31. v. 15.

Matth. 13. v. 14. cum Isai. 6. v. 9.

Matth. 15. v. 18. cum Isai. 29. v. 13.

Luc. 23. v. 30. Apoc. 6. v. 16. cum Ose. 10. v. 8.

Act. 13. vv. 40. 41. cum Habac. 1. v. 5.

Rom. 9. vv. 27. 28. cum Isai. 10. v. 22.

Rom. 10. v. 6. & seqq. cum Deut. 30. v. 11.

1. Cor. 1. vv. 19. 20. cum Isai. 29. v. 14. c. 33. v. 18.

Apoc. 1. v. 7. cum Zach. 12. v. 10.

Apoc. 11. v. 4. cum Zach. 4. v. 14.

Apoc. 21. v. 5. cum Isai. 43. v. 19. &c.

Formam externam, seu genus dicendi & modum allegandi, quod spectat, hæc observanda sunt.

I. Allegatio frequentissime fit ex LXX. interpretum versione Græca. Unde S. Hieron. in quæst. Heb. super Genesim, tom. 2. nov. edit. col. 544. hunc canonem statuit: *Hoc generaliter observandum, quod ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquantur ad populos, his plerumque testimoniis abutantur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata*, nimirum per LXX. translationem, etiam in iis locis, in quibus versio illa à veritate Hebraïca recedit, ut Luc. 3. v. 36. ubi in genealogia Christi Sale dicitur filius Caïnan, Caïnan filius Arphaxad; licet Gen. 11. v. 12. Arphaxad non Caïnanem, sed Sale immediate genuisse dicatur. Lucas LXX. sequutus est, qui juniorem istum Caïnan interserunt. In mss. tamen Cantab. in Lucæ Evangelio Caïnan iste desideratur. Vide D. Mill. pag. 132. col. 2.

Luc. 4. v. 18. Illa verba: καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, *& cæcis visum*, in Heb. Isai. 61. v. 1. non exstant, sed apud LXX. Verum dici potest eo loci LXX. ab Hebræo, sensum quod attinet, nequaquam discordare; sic enim habet Heb. *Misit me Dominus, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam*, וְלַאֲסוּרִים פְּקַח־קוֹחַ Sym. καὶ δεδεμένοις λύσιν, *& vinctis solutionem.* Vulg. *clausis apertionem*; quem sensum expressere LXX. interpretando: τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, *cæcis visum*; qui enim in carcere detinentur, solem non vident; quare, cum in libertatem vindicantur, visum quodammodo recipere dicuntur.

Alia

Alia exempla vide Zach. 9. v. 9. cum Matth. 21. v. 5. Psal. 8. v. 3. cum Matth. 21. v. 16. &c.

Cur autem in laudandis ex Vet. Testam. contextibus, Apostoli Lxx. versione usi sint, hanc rationem afferunt eruditi: nempe ut Christianorum imbecillitati consulerent, & communi consuetudini sese accommodarent; dudum enim apud Vulgus innotuerat illa versio, à qua recedere periculosum existimarunt. Eadem de causa Psalmi secundum veterem Italicam in Ecclesia Catholica etiamnum hodie decantantur, quamvis in eadem legantur aliæ Scripturæ partes ex Hebræo in Latinum à S. Hieronymo conversæ.

Neque tamen Græca illa interpretatione semper usi sunt Apostoli; Paulus enim 1. Corinth. 15. v. 54. hæc verba Isai. 25. v. 8. בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח, quæ Lxx. sensu scopo Prophetæ contrario transtulerunt: κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, *absorpsit mors prævalens*, sic ex Hebræo vertit: κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, *absorpta est mors in victoria*. Ita & Theodotio. Aquila autem καταποντίσει τὸν θάνατον εἰς νῖκος, *præcipitabit* (Dominus) *mortem in victoria*, S. Hieron. *in sempiternum*. Sym. καταποθῆναι ποιήσει τὸν θάνατον εἰς τέλος, *absorberi faciet mortem in finem*, i. in æternum. Porro Apost. & Theod. qui verterunt κατεπόθη *absorpta est*, pro בִּלַּע legerunt בֻּלַּע in voce passiva. Vel potius in activa legêre, & in passiva interpretati sunt, secundum idiotismum, de quo in tom. I. pag. 531. can. III.

S. Hieron. comment. in Isai. c. 6. tom. 3. nov. edit. col. 64. de Matthæo & Joanne testatur, *quod testimonia sua de Hebräico proferant*: de Luca autem, *quod magis testimoniis Græcis utatur, quam Hebræis*.

Hæc ex Matthæo & Joanne exempla ponere sufficiat.

Ex Matthæo citante Isai. cap. 42. v. 1. & seqq.

Lxx.	Hebr.	Matth. 12. v. 18.
Vers. 1. Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ· Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου· ἔδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτὸν, κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἐξοίσει.	הֵן עַבְדִּי אֶתְמָךְ־בּוֹ בְּחִירִי רָצְתָה נַפְשִׁי נָתַתִּי רוּחִי עָלָיו מִשְׁפָּט לַגּוֹיִם יוֹצִיא׃	Vers. 18. Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ἡρέτισα· ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου· θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ.
Vers. 2. Οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ.	לֹא יִצְעַק וְלֹא יִשָּׂא וְלֹא יַשְׁמִיעַ בַּחוּץ קוֹלוֹ׃	Vers. 19. Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ.
Vers. 3. Κάλαμον τεθλασμένον οὐ συντρίψει, καὶ λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει· ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν.	קָנֶה רָצוּץ לֹא יִשְׁבּוֹר וּפִשְׁתָּה כֵהָה לֹא יְכַבֶּנָּה לֶאֱמֶת יוֹצִיא מִשְׁפָּט׃	Vers. 20. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει· ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.
Vers. 4. Ἀναλάμψει, καὶ οὐ θραυσθήσεται, ἕως ἂν θῇ ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.	לֹא יִכְהֶה וְלֹא יָרוּץ עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט וּלְתוֹרָתוֹ אִיִּים יְיַחֵלוּ׃	Vers. 21. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.
Vers. 1. *Jacob puer meus, assumam eum; Israël electus meus, suscepit eum anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus educet.*	Vers. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi* (in illo) *anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet.*	Vers. 18. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ: ponam spiritum meum super eum, & judicium Gentibus nuntiabit.*

Lxx.	Hebr.	Matth. 12. v. 18.
Vers. 2. *Non clamabit, neque emittet* (vocem suam): *neque audietur foris vox ejus.*	Vers. 2. *Non clamabit, neque accipiet personam: nec audietur vox ejus foris.*	Vers. 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.*
Vers. 3. *Calamum quassatum non conteret, neque linum fumigans exstinguet: sed in veritatem educet judicium.*	Vers. 3. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet: in veritate educet judicium.*	Vers. 20. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet: donec ejiciat ad victoriam judicium.*
Vers. 4. *Splendebit, & non conteretur, donec ponat in terra judicium: & in nomine ejus Gentes sperabunt.*	Vers. 4. *Non erit tristis, neque turbulentus; donec ponat in terra judicium: & legem ejus insulæ exspectabunt.* Vulg.	Vers. 21. *Et in nomine ejus Gentes sperabunt.*

Hoc luculentissimum de Christo Servatore nostro vaticinium *Jacobo* & *Israëli*, seu populo Israëlitico, accommodant Lxx. refragrante Chaldæo cum Rabbinis non paucis, qui illud ad Messiam referunt. Quare in versione Lxx. Hexaplari illa nomina *Jacob* & *Israël* obelo notabantur, teste Eusebio l. 9. Demonst. Evang. pag. 452. 453. edit. Paris. 1628. παρὰ τοῖς O. ὠβέλισται τὸ τοῦ Ἰακὼβ, καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα· καὶ παρὰ τοῖς λοιποῖς δὲ ἑρμηνευταῖς παρασεσιώπηται· ἐπεὶ μηδὲ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ φέρεται. ἔνθεν εἰκότως οὐδὲ παρὰ τῷ Εὐαγγελιστῇ εἴρηται Ἑβραίῳ ὄντι, καὶ ἀκολούθως τῇ Ἑβραίων γραφῇ τὴν προφητείαν ἐκθεμένῳ, *apud Lxx. obelo notatum est illud Jacobi & Israëlis nomen, quod apud reliquos etiam interpretes tacetur, cum in Hebræo non exstet. Hinc merito illud prætermisit Evangelista, quippe qui & Hebræus esset, & in expositione prophetiæ Scripturam Hebræam sequutus sit.* Aliæ discrepantiæ sic explicari possunt.

Vers. 2. לֹא יִשָּׂא, Lxx. οὐδὲ ἀνήσει, *neque emittet* vel *attollet*, supp. *vocem suam*, ut supplevit Matth. qui interpretatur: οὐδὲ κραυγάσει, *neque clamabit.* Vulg. supplevit *personam*, & verbum נָשָׂא in sensu *accipiendi* reddidit: *neque accipiet personam.* Sym. teste S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 317. *non decipietur*, legebat יִשָּׁא à נָשָׁא cum ש dextro.

Vers. 4. לֹא יִכְהֶה וְלֹא יָרוּץ, Lxx. ἀναλάμψει *splendebit*, (idem sensus ac Hebr. *non caligabit*, vel *non corrugabitur* vultus ejus; sive, ut reddidit Vulg. *non erit tristis*) καὶ οὐ θραυσθήσεται *& non conteretur*, legebant יֵרוֹץ à רָצַץ *contrivit*, Ceteri vero ut Aq. & Theod. qui interpretantur *& non curret*, vel secundum Vulg. *non erit turbulentus*, retulerunt ad verbum רוּץ *currere*. S. Matth. hæc verba prætermisit, quod SS. Apostolis insolens non esse infra videbimus. Idem etiam Evangelista hæc verba v. 3. *in veritate educet judicium*, & illa v. 4. *donec ponat in terra judicium*, contraxit hoc modo: *donec ejiciat ad victoriam judicium*, h. e. donec causæ suæ justitiam ac veritatem adeo manifestam fecerit, ut, quovis judice, victoriam referat. Hinc vocem לֶאֱמֶת, quam Lxx. εἰς ἀλήθειαν, *in veritatem* interpretantur; is illam εἰς νῖκος, *ad victoriam* transtulit. Pro Hebræo, *& legem ejus insulæ exspectabunt*, Lxx. & Sanct. Matth. reddunt: *& in nomine ejus Gentes sperabunt*, sed idem sensus est; *lex* enim Christi, & *nomen* ejus, sive professio Christianismi, idem significant. Ceteri tamen interpretes, pro *in nomine ejus*, verterunt ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ, *in lege ejus*, ut monet Euseb. in Psalm. pag. 197. edit. Paris. 1706. Et Procopius, qui sic scribit in comm. τὸ Ἑβραϊκὸν δὲ, καὶ οἱ λοιποὶ ἀντὶ τοῦ ἔθνη, νῆσοι, φασὶν, καὶ ἀντὶ τοῦ ὀνόματι, νόμῳ, *Hebr. & ceteri pro gentes, dicunt insulæ, & pro nomine, lege.* Chald. & Syr. *legem* interpretantur. Arabs vero *nomen*, ut Lxx. & Matth. Alterum discrimen quod attinet, id nullum est; Isaias enim *insulas* seu *regiones* remotissimas pro earum incolis per metonymiam continentis pro contento posuit: Lxx. vero & S. Matth. ipsosmet incolas loco insularum sine figura expressere. Denique verbum Heb. יְיַחֵלוּ & *exspectabunt* & *sperabunt* significat.

Ex Joanne citante Zachariam cap. 12. v. 10.

Lxx.	Hebr.	Joan. 19. v. 37.
Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *respicient in me, pro eo quod insultaverunt.*	וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ *& aspicient in me, quem confixerunt*, Vulg.	Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν; *videbunt in quem transfixerunt.*

Aq. & Sym. ut Joannes interpretati sunt ἐξεκέντησαν *confixerunt.* Sic etiam Theodotio, quem mox afferemus. Lxx. autem, qui transtulerunt κατωρχήσαντο *insultaverunt*, legebant רָקְדוּ RACADU observante Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 1787. pro דָּקָרוּ DACARU, transpositis literis ד & ר. In codice Barberino hæc annotantur: ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, οὕτω μὲν οἱ Ο. ὁ δὲ Θεοδοτίων ἐποίησεν, καὶ ἐπιβλέψονται πρὸς μὲ, ὃν ἐξεκέντησαν. ἐσημειωσάμεθα δὲ ὅτι ἐπί τινων οἱ Ἀπόστολοι τὸ Ἑβραϊκὸν, καὶ οὐ τὸ ἐν τῇ κοινῇ τεθείκασι.... ἀναγκαίως ἐσημειωσάμεθα, ἵνα γνωσθῇ ὅτι ἀδιαφόρως οἱ Ἀπόστολοί ποτε τῇ τῶν Ο. ἄλλοτε τῇ κοινῇ, ἄλλοτε τῷ Ἑβραϊκῷ ἀκολουθοῦντες παρατέθειται τὰς λέξεις, *pro eo quod* insultaverunt, *sic quidem Lxx. Theodotio autem vertit:* & adspicient ad me, quem confixerunt. *Notavimus autem Apostolos in quibusdam locis Hebräicum, non autem id, quod in Vulgata habetur, posuisse.... Id necessario annotavimus, ut sciatur Apostolos aliquando Lxx. versionem* (h. e. lectionem omnino similem ei, quæ postea in Hexaplis posita est), *aliquando vulgatam* (i. e. Lxx. editionem qualis exstabat antequam ab Origene corrigeretur), *nonnunquam Hebräicum indifferenter sequutos, loca posuisse.*

II. Locorum veteris Testamenti, quos laudant Apostoli & Evangelistæ, solus sensus, non verba, in Novo sæpius exprimitur. *Perspicuum est*, inquit S. Hieron. Epist. ad Pammach. de optimo genere interpretandi, tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 254. *Apostolos & Evangelistas, in interpretatione veterum Scripturarum, sensum quæsivisse, non verba; nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret.* Idem comm. in cap. 29. Isai. tom. 3. ejusd. edit. col. 247. *Notare debemus illud, quod plerumque admonuimus, Evangelistas & Apostolos, non verbum interpretatos esse de verbo, nec Lxx. interpretum auctoritatem sequutos, quorum editio illo jam tempore legebatur; sed quasi Hebræos, & instructos in Lege, absque damno sensuum, suis usos esse sermonibus.* Neque id mirum cuiquam videri debet, cum unus atque idem Spiritus, qui aperuit ora Prophetarum, ore etiam Evangelistarum loquutus sit; cumque illorum oracula in Novo Testamento interpretetur, non vero exscribat: verbis numerandis adstringi minime debuit. Id etiam in Vet. Testamento animadvertere licet; si enim Psalmum 17. Heb. 18. qui 2 Reg. c. 22. v. 2. legitur, cum eodem, quem liber Psalmorum exhibet, contuleris; quatuor supra septuaginta, si eas accurate numeravit Abarbanel, discrepantias observabis.

Itaque ab allegantibus V. T. oracula fit quandoque

1°. DETRACTIO, eorum videlicet, quæ ad præsens institutum nihil facere videntur, ut: Deut. 24. v. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudii, & dabit in manu illius; & dimittet eam de domo sua.* Matth. 5. v. 31. sic locum illum laudat: *Dictum est autem: quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Alia exempla vide Deut. 25. v. 5. cum Matth. 22. v. 24. Item Isai. 9. v. 1. cum Matth. 4. v. 15. Item Isai. 42. v. 4. cum Matth. 12. v. 21. &c.

In specie observant quidam Apostolos, brevitatis & perspicuitatis causa, prima & extrema textuum antiqui fœderis verba solere adducere; media vero præterire. Isai. 28. v. 11. *In loquela enim labii, & lingua altera loquetur ad populum istum.* Vers. 12. *Cui dixit: reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire.* Apostolus autem



1. Cor. 14. v. 21. *In Lege scriptum est : quoniam in aliis linguis & labiis loquar populo huic, & nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Confer etiam Isai. 40. vv. 67. 68. cum 1. Petr. 1. vv. 24. 25. Item Zach. 9. v. 9. cum Matth. 21. v. 5. &c.

2°. ADJECTIO eorum, quæ præsentem locum illustrare poterant. Gen. 2. v. 24. *Et erunt in carne una.* Matth. 19. v. 5. *Et erunt duo in carne una.* Evangelista perspicuitatis gratia vocem *duo* addidit. Hanc quoque adjecere Lxx. in Gen. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, *& erunt duo in carnem unam*, vel *una caro.* Vulg. *& erunt duo in carne una.* Ex quo patet vocem *duo* ex veteri Italica retinuisse Hieronymum; vel in textu Hebraïco lectum olim fuisse שְׁנַיִם *duo ;* vel denique vocem illam, ex præsenti observatione, à Lxx. & Vulg. sensus plenioris gratia fuisse adjectam. Confer etiam Deut. 6. v. 13. cum Matth. 4. v. 10. Item Isai. 64. v. 4. cum 1. Cor. 2. v. 9.

3°. TRANSPOSITIO vocum, qua tamen sensui nihil decedit. Isai. 64. v. 4. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* 1. Cor. 2. v. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Hîc est transpositio *auditionis* & *visionis*, prætereaque additio horum verborum : *nec in cor hominis ascendit ;* quæ additio pertinet ad numerum præcedentem. Confer etiam 3. Reg. 19. v. 14. cum Rom. 11. v. 2. &c.

4°. MUTATIO, cum *vocum* ipsarum, tum earumdem *accidentium.*

Voces ipsæ mutantur 1°. ob diversam lectionem in Hebræo textu ex diversis punctis vocalibus subintellectis natam ; cum enim Lxx. Bibliis punctatis non uterentur, sæpissime aliter legerunt, quam in Hebræo punctis instructo legitur. Plurima mutationis hujus exempla in præcedentibus allata sunt, unicum hîc posuisse sufficiat. Gen. 47. v. 31. *Adoravit Israël Deum conversus ad* רֹאשׁ הַמִּטָּה *lectuli caput*, h. e. reclinando se ad caput lectuli sui. Aquila, προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τῆς κλίνης, *adoravit Israël super caput lecti.* Sym. καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης, *& adoravit Israël ad summitatem lecti.* At Lxx. הַמַּטֶּה pro הַמִּטָּה legentes, interpretati sunt : καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *& adoravit Israël super summitatem virgæ ejus*, suppl. innixus. Hanc versionem sequitur Apost. Heb. 11. v. 21. de qua hæc scribit S. Hieron. quæst. in Gen. tom. 2. nov. edit. part. 1. col. 544. *Et in hoc loco quidam frustra simulant adorasse Jacob summitatem sceptri Joseph, quod videlicet honorans filium, potestatem ejus adoraverit : cum in Hebræo multo aliter legatur*, & adoravit, *inquit*, Israël ad caput lectuli ; *quod scilicet postquam ei juraverat filius, securus de petitione, quam rogaverat, adoraverit Deum contra caput lectuli sui.*

2°. Voces mutantur *illationis* & *expositionis* causa. Psal. 67. Heb. 68. v. 19. לָקַחְתָּ *accepisti dona in hominibus ;* Apostolus autem Eph. 4. v. 8. καὶ ἔδωκε *& dedit dona hominibus.*

Isai. 1. v. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis* שָׂרִיד *reliquum*, &c. quod idem Apostolus Rom. 9. v. 29. interpretatus est σπέρμα, Vulg. *semen.* Sic etiam Lxx. vocem Hebraïcam transtulerunt.

Isai. 10. v. 22. *Si fuerit populus tuus, Israël, quasi arena maris*, &c. Rom. 9. v. 27. *Si fuerit numerus filiorum tuorum tanquam arena maris, &c.*

Isai. 28. v. 16. *Qui crediderit, non festinet*, Aq. Sym. Theod. ὁ πιστεύων οὐ σπεύσει, *credens non festinabit.* Rom. 9. v. 33. *omnis qui credit in eum, non confundetur.* Sic etiam Lxx. & S. Petr. epist. 1. c. 2. v. 6. Posterius ex priori sequitur ; qui enim credit non festinat, proindeque non confunditur. Alii putant Lxx. pro יָחִישׁ legisse יָבִישׁ aut יֵבוֹשׁ.

Amos. 5. v. 27. *Migrare vos faciam trans Damascum.* Act. 7. v. 43. *transferam vos trans Babylonem.* Utrumque impletum est ; non enim in Syriam tantum, cujus Damascus metropolis est, sed etiam trans Babylonem, in Persiam & Caspiam abducti sunt Judæi, ut constat ex Esd. 8. v. 17.

Mich. 5. v. 2. *Et tu, Bethlehem Ephratha*, &c. Matth. 2. v. 6. *Et tu, Bethlehem terra*

Juda, &c. Juda pro Ephratha posuit Matth. quod eo tempore epitheton illud esset usitatius, & ipsi quoque Herodi notius cognomine Ephratha, quod forte tunc temporis exoleverat, aut minus erat notum populo. Pergit propheta: *parvula es in millibus Juda*, &c. Evangelista vero: *nequaquam minima es in principibus Juda.* Verum in Michæa supplenda est particula interrogans *an? num? nunquid? ne?* hoc modo: *an parvula es*, vel *parvulane es*, &c. Discrimen aliud oritur ex duplici vocis Hebràicæ אֶלֶף significatione; ea enim & *mille* & *principem* sive *ducem* significare potest. Forte etiam Matth. pro אַלְפֵי legit אַלֻּפֵי, quæ vox *duces* sive *principes* certo significat.

Vocum accidentia mutantur, qualia sunt, 1°. *Numerus.* Psal. 31. Heb. 32. v. 1. Heb. *Beatus, cujus dimittitur prævaricatio, cujus tegitur peccatum.* Hîc est enallage singularis numeri pro plurali, quem post Lxx. usurpat Apost. Rom. 4. v. 7. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Confer etiam Deut. 6. v. 16. cum Matth. 4. v. 7. Isai. 52. v. 7. cum Rom. 10. v. 15. &c. 2°. *Persona*, cujus mutationis exempla vide supra pag. 21. col. 2. 3°. *Modus* & *tempus.* Isai. c. 6. v. 9. *Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere.* Vers. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Matth. 13. v. 14. *Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.* Vers. 15. *Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt; nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.* Vide etiam Joan. 12. v. 40. Act. 28. vv. 26. 27.

Quandoque in textuum allegationibus hæc mutatio tanta est, ut vix cognoscatur ex quo præcise Vet. Testam. loco desumta sit sententia.

Ephes. 5. v. 14. *Propter quod dicit: surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, quod alii ad Isai. 60. v. 1. alii ad ejusdem prophetæ c. 26. vv. 19. 21. alii ad alia V. T. loca referunt, in quibus non eadem verba, sed idem fere sensus conspicitur. S. Hieron. comment. in h. l. tom. 4. nov. edit. col. 384. innuit Apostolum hæc verba sumere potuisse *ex reconditis prophetis, & his, quæ vocantur apocrypha*; quemadmodum Aratum, Epimenidem, & Menandrum aliis in locis laudavit. Deinde (col. 385.) aliam conjecturam proponit S. Doctor: *Ego certe* (inquit) *secundum paupertatulam meam omnes editiones veterum Scripturarum, ipsaque Hebræorum volumina eventilans, nunquam hoc scriptum reperi. Nisi forte & hoc dicamus: quomodo olim prophetæ in concione populi loquebantur:* hæc dicit Dominus, *&:* quoniam Dominus loquutus est: *ita & Apostolum Spiritu Sancto plenum repente in verba, quæ in se Christus loquebatur, erupisse ac dixisse:* hæc dicit Dominus.

Jac. 4. v. 5. *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat: ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?* Quod quidam referunt ad Gen. 8. v. 21. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Quidam ad Num. 11. v. 29. *Quid, inquit* (Moyses), *æmulamini pro me?* &c. Sed priori contextui magis convenit cum illo Jacobi, cujus videtur esse simplicissima & cum iis, quæ præcedunt ac sequuntur, cohærentissima interpretatio: *an putatis, quia inaniter Scriptura dicat: spiritus* (malus) *qui habitat in vobis*, (quique ad malum pronus est ab adolescentia vestra) *concupiscit ad invidiam*, i. efficit ut concupiscatis & invideatis, quæ non habetis. Quemadmodum Rom. 8. v. 26. de Spiritu Sancto dicitur, quod *postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, h. e. faciat, ut postulemus. Vide tom. I. pag. 529. can. II. Vers. 6. *Majorem autem dat gratiam*, h. e. bona majora & meliora iis, quæ concupiscitis & invidetis, nempe cœlestia, dat Deus, quæ cum humilitate postulare & æmulari potius debetis.

Huc pertinet Act. 20. v. 35.... *quoniam ipse* (Dominus) *dixit: beatius est magis dare quam accipere*, quod in Novo Testamento non legitur; sed quod Paulus vel ex traditione,

vel etiam ex iis, qui Dominum noverant, didicerat.

III. Solent scriptores N. T. ex duobus vel pluribus allegatis testimoniis unum conficere. Matth. 21. v. 4. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem:* Vers. 5. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subjugalis.* Prior pars: *dicite filiæ Sion*, ex Isai. 62. v. 11. posterior vero *ecce rex tuus* &c. ex Zach. 9. v. 9. desumta est. Prophetam autem in singulari vocat Evangelista, ut uno spiritu omnes loquutos fuisse prophetas ostendat.

Matth. 21. v. 13. *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*, ex Isai. 56. v. 7. & Jerem. 7. v. 11.

Marc. 1. v. 2. Græc. *Sicut scriptum est in prophetis: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, &c. Vers. 3. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Versus prior ex Malach. 3. v. 1. posterior vero ex Isai. 40. v. 3. desumtus est. Pro vocibus *in prophetis*, Vulg. habet: *in Isaia propheta*, sicuti legit ms. Cantabrig. cum pluribus aliis, quos vide apud D. Mill. pag. 71. Consule etiam doctissimi hujus viri in hanc lectionem notas.

Act. 1. v. 20. *Scriptum est in libro Psalmorum: fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui inhabitet in ea*, (ex Psal. 68. Heb. 69. v. 26.) *& episcopatum ejus accipiat alter*, ex Psal. 108. Heb. 109. v. 8.

Rom. 3. v. 10. & seqq. diversa testimonia in unum coagmentantur. Vers. 10. *Sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam.* Vers. 11. *Non est intelligens non est requirens Deum.* Vers. 12. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (ex Psal. 13. Heb. 14. vv. 2. 3. & Psal. 52. Heb. 53. v. 4.). Vers. 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant* (ex Psal. 5. v. 10.), *venenum aspidum sub labiis eorum* (ex Psal. 139. Heb. 140. vers. 14.). *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est* (ex Psal. 9. Heb. 10. v. 7.). Vers. 15. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Vers. 16. *Contritio & infelicitas in viis eorum.* Vers. 17. *Et viam pacis non cognoverunt* (ex Isai. 59. vv. 7. 8.). Vers. 18. *Non est timor Dei ante oculos eorum*, ex Psal. 35. Heb. 36. v. 2. Ex hoc Apostoli contextu, versus 13. 14. 15. 16. 17. 18. in LXX. versionem Psal. 13. post versum tertium translati sunt ab iis, *qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nescientes, quæsierunt aptum locum, ubi assumtum ab eo ponerent testimonium, quod absque auctoritate in Scriptura positum non putabant*, inquit S. Hieron. præfat. in lib. 16. comment. in Isai. tom. 3. nov. edit. col. 415. Enim vero hi versus desiderantur in Heb. Chald. Syro, & plerisque Græcis exemplaribus, cum mss. tum editis. Eos etiam *omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis suæ in Psalmos commentarios reliquerunt, veru annotant atque prætereunt, liquido confitentes in Hebraïco non haberi, nec esse in Septuaginta interpretibus* (ab Origene recensitis), *sed in editione Vulgata, quæ Græce* κοινὴ *dicitur, & in toto orbe diversa est*, scribit idem Hieron. loco mox laudato. In codice Vaticano, ad cujus marginem tantum descripti sunt, hæc notantur: ὐδαμοῦ κεῖνται τῶν ψαλμῶν· πόθεν δὲ ὁ Ἀπόστολος εἴληφεν αὐτοὺς, ζητέον, *nusquam exstant in Psalmis: undenam vero Apostolus excerpserit eos, quærendum est.* Hæc nota mendo non caret, ut ex allegationibus supra citatis colligitur.

Alia exempla vide Rom. 9. v. 33. ex Isai. 8. v. 14. c. 28. v. 16.

Rom. 11. vv. 26. 27. ex Isai. 59. v. 20. & c. 27. v. 9. vel c. 4. v. 4. vel Jerem. 31. v. 34.

1. Cor. 15. vv. 54. 55. ex Isai. 25. v. 8. & Ose. 13. v. 14.

1. Petr. 2. v. 7. ex Psal. 117. Heb. 118. v. 22. & Isai. 8. v. 14.

Heb. 9. vv. 19. 20. ex Exod. 24. vv. 6. 7. 8. & Num. 19. vv. 6. 9.

Matth. 27. v. 9. *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: & acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israël.* Vers. 10. *Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Prior versus desumtus est ex Zachar. 11. vv. 12. 13. posterior vero ex

Jeremia 32. v. 7. & seqq. ubi jubetur propheta agrum emere, cujus emtionis instrumentum in vase fictili repositum est, quod vas fictile typus fuit *agri figuli*, qui emptus est ex triginta siclis argenteis, quibus venditus est Christus. Matth. autem solum Jeremiam laudat, quia in Novo Test. usitatum est, ut cum duorum verba aut testimonia citantur, altero omisso, alterius tantum nomen exprimatur. Sic Marc. 1. vv. 2. 3. ubi prior pars testimonii Malachiæ est, posterior vero Isaiæ, qui tamen omisso Malachia, unus nominatur. Qui plura de hoc argumento voluerit, legat *Examen Præfationis Morini in Biblia Græca, auctoribus Francisco Taylore & Arnoldo Bootio*, Amstelæd. apud Elzevir. 1636. Adeat etiam Francisci *Junii* Parallelorum libros in 1. operum ejus tomo.

§. II.

Testimonia ex auctoribus Spiritu Sancto non afflatis, & profanis Scriptoribus in Novo Testamento ab Apostolis laudata.

ALTERAM hujus articuli partem quod attinet, nempe testimonia ex Veteribus Judæis Spiritu Sancto minime afflatis, & ex profanis auctoribus, in Novo Testamento allegata, Apost. 2. Tim. 3. v. 8. nomina refert Magorum, qui in Ægypto Moysi restiterunt, quique ab illo vocantur *Jannes & Mambres*, Græc. *Jannes* & *Jambres*; quæ profecto nomina ex veterum Rabbinorum scriptis hausit Paulus, necnon & Jonathan, qui illa refert in Paraphrasi sua super Exod. 7. v. 11. ubi cum Græcis legit יַמְבְּרֵס *Jambres*. Eadem etiam memorantur in Talmude Babylon. Tract. *Menahhoth*, c. 9. fol. 85. col. 1. initio, quo in loco posterius nomen eodem fere modo legitur, quo à Vulg. nempe ממרא *Mamre*, unde Græci veteres fecerunt Μαμβρῆς (quod etiam legitur in Const. Apost. lib. 8. c. 1.) Vulg. Lat. *Mambres*; nimirum inserto β, ut ex מַמְרֵא Gen. 13. v. 18. &c. Lxx. fecerunt Μάμβρη; & ex נִמְרֹד Gen. 10. v. 8. Νεμβρώδ. Leguntur etiam apud Numenium Pythagoricum, cujus verba refert Euseb. lib. 9. Præp. Evang. pag. 411. edit. Paris. 1628. Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς, ἄνδρες οὐδενὸς ἧττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι, ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ ἀνδρὶ γενομένῳ Θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν Αἰγυπτίων, *Jannes & Jambres sacri scribæ Ægyptii, viri magicis artibus excellere judicati, cum Judæi ex Ægypto expulsi sunt. Musæo* (Mosi) *igitur Judæorum duci, viro, qui precibus apud Deum multum poterat, hi opponi digni habiti sunt ab Ægyptiorum populo.* Orig. etiam contra Celsum l. 4. pag. 199. edit. Cantab. 1658. Numenii hujus Pythagorici, ejusque de Mose, Janne, & Jambre historiæ meminit his verbis: ἐκτίθεται καὶ τὴν περὶ Μωϋσέως καὶ Ἰαννοῦ καὶ Ἰαμβροῦ ἱστορίαν, *narrat etiam Mosis, & Jannis, & Jambris historiam.* Huc pertinet,

1°. Certamen Michaëlis Archangeli cum Diabolo, cujus meminit Judas in sua epist. v. 9. *Cum Michaël Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit:* ἐπιτιμήσαι σοι κύριος, *increpet te Dominus.* Vulg. eodem sensu, *imperet tibi Dominus*, silentium tibi imponat, tuam nequitiam coerceat, &c. Volebat enim Michaël corpus Mosis defuncti abscondere, Diabolus autem in apertum proferre, ut ad idololatriam populus alliceretur; quod metuendum erat, ut testatur Joseph. Antiq. lib. 4. c. 8. si corpus illud notum fuisset. Judam autem hanc historiam desumsisse volunt ex libro apocrypho cui titulus: *assumtio Mosis*, & cujus meminere Origenes & Epiphanius. Neque inde periclitatur auctoritas hujus Epistolæ, in libris enim apocryphis, quædam etiam vera reperiuntur, quæ ab auctore θεοπνεύστῳ à falsis secernuntur. Quidam tamen ad Zach. c. 3. vv. 1. 2. Judam respexisse volunt, ubi eadem fere loquutio cernitur, יִגְעַר יְהוָה בְּךָ הַשָּׂטָן, Lxx. ἐπιτιμήσαι κύριος ἐν σοὶ διάβολε,

increpet te Deus, Diabole. Forte & ad Zachariam, & ad librum apocryphum respexit Judas.

2°. Enochi de adventu Domini ad judicium prophetia, quam laudat idem Apostolus ibid. vv. 14. 15. quamque depromsit ex libro inscripto: ἀποκάλυψις Ἐνώχ, *revelatio Enoch*, quo libro usi sunt, vel cujus meminere Iren. lib. 4. c. 30. Tertull. lib. de Idololatria, capp. 4. 15. lib. 1. de cultu femin. cap. 2. & lib. 2. c. 10. Clem. Alex. in excerpt. prophet. pag. 801. edit. Parif. 1641. Origenes contra Celsum, lib. 5. Idem περὶ ἀρχῶν, lib. 1. c. 3. lib. 4. c. ult. & tom. 8. in Joan. p. 132. edit. Huet. Hieron. de Script. Eccle. cap. 4. & in cap. 1. Epist. ad Titum, tom. 4. nov. edit. col. 421. Aug. de civit. Dei lib. 15. cap. 23. & lib. 18. c. 38. Mitto plures alios cum veteres, tum recentiores, quos laudatos vide apud doctiss. Fabricium in libro, quem inscripsit: *Codex pseudepigraphus Vet. Test.* Hamburgi & Lipsiæ 1713.

Testimonia ex profanis auctoribus desumta, & in N. Test. allegata, tria recensentur.

Primum, Act. cap. 17. v. 28. *In ipso enim* (Deo) *vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum poëtarum dixerunt:* τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *ipsius enim & genus sumus.* Id hemistichii, teste Clem. Alex. l. 5. strom. p. 597. edit. Parif. 1641. ex *Arato* poëta Cilice in *Phænomenis* transsumtum est; quare mirum videri non debet poëtam Cilicem à Paulo Cilice lectum. Quod autem Jovi perverse & omnino injuste tribuerat *Aratus*, id vero Deo justissime restituit Apostolus.

Secundum, 1. Cor. 15. v. 33. *Nolite seduci*, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Qui versus senario Iambico constans ex Thaïde *Menandri* allegatur, eumque *sanctificatum per Apostolum esse*, merito asserit Tertullianus lib. 1. ad uxorem c. 8. pag. 166. edit. Parif. 1663. Per *colloquia* autem eo loci, quilibet congressus & consortia significantur.

Tertium, Tit. c. 1. v. 12. Apostolus laudat hunc versum ex opere *Epimenidis*, De oraculis; quare eum *prophetam* appellat, sive per jocum, sive quia talis à suis habebatur.

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
>
> *Cretes semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*

Vel, ut quidam efferunt:

> *Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.*

Hunc Epimenidis versum citat Phavorinus. Ejus etiam initium usurpat Callimachus, hymno in laudem Jovis, vv. 8. 9.

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
> Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
>
> *Cretes semper mendaces: etenim sepulchrum, ô Rex, tuum*
> *Cretes fabricati sunt: tu vero mortuus non es; semper enim vivis.*

Hinc proverbium: Κρητίζειν, pro *mentiri.* Et vetus dicterium:

> Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες, τρία κάππα κάκιστα.
>
> *Cretes, Cappadoces, Cilices, tria Kappa pessima.*

Syntaxis Figuratæ finis.

GRAMMATICA




GRAMMATICA HEBRAICA.

LIBER TERTIUS.

Varia cum ad Grammaticam, tum ad Scripturæ Sacræ intelligentiam pertinentia complectens.

CAPUT I.

De Accentibus.



ACcentus Hebræorum, quantum tyronibus satis est, expendimus in tom. I. pag. 19. & seqq. Nunc de iis fusior, missis tamen plurimis Rabbinorum nugis, instituenda est disputatio.

Accentus Hebræis dicitur טַעַם *gustus*, sive *sapor*, quod sermonem veluti condiat. Definitur: *nota quæ vocis sonum convenienter moderatur*. Duplicis est generis, *Tonicus*, sive *Grammaticus*; & *Euphonicus*, seu *Rhetoricus*. Ad euphonicum pertinet *Musicus*, qui tonum,

quo syllaba canenda est, notat; Hebræi enim textum Biblicum, etiam librorum soluta oratione scriptorum, non legunt modo; sed etiam cantillant. Quapropter Judæorum Germanorum, Italorum, & Hispanorum musices specimen in fine hujusce capitis exhibebimus. At quanto peritior exstitit in vero tam variorum accentuum usu exercendo prisca Hebræorum solertia: tanto negligentior fuit posterior Rabbinorum ætas, quæ universum accentuum usum pene insuavis cantillationis arte conclusit. Cum itaque, vel ipsis fatentibus Judæis, perierit veteris Hebraïcæ musicæ ratio, quæ, ut nonnullis videtur, tam numerosam accentuum suppellectilem importavit: circa accentum musicum hîc diutius non immorabimur. In hoc igitur capite accentûs duntaxat tonici & euphonici naturam & proprietates paulo accuratius expendemus.

ARTICULUS I.

De accentu tonico.

ACCENTUUM tonicorum numerum, figuram, nomen, discrimen, cum eorum nonnulli eandem habent figuram, & potestatem, quod ad sententiarum distinctionem attinet, loco supra laudato exposuimus. Ne igitur actum agere videamur, superest ut I. eorum sedem. II. quam inducunt punctorum mutationem. III. ἀκολȣθίαν sive *comitatum* tam in libris prosaïcis, quam in metricis expendamus.

§. I.

De accentuum tonicorum sede.

ACCENTUS tonicus ultimam dictionis syllabam occupat; eaque regula nullam patitur exceptionem, cum vox desinit in literam sonantem, præcedente vocali longa, ut: דָּבָר *verbum*, זָקֵן *senex*, צַדִּיק *justus*, גָּדוֹל *magnus*, עָצוּם *fortis*, &c. Addunt quidam duplex (-), quod non est positum pro duplici (.), ut: אַחַר *post*, &c. & ipsum vocalis hujus nomen, nempe פַּתַח *Pathábh*, quod tamen alii efferunt cum accentu in penultima, פַּתַח *Páthabh*. Cum de vocis hujus tono non conveniat inter Grammaticos, eam cum accentu nunc in ultima, nunc in penultima scripsimus.

Alias, accentus tonicus sæpius est in penultima, etquidem

I. In vocibus, quarum ultima motio est (.), aut (-) vicarium ejus (.), cum litera sonante in fine, ut: מָוֶת *mors*, סֵפֶר *liber*, קֹדֶשׁ *sanctitas*, &c. א hîc literæ sonantis munere fungitur, ut: גֹּמֶא *juncus*, יֵרֶא *videbit*, תֵּרֶא *videbis*, &c. At in מוֹצֵא *inveniens*, accentus est in ultima, vel quia (.) est pro (..), vel quia א ponitur pro ה, sic: מוֹצֵה ex forma quiesc. Lam. ה. Vide tom. I. pag. 270. in fine. Sic cum (-) vicarium est ejus (.), יֵשַׁע pro יֶשַׁע *salus*, בֶּטַח pro בֶּטַח *confidentia*, &c. Et cum duplex (-) pro duplici (.) usur-

patur, ut: בְּעָל pro בַּעַל *Dominus*, &c.

Excipiuntur tamen 1°. Affixa constructa כֶן, כֶם, הֶן, הֶם, quæ secum habent accentum, quanvis sint ultima dictionis syllaba, ut: אֲבִיהֶם *pater illorum*, דִּבְרֵיהֶן *verba earum*, דִּמְכֶם *sanguis vester*, דְּבַרְכֶן *verbum vestrum*, &c. 2°. Incrementa secundarum personarum pluralium præteritorum, תֶן, תֶם, ut: שְׁמַעְתֶּם *audivistis*, עֲשִׂיתֶן *fecistis*, &c. 3°. Voces, in quibus (ּ) istud literæ daghésch forti affectæ subjicitur, ut: דִּבֵּר *loquutus est*, אַתֶּם mascul. אַתֶּן fem. *vos*. 4°. Dictiones, in quarum penultima est (ְ) vel simplex vel compositum, quod propter nimiam suam in prolatione celeritatem accentum ferre non potest, ut: שְׁכֶם *humerus*, אֲשֶׁר *qui*, *quæ*, *quod*, אֱמֶת *veritas*, &c. 5°. Nomina quædam cum propria, tum appellativa, quæ licet habeant ultimam literam sonantem, sumunt tamen, præter analogiam, accentum in ultima, ut: בָּבֶל *Babylon*, עֲרָפֶל *caligo*, בַּרְזֶל *ferrum*; sed posterius illud nomen habet accentum in ultima ob (ְ) præcedens in penultima. Vide exceptionem num. 4°.

At cum ultima litera quiescens est, nempe ה, accentus est in ultima, ut: עָלֶה *folium*, אָבָה *desiderium*, בֹּנֶה *ædificans*, &c. Nisi præcedat aliud (ָ) in penultima; tunc enim eandem penultimam accentus occupat, ut: בָּכָה *fletus*, הָגָה *meditatio*, &c. Aut nisi ה istud sit paragogicum, ut: אֵלֶּה pro אֵל *illi*, *illæ*, נֵדֶה *pretium meretricium*, Ezech. 16. v. 33. קָצֶה *finis*, Isai. 2. v. 7. Aut denique nisi (ָ) ponatur pro (ַ), ut לָמָּה *cur? quare?* pro לָמָה aut לָמַּה.

II. In vocibus, quarum ultima itidem litera est sonans, penultima autem est (ִ) affectum hhiriq qáton, præcedente (ַ), aut ob pausam (ָ), sub antepenultima litera, ut: בַּיִת & in pausa בָּיִת *domus*, זַיִת *oliva*, לַיִל *nox*, רַגְלַיִם *pedes*, & sic omnia dualia, aut formam dualem sequentia, ut: מַיִם *aqua*, מִצְרַיִם *Ægyptus*, &c. Sic affix. ךְ junctum cum dualibus aut pluralibus nominibus, ut: עֵינַיִךְ *oculi tui*, מַרְאַיִךְ *aspectus tui*, &c. Et in forma Chaldaica & poëtica, 1°. singulari, ut: עֲוֹנֵכִי *iniquitas tua*, רָעָתֵכִי *malum tuum*, &c. 2°. plurali & in pausa, ut: חַיָּיכִי *vita tua*, תַּחֲלוּאָיְכִי *morbi tui*, &c. Vide tom. I. pag. 127. col. 2.

III. Cum affixis הוּ, & contracte וֹ, יו, Chald. ה, הּ, modo non præcedat (ְ), ךְ in pausa, נִי, נוּ, נּוּ, מוֹ poët. ם & ן, cum postrema illa duo affixa prævium habent (ַ), ut: עָלֵהוּ *folium ejus*, גְּמָלַתְהוּ, & contracte ac eliso ה, גְּמָלַתּוּ, in tertia pers. singul. fem. præt. qal, *ablactavit eum*. Vide tom. I. pag. 340. col. 1. Sic cum affix. הּ, & in eadem tertia pers. sing. fem. צִוַּתָּה pro צִוַּתְהָ *præcepit ei*. Vide pag. 341. col. 1. תַּגְמוּלוֹהִי *retributiones ejus*. Vide tom. I. pag. 127. col. 2. וַיַּחְשְׁבֶהָ *& reputavit illud*, כְּנָפֶךָ *alæ tuæ*. At cum præcedit (ְ), accentus est in ultima, ut: דְּבָרְךָ *verbum tuum*. (Excipe 1°. cum accentus est pausans; tunc enim penultimam occupat, quanvis præcedat (ְ), ut: וְיַגֶּדְךָ *& annuntiabit tibi*, Deut. 32. v. 7. תְּכַבֶּדְךָ *honorificabit te*, Prov. 4. v. 8. secundum quædam exemplaria. 2°. Cum affixum istud jungitur cum tertia pers. sing. fem. præteriti, ut: יְלָדַתְךָ, & in pausa Cant. 8. v. 5. יְלָדָתְךָ *peperit te*, &c.) אֲהֵבַתֶךְ *diligit te*, Ruth. 4. v. 15. ubi (ַ) ultimæ mutatur in (ֶ) ob accentum ab ea syllaba in penultimam retractum aut in ea collocatum. Vide tom. I. pag. 341. col. 1. שָׁפְטֵנִי *judica me*. (Excipe הִנְנִי *ecce ego*, ob (ְ) quod non potest ferre accentum) נַפְשֵׁנוּ, *anima nostra*, תֶּהְדְּפֶנּוּ *projiciet eum*. (Excipe pariter הִנְנוּ *ecce nos*, ob eandem rationem, qua supra הִנְנִי) פָּנֵימוֹ, *facies ejus*, &c. Huc pertinet cum affixa quibusdam verborum personis, servato ן paragogico, junguntur; tunc enim accentus est etiam in penultima, ut: יְשַׁחֲרֻנְנִי *mane quærent me*, יִלְכְּדֻנוּ *capient eum*, יְשַׁבְּחוּנְךָ *laudabunt te*, יְשָׁרְתוּנֶךָ *ministrabunt tibi*, Isai. 60. v. 7. ubi (ָ) ultimæ mutatur in (ֶ) ob accentum pausantem ad penultimam retractum. וּבִקְשָׁתַּם *& quæret eos*. Sic ex analogia, מְסָרָתַן *tradidit eas*.

IV. In personis verborum desinentibus in תָּ, aut expresso ה, תָה, תִי, נוּ, נָה, aut ן, ut: חָפַצְתָּ *voluisti*, בָּגַדְתָּה *prævaricatus es*, בִּשַּׂרְתִּי *evangelizavi*, שִׁקַּרְנוּ *mendaciter egimus*, חֲגֹרְנָה *accingimini*, תִּלְבַּשְׁןָ *induent se*, &c.

V. In personis itidem verborum desinentibus in ה, י, ו, non præcedente (ְ), vel simplici, vel composito, expresso vel

ſubintellecto, הוֹשִׁיעָה *ſalvavit*, חָלָה *ægrotavit*, הוֹחִילִי *ſpera*, סֹבּוּ *circumdate, circuite*, מָטוּ *mota ſunt*, &c. Excipiuntur verba quieſcentia Lamedh ה, quia in iis fit contractio, ut: פַּתִּי pro פַּתִּחִי *decipe*, כַּלּוּ pro כַּלִּחוּ *conſummate*, &c. Accentus tamen retrahitur in עָרוּ עָרוּ *nudate, nudate*, Pſal. 136. Heb. 137. v. 20. ubi accentus prioris vocis eſt in penult. ob concurſum, accentus vero poſterioris eandem ſyllabam occupat ob pauſam. Sic כָּלוּ *conſumti ſunt*, Pſal. 36. Heb. 37. v. 20.

VI. In vocibus, quibus additur ה paragogicum, aut locale; modo pariter in verbis immediate non præcedat (ִ) vel ſimplex, vel compoſitum ante iſtud ה paragog. ut: אָשִׁירָה *cantabo*, קוּמָה *ſurge*, &c. Sic in pronominibus הֵמָּה *illi*, &c. In nominibus autem (ִ) poteſt præcedere, vel non præcedere, ut: שְׁפָלָה *humilis*, בֹּעֲרָה *ardens*, בַּיְתָה *domus*, לַיְלָה *nox*, יְשׁוּעָתָה *omnimoda ſalus*, à יְשׁוּעָה, cujus ultima litera ה, accedente alio ה paragogico, mutatur in ת. Quod attinet ad ה locale, אֶפְרָתָה *Ephratham*, &c. Si præcedat duplex (ִ), accentus eſt in ultima, ut: מִזְרָחָה *ad Orientem*. Si autem (ִ) ſit unicum vel quieſcens, accentus penultimam afficit, ut: אַרְצָה & in pauſa אָרְצָה *in terram*. Vide plura de iſto ה locali in tom. I. pagg. 102. 103.

VII. In nominibus & pronominibus deſinentibus in ו, ut: אָחוּ *pratum*, שָׂחוּ *natatio*, בֹּהוּ *vacuitas*, תֹּהוּ *inanitas*, אֲנַחְנוּ & per aphæreſin נַחְנוּ *nos*, &c.

VIII. In vocibus, quibus accedit (י) paragogicum, non præcedente (ִ), ut: רַבָּתִי *multa*, שָׂרָתִי *domina*, &c. Huc pertinet (י), quod adjicitur affixis Chaldaïcis כִּי & הִי, quorum exempla vide ſupra num. II.

IX. In nominibus propriis Chaldaïcis deſinentibus in תָא & שְׁתָא, ut: הַתִּרְשָׁתָא *Hattirſchâta*, אַרְתַּחְשַׁשְׁתָּא *Artahhſchiſchta*, Græci & Latini, *Artaxerxes*.

X. In plurimis adverbiis, præpoſitionibus, & interjectionibus, quæ deſinunt in ה ſæpius paragogicum; unde referri etiam poſſunt ad num. VI. אָנָה & bis אָנָה *quo? ubi?* הֵנָּה *huc*, חוּצָה *foras*, מַעְלָה, מִלְמַעְלָה *ſupra, ſuperne*, מַטָּה, מִלְמַטָּה *infra, inferne*, פְּנִימָה *intro, intus*, אֵיכָכָה & אֵיכָכָה *quomodo?* לָמָּה *quare?* כָּכָה *ſic*, הָלְאָה *ultra*, אָנָּה & אָנָּא *quæſo, obſecro*, הָבָה הָבָה *eia, age*, סֶלָה *Sela*, &c. De hac ultima voce, vide tom. I. pag. 630. & ſeqq.

Hæ ſunt, ni fallor, vocum formæ omnes, quæ habent accentum in penultima. Si quæ aliæ ſint, illæ ad iſtas facile revocari poſſunt. Ex quo ſequitur, ut ceteræ, quæ inter has exceptas non recenſentur, accentu notentur in ultima. Duabus tamen aliis de cauſis accentus ab ea ſyllaba ad penultimam retrahitur, nempe ob concurſum, & ו convertens futurum in præteritum, quas hîc operæ pretium eſt expendere.

Accentus ab ultima ad penultimam ſyllabam ob concurſum retractus.

HEBRAÏCÆ pronuntiationis analogia duos accentus tonicos proxime ſeſe conſequentes vix patitur. Quare cum vox habet accentum in ultima, & ſequitur alia monoſyllaba aut diſſyllaba penacuta, prioris accentus vulgo retrahitur ab ultima ad penultimam, ſi in ea non ſit (ִ) ſimplex vel compoſitum; vel ad antepenultimam, ſi penultima ſit cum hujuſmodi (ִ) notata, ut: נֹגַהּ אוֹר *ſplenduit lux*, מָצָא חֵן *invenit gratiam*, קָרָא לָיְלָה *vocavit noctem*, שֹׁפְטֵי אֶרֶץ *judices terræ*, מְצָאָה רֶכֶב *invenit currum*, יֵדְעוּן אִישׁ *cognoſcent vir*, i. cognoſcet unuſquiſque, הֱיִיתֶם לֹא *fuiſtis nihil*, &c. Interdum tamen remanet accentus, ut: יֹאכַל קֹדֶשׁ *comedet ſanctitatem*, Levit. 22. v. 14. h. e. hoſtiam ſanctificatam.

Cum (ִ) ſyllabam proprie non efficiat, ut diximus in tom. I. pag. 35. col. 1. vox poſterior, quæ ab eo incipit, quæque videtur duabus aut pluribus ſyllabis conſtare, monoſyllaba aut diſſyllaba cenſetur, nec impedit quominus prioris accentus ab ultima tranſeat ad penultimam, ut: וְנָתַן לְךָ *& dederit tibi*, לָתֶת לְךָ *ad dandum*, עָמַד וְבִלְהָ *ſtetit in habitaculo*, &c.

In hac accentus trajectione, ſi vox deſinat in literam ſonantem, hhôlem ultimæ corripitur in (ָ) hhatoûph, & (ֵ) in (ֶ), ut:

וְיָקֶם לָךְ *& stabit tibi*, ex יָקֹם cum hhólem pro ו, nempe יָקוּם, à verbo קוּם *surgere*, אֵלֶךְ לִי *ibo mihi*, יָגֶל מְאֹד *exsultabit vehementer*, וְיֹסֶף לֶקַח *& adjiciet doctrinam*, &c. At si ultima litera sonans fuerit ר, aut gutturalis alia ab א, pro (ֶ hhatoúph) & (ֵ) ponitur (ַ), ut: יָצַר לוֹ *angustiabit eum*, &c.

Accentum autem ob hujuscemodi concursum non retrahunt,

I. Nomina pluralia cum masculina, tum feminina, ut: וּבְרָקִים רָב *& fulgura multiplicavit*, תַּעֲלֻמוֹת לֵב *occulta cordis*, &c.

II. Singularia desinentia in literam sonantem, præcedente motione magna, ut: חָסִיד לוֹ *benignus sibi*, כֶּעָפָר כֶּסֶף *sicut pulverem argentum*, &c.

III. Verba & participia formæ מָסַר; ne accentu retracto, proindeque (ָ) correpto in (ַ), forma illa confundatur cum nominibus formæ עָוֶל, ut: חָצֵב בּוֹ *excîdit in eo*, וְעָלֵז בָּהּ *& exsultans in ea*, &c. In alterius formæ participiis, videlicet מוֹסֵר, accentus quoque remanet in ultima, ne, eo retracto, & (ֵ) correpto pariter in (ֶ), participia illa confundantur cum nominibus formæ קֹדֶשׁ, ut: יוֹצֵר אוֹר *formans lucem*, &c.

Hinc in quibusdam verbis & participiis duplex cernitur accentus, quo forma gemina, nempe accentus retracti, & accentus in ultima remanentis innuitur, ut: גָּרֵשׁ לֵץ *expelle irrisorem*, Prov. 22. v. 10. בֹּצֵעַ בָּצַע *avare quærens lucrum*, Prov. 1. v. 19. הֲנֹטַע אֹזֶן *an plantans aurem*, Psal. 93. Heb. 94. v. 9.

At cum participia desinunt in literam quiescentem, accentus retrahitur; confusioni enim non est locus; nam (ֵ) cum adest, remanet ad literam quiescentem compensandam, ut: מָלֵא מַיִם *plenus aquis*, רֹפֵא לָךְ *sanans te*, בֹּנֵה עִיר *ædificans urbem*, &c.

IV. Tertia persona pluralis præteriti Qál verborum quiescentium Lámedh ה, ne similiter confundatur cum eadem persona quiescentium Aiin ו, ut: עָנוּ עוֹד *responderunt adhuc*, בָּנוּ לָךְ *ædificaverunt tibi*, &c. Anomala itaque, aut forte etiam mendosa sunt, quæ sequuntur exempla: וְעָשׂוּ לִי *& facient mihi*, Exod. 25. v. 8. מָרוּ בָךְ *rebellarunt in te*, Psal. 5. v. 11. שָׁסוּ לָמוֹ *diripuerunt sibi*, Psal. 43. Heb. 44. v. 11. &c.

Anomalæ quoque sunt voces, quibus adjicitur affixum primæ & secundæ personæ, & in quibus ob hujuscemodi concursum accentus retrahitur ab ultima ad penultimam, quanvis cum hujusmodi affixis remanere soleat in ultima. Vocum illarum anomalarum ea sunt exempla: אֲחֹתִי אָתְּ *soror mea tu*, Gen. 12. v. 13. Prov. 7. v. 4. אֲחֹתִי הִיא *soror mea ipsa*, Gen. 20. vv. 2. 5. c. 26. vv. 7. 9. בְּכֹרִי אַתָּה *primogenitus meus tu*, Gen. 49. v. 3. & Jerem. 31. v. 9. כְּכֹחִי אָז וּכְכֹחִי עָתָּה *ut robur meum tunc, sic robur meum tunc*, Jos. 14. v. 11. מֵעֲשֹׂתִי זֹאת *ne faciam hoc*, 2. Reg. 23. v. 17. גֹּאֲלִי חָי *redemtor meus vivit*, Job. 19. v. 25. חוּשִׁי בִי *festinatio mea in me*, Job. 20. v. 2. אָבִי אָתָּה *pater meus tu*, Jerem. 2. v. 27. Job. 17. v. 14. אֵלִי אָתָּה *Deus meus es tu*, Psal. 139. Heb. 140. v. 7. Sic cum affix. secundæ personæ, יָדְךָ זֹּאת *manus tua hæc*, Psal. 108. Heb. 109. v. 27. ubi ז prima litera sequentis dictionis notatur cum daghésch forti ob præcedentem vocem desinentem in ה subintellectum sine accentu in ultima, vide tom. I. pag. 27. col. 2. & pag. 29. col. 2. Huc pertinet בִרְכָתֶךָ סֶּלָה *benedictio tua, semper*, Psal. 3. v. 9. ubi Mounáhh non solum retrahitur ob concursum, verum etiam mutat (ָ) in (ֶ), ut sustineri possit. Et citra concursum idem accentus ascendit ad penultimam, ubi eadem de causa mutat (ָ) in (ֶ), in וּפֶתִי יַעְרִם *& simplex callidus fiet*; Prov. 19. v. 25.

Accentus ab ultima ad penultimam ob ו convertens retractus.

Conjunctio ו affecta (ַ) sequente daghésch forti, ac futuris præposita, mutat illa in præterita, seu facit ut per præterita convertantur, ut diximus in tom. I. pag. 384. col. 2. in fine, & pag. 611. coll. 1. & 2. In his porro futuris in præterita conversis, accentus ab ultima ad penultimam retrahitur. Sed hoc ut fiat, quatuor requiruntur. 1°. Ut futura illa desinant in literam sonantem. 2°. Ut eorum penultima sit longa, i. magna

motione afficiatur. 3°. Ut non sit prima persona. 4°. Denique ut accentus non distinguat. Retracto autem accentu, hhólem ultimæ mutatur in (ָ hhatoúph) & (ֵ) in (ֶ). Si tamen tertia litera radicalis sit ר aut gutturalis distincta ab א, pro (ָ hhatoúph & ֶ) usurpatur (ַ), ut supra in concursu. Sic: וַיָּחָן וַיָּחַן *& misertus est*, וַיָּקָם (à forma יָקֹם) *& surrexit*, וַיְבָרֶךְ *& benedixit*, וַיְגָרֶשׁ *& ejecit*, וַיֹּאמֶר (à forma יֹאמַר) *& dixit*, וַיֵּשֶׁב *& sedit*, וַיָּנַח (cum ַ pro ָ hhatoúph) *& requievit*, וַיָּסַר (cum ַ pro ֶ) *& removit*, &c. Sic cum prima radicalis est ע, ut: וַיָּעַד pro וַיָּעֶד *& contestatus est*, &c. Aliquando tamen, quanvis adsint quatuor illæ conditiones, accentus remanet in ultima, ut: וַתָּחִיל *& contremuit* vel *& commota est*, Psal. 96. Heb. 97. v. 4.

Particula negativa aut prohibitiva אַל *ne*, interdum etiam accentum retrahit, ut: אַל־תָּצַר *ne hostiliter agas*, Deut. 2. v. 9. אַל־תּוֹסְףְּ *ne addas*, ibid. c. 3. v. 26. אַל־תֵּרֶא *ne aspicias*, Prov. 23. v. 31. Sed in ultimo illo exemplo תֵּרֶא habet accentum in penultima aliam ob causam, quam vide in tom. I. pag. 257. in appendice.

E contrario, ו istud convertens præteritum in futurum, in causa est cur in prima & secunda persona sing. masc. præteriti Qál, & in tertia persona sing. fem. præteriti Hiphíl, accentus non distinguens ex penultima ad ultimam descendat, ut: וְאָמַרְתִּי *& dicam*, וְאָכַלְתָּ *& comedes*, וְהִבְדִּילָה *& dividet*, &c. Sic præterea in tertia sing. fem. secunda sing. masc. & tertia plur. præt. Qál verborum quiescentium ע, ut: וְנָחָה *& requiescet*, וְשָׂמוּ *& ponent*, וְלָעוּ *& absorbebunt*, &c. Ita in Hiphíl, וְהֵבִיאָה *& adducet*. Anomala est vox וְנַסְתָּה in Qál, *& fugies*, 4. Reg. 9. v. 3. Verum cum accentus non semper retrahatur ad ultimam, censenda est potius analoga.

In verbis quiescentibus Lámedh א in Qál, accentus suo loco remanet, ut: וְקָרָאתָ *& vocabis*, וְנָשָׂאתִי *& parcam*, &c. Quod sæpius etiam accidit in quiescentibus Lámedh ה in Qál, ut: וְעָשִׂיתָ *& facies*, וְגִלֵּיתִי *& revelabo*, &c. Sic in defectivis ע, ut: וְסַבּוֹתִי *& verti me*, &c. Interdum tamen descendit ad ultimam, וְרַבָּה *& multiplicetur*, וְרַבּוּ *& multiplicabuntur*, &c.

Antequam huic paragrapho finis imponatur, notandum est,

1°. Accentus, cum superiores sunt, imminere vertici literæ, post cujus vocalem, si inferiores essent, pingerentur, ut: הָאָ֫רֶץ *terra*, pro הָאָרֶץ. Cum vero inferiores sunt, eos describi ad latus sinistrum vocalis syllabæ, quam occupant, ut: נָתַ֑ן *dedit*, בֶּ֑גֶד *vestis*, בַּ֑עַל *dominus*, &c. Si tamen vocalis illa fuerit י vel ו, accentus post eam non ponitur, sed subjicitur consonanti, cujus est vocalis, ut: דְּבָר֑וֹ non דְּבָרוֹ֑ *verbum ejus*, רָגְשׁ֑וּ non רָגְשׁוּ֑ *fremuerunt*, &c.

2°. Syllabæ tonum seu elevationem non semper innotescere ex accentus tonici sede; nam א Telischá gedholá, א Iethív, & sæpius in metris א Tiphhhá, primæ dictionis syllabæ adhærent, quanvis tonus sit in penultima aut in ultima; ideoque *præpositivi* nuncupantur, ut: דָּבָר *verbum*, מוֹשָׁב *habitatio*, רְשָׁעִים *improbi*. E contrario, quatuor sunt nempe א *Segoltá*, א *Zarqá*, א *Paschtá*, & א *Telischá qetanná*, qui ultimæ literæ insident, licet dictio sit forsan penacuta, ut: בַּעַל *Dominus*, מֶלֶךְ *rex*, דֶּבֶר *pestis*, רֶכֶב *currus*, וַיָּחַן *& misertus est*, quos idcirco vocant *postpositivos*. Ex his autem quatuor accentibus, *Paschtá* in vocibus penacutis geminatur, ut alter sedem accentus, alter tonum indicet, ut: אַפֶּ֨ךָ֙ *ira tua;* prior accentus super פ, notat tonum; posterior vero super ך, sedem hujusce accentus quatenus postpositivi ostendit. Anomalum itaque est תּוֹסִיפִי *addes*, Isai. 47. vv. 1. 5. pro תוֹסִיפִי. Reliqui tres accentus geminantur etiam in vocibus penacutis, ex mente Eliæ Levitæ, sed illud in omnibus exemplaribus observatum non apparet. Vocis itaque tonus non semper ex accentus positione, sed ex analogia in hoc paragrapho explicata, æstimandus est.

Hic etiam observasse juvat, cum duo accentus in eadem voce reperiuntur, si non sint è numero quatuor *postpositivorum*, posteriorem tantum esse tonicum, priorem vero euphonicum, de quo post expositam accentus tonici naturam & proprietates disseremus.

§. II.

De punctorum vocalium mutatione ob accentus.

DIXIMUS in tomo I. pagg. 19. 20. *Siloúq*, *Athnáhh*, *Zaqéph qatón*, & *Reviá* in sententiis distinguere, seu *pausam* constituere; unde *pausantes* appellantur.

Athnáhh autem & Siloúq vulgo producunt (-) & (·) in (·).

Pathahh, ut: שָׁמָיִם *cœlum*, cum *Siloúq*, pro שָׁמַיִם. Sic לָיְלָה pro לַיְלָה *nox*, אָתְּ *tu*, אָמָר *dixit*, אָהָבְתָּ *dilexisti*, גָּאָלְתָּ *redemisti*, דָּמּוּ *silent*, cum *Siloúq*; עָתָּה *nunc*, יָחַד *pariter*, &c. Dixi *vulgo*, quandoque enim (-) aut (·) relinquunt, ut: הִסְכַּנְתָּה *assuefactus es*, כַּקַּשׁ *sicut stipulam*, פֶּלֶא *mirabile*, cum *Siloúq*.

Seghól penultimæ, חָסֶד *misericordia*, pro חֶסֶד. Sic תִּפְאָרֶת *gloria*, cum *Siloúq*; זָרַע *semen*, לָכֶת *ingredi*, אָבֶן *lapis*, אָרֶץ *terra*, &c. cum *Siloúq*. Eodem modo mutatur (-) positum pro (·), ut: רָעַד *tremor*, &c.

Excipiuntur non pauca quæ (-) aut (·) cum his accentibus non mutant, וַיֹּאכַל *& comedit*, cum *Siloúq*; וַתֹּאכַל idem, sed fem. וַיִּצְחַק *& risit*, &c. נֹפֶלֶת *decidens*, אֶרֶץ *terra*, &c. Vox מֶלֶךְ *rex*, nunquam in pausa (·) penultimæ mutat in (·). Sic adverbium סֶלָה suum semper (·) retinet.

Zaqéph qatón quandoque etiam mutat (-) & (·) in (·), ut: אָכָל *comedit*, אָרֶץ *terra*, וָיָמָּה *& versus mare*, seu *ad Occidentem*, &c.

Segholtá & paschtá id sibi juris interdum etiam arrogant, ut: שְׁכָב *cuba*, אָרֶץ *terra*, דָּגַר *collegit*, &c. Ceteri accentus minores vix unquam hanc mutationem inducunt.

Contra omnem analogiam minister Dargá mutat (-) in (·) in סָעַד *fulci*, Jud. 19. v. 5. שָׂמְנוּ *posuimus*, Isai. 28. v. 15. Sic Mahhpách in וַיּוּשָׂם *& positum est*, Gen. 24. v. 33. in Bibliis Stephani, Athiæ, &c. Melius in editt. Veneta & Basileensi שׂ afficitur (-). Et Mounáhh in שָׁפָט *judicavit*, 1. Reg. 7. v. 17.

In pausa sæpissime ab ultima ad penultimam transit accentus; tuncque *Athnáhh* & *Siloúq*, ut plurimum; *Reviá* & *Zaqéph qatón*, sæpe; alii reges minores raro mutant (:) affixi ךָ in (·), ut: קָדְשֶׁךָ *sanctitas tua*, יַצִּילֶךָ *liberabit te*, cum *Siloúq*; דְּבָרֶךָ *verbum tuum*, בְּנֶךָ *filius tuus*, &c. Semel tantum (:) remanet in עַבְדְּךָ *servus tuus*, Psal. 118. Heb. 119. v. 65. (quia accentus præter morem non retrahitur), לַחְמְךָ & לַחְמֶךָ *panis tuus*, יָדֶךָ *manus tua*, לְהַצִּילֶךָ *ad liberandum te*, עַבְדֶּךָ *servus tuus*, בְּשָׂדֶךָ *in agro tuo*, &c. Cum (-) pro (·), חֵילֶךָ *exercitus tuus*, Psal. 9. Heb. 10. v. 14.

Cum voculis seu præpositionibus אֶת־, & אוֹת, ב, ל, מ, & עִם, sæpe fit trajectio (·) & (:); tuncque masculinum genus à feminino solus sensus distinguit, ut: לָךְ pro לְךָ *tibi*. Sic אִתָּךְ *tecum*, אוֹתָךְ *te*, בָּךְ *in te*, מִמֵּךְ *à te*, עִמָּךְ *tecum*.

In nominibus, &c. formæ פְּרִי *fructus*, עֳבִי *densitas*, חֳרִי *æstus*, (:) simplex convertitur in (·) ut לֶחִי *maxilla*, &c. Sic in verbis הָיָה *fuit*, & חָיָה *vixit*, ut: וַתְּהִי pro וַתְּהִי *& fuit*, וִיחִי pro וִיחִי *& vivet*, תֶּשִׁי *oblivioni trades*, pro תְּשִׁי. Vide tom. I. pag. 289. col. 2. in fine. (-) mutatur in (·), ut: אֲנִי *ego*; sic cum ministro Mounáhh præter analogiam, אָנִי Malach. 1. v. 6. Excipiuntur חֲצִי *dimidium*, quod sumit (-) loco (·), sic: חֶצִי, quasi ab חֲצִי, & עֲדִי *ornatus*, quod habet (·) sic עֶדִי. Ita nomen proprium אֶדְרֶעִי *Edhrei*, Num. 21. v. 33. Denique (-) in hhólem mutatur, ut: חֹלִי *morbus*, pro חֳלִי. Sic יֹפִי *pulchritudo*, עֹנִי *afflictio*, &c. Schevá enim sive simplex, sive compositum, nunquam accentum sustinet.

In vocibus verbalibus, quæ desinunt in ה, י, ו, accentus pausantes ab ultima transeunt ad penultimam, in qua reducunt motionem primariæ vocis pro (:), quod cum accentu tonico conjungi non potest ob nimiam ejus in prolatione celeritatem. Cum autem motio illa primariæ vocis est (-), mutatur præterea in (·), syllabæ complendæ

gratia, ut: אֹרָשָׂה pro אֹרָשָׂה *desponsata est*, שְׂמָחִי pro שִׂמְחִי *lætare*, נָגָעוּ pro נָגְעוּ *pervenerunt*, גָּבָרוּ, ex terminatione (ּ), pro גָּבְרוּ *invaluerunt*, יָכֹלוּ, ex forma hhólem, pro יָכְלוּ *potuerunt*, שְׁמָעוּ, ex terminatione (-), pro שִׁמְעוּ *audite*, עֲמֹדוּ pro עִמְדוּ *state*, יִדְרֹשׁוּ pro יִדְרְשׁוּ *requirent*, ex terminatione hhólem; in quibus exemplis sunt accentus pausantes. Id etiam præstat *Mounâhh* ob *Pesíq* sequens, quod ipsi vim regiam adjicit, ut: תְּפָרָעוּ *discooperietis*, Levit. 6. v. 10. Et sine Pesiq, יִשָּׁעֵנוּ pro יִשָּׁעֵנוּ *innituntur*, Mich. 3. v. 11. Quandoque tamen accentus pausans remanet in ultima, & (ּ) in penultima, ut: נוֹעָדוּ *convenerunt*, יְדַכְּאוּ *conterent*, &c.

In verbis quiescentibus Lam. ה, cum accentus pausans ab ultima transit ad penultimam, tertia rad. ה sæpius mutatur in (י), ut: נָטָיוּ pro נָטוּ *extensi sunt*. Sic יִשְׁלָיוּ *tranquille agent*, בְּעָיוּ *quærite*, אֵתָיוּ *venite*, וְאֶהֱמָיָה *& perstrepam*, ubi insuper (י) afficitur (ּ) loco (ּ) ex forma quiesc. Lámedh א. Ita cum accentus etiam minister retrahitur ob concursum, ut: חָסָיוּ בוֹ *confisi sunt in eo*, הֵתָיוּ מָיִם *afferte aquas*, &c. Et sine concursu, חָסָיָה נַפְשִׁי *confidit anima mea*, נָטָיוּ רַגְלָי *declinarunt pedes mei*, הֵתָיוּ לְאָכְלָה *venite ad comedendum*, &c.

In aliis verbis accentus minister ob concursum retractus, quandoque etiam reducit motionem primariæ vocis; quia, ut jam sæpius diximus, schevá non potest ferre accentum tonicum, ut: יִשְׁפּוּטוּ הֵם (mendum pro יִשְׁפְּטוּ) *judicent ipsi*, Exod. 18. v. 26. תְּהָתֵלּוּ בוֹ *illudetis ei*, Job. 13. v. 9. (Vide tom. I. pag. 178. col. 2. l. 3. ante finem, ubi dele voces *in pausa*) גֹּשׁוּ הֵנָּה *accedite huc*, &c.

Quanvis accedente ן paragogico accentus pausans à penultima ad ultimam descendat, nihilominus tamen remanet magna motio in penultima; is enim accentus per accidens tantum ad ultimam retrahitur, ut: תִּכְרֹתוּן *exscindetis*, תְּתֹּצוּן *destruetis*, תְּשַׁבֵּרוּן *confringetis*, תֵּלֵכוּן *ibitis*, תִּדְבָּקוּן *adhærebis*, &c. Quod interdum etiam fit cum accentu ministro, ut: תֶּאֱהָבוּן *diligetis*, Psal. 4. v. 3. יִדֹּדוּן יִדֹּדוּן *fugerunt, fugerunt*, Psal. 67. Heb. 68. v. 13. &c. Sic cum accentibus præpositivis & postpositivis, licet desideretur ן istud paragogicum, יְרַנֵּנוּ *cantabunt*, אַל־תִּירָאוּ *ne timeatis*, &c.

§. III.

De accentuum comitatu seu progressu in libris soluta oratione scriptis.

ACCENTUS reges, ut diximus in lib. 1. pag. 19. spiritum vel leviusculè suspendunt, vel plenius sistunt; ministri vero reges antecedendo spiritum & sermonem ad ipsos usque promovent ac continuant. Quare accentus reges, quando in oratione procedunt, unum aut plures ministros præambulones habent, si locus patiatur, h. e. modo initium versus non occupent, aut sese invicem non consequantur; tunc enim ministris suis privantur, sicuti *Zaqéph gadhól*, *Ietív* & *Schalschéleth*, qui ministris carent, ideoque minimi omnium reputantur. Quidam etiam accentus reges aliis præeunt ut *honorarii*. Cum autem plures ministri alicui Domino famulantur, quemdam inter se ordinem servant, ut in sequenti paradigmate conspicere licet, in cujus prima columna extant reges, in secunda subditi sive famuli, in tertia regum honorarii. Quo ordine regibus ministrent famuli, ostendunt numeri 1. 2. 3. 4. quorum primus accentum ministrum regi propiorem indigitat, secundus eum, qui post primum famulatur, & sic de duobus aliis numeris & accentibus. Sunt qui vituperent istud famulitium, quod, inquiunt, satis esset solos accentus distinguentes, ubi necessarii sunt, apponere: sed hallucinantur; hi enim accentus ministri non modo sermonem continuant, verum etiam modulationi, ut diximus, inserviunt. Quare si distinctioni videantur inutiles; saltem ad tonum syllabæ indicandum, & Synagogarum cantus exprimendos utiles esse judicantur.

ACCENTUS

ACCENTUS

Reges.	Ministri.	Honorarii.
אֽ׃	אָ֥	אֽ֖
אָ֑	אָ֣	אָ֖
אָ֔	אָ֣	vel { אָ֙ אָ֨
אָ֗	vel { אָ֣ אָ֧	אָ֨ אָ֜

SILOUQ unico ministro *Mérechá* gaudet, quem præcedit *Tiphhhá* rex ut honorarius, הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ, *cœlum & terram*, Gen. 1. v. 1. Excluso ministro *Mérechá*, accentus *Tiphhhá* proximus est τῷ *Silouq*, בֵּין מַיִם לָמָיִם, *inter aquas & aquas*, Gen. 1. v. 6. *Mérechá* in voce בֵּין minister est τῷ *Tiphhhá* sequentis. *Tiphhhá* quinquies in eadem dictione cum *Silouq* jungitur, nempe Levit. 21. v. 4. לְהֵחַלּוֹ *ut polluat se.* Vide alia loca Num. 15. v. 21. 1. Paral. 2. v. 53. Isai. 8. v. 17. Ose. 11. v. 6.

ATHNAHH unicum ministrum habet *Mounâhh*, quem semper antecedit *Tiphhhá* ut honorarius, modo tamen locus patiatur; *Athnâhh* enim primam versus dictionem interdum occupat. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים, *In principio creavit Deus*, Gen. 1. v. 1. Quando excluditur *Mounâhh*, tum *Tiphhhá* immediate præcedit, וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי־אוֹר, *& dixit Deus: fiat lux*, Gen. 1. v. 3. *Mounâhh* nonnunquam iteratur, וַיָּשֶׁב־יְהוָה לִי כְצִדְקִי, *& reddidit Dominus mihi secundum justitiam meam*, Psal. 17. Heb. 18. v. 25. *Athnâhh* in plurimis versibus desideratur, neque bis in eodem occurrit.

ZAQEPH QATON, sive parvum, unicum conducit famulum *Mounâhh*, quem præcedit *Paschtá* honorarius, si locus sit, אֲשֶׁר מִתַּחַת לָרָקִיעַ, *quæ sub cœlo seu expanso sunt*, Gen. 1. v. 7. *Zaqéph qatón* & *Mounâhh* sæpe eandem dictionem occupant; tuncque *Mounâhh* vices τῷ *Méthegh* fungitur, ut: וְהָאָדָם, *Adam vero*, Gen. 4. v. 1. Excluso *Mounâhh*, proxime succedit *Paschtá*, תֹהוּ וָבֹהוּ, *inanitas & vacuitas*, Gen. 1. v. 2. *Iethîv* interdum etiam honorarium agit ante *Zaqéph qatón*, ut: אֵלֶּה בְּנֵי זִלְפָּה *hi sunt filii Zilphæ*, Gen. 46. v. 18. &c.

REVIA duos habet ministros, *Mounâhh* & *Dargá*. Quando concurrunt, *Mounâhh* semper regi proximus est, פָּקֹד יִפְקֹד אֶתְכֶם *visitans visitabit vos*, Gen. 50. v. 24. Sæpe ante *Mounâhh* sunt *Qadmá* & *Gérésch* sive *Azlá*, בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם, *in pisces maris, & in volucres cœli*, Gen. 1. v. 26. Præcedentibus his duobus accentibus, *Mounâhh* interdum excluditur, וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים, *& dixit illis Deus*, ibidem v. 28. Quinquies in eadem dictione *Mounâhh* cum *Reviá* conjungitur. אַל־תֵּעָצְבוּ, *ne cruciemini*, Gen. 45. v. 5. Vide etiam Exod. 32. v. 31. Eccle. 4. v. 10. Dan. 1. v. 7. Zach. 7. v. 14.

ACCENTUS.

Reges. Ministri. Honorarii.

א א א

1°. 2°. 3°. 4°. loco
א { א א aliquando.
vel { א א א א

א { א 2°. loco.
vel { א א

1°. 2°. 3°. 4°. loco.
א vel { א א א א
א

1°. 2°. 3°. 4°. loco.
א vel { א א א א
א

SEGHOLTA ministrum unicum habet, nempe *Mounábh*, quem semper antecedit *Zarqá*, הָעֵץ אֲשֶׁר בְּתוֹךְ־הַגָּן *ligni, quod est in medio Paradisi*, Gen. 3. v. 3. *Mounábh* iteratur v. 14. Eo excluso, proxime succedit *Zarqá*, Gen. 1. v. 7.

TEVIR ministros habet 1°. loco, h. e. in dictione immediate præcedente, *Mérechá* vel *Dargá*, ut: וַיִּתֵּן אֹתָם *& posuit illa*, Gen. 1. v. 17. וַיִּקְרָא הָאָדָם, *& vocavit Adam*, Gen. 3. v. 21. Post *Dargá* requiruntur semper duæ syllabæ; unde vel penultimam vocis præcedentis occupat, vel *Tevír* vocem polysyllabam requirit. Vide Gen. 1. v. 22. cap. 3. v. 21. Si *Pesíq* intercedat, unica syllabâ sufficit, vide Gen. 17. v. 13. Et sine *Pesíq*, Gen. 18. v. 18. 2°. loco est *Qadmá* vel *Mounábh*. 3°. loco *Telischá qetanná*, quem si alius antecesserit, erit *Mounábh*. Vide 2. Reg. 2. v. 23. *Tevír* semper habet post se *Tiphhhá* vel immediate, ut Gen. 7. v. 13. vel mediante *Mérechá* accentu ministro τῶ *Tiphhhá*, ibid. v. 9.

TIPHHHA ministrum unicum habet *Mérechá*, אֵת הַשָּׁמַיִם *cælum*, Gen. 1. v. 1. Octo in locis *Mérechá* cum *Tiphhhá* in eadem voce jungitur, מוֹשְׁבֹתֵיכֶם *habitationes vestræ*, Levit. 23. v. 21. &c. Quatuordecim vicibus pro *Mérechá* simplici est *Mérechá* duplex, præcedente *Dargá*, לָמָּה תַעֲשֶׂה כֹה *cur ita facis?* Exod. 5. v. 15. &c.

PASCHTA famulitio dives est. Ei quinque Ministri serviunt, quorum familiarissimi sunt *Mahpách* & *Mérechá*. Quando unicus præcedit minister, inter ipsum & *Paschtá* una vel plures motiones intercedunt, & tunc est *Mahpách*, וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר, *& vocavit Deus lucem*, Gen. 1. v. 5. vel nulla motio intercedit, tuncque usurpatur *Mérechá*, ut: הָיְתָה תֹהוּ *erat inanitas*, Gen. 1. v. 2. Si plures ministri antecedant, servabunt ordinem, qui in columna ministrorum instituitur. *Mounábh*, qui 4°. loco ponitur, sæpius interdum repetitur, vide 4. Reg. 18. v. 14. Post *Paschtá* semper venit *Zaqéph qatón* vel immediate, vel mediante ministro suo *Mounábh*. Raro sequitur *Reviá*. *Paschtá* etiam sæpe seipsum consequitur. Vide Gen. 1. v. 7.

ZARQA tres habet ministros, quorum proximus est *Mounábh*, ut: וּמִפְּרִי הָעֵץ *& de fructu arboris*, Gen. 3. v. 3. Undecies etiam locum hunc occupat *Mérechá*, vide Gen. 3. v. 14. &c. Ter, secundum

ACCENTUS

Reges. Ministri. Honorarii.

Massoram, *Qadmá* & *Mérechá* in eadem voce conjuncti reperiuntur ante *Zarqá*, Jud. 21. v. 21. אִם־יֵצְאוּ בְנוֹת־שִׁילוֹ, *si egressæ fuerint filiæ Silo*. Reliqui duo loci sunt, Lev. 10. v. 12. Nehem. 12. v. 44. Alii *Zarqá* ministri servant ordinem in tabella notatum. Quandoque sese consequitur *Zarqá*, vide Jud. 18. v. 14. Interdum etiam accentus *Mounábh*, qui ipsum immediate præcedit, duplicatur, vide Lev. 4. v. 35. In longioribus sententiis *Mounábh* repetitur 4°. loco ante *Zaqéph qatón*, vide Exod. 17. v. 6.

א | 1°. 2°. 3°. loco. א א א

GERESCH tribus quoque ministris insignitur, nempe *Qadmá*, *Telischá qetanná*, & *Mounábh*. Regi *Géresch* plerumque *Qadmá* proximus est, ut: יִקָּווּ הַמַּיִם *congregentur aquæ*, Gen. 1. v. 9. Si *Mounábh* hanc sedem occupet, debet esse sub prima vocis suæ litera, אֵת כְּדָר־לָעֹמֶר *Kedorlaomerum*, Gen. 14. v. 9. &c. *Qadmá* & *Géresch* interdum in eadem voce conjunguntur; tuncque *Qadmá* loco τῦ *Méthegh* est, ut: וַיֵּלְכוּ *& iverunt*, Num. 33. v. 8.

א | א

GERASCHAIIM unico ministro *Mounábh* utitur, idque cum vox præcedens monosyllaba est aut penacuta, ut: עֵץ פְּרִי *arbor fructus*, Gen. 1. v. 11. שָׁמָּה קָבְרוּ *illic sepelierunt*, Gen. 49. v. 31. Alias *Geraschàiim* caret ministro.

א | א

PAZER sæpius se consequitur, bis, ter, septies usque. Vide 1. Paral. 15. v. 18. cap. 16. v. 5. Unus accentus *Mounábh* ei servit, וַתֵּרֶא הָאִשָּׁה *& vidit mulier*, Gen. 3. v. 7.

א | א

TELISCHA GEDHOLA ministrum etiam unicum habet *Mounábh*, qui à bis ad sexies iteratur, vide Ezech. 47. v. 12. &c.

א | 1°. 2°. loco. א א

QARNE PHARA duos habet ministros, proximum *Iérahh-ben-iomó*, alterum *Mounábh* quinquies usque repetitum. In libris prosaïcis 16. tantum vicibus reperitur. Num. 35. v. 5. אֶת־פְּאַת־קֵדְמָה אַלְפַּיִם בָּאַמָּה *ad plagam Orientalem bis mille cubitos*, &c.

א Zaqéph gadhól,
א Schalschéleth,
א Iethív.

Tres illi accentus reges carent ministris; vel quia primam versus dictionem occupant, ut *Schalschéleth* semper, *Zaqéph gadhól* sæpe; vel quia aliorum regum ministri sunt, aut honorarii; vel denique, quia reges, aut seipsos immediate consequuntur.

Hæc sunt quæ ex Doctiss. Buxtorfii Thes. Grammat. lib. 2. c. 25. hîc describenda censuimus circa accentuum in libris prosaïcis comitatum, qui, ut scribit vir eruditissimus,

nunc augustior & celebrior est, nunc minoris pompæ & contractior, nulla perpetua lege circumscriptus, sed pro vocum numero, & membrorum commoditate, totiusque sententiæ ratione *mira varietate temperatus.* Jam de accentibus librorum stricta oratione scriptorum, aut saltem metricorum, ex eodem præsertim auctore disserendum.

§. IV.

De librorum metricorum accentibus, & eorum comitatu.

IN Jobi, Psalmorum, & Proverbiorum libris alia est accentuum ratio, cujus procul dubio causa est metrum, versuum brevitas, & musica; diversis enim temporibus & festis, diverso concentu textus, qui his in libris continentur, à Judæis cantatos fuisse à vero non est alienum.

Horum accentuum anomalias seu differentias ad quatuor capita revocabimus. 1°. Sententiarum distinctionem. 2°. Vocalium productionem. 3°. Daghésch in literis *Beghádh kephâth* impressionem. 4°. Denique insolitam accentuum quorumdam, etiam in libris soluta oratione scriptis, societatem.

I. *Reviá* & *Zaqéph qatón* raro incisum faciunt. *Athnábh* sæpius minori distinctioni servit, sæpe etiam desideratur; tuncque, si necesse sit, *Tiphhhá* distinguit. *Mérechá* sæpissime incisum facit, *Zarqá* & *Reviá* proxime præeunte, vel uno accentu illis interjecto.

II. *Mérechá* & *Qadmá* aliquando vocales producunt instar regis majoris, ut: תֶּחֱטָאוּ *peccetis*, Psal. 4. v. 5. אִישַׁן *dormiam*, ibidem v. 9. רָעָשָׁה *commota est*, Psal. 67. Heb. 68. v. 9. Quod interdum facit *Mounábh* in libris etiam prosaicis, ut: אָנִי *ego*, Malach. 1. v. 6. תִּפְרָעוּ *discooperietis*, Levit. 10. v. 6. &c. In libris metricis, תֶּאֱהָבוּן *diligetis*, Psal. 4. v. 3. &c. Idem *mounábh* in Psalmis sæpe, in Jobo & Proverbiis rarius superscribitur.

III. *Athnábh*, *Tiphhhá* posterior, i. qui non præponitur (accentus enim iste in metris præponi solet, ut monuimus supra pag. 310. col. 2.) & *Zarqá*, sæpe instar ministrorum sunt circa literas *beghádh kephâth*, quas post se aspiratas relinquunt. Idem etiam aliquando contingit τῷ *Paschtá*.

IV. Sæpe duo tonici in eadem dictione occurrunt, eorumque modo prior, modo posterior, ex analogia tonum seu elevationem indicat. Sic v. g.

Reviá quasi individuum comitem sibi adjungit *Gérésch* in prima vocis litera, ut: לֵצִים *derisorum*, Psal. 1. v. 1. &c. Si *Reviá* nullam aliam syllabam ante se habeat, ambo concurrunt, & latera jungunt, ut: מֶלֶךְ *rex*, Prov. 1. v. 1. &c.

Mérechá antecedentes comites habet *Zarqá* & *Mahpách* superius; vel, ut alii volunt, *Iethív*, præcedente *Iérahh ben-iomó*, ut: נָאַץ *irritat*, Psal. 9. Heb. 10. v. 3. יָפִיחַ *sufflat*, ibid. v. 5. מִתְקוֹמְמָה *insurgens*, Job. 20. v. 27. Quod attinet ad *Mahpách*, בַּעֲצַת רְשָׁעִים *in consilio improborum*, Psal. 1. v. 1. Vide etiam Job. 3. v. 9. Prov. 1. v. 11. Si *Mérechá* syllabam in eadem voce ante se non habeat, trajicitur *Mahpách* ad ultimam syllabam vocis præcedentis, יִסַּדְתָּ עֹז *fundasti robur*, Psal. 8. v. 3. Vide etiam Job. 3. v. 6. Prov. 24. v. 12. In hac accentus *Mahpách* trajectione, quandoque *Iérahh ben-iomó* extruditur, & *Mahpách* locum ejus subit, ut: אֻמְלַל אָנִי *infirmus ego sum*, Psal. 6. v. 3. Vide Prov. 8. v. 13. Job. 3. v. 3. Rarissime *Mérechá* & *Mahpách* in eadem syllaba concurrunt, ut: עֲשׂוֹת חֶסֶד *facere misericordiam*, Psal. 108. Heb. 109. v. 16. Vide etiam Job. 7. v. 11. *Mahpách* nonnunquam infra vocem delabitur, ut: יָבֹא *veniet*, Psal. 49. Heb. 50. v. 3. Vide etiam Psal. 54. Heb. 55. v. 20. quod mendum videtur *Buxtorfio*, quanvis ita habeant Biblia etiam accuratius edita.

Mahpách conducit comitem *Zarqá*, ut: קוּמָה יְהוָה׀ הוֹשִׁיעֵנִי *surge, Domine, salva me*, Psal. 3. v. 8. Vide etiam Psal. 135. Heb. 136. v. 4. Prov. 3. v. 28. Job. 5. v. 5. &c. Syllaba ante *Mahpách* deficiente, *Zarqá* ad finem præcedentis vocis rejicitur, ut supra *Mahpách*,

חָנֵּנִי יְהוָה כִּי אֻמְלַל אָנִי *miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum*, Psal. 6. v. 3. Vide etiam Prov. 23. v. 31. quo tamen in ultimo exemplo codices accuratissimi pro *Mahpách* in voce כִּי habent *Iérahh ben-iomó*, sic: כִּ֪י.

Tiphhhá sive initiale, sive aliud, in præcedenti dictione amat accentum *Mounábh*, qui interdum in eadem voce cum *Tiphhhá* concurrit, ut: כָּל־בֹּצֵעַ *omnis avarus*, Prov. 1. v. 19. Et vice versa, נְתִיבוֹתֶיהָ *semitæ ejus*, Prov. 3. v. 17. ubi *Tiphhhá* præcedit, sequitur *Mounábh*. Sed hîc est *Tiphhhá* pro *Méthegh*.

Quandoque etiam concurrunt *Mérechá* & *Tiphhhá* initiale, ut: פְּרָעֵהוּ *desere eam*, Prov. 4. v. 15. ubi tamen in Bibliis Athianis à doctissimo Everardo Vander Hooght recensitis desideratur *Mérechá*.

Huc pertinet specialius adhuc accentuum quorumdam in aliis etiam libris consortium.

1°. Massorethæ notant *quinque esse dictiones cum duobus accentibus*, nimirum *Telischá gedholá* & *Géresch* semel simplici, quater composito sive duplici, dicto *Geraschájim*. Illæ autem quinque voces sunt: וְלָאֵלֶּה *& ipsis*, Ezech. 48. v. 10. זֶה *hic*, Gen. 5. v. 29. קִרְבוּ *accedite*, Levit. 10. v. 4. שׁוּבוּ *revertimini*, 4. Reg. 17. v. 13. זֹאת *hæc*, Soph. 2. v. 15.

2°. *Mounábh* & *Reviá* quinquies etiam in eadem voce concurrunt; sed *Mounábh* euphonici *Méthegh* munere fungitur. תֵּעָצְבוּ *tristemini*, Gen. 45. v. 5. אָנָּא *quæso*, Exod. 32. v. 31. וְאֵסָעֲרֵם *& perturbabo eos*, Zach. 7. v. 14. בֵּלְטְשַׁאצַּר *Baltassar*, Dan. 1. v. 7. וְאִילוֹ *& væ ei*, Eccle. 4. v. 10. In quibusdam exemplaribus vox illa separatur, sic: וְאִי לוֹ.

3°. *Mérechá* & *Tiphhhá* octies conjunguntur, שֶׁהֵם *quod ipsi*, Cant. 6. v. 4. ubi vide Massoram, quæ alia loca indicat.

4°. *Qadmá* & *Mérechá* ter in eadem voce concurrunt, יֵצְאוּ *egredientur*, Judic. 21. v. 21. &c. Hîc quoque *Qadmá* vices fungitur *Méthegh*.

5°. *Mounábh* & *Mérechá* sæpe in eadem voce conjunguntur quando vox monosyllaba aut bissyllaba penacuta sequitur, ut: נָבֵל צִיץ *decidit flos*, Isai. 40. v. 7. עֹרֵף כָּלֶב *decollans canem*, ibid. c. 66. v. 3. In his duobus exemplis accentus prioris vocis retrahi deberet ab ultima ad penultimam ob concursum: sed cum id factum non fuerit vitandæ confusionis gratia, de qua pag. 309. col. 1. duplici accentu notatur prior illa vox, altero in penultima, ad quam propter concursum ascendere debebat; altero in ultima, quæ est nativa in his duabus vocibus accentus tonici sedes. Sic etiam וְיִנָּתֵן לָךְ *& dabitur tibi*, Esther 5. v. 6. quanvis accentus sine confusione retrahi potuisset; unde exemplaria quædam habent וְיִנָּתֵן, al. וְיִנָּתֵן cum unico accentu; וְיָבֵן אֵלֶּה *& intelliget ista*, Ose. 14. v. 10. ubi alii codices præ se ferunt וְיָבֵן cum unico accentu, & retento (ּ), ut in exemplo præcedenti; פַּדֶּנָה אֲרָם *in Padanem Syriæ*, sive ut Vulg. in *Mesopotamiam Syriæ*, Gen. 28. vv. 2. 5. 6. ubi vox אֲרָם censetur monosyllaba; quod, ut diximus, schevá sive simplex, sive compositum, syllabam non constituat. Et cum duplici *Mérechá*, פַּדֶּנָה אֲרָם, ibid. v. 7.

6°. *Mounábh* & *Mahpách*, שֶׁהֵם *qui*, Thren. 4. v. 9. ubi in fine est (ּ) anomalum pro (ּ).

7°. *Mahpách* & *Mérechá*, בְּהֵרָג הָרֶג *cum interficiuntur interfectione*, Ezech. 26. v. 15. אָדְמוּ עֶצֶם *rubicundiores sunt corpore vel aspectu*, Thren. 4. v. 7. ubi *Mahpách* accentum retractum ob vocem sequentem penacutam denotat; *Mérechá* vero genuinam accentus tonici sedem obtinet. Vide etiam Num. 17. v. 23. Isai. 49. v. 7.

8°. *Mérechá* & *Iethív*, ut: גֹּשִׁי הֲלֹם *accede huc*, Ruth. 2. v. 14. ubi *Mérechá* genuinum in hac voce accentus tonici, altero non concurrente, locum occupat; *Iethív* vero syllabam, in qua esset, si retraheretur ad penultimam ob concursum. Cum autem (ּ) accentum sustinere nequeat, redit motio primariæ vocis, unde hîc legitur גֹּשִׁי pro גְּשִׁי. Vide insuper quæ de hac voce diximus in tom. I. pag. 200. col. 2. in fine, & 201. col. 1. initio. Mitto alia quædam exempla à doctiss. Buxtorfio allata, utpote quæ in Bibliis etiam accuratissimis desiderentur.

9°. Denique in quibusdam vocibus ex duabus compositis geminus conspicitur accentus, vel diversus, vel repetitus; quo indicatur illa compositio; vel, quod verosimi-

lius est, & de omnibus vocabulis duplici accentu notatis dicendum, varia pro variis festis modulandi ratio, ut: בָּגָד *venit turma*, Gen. 30. v. 11. ex בָּא *venit*, & גָּד in pausa גָּד *turma.* מָהֵם *quid ipsi*, Ezech. 8. v. 6. ex מָה *quid*, & הֵם *ipsi*, &c.

Majori adhuc anomaliæ subjecti sunt accentus in Decalogo notati, Exod. 20. v. 2. & seqq. Sæpe enim in una eademque dictione accentus pausans cum continuante sociatur. Cujus rei hanc rationem afferunt Rabbini, nempe quod Deus decem illa præcepta *una vice, uno momento, sermone uno, eloquio uno*, h. e. uno spiritu & halitu, sine ulla interspiratione, mora, pausa, vel distinctione protulerit; ita ut omnia verba tanquam unum, & una vox fuerint; quod indicant accentus continuantes. Cum autem populus non intelligeret, Deus postea sermonem repetiit, & singula verba distincte protulit: atque inde nati sunt accentus pausantes seu distinguentes. Commentum est Rabbinicum, quod ipse etiam Aben-Esra multis argumentis confutat. Aliam causam, etquidem verosimiliorem, affert clariss. *Buxtorfius*, nempe musicæ Hebraïcæ pro diversis temporibus ac festis varietatem, de qua meminimus.

Isthæc accentuum continuantium & pausantium societas in causa est, cur Exod. 20. v. 3. vox פָּנַי duplici motione afficiatur, (-) ob *Silouq*, & (-) ob *Reviá*, quod ibi continuat. Sic לֹא תִּרְצָח *non occides*, v. 13. ubi est (-) ob *Silouq*, (-) ob *Mérechá.* Præterea ת aspiratur simul & non aspiratur; aspiratur, quod notat *Raphé*, propter *Mérechá* negativæ particulæ לֹא subjectum: non aspiratur, quod innuit *Daghésch*, propter *Tiphhhá* eidem particulæ לֹא subscriptum. Eodem modo, eademque de causa se habet idem ת in לֹא תִּנְאָף *non mœchaberis*, v. 14. לֹא תִּגְנֹב *non furaberis*, v. 15. & כ vocis כָּל־ in וְעָשִׂיתָ כָּל־ מְלַאכְתֶּךָ *& facies omne opus tuum*, v. 9. De lineola ista *Raphé* dicta, vide tom. I. pag. 32. col. 2.

Sic Gen. 35. v. 22. וַיִּשְׁכַּב אֶת־בִּלְהָה פִּילֶגֶשׁ אָבִיו וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל *& dormivit cum Bilha concubina patris sui, & audivit Israël*, &c. ubi varia distinguendi modulandique ratio duos accentus in vocibus וַיִּשְׁכַּב, בִּלְהָה, & אָבִיו copulavit. De 15. vocabulis superne anomalos punctatis differemus in cap. V. art. IV.

ARTICULUS II.

De Accentu euphonico מֶתֶג Méthegh.

ACCENTUS ille tonico in eadem voce præmissus, suaviorem pronuntiationem efficit; ejus enim potestas est suavis ac decora syllabæ suspensio, & à sequenti distinctio. Dicitur etiam מַאֲרִיךְ Máarích *prolongator*, quando videlicet vocali brevi ante schevá compositum adjicitur, ut: יַעֲמֹד *stabit.* Eum quoque appellant חִירִיק *Hhiroúq*, cum ־ hhiríq qatón, seu brevi, postponitur, ut: יִהְיֶה *erit.* Denique vocatur גַּעְיָא *Gaiá*, cum ־ (:) initiali præponitur. Vide sequentem paginam col. 2. In Bibliorum editionibus minus accuratis fere negligitur *Méthegh:* at in accuratioribus diligentissime notatur. Grammatici numerosas de illius usu tradunt regulas, quas ad quinque sequentes revocat clarissimus *Buxtorfius.*

I.

TERTIA syllaba ante accentum tonicum, si neque in *schevá*, neque in *daghésch* expressum desinat, cum *Méthegh* notatur, ut: הָאֶחָד *unus*, הֶעָרִים *urbes*; ubi est (-) pro (-), הַהֹלֵךְ *qui ambulat*, אִירָשֶׁנָּה *possidebo*

eam, לִישׁוּעָה *saluti*, &c. Quod locum habet præsertim cum *daghésch* excidit sine compensatione. Si tertia illa syllaba in *schevá* vel in *daghésch* desinat, *méthegh* ad quartam syllabam trajicitur, ut: וּמֵחֶלְבֵּהֶן *& de adipe earum*, וָאִוָּתֵר *& remansi.*

II.

VOCALES longæ accentu tonico ante *schevá* destitutæ, notantur cum *Méthegh*, ut: הָיְתָה *fuit*, כָּתְלֵנוּ *paries*, נִינְוֵה *Ninive*, תּוֹלְדוֹת *generationes*, יְמִינְךָ *dextera tua*, גְּאוֹנְךָ *excellentia tua*, רֹכְבוֹ *ascensor ejus*, יְשׁוּפְךָ *conteret tibi*. Hinc in melioris notæ codicibus cum accentus ille desideratur inter (ָ) & (ְ), figura illa (ָ) semper est (ָ hhatouph), ut: שָׁמְרָה schomrá *custodi*, חָכְמָה hhochmá *sapientia*, &c. Vide tom. I. pag. 39. coll. 1. 2. Cum motiones magnæ ad euphoniam in parvas mutantur, remanet etiam *Méthegh*, ut: גְּבֻלְךָ pro גְּבוּלְךָ *terminus tuus*, וְיִרְאוּ pro וְיִירְאוּ *& timebunt*, &c.

III.

VOCES polysyllabæ plerumque habent *Méthegh* in prima syllaba, cum ea desinit in *Daghésch*, ut: וַיִּתְפְּרוּ *& consuerunt*, Gen. 3. v. 7. וַיִּשְׁמְעוּ *& audierunt*, ibid. v. 8. מִמָּחֳרַת *à postremo die*, ibid. c. 19. v. 34. נִדַּחֲךָ *expulsio tua*, Deut. 30. v. 4. &c. Quanvis à litera schevá affecta sæpius excidat istud *Daghésch*, nihilosecius apponitur *Méthegh*, ut: וַיְמַשְּׁחוּ *& palpavit eum*, מְכַסֶּה *operiens*, לַמְנַצֵּחַ *præfecto musico*, &c.

Huc pertinet בְּטַמַּאֲכֶם *in polluendo vos*, Lev. 18. v. 28. ubi præpositio בְּ spectatur ut adventitia, nec syllabam constituit.

IV.

ANTE *schevá* compositum, modo non præcedat aliud *schevá* simplex, semper *Méthegh* est, præsertim ad syllabam complendam, ut: נַעֲשֶׂה *faciamus*, תַּחֲרִם *destrues*, נֶאֱמָן *fidelis*, אָהֳלֹה *tabernaculum ejus*, צֹעֲקִים *clamantes*, וַאֲשַׁלֵּחֲךָ *& dimittam te*, &c. Hinc *schevá* composito ad parvam motionem, ex qua componebatur, vel ad simplex *schevá* reducto, remanet *Méthegh*, ut: וְנַעֲלְךָ pro וְנַעַלְךָ *& calceamentum tuum*, וַיֶּחֶרְדוּ pro וַיֶּחֶרְדוּ *& trepidabunt*, תַּעַבְדֵם pro תַּעֲבְדֵם *coles ea*, אָהָלְךָ pro אָהֳלְךָ *tabernaculum tuum*, &c. Et *schevá* composito ad simplex *schevá* reducto, יֶהְגֶּה pro יֶהֱגֶּה *meditabitur*, &c. quod tamen rarius accidit ob (ְ) quiescens, quo completur syllaba.

V.

Pathábh, *hhiríq qatón*, & *seghól* ante schevá, quod est sub litera daghésch non affecta, habent ut plurimum *Méthegh*, quod ab Elia Levita appellatur *alienum*, à R. Saadia *fictum* vel *simulatum*, quod usus illius ex analogia non sit; unde in codicibus etiam accuratioribus modo adscribitur, modo negligitur, ut: תַּדְשֵׁא *germinet*, Gen. 1. v. 11. לְזַרְעֲכֶם *semini vestro*, ibid. c. 22. v. 13. וַיִּתְפָּרְקוּ *& abrupuerunt*, Exod. 32. v. 3. וַיִּזְבְּחוּ *& sacrificarunt*, ibid. v. 8. הִשְׁתַּחֲווּ *incurvaverunt se*, Jerem. 8. v. 2. Sic cum verbis הָיָה *fuit*, & חָיָה *vixit*, in quibus *Méthegh* istud fere semper apponitur, ut: יִהְיֶה *erit*, תִּחְיוּ *eritis*, לִהְיוֹת *ut sit*, &c. Exemplum הַ (ֶ), vide in regula præcedenti, in voce יֶהְגֶּה.

Cum *Méthegh* הַ *schevá* initiali præponitur, ut: וְאֵת, Esth. 9. v. 7. &c. dicitur גַּעְיָא *Gaiá*, quod sic 84. vicibus in Lege occurrat, quem numerum referunt literæ געיא numerice sumtæ. Interdum etiam *Méthegh* post *schevá* initiale ponitur, ut: שְׁאוּ־ *proferte*, Psal. 80. Heb. 81. v. 3. Sic שְׁלַח־נָא *mitte, quaeso*, Exod. 4. v. 13. גְּבַהּ־עֵינַיִם *elatus oculis*, Psal. 100. Heb. 101. v. 5. וְנִשְׁוּבָה *& revertetur* vel *convertetur*, Thren. 5. v. 21. &c.

Pro *Méthegh*, sæpe *Mounáhh*, *Qadmá*, & *Mérechá* usurpantur.

Mounáhh, ut: וְהָעֵצִים *& ligna*, וְאַהֲרֹן *& Aaron*, יְמִינְךָ *dextera tua*, חֲרוֹנְךָ *ira tua*, &c.

Qadmá, ut: וַיֵּלְכוּ *& abierunt*, &c. Mendose, ut videtur, *Méthegh* cum *Qadmá* scribitur in מִכָּל־אֹיְבֶיךָ *ab omnibus inimicis tuis*, Deut. 25. v. 19. וּנְתָנְךָ *& dabit te*, cap. 28. v. 1.

Mérechá, ut: כְּכוֹכְבֵי *sicut stellæ*, וַיִּטְמְנֵהוּ *& abscondit eum*, &c.

Rarius alii accentus ministri euphonici *Méthegh* vices obeunt; puta *Iérahh-ben-iomó*,

ut: מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם *à consiliis suis*, Psal. 5. v. 11. &c. *Mahpach*, ut: שֶׁאָהֲבָה *quem diligit*, Cant. 1. v. 7. &c. ubi notandum שֶׁ adjunctum vulgo habere *Méthegh*, aut alium accentum ministrum ejus vicarium, quod pronomen istud relativum decisum sit ex integro אֲשֶׁר, quod suum habet accentum. Confer quæ supra pag. 318. col. 1. de vocibus compositis duplici accentu instructis diximus.

Hæc, ni fallor, sufficiunt de accentu euphonico *Méthegh*, qui ex variis regulis supra traditis interdum geminatur, imo quandoque ter in voce describitur, ut: מִמִּסְגְּרוֹתֵיהֶם *ex claustris suis*, Psal. 17. Heb. 18. v. 46. ubi prius *Méthegh* est ex III. reg. posterius ex I. וּמִמַּעֲמָדְךָ *& à statione tua*, Isai. 22. v. 19. Primum *Méthegh* inscribitur secundum III. reg. ו enim censetur adventitium; secundum ex IV. tertium denique ex II. Alia, de quibus non convenit inter Grammaticos, accuratissimas Bibliorum editiones, necnon codices mss. missa facio.

ARTICULUS III.

De Maqqáph, *&* Pesíq.

§. I. *De* Maqqáph.

GRAMMATICI quidam inter accentus numerant מַקֵּף Maqqáph, i. *vinculum*, sed perperam; non solum enim accentus non est: verum etiam naturæ accentuum prorsus opponitur; efficit enim ut voces, quas simul conjungit, accentu tonico, sæpe etiam & euphonico careant. *Maqqáph* itaque virgula est transversa, quæ duas vel tres dictiones accentu tonico privatas sic connectit, ut cum ultimæ dictionis accentu suavi & venusta pronuntiatione coalescant. Junguntur autem per *Maqqáph* monosyllaba aut bissyllaba inter se, & monosyllaba cum polysyllabis; aut dissyllaba cum iisdem, sed rarius; nunquam verba verbis. Imo dictiones penacutæ rarius cum sequentibus copulantur. Porro adhibetur *Maqqáph*, ut duo vel tria vocabula ejus ope conjuncta veluti unicum efficiant, sicque citius perveniatur ad pausam.

In hac autem vocum per *Maqqáph* conjunctione, *Hhólem* & *Tseré* ultimæ, sequente post utramque illam motionem litera mobili seu sonante, corripiuntur, illud quidem in (ּ *hhatoúph*), hoc vero in (ֶ), ut: חָק־עוֹלָם *statutum æternum*, Jerem. 5. v. 22. גֶּשׁ־הָלְאָה *accede huc*, Gen. 19. v. 9. à vocibus חֹק & גֵּשׁ.

EXCIPIUNTUR,

1°. רָב־זִבְחֵיכֶם *multitudo sacrificiorum vestrorum*, Isai. 1. v. 11. עֹז־לָמוֹ *fortitudo eis*, vel *eorum*, Psal. 27. Heb. 28. v. 8. שֹׁד־רְשָׁעִים *vastatio impiorum*, Prov. 21. v. 7. & si quæ sunt alia, in quibus retinetur *hhólem* ante *maqqáph*.

2°. כֹּל *omnis*, &c. quod bis legitur cum accentu, qui tamen non impedit quominus (ּ) fit (ּ *hhatoúph*); *hhólem* enim non mutatur in *qaméts* magnum. Loca duo sunt, Prov. 19. v. 7. & Psal. 34. Heb. 35. v. 10.

3°.

3°. אֶת, quod semel ante *Maqqáph*, nempe Job. 41. v. 26. retinet (-), sic: אֶת־כָּל־גָּבֹהַּ *omnem excelsum*. E contrario ter cum accentu habet (ֵ), nempe Psal. 46. Heb. 47. v. 5. Psal. 59. Heb. 60. v. 2. Prov. 3. v. 12.

4°. בֶּן *filius*, quod, præterquam in regimine singulari, vulgo retinet (-), ut: בֶּן־אֶחָד *filius unus*, 1. Reg. 22. v. 20. בֶּן־קָטָן *filius parvus*, 2. Reg. 9. v. 12. &c. At in regimine singulari, (-) mutatur in (ֵ), & quandoque in *hhiríq qatón*, absente etiam *Maqqáph*. Vide Exod. 30. v. 14. 2. Paral. 25. v. 5. Deut. 25. v. 2. &c.

5°. לֶב *cor*, quod retinet (-) quando vox sequens non est monosyllaba aut dissyllaba penacuta, ut: לֶב־פַּרְעֹה *cor Pharaonis*, Exod. 14. v. 4. לֶב־דָּוִד *cor Davidis*, 2. Reg. 24. v. 10. At cum dictio, quæ sequitur, monosyllaba est aut dissyllaba penacuta, (-) convertitur in (ֵ), ut: בְּלֶב־יָם *in corde maris*, Prov. 30. v. 19. בְּלֶב־נַעַר *in corde pueri*, Prov. 22. v. 15.

6°. Sic בֶּן, נֶר *lucerna*; עֶד *testis*, עֶץ *arbor*, עֶת *tempus*, &c. quæ retinent (-), secundum *Buxtorfium*, ad compensandam literam vel quiescentem vel excidentem. Variant tamen codices etiam accuratissimi, non solum circa quasdam ex his vocibus, verum etiam circa nonnullas in superioribus exceptionibus recensitas.

7°. Dictiones לֶךְ *vade*, שֶׁם *nomen*, שֶׁשׁ *sex*, תֶּן *da*, תֶּת *dare*, &c. quæ modo mutant, modo retinent (-).

Aliæ motiones magnæ, puta (ָ), remanent ante *Maqqáph*, ut: שָׁת־לִי *posuit mihi*, Gen. 4. v. 25. יָם־כִּנֶּרֶת *mare Cinnereth*, Vulg. *Cenereth*, Num. 34. v. 11. יָם־מִצְרַיִם *mare Ægypti*, Isai. 11. v. 15. &c.

Remanent quoque *hhólem* & *tseré*, quando sequitur litera quiescens, ut: לְכַהֲנוֹ־לִי *ut fungatur ipse sacerdotio mihi*, Exod. 28. v. 1. כְּמוֹ־אָבֶן *sicut lapis*, ibid. c. 15. v. 5. כֹּה־אָמַר *sic dicit*, Jerem. 29. v. 32. בְּתוֹךְ־הָעָם *in medio populi*, ibid. בְּנוֹת־לוֹט *filiæ Lot*, Gen. 19. v. 36. &c. עֹשֵׂה־פֶלֶא *factor mirabilium*, aut *faciens mirabilia*, Exod. 15. v. 11. בֵּית־יִשְׂרָאֵל *domus Israël*, ibid. c. 40. v. 38. מִיַּרְכְּתֵי־אָרֶץ *ab extremitatibus terræ*, Jerem. 25. v. 32. חַכֵּה־לוֹ *expecta eum*, Habac. 2. v. 3. ubi in plurimis exemplaribus ל afficitur daghésch forti anomalo, quasi scriptum esset חַכֵּה־לּוֹ, nempe cum (ֵ) loco (-). Hic א literæ sonantis munere fungitur; unde (-) convertitur in (ֵ), יְגַמֶּא־אָרֶץ *sorbet terram*, Job. 39. v. 24.

Licet voces ante *Maqqáph* accentu tonico careant, sæpe tamen euphonico *Méthegh* sustentantur, ut: שֵׁשׁ־מֵאוֹת *sexcenti*, Gen. 7. v. 11. לֹא־יִבּוֹל *non defluet*, Psal. 1. v. 3. Et sic sæpius in monosyllabis magna motione affectis; in aliis, rarius. Voces dissyllabæ accentum illum habent in penultima, maxime cum sequitur vox monosyllaba aut dissyllaba penacuta, ut: עֹשֶׂה־פְּרִי *faciens fructum*, Gen. 1. v. 22. ubi פְּרִי censetur monosyllabum; *Schevá* enim, ut sæpius diximus, syllabam non constituit. Quod pertinet ad *daghésch* forte in פ, vide tom. I. pag. 29. col. 2. אָמַר־לוֹ *dixit ei*, Jos. 11. v. 9. Hinc Buxtorfio anomalum videtur הִנֵּה־שָׁבָה *ecce reversa est*, Exod. 4. v. 7. Si penultima illa afficiatur (ְ) sive simplici, sive composito, *Méthegh* est in ultima, ut: בְּנֵי־רִמּוֹן *filii Rimmon*, Vulg. *Remmon*. Sic in nonnullis codicibus אֲשֶׁר־ notatur cum *Méthegh* in ultima, quando voci alteri jungitur per *Maqqáph*. Voces polysyllabæ accentum illum habent etiam in penultima, modo ea non sit affecta שְׁוָא (ְ), ut: וַיִּחַר־אַף *& exarsit ira*, Gen. 30. v. 2. At quando (ְ) afficitur illa penultima, euphonicus *Méthegh* ascendit ad antepenultimam, vel prorsus exsulat, ut: נוֹסְדוּ־יָחַד *consultant simul*, Psal. 2. v. 2. תִּגְמְלוּ־זֹאת *retribuetis istud*, Deut. 32. v. 6.

Pro illo *Méthegh* ante *Maqqáph* usurpatur interdum *Qadmá*, si vox sequens habeat *Zaqéph qatón*, ut: וַנַּגֶּד־לוֹ *& renuntiavimus ei*, Gen. 43. v. 7. וַיִּקְרָא־לָהּ *& vocavit eam*, 4. Reg. 4. v. 12.

Ceterum quaudonam & cui syllabæ accentus euphonicus *Méthegh* in vocibus per *Maqqáph* conjunctis apponendus sit, plane non convenit inter Grammaticos; neque etiam eodem prorsus modo illum exhibent variæ Bibliorum editiones, etiam accuratissimæ.

Non magis consentiunt de vocibus ipsis per *Maqqáph* secum invicem conjungendis.

Hæc tamen circa eas generatim obſervant.

1°. Voces monoſyllabæ accentu diſtinctivo privatæ ſæpius cum aliis per *Maqqáph* conjunguntur, ut: גַּם־לְאִישָׁהּ *etiam viro ſuo*, Gen. 3. v. 6. &c. Sic בְּתָם־לְבָבִי *in integritate cordis mei*, Gen. 20. v. 5. præpoſitio enim בְּ ſeorſim ſpectatur, nec impedit quominus בְּתָם־ monoſyllabum cenſeatur. Idem dicendum de אֲשֶׁר, in quo אֲ ſyllabam non conſtituit.

2°. Sæpe adhibetur *Maqqáph*, quando vox præcedens habet accentum in ultima, & ſequens monoſyllaba eſt aut diſſyllaba penacuta; proindeque accentus prioris, concurſus vitandi gratia, in penultimam, aut in antepenultimam eſſet retrahendus, ut: זַרְעוֹ־בוֹ *ſemen ejus in eo*, Geneſ. 1. verſ. 11. וַיְחַבֶּק־לוֹ וַיְנַשֶּׁק־לוֹ *& amplexatus eſt eum, & oſculatus eſt eum*, ibid. cap. 29. v. 13. וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר *& fuit veſpere, & fuit mane*, ibid. c. 1. v. 5. וַאֲכַלְתֶּם־שָׁם *& comedetis ibi*, Deut. 12. v. 7. &c.

3°. Nomen regens aliud ſæpe conjungitur per *Maqqáph* cum recto, maxime cum poſterius illud monoſyllabum eſt aut diſſyllabum penacutum, ut: מִקְנֵה־לוֹט *poſſeſſio, ſive grex Loti*, Gen. 13. v. 7. פְּרִי־בָטֶן *fructus ventris*, ibid. c. 30. v. 2. מַלְאַךְ־יְהוָה *angelus Domini*, Pſal. 33. Heb. 34. v. 8. &c. Si duo nomina conſtructa ſeſe proxime conſequantur, vulgo poſterius tantum habet *Maqqáph*, ut: שֵׁם אֵשֶׁת־אַבְרָם *nomen uxoris Abrami*, Gen. 11. v. 29. &c.

4°. Denique cum vocum numerus in aliquo ſententiæ membro accentuum tonicorum numerum ſuperat, nonnullæ ex his vocibus per *Maqqáph* interdum conjunguntur, ut: אַתָּה־יְהוָה תִּשְׁמְרֵם *Tu, Domine, cuſtodies eos*, Pſal. 11. Heb. 12. v. 8. וַיָּשֶׁב־יְהוָה לִי כְצִדְקִי *& reddidit Dominus mihi ſecundum juſtitiam meam*. Pſal. 17. Heb. 18. v. 25.

§. II. *De* Pesíq.

PESÍQ (פְּסִיק) accentus eſt muſicus, quo *pauſa* ſignificatur; פְּסַק enim, à quo venit, Chaldæis *pauſare* ſignificat. Virgula recta eſt ad ſuperiorem lineam deſcripta; quæ ſi reperiatur poſt *Mounáhh* unicum, vel inter duo *Mounáhh*, dicitur לְגַרְמֵי *Legharmé*, quod fracta & ſubito abrupta voce conſtituenda ſit: quod vel nomen ejus indicat; venit enim à גְּרַם *frangere*. Alias dicitur *Pesíq*. Exempla ſunt: וְאֵיבָה' אָשִׁית *& inimicitiam ponam*, Gen. 3. v. 15. וּלְכָל' רֶמֶשׂ *& omni reptili*, Gen. 1. v. 20. In his duobus exemplis eſt *Legharmé*. Poſt alios accentus cum reges, tum miniſtros, eſt *Pesíq*, ut: תִּצְּרֶנּוּ' מִן־הַדּוֹר *cuſtodies eum à generatione*, &c. Pſal. 11. Heb. 12. v. 8. כִּי' אִם *ſed*, Pſal. 1. v. 2. פִּרְיוֹ' יִתֵּן *fructum ſuum dabit*, ibid. v. 3. &c.

ARTICULUS IV.

De variis accentuum quorumdam tonicorum nominibus, & omnium etymologia, antiquitate, & cantu.

SUNT accentus quidam tonici, qui pro vario ſitu, munere, ac famulitio, varia ſortiuntur nomina. Quod in cauſa fuit, ut monuimus in tom. I. pag. 20. cur à nonnullis auctus fuerit eorum numerus. Varia illa nomina, &c. in hoc articulo operæ pretium eſt exponere.

ACCENTUS REGES.

סִילוּק׃ Silouq, aliis סִלּוּק Sillouq, dicitur etiam סוֹף פָּסוּק Soph pasouq, h. e. *finis versus*. Præter rectam lineam infra ultimam versus dictionem scriptam, constat etiam duobus punctis crassioribus, quibus versus distinguuntur. Cantus ejus ex musica inferius exhibenda patebit.

אַתְנָח, vel in pausa, & ut alii scribunt, אַתְנָח Athnahh & אַתְנַחְתָּא Athnahhta, h. e. *respiratio*, seu *quies*, aut *pausatio*, à voce pausante; vulgo enim nostris duobus punctis respondet. Interdum etiam dicitur סַחְפָא Sahhapha, teste Buxtorfio. Cantum ejus vide in schematis musicis.

זָקֵף קָטֹן, זָקֵף קָטוֹן, Zaqeph qaton, vel Zaqeph qatan, *erector minor*, quod minus quam Zaqeph gadhol, de quo infra, inter canendum vocem elevet; seu quod voce minus elata canatur. Vide schemata musica.

רְבִיעַ Revia, h. e. *incubans*, quod mediæ literæ incubet. Cantus ejus idem est ac cantus τοῦ *Géresch*, de quo inferius, sed in fine fortior.

סֶגוֹלְתָּא, vel סְגוֹלְתָּא, aut סֶגֹלְתָּא Segholta, h. e. *monile*. Dicitur etiam סְגוֹלָא Seghola, & quibusdam סְגוּלָּה Seghoula, *proprietas*, *peculium*; & שָׁרֵי Schare vel שְׁרֵי Schere. Ultimæ literæ insidet, & cantus ejus est pausa cum subita vocis abruptione.

זָקֵף גָּדוֹל Zaqeph gadhol, i. e. *erector magnus*. Sic dicitur, quod elatiori voce canatur, quam *Zaqéph qatón*, de quo supra, & tandem faciat duos saltus acutos, ut loquuntur Hebræi.

תְּבִיר Tevir, h. e. *fractus*, à voce fracta & inæquali, qua canitur.

טִפְחָא vel טִפְחָה Tiphhha, al. טַרְחָא Tarhha, h. e. *defatigatus*, *lassus*, à Chald. טְרַח *laborare*, *defatigari*; quod canatur voce submissa & quasi fessa & quiescente. Ante *Athnáhh* & *Silóuq* dicitur מְאַיְלָא *Meaielá*, h. e. *Tiphhá forte*, ab אֵיל *fortitudo*, vel אַל *fortis*; quod cantus ejus sit intensior. Undecies occurrit in eadem voce cum *Athnáhh*, ut olim observarunt Massorethæ ad vocem בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם *in septimanis vestris*, Num. 28. v. 26. ubi loca illa afferunt. At Jerem. 2. v. 31. ad vocem מַאְפֵּלְיָה *caligo Dei*, sive *maxima*, notarunt decem tantum esse loca, & undecimum ex diversitate exemplarium esse adjectum. Idem accentus quinquies etiam collocatur in eadem dictione ante *Silóuq*, ut: לְהֵחַלּוֹ *ad polluendum se*, Levit. 21. v. 4. ubi quatuor alia loca à Massorethis recensentur.

פַּשְׁטָא Paschta, al. פָּשֵׁט Paschet, h. e. *extensor*, quod extensa, protracta, & æquabili voce canatur. Ultimæ literæ insidet.

זַרְקָא, al. זַרְקָה Zarqa, i. *sparsor*; quia canitur sparsa & inflexa voce, ut est ejus figura. Ultimæ literæ proprius est.

גֶּרֶשׁ *Géresch*, i. *expulsor*, quod vocem in cantu subito expellat. Vocatur etiam טֶרֶס Teres & אַזְלָא Azla.

גֵּרְשַׁיִם Geraschaiim, al. שְׁנֵי גְרִישִׁים Schene Gherischim, h. e. *duo expulsores*, al. טְרָסַיִם Terasaiim, al. טַרְסִין Tarsin. Cantus ejus fere ut *Gerésch*, sed duplicatus.

פָּזֵר Pazer, h. e. *dispergens*, quod vocem elatam dispergat, & secet in aliam. Dicitur etiam Pazer qaton, seu *parvum* ad discrimen accentus *Qarne-phará*, qui vocatur etiam *Pazér gadhól*, sive *magnum*.

תְּלִישָׁא גְדוֹלָה Telischa Ghedhola, h. e. *evulsor magnus*, quia in ejus cantu vox è pectore evellitur, & late circumrotatur, quod indicat ejus figura. Primæ dictionis literæ insidet.

שַׁלְשֶׁלֶת Schalscheleth, i. *catena*. Sic vocatur is accentus, quod cantus ejus quasi concatenatus sit, & serratim ascendat.

קַרְנֵי פָרָה Qarne phara, h. e. *cornua vaccæ*, quo nomine donatur ob ejus figuram, quæ vaccæ cornua refert. Canitur voce quasi dupla, forti, & tremula. Aliquando etiam vocatur פָּזֵר גָּדוֹל Pazer gadhol, i. *Pazer magnum*.

יְתִיב Iethiv, h. e. *reversum*, scilicet cornu. Vocatur etiam שׁוֹפָר מֻקְדָּם Schophar muqdam, *cornu præmissum* vel *antecedens*; ut

& שׁוֹפָר מַשְׁפָּל SCHOPHAR MASCHPEL *cornu dejiciens.* Primæ dictionis motioni præmittitur, & canitur ut *Mahpách*, de quo mox, sed cum pausula, ut vult doctiss. Buxtorf.

ACCENTUS MINISTRI.

מנח al. מוּנַח MOUNAHH, i. *depositum*, videlicet cornu. Al. שׁוֹפָר יָשָׁר SCHOPHAR IASCHAR, h. e. *cornu rectum.* Al. שׁוֹפָר הוֹלֵךְ SCHOPHAR HOLECH, i. *cornu ambulans.* Cantus ejus submissus est & protractus.

Cum hic accentus in ultima dictionis syllaba collocatur, & post ipsum sequitur *Athnâhh*, *Zarqá*, vel *Zaqéph qatón*; appellatur עִלּוּי *Illôui*, ab עָלָה *ascendit*; quod alta sive elata voce canatur, ut: בָּרָא אֱלֹהִים *creavit Deus*, Gen. I. v. I. וּמִפְּרִי הָעֵץ *de fructu autem arboris*, ibid. c. 3. v. 3. וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים *& divisit Deus*, ibid. c. I. v. 4. גּוֹי גָּדוֹל *gens magna*, Deut. 4. v. 7. &c. At quando accentus ille penultimam dictionis syllabam occupat, & sequitur *Zaqéph qatón*: tunc vocatur מְכַרְבֵּל *Mecharbél*, quod flexa & varie agitata voce canatur; quemadmodum varie agitantur, quæ cribrantur; כַּרְבֵּל enim Rabbinis *cribrare* significat. Sic: רֶגַע אֲדַבֵּר *in momento* vel *repente loquar*, Jerem. 18. v. 17.

Cum duo *Mounâhh* ante *Zaqéph qatón* continuo ponuntur, prius vocatur à Judæis Italicis *Mecharbél*, posterius *Illôui*, ut: אֲשֶׁר כֻּפַּר בָּהֶם *quibus expiatio facta est*, vel secundum Vulg. *ut sit placabile sacrificium*, Exod. 29. v. 33.

Denique in metris accentus ille supra dictionem interdum collocatur, ut: אַבְשָׁלוֹם *Absalom*, nomen proprium, Psal. 3. v. I. &c.

מַהְפָּךְ MAHPACH *inversum*; cornu videlicet; quasi שׁוֹפָר מַהְפָּךְ. Sic vocatur à figura *Mounâhh* opposita; sic enim quondam pingebatur (⌞). Cantus ejus submissus ut *Mounâhh*, sed magis subsistens & se quasi reflectens. Interdum supra dictionem in metris collocatur. Vide supra pag. 316. col. 2. & sequentem pag. 325. col. I.

מֵרְכָא *Mérechá*, al. מַרְכָא *Mercá*, h. e. *productor*, quod cantus ejus submissus sit & productus. Vocatur etiam מֵרְכָא פְּשׁוּטָא MERECHA PHESCHOUTA *productor minor*, sive simplex, ad differentiam sequentis accentus, qui vocatur *productor duplex*, sive *geminatus.* Denique appellatur etiam simpliciter מַאֲרִיךְ *Máarich*, ab אָרַךְ *prolongatus est*, in hiphil, הֶאֱרִיךְ *prolongavit*, *produxit*; unde מַאֲרִיךְ *prolongans* sive *productor*; & eliso א, adjunctaque terminatione Chaldaïca, מַרְכָא; ut ex מַאֲזִין, aut potius מְאַזִּין, fit מַזִּין *auscultans*, Prov. 17. v. 4. Vide tom. I. pag. 183. col. I. in fine. Octo in locis Massorethæ accentum illum cum *Tiphhhá* in eadem voce conjunctum vocant etiam מְאַיְּלָא *Meaiielá*, quasi *Mérechá* fortiori voce canendum, ut; מוֹשְׁבֹתֵיכֶם *habitationibus vestris*, Levit. 23. v. 21. ubi reliqua loca enumerantur, uti & Ezech. 36. v. 25. ad vocem גִּלּוּלֵיכֶם *idolis vestris.* Attamen his saltem duobus in locis codices etiam accuratissimi habent *Méthegh*, non *Mérechá.*

מֵרְכָא כְּפוּלָה MERECHA CHEPHOULA, i. *Mérechá geminatum*, sive *duplex.* Al. שְׁנֵי חוּטְרִין SCHENE HHOUTERIN; vel תְּרֵין חוּטְרִין TEREN HHOUTERIN, *duæ virgulæ*, ab ejus figura. Cantus illius æqualis, submissus, & duplicatus.

דַּרְגָּא DARGA, h. e. *gradus.* Is accentus sic vocatur, quod cantus ejus gradatim ascendat, & tremulus sit ac contortus.

תְּלִישָׁא קְטַנָּה TELISCHA QETANNA, h. e. *evulsor*, sive *eradicator parvus*, aut *minor*; sic dictus, quod vocem è profundo pectoris evellat, h. e. submisse incipiat, & elate circumrotetur; quod vel ejus figura repræsentat. Ultimæ literæ proprius est. Vocatur etiam תַּלְשָׁא TALSCHA, vel תַּרְסָא TARSA.

קַדְמָא QADMA, h. e. *antecedens*, finem scilicet dictionis, cujus initium vel medium occupat, nunquam finem, i. ultimam literam; in quo differt à *Paschtá*, quod ultimæ literæ semper insidet. Cantus ejus ut *Paschtá.*

יֶרַח־בֶּן־יוֹמוֹ *Iérahh-ben-iomó*, h. e. *luna filia diei suæ*, i. luna nova, recens nata, lunula; quod nomen ab ejus figura obtinet. Pro יֶרַח, melius alii יָרֵחַ, quod *lunam* signi-

ficat. Dicitur etiam גַּלְגַּל *orbis, sphæra, rota*, media scilicet aut imperfecta; nova enim luna non est sphæra sive rota perfecta, quantum oculis patet. Cantus ejus ut *Mounábh*, secundum Buxtorfium & Bartoloccium; quanvis in schematis musicis infra describendis alius exhibeatur. Is etiam diversus est in *Pesíq* & *Legharmé*, sicut & in *Mounábh*, *Illoúi* & *Mecharbél*, quæ sunt varia eorumdem accentuum nomina ipsis ob diversam modulationem imposita.

Grammatici quidam his accentibus tonicis alios adjungunt, nempe *Tiphhhá* initiale, de quo supra pag. 310. col. 2. *Géresch* conjunctum cum *Reviá*, pag. 316. col. 2. *Zarqá* initiale sive anterius, ibid. *Mounábh* superius; in metris enim accentus ille supra dictionem interdum ponitur, ut diximus supra pag. 316. col. 1. & *Mahpách* itidem superius, sive *Iethív*, ibid. c. 2.

Sunt etiam qui distinctos accentus faciant, 1°. ex *Mérechá* juncto cum *Mahpách* superiori, quem accentum vocant *Mérechá Mahpachatum*, vide pag. 316. col. 2. 2°. ex *Mérechá* & *Zarqá*, quod appellant *Mérechá Zarqatum*, ibid. 3°. ex *Mahpách* & *Zarqá*, quod ab ipsis dicitur *Mahpách Zarqatum*, ibid. 4°. Denique ex *Mounábh* inferiori juncto cum *Mounábh* superiori, quod *Mounábh superinferum* dicunt, ut: מִשְׁכְּנוֹת *tabernacula*, Job. 21. v. 28. ubi tamen alia exemplaria habent *Mounábh* unicum, idque infra dictionem collocatum. Verum hi omnes accentus sive soli sint, sive cum aliis conjuncti; sive inferni, sive superni; sive dictioni præponantur aut primæ ejus literæ insideant, sive penultimam aut ultimam syllabam occupent, tonici proprie non sunt, cum vocis tono seu elevationi minime serviant; sed soli modulationi, quæ, ut diximus, pro diversis festis diebus diversa erat. Quod si eorum nonnulli & tono & musicæ inserviant, tonum in ea syllaba, in qua secundum vocis naturam esse debet, immutatum relinquunt.

Haud potiori jure in accentuum tonicorum numero à quibusdam reponuntur *Pesíq*, *Legharmé*, *Sóph pasóuq*, *Illoúi*, *Mecharbél*, & *Meaiielá*; hi siquidem novi aut diversi à superioribus accentus non sunt: sed iidem ex diverso usu musico diversimode appellati, ut recte observavit clariss. Buxtorfius, lib. 1. Thes. Gramm. pag. 56. edit. Basil. 1663.

Hæc pro variis accentuum nominibus & cantu generatim dicta sufficiant. Antequam tamen huicce capiti finem imponamus, quædam de nominum illorum etymologia, & accentuum ipsorum aliis quibusdam nominibus, antiquitate, Hebræis vocibus adjectione, ac speciali modulatione dicenda sunt.

§. I.

De Accentuum Hebræorum etymologia, & aliis quibusdam nominibus.

ACCENTUUM Hebræorum nomina petita sunt partim ab eorum figura, ut: סֶגּוֹלְתָּא *Segholtá* à סְגוֹל *Seghól*, sed inverso. Partim à modulatione, ut: פָּזֵר *Pazér*, quia in ejus cantu vox dispergitur. Partim à situ, ut: סִילוּק *Silouq* vel סוֹף פָּסוּק *Sóph pasóuq*, i. *finis versus*, quod accentus ille finem versuum semper occupet. Partim ab eorum in distinguenda sententia munere, ut: אַתְנָח *Athnábh*, i. *pausa* sive *respiratio*, quia sæpe nostra duo puncta, sive *κῶλον*, id est, *membrum*, exprimit. Sæpe tamen minori distinctioni servit. Imo sæpe non distinguit, ut liquet vel ex primo Geneseos versiculo. Sententiæ igitur membrorum distinctio in sensu ipso magis, quam in accentibus quærenda est. Cum tamen iis adversus Christianos rerum illarum imperitos abutantur interdum Judæi, negligenda non est accentuum illorum in distinguendo potestas. Denique nominum illorum pleraque Chaldaïca sunt, sive, ut Elias loquitur, ex lingua Jerosolymitana, quæ mista erat Hebraïca & Chaldaïca, desumta sunt. Hinc idem Rabbinus quorumdam etymologias ignorare se ingenue confitetur in lib. 2. operis, quod de

accentibus ſcripſit ; adeo illæ incertæ ſunt, & ad Grammaticorum arbitrium confictæ. Vide inter alios Joannem Vallenſem de proſodia Hebræorum, lib. 1. pag. 10. col. 2. Hinc etiam accentus illi eodem modo ab omnibus non ſcribuntur ; ſunt enim qui ſcribunt תפחא, al. טפחא, &c. Addendum hîc quoſdam accentus eſſe, qui nomina diverſa ab iis, quæ ſupra retulimus, apud Judæos Hiſpanos & Italos obtineant. Quod ut planum fiat, accentus illos ſecundum Germanos, Hiſpanos & Italos, quo ordine eos diſpoſuit, quoque nomine illos appellavit Bartoloccius in tom. 4. Biblioth. Rabbin. pag. 441. & 442. lectorum oculis ſubjiciemus.

Accentuum nomina & ordo ſecundum Judæos Germanos.

שַׁלְשֶׁלֶת : סגולא al. סְגֻלְתָּא : תְּלִישָׁא al. תְּלִישָׁא קְטַנָּה : פָּזֵר קָטֹן al. simpliciter פָּזֵר :
קַרְנֵי פָרָה : שְׁנֵי גְרֵשִׁים al. simpliciter גֵּרְשַׁיִם : יְתִיב : פַּשְׁטָא : קַדְמָא : זָקֵף קָטֹון
זָקֵף גָּדוֹל : אַתְנָח : זַרְקָא : לְגַרְמֵי : רְבִיעַ : תְּבִיר : טַרְחָא al. טִפְחָא : סוֹף פָּסוּק
al. סִילוּק : אַזְלָא al. גֵּרֵשׁ : מַאֲרִיךְ al. מֵרְכָא : שְׁנֵי חוֹטְרִין al. מֵרְכָא כְפוּלָה : דַּרְגָּא :
יֶרַח־בֶּן־יוֹמוֹ : תְּלִישָׁא גְדוֹלָה : מוּנַח : מַהְפַּךְ : עִלּוּי : מְכַרְבֵּל : טִפְחָא : סִילוּק :

Accentuum nomina & ordo ſecundum Judæos Hiſpanos.

זַרְקָא : מַקַּף : שׁוֹפָר הוֹלֵךְ al. מוּנַח סְגוֹלְתָּא : פָּזֵר גָּדוֹל : יֶרַח־בֶּן־יוֹמוֹ : קַרְנֵי פָרָה :
גַּעְיָא : תְּלִשָׁא al. תְּלִישָׁא קְטַנָּה : אַזְלָא al. קַדְמָא : גְּרִישׁ al. גֵּרֵשׁ : פָּסֵק al. פְּסִיק :
רְבִיעַ : שׁוֹפָר מְהוּפָּךְ al. מַהְפַּךְ : זָקֵף קָטֹון : זָקֵף גָּדוֹל : שַׁלְשֶׁלֶת : שְׁנֵי גְרִישִׁין al. גֵּרְשַׁיִם :
דַּרְגָּא : תְּבִיר : מַאֲרִיךְ al. מֵרְכָא ; טַרְחָא al. טִפְחָא vel תִּפְחָא : אַתְנָח : תַּרְצָא al. תְּלִישָׁא
גְדוֹלָה : שְׁבָא al. יְתִיב : סוֹף פָּסוּק :

Accentuum Hebræorum nomina & ordo ſecundum Judæos Italos.

זַרְקָא : שַׁדֵּי al. סְגֻלְתָּא : פָּזֵר גָּדוֹל al. simpliciter פָּזֵר : קַרְנֵי פָרָה : תְּלִשָׁא al. תְּלִישָׁא
גְדוֹלָה : תַּרְסָא al. תְּלִישָׁא קְטַנָּה : גַּרְמֵיה al. לְגַרְמֵי : רְבִיעַ פְּסִיק : שַׁלְשֶׁלֶת : קַדְמָא :
אַזְלָא al. גֵּרֵשׁ : זָקֵף גָּדוֹל : זָקֵף קָטֹן שְׁנֵי גְרִישִׁין al. גֵּרְשַׁיִם : תְּרֵין חוֹטְרִין al. מֵרְכָא
כְפוּלָה : דַּרְגָּא : תְּבִיר : טַרְחָא al. טִפְחָא : מַאֲרִיךְ al. מֵרְכָא : שׁוֹפָר עִלּוּי al. simpliciter
עִלּוּי שׁוֹפָר הָפוּךְ al. מַהְפַּךְ ; שׁוֹפָר יְתִיב al, simpliciter יְתִיב : שְׁנֵי פַשְׁטִין al. simpliciter
פַּשְׁטָא : סְמִיךְ al. מַקַּף : אַתְנָח : יֶרַח־בֶּן־יוֹמוֹ : גֵּרֵשׁ : סוֹף פָּסוּק :

Hæc ſunt nomina & ordo accentuum Hebræorum ratione muſicæ ſpectatorum, ſecundum Judæos Germanos, Hiſpanos & Italos, prout eos appellat & diſponit Bartoloccius, cujus errores non præſtamus. Si ad manum nobis fuiſſet alius liber, in quo præſertim Hiſpanorum & Italorum deſcripti fuiſſent accentus, menda quædam, quæ in ſcriptoris hujus librum irrepſiſſe ſuſpicamur ; emendaſſemus. Vix enim in animum induco meum ut credam פָּזֵר, v. g. ab Hiſpanis & Italis vocari פָּזֵר גָּדוֹל, cum id nominis tribuatur קַרְנֵי פָרָה, teſte Buxtorfio & Joanne Vallenſi, qui poſterior eo etiam nomine appellat accentum יֶרַח־בֶּן־יוֹמוֹ. In ſuperioribus ſchematis vox *al.* alios ſignificat, & accentus nomen, quod poſt eam venit, nomen eſt, quo accentum illum plerumque vocant Judæi Germani, quos potiſſimum ſequuti ſumus in hac de accentibus doctrina.

§. II.

De Accentuum Hebræorum antiquitate.

ACCENTUS Hebræi, saltem quod ad eorum figuram & Hebræo textui inscriptionem attinet, eosdem auctores habent, quos puncta vocalia, nempe Massorethas Tiberienses, aut quosvis etiam recentiores Judæos. Eorum novitatem probant 1°. Illorum nomina Chaldaïca, aut potius ex dialecto Hebræo-Chaldaïca, ut mox diximus, derivata. 2°. Altum de iis in toto Thalmude silentium. Si enim illorum in eo interdum fiat mentio; id de re, non de signo rei intelligendum est; nam quanvis apiculi illi in textu non exprimerentur: supplebantur tamen à legentibus, sicuti & vocales; h. e. Scriptura cum pausis & interpunctionibus legebatur, quanvis abessent notæ illæ, quæ postea ad lectionis facilitatem in Hebræa, sicut in Græca, Latina, ceterisque linguis, sunt adjectæ. Frustra librorum *Zohar* & *Bahir*, in quibus accentuum nomina leguntur, antiquitatem jactant accentuum patroni; hi etenim libri Thalmude sunt recentiores: aut si Thalmudem antiquitate superant, interpolati sunt ab iis, qui publici juris eos fecerunt. Vide inter alios de his libris Lud. Cappellum in arcano punctationis revelato, lib. 2. cap. 3. p. 756. col. 2. edit. in fol. Amstelæd. 1689. & doctiss. Vvolfium, tom. I. Biblioth. Heb. pagg. 905. & 1134. 3°. In Sacrorum Bibliorum voluminibus, quæ in synagogis Judæorum asservantur, in textu Samaritano, & in linguis Arabica & Syriaca, quæ ex Hebræa natæ sunt, nullus conspicitur accentus. Alia argumenta, quæ pro accentuum novitate demonstranda affert doctiss. Cappellus supra laudatus, vide in eodem arcano punctationis revelato, lib. 1. cap. 16. pag. 740. & in ejusdem vindiciis, lib. 1. cap. 16. pag. 899. edit. superius memoratæ, ubi nihil super ea re desiderandum reliquisse videtur. Neque tamen negligas quæ de eodem argumento scripsit doctiss. Buxtorf. in suo de punctorum & accentuum Hebræorum origine, antiquitate, & auctoritate tractatu, l. 1. p. 239. & seqq. ubi non pauca scitu digna reperies.

§. III.

De Accentuum Hebræorum modulatione.

ID discriminis intercedit Musicam inter Hebræam & nostram, quod in illa unicuique accentui certa modulatio tribuatur, quæ iteratur quoties idem accentus recurrit: in hac vero vocum soni diversi notis diversis exprimantur; neque vulgo recurrant, nisi verba eadem repetantur. Ceterum hodiernam Judæorum musicam à veteri, quæ Mosis aut Davidis temporibus in usu erat, plane esse diversam, nemo est, opinor, qui non intelligat. Nam præterquam quod, vel Rabbinis ipsis fatentibus, antiqua illa musica periit: quæ in synagogis usurpatur, cantillatio potius dicenda est, quam musica numeris suis omnibus absoluta. Præterea verosimillimum est in primo & secundo Templo decantata solummodo fuisse Cantica quædam & Psalmos Davidicos; cum in hodiernis Bibliis notæ illæ musicæ non solum Psalmis & Canticis, verum etiam libris historicis & propheticis, imo & quibusdam Scripturæ partibus, quæ fere tantum nominibus propriis constant, quæque procul dubio non erant musicæ veteris argumentum, adjiciantur. Alium itaque usum non habent accentus, ut jam diximus, quam ut 1°. sententiam distinguant, quod est quatuor aut quinque ex illis officium; aut sermonem ad pausam usque continuent, quod est ceterorum munus. 2°. Syllabam elevandam com-

monstrent, quod faciunt omnes, nisi præpositivi sint, aut postpositivi; tunc enim tonus ex natura vocis, minime vero semper ex accentus loco sive sede cognoscitur. 3°. Denique ut textus Hebræus æquabili voce non legatur; sed cantilletur eodem fere modo, quo in Ecclesia Catholica Epistolæ & Evangelia.

Si Rabbinos audiamus, hac cantillatione major voluptas & aviditas excitatur, augetur pietas, memoria plurimum juvatur, & sensus eorum, quæ sic cantillando leguntur, longe melius tum à legente, tum ab auscultante percipiuntur. Hinc in lib. *Cozri*, part. 2. §. 72. hæc leguntur: *Quia intentio linguæ est id, quod in animo loquentis est, deferre in animum audientis; hæc vero intentio non perfecte potest perfici nisi de facie ad faciem; eo quod verba ore prolata magnam supra verba scripta habeant præcellentiam, sicut vulgo dicunt:* Ex ore scribarum, non ex ore scriptorum, (h. e. utilius est discere à vivo præceptore, quam ex libris); *nam verba ore prolata juvantur mora, in loco ubi pausandum; & continuatione, in his quæ cohærent; sermonis gravitate & remissione, nutibus, nictu, admiratione, interrogatione, narratione, spe, pavore, deprecatione, aliisque motibus & affectibus, quibus destituitur oratio simplex* (h. e. scripta tantummodo). *Quinimo potest etiam loquens juvare sermonem motibus oculorum, & palpebrarum suarum, totoque adeo capite & manibus, iisque significare iram, benevolentiam, humilitatem, elationem, prout & quantum ipsi placuerit. Ideo in paucis istis reliquiis, quæ nobis de lingua nostra à Deo creata remanserunt, inveniuntur res quædam subtiles & profundæ, quæ ei à natura impressæ sunt, ut ad rectam rerum intelligentiam inservirent, & loco vivarum illarum actionum essent, quæ in sermone vivo adhiberi solent; accentus scilicet, cum quibus Scriptura legitur, quibus locus pausarum vel distinctionum, & continuationis designatur; interrogatio à responsione, initium vel exordium à narratione, festinatio à cunctatione vel tarditate, præceptum à petitione distinguuntur,* &c.

Ephodeus cap. 5. operis ejus gramm. *Præterea reperiuntur in lingua Hebræa notæ & signa alia præter ista commemorata, quæ ac*centus *vocantur; sed proprie tantum usurpantur in libris sacris ad perficiendum intelligentiam Scripturæ, & id, quod in oratione scripta, præ ea, quæ ore profertur, deest, supplendum. Nam videmus sermonem ore prolatum indere animo auditoris imaginem quandam & figuram earum rerum, quæ significantur, per varias vocis qualitates, quibus profertur, veluti per intensionem, remissionem, & quietem vel interspirationem, quæ fit inter partes illarum; per vocis item vel sermonis productionem, abbreviationem, celeritatem, tarditatem, &c. per vocem expavescentis, orantis, deprecantis, interrogantis, &c. quæ omnia cognosci possunt in sermone prolato, nequaquam vero in oratione scripta. Itaque constituti sunt accentus, ut iis hæc omnia supplerentur, &, quoad absolutissime fieri potest, perficiantur. Hinc vocantur* טעמים gustus, rationes, *quod dent nobis gustum bonum, & scientiam in libris Divinis.*

Qui plura Rabbinorum testimonia eodem spectantia voluerit, legat doctiss. Buxtorf. loco citato, ubi etiam effata illa Rabbinica inveniet: *Quæcunque expositio non est secundum rationem accentuum, ne acquiescito ei*, Aben-Esra in lib. Moznaiim fol. 199. b. *Nisi accentus essent in Scriptura, intellectus ejus non posset percipi*, Elias Levit. lib. Massor. hamassor. initio. *Accentus sunt dictionibus, quod condimenta cibis, cum ad elegantiam lectionis, tum ad intelligentiam sensuum*, Muscatus comment. in lib. Cozri, part. 2. §. 80. fol. 129. b. Aiunt etiam: *Dictio sine accentu, est sicut rex sine corona.*

Quanvis ea omnia, quæ de musicis suis accentibus narrant Judæi, neque à nobis, neque ab ipsis etiam fortasse percipiantur: his tamen, qui ejuscemodi rebus delectantur, pergratum facturos nos esse credidimus, si modulationis, qua textus Biblicus in Judæorum Germanorum, Hispanorum, & Italorum synagogis cantillatur, specimina quædam ad hoc de accentibus caput attexeremus.


ACCENTUUM




ACCENTUUM MUSICORUM

Quibus Judæi Germani utuntur,


MELOS.



שלשלת סגולא




תלשא פזר קטון




קרני פרה שני גרשים יתיב פשטא קדמא




זקף קטון זקף גדול אתנח זרקא




לגרמי רביע תביר טרחא סוף פסוק



פסיק אולא מאריך שני חוטרין דרגא



ירח־בן־יומו   תלישא גדולה



מונח   מהפך   עלוי   מכרבל

Accentus Musici frequentiores, qui continuo usu semper recurrunt, hi sunt; scilicet:

סילוק, טפחא, מרכא, זקף קטון, זרקא, אתנח, רביע, מונח.

EORUMDEM ACCENTUUM

Quaternis conflata partibus Harmonia.

Cantus

זרקא   סגול   מונח   רביע   מהפך

Altus

זרקא   סגול   מונח   רביע   מהפך

Tenor

זרקא   סגול   מונח   רביע   מהפך

Bassus

זרקא   סגול   מונח   רביע   מהפך

Cantus

פשטא זקף קטן זקף גדול דרגא תביר מרכא

Altus

פשטא זקף קטן זקף גדול דרגא תביר מרכא

Tenor

פשטא זקף קטן זקף גדול דרגא תביר מרכא

Bassus

פשטא זקף קטן זקף גדול דרגא תביר מרכא

Cantus

טפחא אתנח סוף פסוק תלישא קטנה קדמא אולא

Altus

טפחא אתנח סוף פסוק תלישא קטנה קדמא אולא

Tenor

טפחא אתנח סוף פסוק תלישא קטנה קדמא אולא

Bassus

טפחא אתנח סוף פסוק תלישא קטנה קדמא אולא

Cantus

פזר הלישא גדולה גרשים גרש

Altus

פזר הלישא גדולה גרשים גרש

Tenor

פזר תלישא גדולה גרשים גרש

Bassus

פזר ו.לישא גדולה גרשים גרש

Cantus

מרכאכפולה שלשלת מכרבל

Altus

מרכאכפולה שלשלת מכרבל

Tenor

מרכאכפולה שלשלת מכרבל

Bassus

מרכאכפולה שלשלת מכרבל

Cantus

קרני פרה ירח־בן־יומו לגרמי פסוק

Altus

קרני פרה ירח־בן־יומו לגרמי פסוק

Tenor

קרני פרה ירח־בן־יומו לגרמי פסוק

Bassus

קרני פרה ירח־בן־יומו לגרמי פסוק

Cantus

קרני פרה נעיא מקל סמיק מתג יתיב

Altus

קרני פרה געיא מקל סמיק מתג יתיב

Tenor

קרני פרה נעיא מקל סמיק מתג יתיב

Bassus


קרני פרה נעיא מקל סמיק מתג יתיב




ACCENTUUM MUSICORUM

Quibus Judæi Itali in omnibus Libris Prophetarum utuntur,

MELOS.




זרקא שרי פזר גדול קרני פרה



תלשא תרסא גרמיה רביע פסיק שלשלת




קדמא אזלא זקף גדול זקף קטן שני גרישין



תרין חוטרין דרגא תביר טרחא מאריך



שופר עלוי שופר הפוך שופר יתיב



שני פשטין סמיך אתנח ירח בן יומו



In פרשיות *canunt tantummodo hos quinque Accentus:*




ACCENTUUM MUSICALIUM


Quibus Judæi Hispani in הפטרות *utuntur,*

MELOS.











זקף גדול שלשלת שני גרישין דרגא תביר




מאריך טרחא אתנח תרצא געיא שבא סוף פסוק


In פרשיות *utuntur sequenti Melodiâ:*



זרקא שרי פזר גדול קרני פרת תלשא




תרסא קדמה אולא גרמיה רביע זקף גדול



זקף קטן שלשלת שני גרישין דרגא תביר



טרחא מאריך שני פשטין סמיך אתנח גרש



סוף פסוק

CAPUT

CAPUT II.

De recenti Hebraeorum Poëtica.

CONSTANS est eruditorum sententia, quasdam Sacræ Scripturæ partes oratione metrica esse compositas; at quænam veteris hujus sacræ poëseos fuerit ratio, merito quæritur. S. Hieronymus præfat. in Chron. Eusebii Cæsariensis, pag. 5. edit. Scaligerianæ, Amstelæd. 1658. hæc habet: *Quid Psalterio canorius, quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaïco personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur? Quid Deuteronomii & Isaiæ cantico pulchrius? Quid Salomone gravius? Quid perfectius Job? Quæ omnia hexametris, & pentametris versibus, ut Josephus & Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt.* Hic Josephum & Origenem sequitur S. Doctor, cum ait Canticum Deuteronomii versibus hexametris & pentametris esse compositum; in epist. enim ad Paulam, tom. 2. nov. edit. col. 709. tetrametro Iambico idem Canticum constare testificatur. *Scire debes*, inquit, *quatuor psalmos secundum ordinem Hebræorum incipere elementorum: centesimum decimum, & centesimum undecimum, & hunc, de quo nunc scribimus, & centesimum quadragesimum quartum. Verum debes scire in prioribus psalmis, singulis literis singulos versiculos, qui trimetro Iambico constant, esse subnexos; inferiores vero tetrametro Iambico constare, sicuti & Deuteronomii Canticum scriptum est..... Habes & in Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabetha, è quibus duo prima quasi Sapphico metro scripta sunt; quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab una tantum litera incipiunt, heröici comma claudit. Tertium vero alphabethum trimetro scriptum est, & à ternis literis, sed eisdem, terni incipiunt. Quartum alphabethum simile est primo & secundo. Proverbia quoque Salomonis extremum claudit alphabethum, quod tetrametro Iambico supputatur ab eo loco, in quo ait:* Mulierem fortem quis inveniet? Idem præfat. in Jobum, tom. 1. nov. edit. pagg. 795. 796. *A principio voluminis usque ad verba Job, apud Hebræos prosa oratio est. Porro à verbis Job, in quibus ait:* Pereat dies, in qua natus sum, *usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est:* Idcirco ipse me reprehendo, *hexametri versus sunt, Dactylo Spondæoque currentes: & propter linguæ idioma, crebro recipientes & alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis & tinnulus fertur numeris lege metri solutis, quod metrici magis, quam simplex lector, intelligunt..... Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi & Sappho, vel Psalterium, vel lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum Cantica comprehendi: legat Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio me verum dicere comprobabit.* Idem in epistola ad Paulinum, tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 573. *David Simonides noster, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Serenus, Christum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem.* Vide eundem in cap. 30. Ezech. tom. 3. nov. edit. col. 917. &c.

Josephus, quem supra laudavit Hieronymus, de Davide loquens, hæc scribit lib. 7. Antiq. c. 12. Ὠδὰς εἰς τὸν θεὸν καὶ ὕμνους συνετάξατο μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν, *odas in Deum & hymnos composuit vario metro: quosdam enim hymnos trimetros, alios pentametros fecit.* Idem lib. 2. Antiq. c. 14. sic loquitur de Cantico Exodi 15. Καὶ Μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν θεὸν .... ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν, *& Moses oden in Deum .... hexametro versu composuit.* Origenes procemio in Cant. interprete Hieronymo, tom.

2. nov. edit. col. 809. ea vocat *Carmen epithalamium.* Vide eundem Hieron. in epist. ad Paülinum superius laudata; & generatim de poëtica Hebræorum, Philonem de agric. p. 199. edit. Parif. 1640. & Eusebium lib. 11. de Præparat. Evang. c. 6. pag. 514. edit. Parif. 1638.

Ex laudatis Josephi & Hieronymi testimoniis constare videtur eos credidisse veterum Hebræorum versus, Græcorum & Latinorum esse similes: at eorum verba premenda non sunt; quandoquidem carmina Pindari, v. g. Iambica, & Alcaïca, aut Sapphica non sunt, ut norunt linguæ Græcæ periti. Cum itaque scribit Hieronymus versus hexametros, pentametros, &c. in veteri Hebræorum poësi reperiri, id de similitudine quadam hexametrorum, pentametrorum, &c. intelligi debet. Aut, quod nonnullis videtur, syllabarum numerum, ut fit in versibus Gallicis, Germanicis, &c. respexit Hieronymus, minime vero earum quantitatem; adeo ut quod Iambicum Latinis, id Hebræis sit octosyllabum: quod illis Sapphicum, his hendecasyllabum: quod illis hexametrum, his dodecasyllabum: quod illis Alcaïcum, his hexadecasyllabum, &c. Neque aliter sentire videtur S. Doctor; scribit enim versus Hebræos *propter linguæ idioma crebro recipere & alios pedes.* Quod si interdum hexametra, pentametra, &c. carmina in Veteris Testamenti Canticis inveniantur; id casu fortuito, non ex Sacrorum Scriptorum mente accidisse putandum est, ut in soluta oratione Græca & Latina nonnunquam contingere solet. Sic Luc. 21. v. 18. versus hexameter legitur: Θεὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται, *capillus de capite vestro non peribit.* Pentameter, Rom. 6. v. 13. Καὶ τὰ μέλη ὑμῶν, ὅπλα δικαιοσύνης, *& membra vestra arma justitiæ*, &c. Apud Lat. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, Joan. 8. v. 12. Et: *Imponent super altare tuum vitulos*, Psal. 50. v. 21. &c. Eodem modo judicandum de rhythmis, qui in lingua sancta frequentes sunt, cum ob affixa, tum ob nomina similiter desinentia; pluralia quidem masculina in ים, feminina vero in ות. Unde ad veritatem proxime accedere mihi videntur, qui putant veteris Hebraïcæ poëseos indolem positam non esse in certo syllabarum longarum aut brevium numero; neque in rhythmis magna cum cura conquisitis: sed in dicendi genere conciso, sublimi, allegorico, hyperbolico, & quibuslibet figurarum luminibus illustri; vel, ut Scaligeri in Chronicon Eusebii, pag. 6. col. 2. edit. Amstelæd. 1658. verbis utar, in *mere soluta oratione charactere poëtico animata.*

Quod spectat ad recentiorem Hebræorum poësin, quam partim ab Arabibus, partim à Græcis & Latinis mutuati sunt, ea perpetuis certi numeri poëtici legibus adstringitur, Hebraïce dicitur שִׁיר vel שִׁירָה *canticum.* Posterioribus Rabbinis vocatur פִּיּוּט *poëma*, à Græca voce ποίημα, quam linguæ suæ accommodarunt.

Numerus poëticus est vel *Metrum*, ad quod pertinet *scansio* & *cæsura*; vel *Rhythmus.* De utroque in sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De Carminum Hebræorum metro, scansione, & cæsura.

METRUM, quod partim à Græcis & Latinis acceperunt Hebræi, numerus est poëticus, qui certæ mensuræ *pedes* certis in locis collocatos continet. Partes ejus duæ sunt, quæ Latinis Græcorum voce dicuntur *hemistichia*, quæque simul conjuncta *Distichon* efficiunt. Prius hemistichium Hebræis dicitur דֶּלֶת aut דָּלֶת *porta, ostium, introitus, ingressus* metri: posterius סֹגֶר *clausura, conclusio* ejusdem metri. Totum distichon vocatur בַּיִת *domus*, quasi perfecta metri structura. Hinc בָּתִּים numero pauciora, quam decem, appellant פָּסוּק Pasóuq *versum*; cum vero disticha seu בָּתִּים ad denarium usque

numerum perveniunt, aut eum ſuperant, dicuntur שִׁיר ſchír, vel שִׁירָה ſchirá *canticum, carmen.*

Pes eſt dimenſio certis ſyllabarum temporibus definita; eſtque vel *monoſyllabus*, vel *diſyllabus.*

Monoſyllabus dicitur תְּנוּעָה *motio*, ſyllaba videlicet juſto tempore mota ac prolata, h. e. longa, quam *ſemiſpondæum* appellare poſſumus, ut: אָב *pater*, אַךְ *tantum*, &c. quinque enim vocales breves in poëtica longæ cenſentur, quod attinet ad metrum. Páthahh etiam furtivum ſyllabam longam ſæpe efficit. Si monoſyllabus continuo repetatur, Latinis dicitur *Spondæus*, Hebræis שְׁתֵּי תְנוּעוֹת *duæ motiones*, ut: סֵפֶר *liber*. Quod ſi *Tenouá* vel ſyllaba longa adhuc acceſſerit, fit *Moloſſus*, ut: כַּפַּיִם *manus.*

Diſyllabus dicitur יָתֵד *clavus*, quod inſtar clavi initium habeat acutum, finem vero obtuſum, h. e. primam ſyllabam brevem & alteram longam, qualem Latini *Iambum* vocant. Hunc autem clavum ſeu Iambum conſtituunt quatuor vocales breviſſimæ, nimirum, (ְ) (ֲ) (ֱ) (ֳ), ut: פְּרִי *fructus*, חֲצִי *dimidium*, עֱלִי *piſtillum*, עֳנִי *afflictio*. Si addatur ſemiſpondæus à fine, fit *Bacchius*, ex prima brevi & duabus longis, ut: מְלָכִים *reges*, עֲבָדִים *ſervi*, אֱמוּנִים *veraces*, חֳמָרִים *acervi*. Si ad Iambum ab initio accedat ſemiſpondæus, ſive ſyllaba longa, fit *Amphimacer* ſive *Creticus*, ut: עַבְדְּךָ *ſervus tuus*; ſed hic rariſſime uſurpatur. Plures pedes Hebraïca poëſis non habet, inquit doctiſſ. Buxtorf. Nihil tamen obſtat, ſi alia ineatur ſcandendi ratio, quin admittatur & *Trochæus*, nimirum longa & brevis; quanvis metri hujus voces Hebraïcæ ſimplices non inveniantur.

Schouréq initiale, non ſequente (ְ), breve eſt; quia ponitur pro וְ, ut: וּמָה & *quid*, Iambus; וּפִיךָ & *os tuum*, Bacchius, &c. At quando ſequitur (ְ), unam cum eo ſyllabam longam efficit, ut: וּשְׁמוֹ ouſchmó, diſyllab. & *nomen ejus*; quia eſt pro וִשְׁמוֹ *viſchmó*. Ad metrum pertinent *ſcanſio* & *cæſura.*

SCANSIO eſt metri per ſingulas ſyllabas dimenſio. Ea in Hebræis verſibus non variatur; ſed altera alteri ſtricte reſpondet. Adeo ut ſi in primo hemiſtichio ſint octo ſyllabæ longæ, totidem & ejuſdem quantitatis in altero reperiantur neceſſe ſit. Secus ac in Græcis aut Latinis carminibus hexametris, v. g. in quibus Spondæi & Dactyli indiſcriminatim uſurpari poſſunt, modo pes quintus ſit Dactylus, ſextus vero Spondæus.

Scanſioni accidit διαστολὴ *dilatatio* ſive *productio*, ἔλλειψις *ellipſis* ſive *defectus*, συναίρεσις *contractio*, & διαίρεσις *diviſio* ſeu *diſſolutio.*

Diaſtole eſt, quando ſyllaba natura brevis licentia poëtica producitur, ut cum (ְ) initio dictionis ſyllabam longam efficit in voce כְּנַמָּרוֹת *ſicut pigmæi*, in Eliæ Levitæ Cant. 1. diſtich. 3. Recte tamen dixeris id fieri, quod motio illa ut ſequens olim proferretur, quemadmodum diximus in tom. I. pag. 37. col. 1. in fine. Sic idem Elias Cant. 7. diſtich. 9. producit (ֲ) in כַּאֲשֶׁר, ex quo tres motus ſive ſyllabas longas efficit. Alia Schevá ſimplicis & compoſiti producti exempla inferius adducentur.

Ellipſis locum habet cum daghéſch ex litera ſchevá notata ejicitur, & ſchevá ipſum reticetur. Sic Elias mox laudatus Cant. 2. diſtich. 2. & 4. vocibus הַנְּקֻדּוֹת *puncta*, & הַגְּדוֹלוֹת *magna*, ut triſyllabis uſus eſt, quia ejecto daghéſch, & neglecto (ְ), legebat הַנְקֻדוֹת *hanquddóth*, & הַגְדוֹלוֹת *haghdholóth.*

Synæreſis eſt, cum (ְ) mobile, quod vulgo ſyllabam brevem conſtituit, contrahitur ac reticetur; idque tum initio, tum in medio dictionis poſt vocalem longam non fultam accentu tonico.

Initio, Elias Cant. 2. diſtich. ult. vocem נְקֻדּוֹת *puncta* profert diſyllabως *nquddóth*. Et Cant. 7. diſtich. 9. בְּיוֹד *loco Iódh*, biódh, monoſyllabως.

In media dictione, idem Elias Cant. 2. diſtich. 6. עֹמְדוֹת *ómedhóth ſtantes*, diſyllabως pronuntiat *ómdhóth.*

Idem dicendum de ſchevá compoſito, quod interdum etiam ſive initio, ſive in medio dictionis reticetur, ut: אֱהִי monoſyll. *ero*, אַחֲרֵי diſyll. *poſt*, נֶאֱסָפוֹת triſyll. *collectæ*. Vide Eliam, Cant. 2. diſtich. 11. In hac ſynæreſi ſæpe ſchevá compoſitum in media

dictione reducitur ad simplex (꞉), & quandoque etiam, rudiorum gratia, prorsus omittitur.

Diæresis Synæresi opponitur; ea siquidem una syllaba in duas distrahitur, ut apud Tibullum l. 4. ad Cerinth. v. 16. *Nulla queat posthac quam* (catenam) *soluisse dies*, pro *solvisse.* Sic R. Hai Gaon in carmine suo ethico, distich. 29. in duas dividit vocem קַרְנְךָ *cornu tuum*, hoc modo: קֶ־רְנְךָ. Sic distich. 30. תִּ־הְיֶה *erit*, pro תִּהְיֶה; & distich. 48. & 74. נַ־פְשְׁךָ *anima tua*, pro נַפְשְׁךָ, &c. Vide etiam Eliam Cant. 1. distich. 12. Cant. 7. distich. 9. &c. quibus in locis scheva licet natura sua post motionem parvam quiescens, per diastolen producitur, ac syllabam brevem constituit.

Ad diæresin pertinet,

I. Cum vox in duos versus distribuitur, ita ut prior ejus pars priorem versum claudat: posterior vero posteriorem inchoet, ut in Eliæ Cant. 1. distich. 4.

Usum & judicium punctationis & literarum, judicium earum in lucem proferam ut meridiem.	חִלּוּף וְדִין נִקּוּד וְאוֹתִיּוֹת מִשְׁ־
	פָּטָם לָאוֹר אוֹצִיא כְּצָהֳרָיִם׃

Vide etiam Cant. 4. distich. 6. ubi dictio וְשָׁלוֹ in duas pariter secatur. Diæreseos hujus exempla videre est apud ipsos etiam poëtas Græcos, maxime Pindarum, Olymp. I. vv. 3. & 4. 30. & 31. 56. & 57. 58. & 59. 60. & 61. 72. & 73. 75. & 76. 85. & 86. 87. & 88. 112. & 113. 119. & 120. &c. & Latinos, puta Horat. lib. 1. Carm. Od. 25. Stroph. 3.

Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.

Quando pars dictionis, quæ secundum hemistichium inchoare debet, incipit à litera cum daghésch forti notata (quod daghésch initio dictionis nec esse nec proferri potest, nisi vox præcedens desinat in ה expressum aut subintellectum, præcedente (ָ) vel (ֶ), & sine accentu, ut diximus in tom. I. pag. 29. col. 2. in fine) tunc non fit distractio; sed integra dictione in fine prioris hemistichii relicta, prior ille versus est *hypermeter*, h. e. una syllaba abundans; posterior vero una, eaque in principio caret; unde vocatur ἀκέφαλος, hoc est, *sine capite*,

Vir, cujus lex & decretum	גֶּבֶר אֲשֶׁר דָּת וְחֹק
Sculptum est in corde ejus,	חָרוּת עֲלֵי לִבּוֹ׃
Lætabitur & gaudebit sicut potens,	יִשְׂמַח וְיָשִׂישׂ כְּגִבּוֹר
Tempore educendi gladii sui.	־עֵת שְׁלוֹף חַרְבּוֹ׃

In hoc carmine prius hemistichium constat septem syllabis, posterius vero sex; unde in secundo disticho, prius hemistichium habet supervacaneam syllabam בּוֹר, dum in posteriori, quod quinque tantum continet, una desideratur.

II. Ad diæresin etiam referri potest Hebræa carmina describendi ratio. Ea enim non semper continuo & cohærenti syllabarum serie, more Latinorum, scribuntur: sed, pro pedum eorum numero, modo in duo, modo in tria, modo in quatuor spatia, salva semper integritate & ratione metri, dividuntur. Horum autem spatiorum initium plerumque facit Iambus, qui partes versus intervallo quodam distinguit, ut Elias Cant. 1. distich. 1. ubi singuli versus in tria spatia, quorum duo postrema à brevi incipiunt, dividuntur.

Levabo cor meum nunc cum manibus	אֶשָּׂא לְבָבִי נָא אֱלֵי כַפָּיִם
Ad Deum, cujus misericordia (est) *in cœlis.*	אֶל־אֵל אֲשֶׁר חַסְדּוֹ בְּהַשָּׁמָיִם׃

Cum Iambus iste in mediam dictionem incidit, ea in duas, interposita lineola, sive longiori Maqqáph, hoc modo secatur. Elias Cant. 7. distich. 9.

Sed quando cum iódh erit hhiréq, — וּכְאֲשֶׁר בְּיוֹד — יִהְיֶה חִירֶק
Schevá iſtud tranſgreditur regulam hanc. — שְׁוָא זֶה יֵצֵא מִ — כְּלָל הִנֵּה ׃

Eadem diſtractio locum etiam habet in carmine quadrato, h. e. conſtante quatuor pedibus, ſive octo ſyllabis longis, quanvis Iambus in eo non occurrat. Ea autem diſtractio fit poſt ſecundum pedem, ſive poſt quartam ſyllabam. Elias Cant. 2. diſtich. 11.

Niſi cum accentu ſint capta; — אַךְ אִם בְּטַ — עַם נִלְכָּדוֹת
Tunc raphata poſt eas colliguntur. — רָפוֹת אַחֲרֵי — הֵן נֶאֱגָדוֹת ׃

Ceterum illa diæreſis nonniſi ad Scripturæ elegantiam, & majorem pedum ſeu menſurarum diſtinctionem adhibetur, nec quidquam in carminis natura aut ſpecie immutat.

Cæsuræ nulla, aut ſaltem exigua ratio habetur apud Hebræos, qui in ſyllabis ſimiliter inciſis, & ſibimet ordine reſpondentibus, omnem & ſufficientem agnoſcunt elegantiam. Hinc ſingulis ſæpe pedibus ſingula vocabula tribuuntur. Imo, ut mox vidimus, cum cæſura in voce aliqua reperitur, eam in duas dividunt, ut facilius metrorum inciſorumque percipiatur æqualitas.

ARTICULUS II.

De Carminum Hebræorum rhythmo.

Rhythmus eſt numerus poëticus certum ſyllabarum numerum certis clauſulis terminatarum continens. Hebræis dicitur חָרֶז vel חִירוּז; unde שִׁיר חָרוּז *carmen rhythmicum.* Rhythmus autem tribus modis peragitur.

I. Quando fines ſive terminationes una litera ſive vocali, ſive conſona conveniunt.

Vocali, ut: מַלְכִּי *rex meus*, & קָדְשִׁי *ſanctitas mea*, Pſal. 2. v. 6.

Conſona, ut: אֵל *Deus*, & דַּל *pauper.* Rhythmi hujus exemplum afferemus in art. ſeq. §. III. num. ſeu ſpec. V. Carmen iſtud ab Hebræis vocatur שִׁיר עֹבֵר *carmen tranſiens,* quod tranſeat aures, & vix agnoſci aut percipi poſſit. Vel, ſecundum alios, quod ſit tolerabile, Gallice *paſſable;* parum enim elegantiæ, & paucos auctores ſeu imitatores habet. Theodoro Eberto dicitur *carmen politum;* ſive *rhythmus politus;* is enim ſcriptor agnoſcit rhythmum politum, politiorem, & politiſſimum. Hanc diſtinctionem & appellationem in variis carminum Hebræorum ſpeciebus infra ponendis uſurpabimus.

II. Quando duæ literæ ibidem reperiuntur; vel vocalis cum conſona ſimili, ut: חֲלָקוֹת *blanditiæ*, & גְּדוֹלוֹת *magnificæ*, aut *magnifica*, Pſal. 11. Heb. 12. v. 4. ubi ו & ת ſunt literæ ſimiles in utroque rhythmo. Vel conſona cum vocali itidem ſimili, ut: חָנֵּנִי *miſerere mei*, & אָנִי *ego*, Pſal. 24. Heb. 25. v. 16. iſque rhythmus vocatur ab Hebræis שִׁיר רָאוּי *carmen conſpicuum*, quod priori facilius percipiatur, & majori circumſpectione indigeat. Unde Eberto rhythmus politior appellatur.

III. Quando tria vel etiam plura elementa ſimilia concurrunt; iſque rhythmus eſt vel monoſyllabus, vel diſyllabus, vel triſyllabus.

Monoſyllabus rhythmus eſt, qui conſtat duabus literis ſimilibus & vocali, ut: הָאֵל *Deus*, & עִמָּנוּאֵל *nobiſcum Deus.*

Diſyllabus rhythmus is dicitur, in quo ratio potiſſimum habetur duarum vocalium ſimilium, quibus interponitur conſona itidem ſimilis, vel ſola, vel cum aliis mixta.

Sola, ut: יַרְבִּיצֵנִי *collocabit me*, & יְנַהֲלֵנִי *deducet me*, Pſal. 22. Heb. 23. v. 2. ubi ſola litera נ inter (ֵ) & (ִי) ultimum interſeritur.

Mixta cum aliis, quando aliam adhuc recipit consonam similem, vel à priori tantum, vel à posteriori solum, vel à priori simul & à posteriori.

A priori tantum, ut : עַבְדֶּךָ *servus tuus*, & חַסְדֶּךָ *misericordia tua*, Psal. 30. Heb. 31. v. 17. ubi præter ד inter vocales (ְ) & (ֶ) insertum, præponitur litera similis ד.

A posteriori solum, ut : דַּבְּרָנִית *garrula*, יוֹצְאָנִית *discurrens*, voces Rabbinicæ, in quibus post נ vocalibus (ָ) & (ִי) interpositum, adjicitur ת similis litera.

A priori simul & à posteriori, ut : דְּבָרִים *verba*, קְבָרִים *sepulchra*, ubi ר inter (ָ) & (ִי) positum, habet ante se literam similem ב, & post se literam eandem ם.

Trisyllabus rhythmus est, cum trium aut vocalium, aut consonarum habetur ratio. Trium vocalium, ut : מוֹסְרוֹתֵימוֹ *vincula eorum*, & עֲבוֹתֵימוֹ *funes eorum*, vel *jugum ipsorum*, Psal. 2. v. 3. Trium consonarum, ut supra דְּבָרִים & קְבָרִים. Quarta consona quiescens nonnunquam in fine est, eaque vel expressa, vel subintellecta. Expressa, ut : בִּרְמִיזָא *nutu*, & בְּכוּרְמִיזָא *fuste*, quæ voces Chaldaïcæ sunt. Subintellecta, ut : פְּשָׁעֶיךָ *prævaricationes tuæ*, & רִשְׁעֶיךָ *perversitates tuæ*, pro פְּשָׁעֶיכָה, רִשְׁעֶיכָה. Vide tom. I. pag. 77. col. 1. Tertia illa rhythmi species appellatur ab Hebræis מְשֻׁבָּח *laudabilis*; ab Eberto *rhythmus politissimus*.

Maxima est Hebraïcæ poëseos elegantia, si accedat echo, ut : דְּבָרִים בָּרִים. *verba pura*. Hujus generis est carmen protrepticum, quod Lexico suo Hebraïco præfixit doctissimus Buxtorfius.

Ex his tribus rhythmi generibus, primum vix adhibetur, utpote quod nihil aut parum elegantiæ habeat. Secundum usitatius est. Tertium, quod ex tribus elementis componitur, est omnium usitatissimum. Si quatuor aut pluribus constet, censetur perquameximium. At propter hujusmodi vocum paucitatem difficile est ac infrequens.

Quanvis Hebræi Poëtæ consonarum quam vocalium majorem habeant rationem; rhythmum tamen vix efficiunt diversæ vocales licet cum iisdem consonantibus literis compositæ, ut : דָּבָר דֶּבֶר *verbum*, & *pestis*, גָּלוּת *migrare*, & גָּלוּת *exsilium*, &c. Sufficit tamen ut vocales cognatæ sint, puta (ָ) & (ַ), (ֵ) & (ֶ), &c.

Literæ etiam cognatæ seu in prolatione affines rhythmum constituunt, ut : אַח & רָא ; שָׁא & סָא ; פָּה & וָא , בָח , בָא ; עָה & בְּי ; רֵי & רָח , רֵא ; נָח & נֵא ; לָח & לֵא ; רָה & בְּיא, &c. Cum itaque ait clariss. Buxtorf. rhythmum vitiosum esse in סְבָה & מְצוּקָה, מַסָּה & מַצָּה, &c. id intelligendum de secunda aut tertia rhythmorum specie, minime vero de prima, in qua longe majorem sibi licentiam sumunt Hebræorum poëtæ.

ARTICULUS III.

De variis carminum Hebræorum speciebus.

VARIÆ carminum Hebræorum species cum ex *rhythmo*, tum ex *metro* desumuntur.

Ex parte rhythmi,

I. Carmen est vel *transiens*, seu *politum*; vel *conspicuum* & *elegans*, seu *politius*; vel *laudabile*, seu *politissimum*, ut in articulo præcedente diximus.

II. Carmen est vel μονορύθμικον *uniforme*, seu unius rhythmi; vel πολυρύθμικον *multiforme*, sive multiplicis rhythmi.

Uniforme carmen est, cujus omnes versus in unum eundemque rhythmum desinunt; illudque ab Hebræis dicitur שִׁיר חָרוּז *carmen rhythmicum*.

Multiforme carmen dicitur, cujus non singuli versus, sed strophæ tantum vel cola, aut mixtim strophæ simul & cola consonant. Hinc iterum dividitur in στροφορύθμικον *Strophorhythmicum*, κωλορύθμικον *colorhythmicum*, & ποικιλορύθμικον *diversorhythmicum*.

Strophorhythmicum est, cujus singulæ

strophæ vel disticha suum habent rhythmum singularem & ab aliis diversum.

Colorhythmicum appellatur illud, cujus cola tantum sive secunda hemistichia, uno eodemque rhythmo per totum carmen inter se colligantur; prima vero hemistichia sunt libera, h. e. nulli rhythmo adstricta. Id carminis vocatur ab Hebræis שִׁיר קָשׁוּר *carmen colligatum*, nempe in secundo quoque versu.

Diversorhythmicum carmen est, cujus duo versus quatuor incisionibus dividuntur, quarum tres priores eodem rhythmo clauduntur, quarta vero peculiarem habet syllabam, quæ eadem & similis per totum carmen rhythmo uniformi extenditur. Hoc genus carminis Hebræi appellant שִׁיר מְחֻלָּק *carmen divisum*, alii *incisum*.

Ad postremum illud carminis genus pertinet & aliud, in quo rhythmi ita intersecantur, ut primo versui tertius, secundo quartus respondeat; atque ita deinceps.

Ex parte metri carmen est,

I. Vel *majus* vel *minus*. Majus illud est, quod decem, aut plura disticha continet; minus, quod paucioribus constat. Hoc dicitur פָּסוּק *versus*; illud שִׁיר vel שִׁירָה *carmen*, *Canticum*. Vide sup. pag. 338. col. 2. 339. col. 1.

II. Vel *μονόκωλον monocolon*, vel *δίκωλον dicolon*. Monocolon dicitur, cujus Dáleth & Sógher ejusdem sunt generis, hoc est, cujus distichorum versus syllabarum numero sunt æquales. Dicolon autem appellant, cujus posteriori hemistichio pauciores sunt syllabæ, quam priori. Quales fere sunt Græcorum & Latinorum Elegiæ, quarum prior versus hexameter est, posterior pentameter. Trium aut plurium generum versus in Hebræa poëtica vix conjunguntur.

III. Vel פָּשׁוּט *simplex*, vel מֻרְכָּב aut מורכב *compositum*. Simplex constat meris syllabis longis; compositum, præter longas, recipit etiam breves. Cum ea divisio ab omnibus fere scriptoribus, etiam Hebræis, usurpetur, huic & nos in exemplis inferius ponendis ex parte insistemus.

IV. Ex numero syllabarum carmen est vel *Hexasyllabicum*, h. e. sex syllabis constans, sive trimetrum; vel *Heptasyllabicum*, i. septem syllabarum; vel *Ogdoasyllabicum*, h. e. ex octo syllabis compositum, sive tetrametrum; vel *Enneasyllabicum*, i. novem syllabarum; vel *Decasyllabicum*, h. e. constans decem syllabis, sive pentametrum; vel *Hendecasyllabicum*, h. e. undecim syllabis compositum; vel *Dodecasyllabicum*, i. constans duodecim syllabis, sive hexametrum. Sunt etiam carmina tredecim, quatuordecim, quindecim, sexdecim, imo & viginti syllabis constantia. Verum postrema illa, uti & quædam ex prioribus, in plura cola sæpius dividuntur.

Hæ sunt præcipuæ carminum Hebræorum species, quarum in sequentibus paragraphis exempla subjiciuntur, quæ partim ex Buxtorfii Thesauro Grammat. edit. Basil. 1663. partim ex Theodori Eberti poëtica Hebraïca Lipsiæ edita anno Christi 1628. desumuntur.

§. I.

De carmine hexasyllabico, sive trimetro.

I. Carmen trimetrum simplex.

Si fecerimus opus nostrum	אִם נַעֲשֶׂה מַעֲשֵׂנוּ
Secundum voluntatem Domini Dei nostri,	כִּרְצוֹן יָהּ אֱלֹהֵנוּ׃
Etiam ipse faciet nobis	גַּם הוּא יַעֲשֶׂה לָנוּ
Bonum secundum voluntatem nostram.	טוֹבָה כִּרְצוֹנֵנוּ׃

Hoc carmen *simplex* est, quia ex puris longis componitur. *Politissimum*; quia litera eadem נ interseritur duabus vocalibus similibus (ֵ) & וּ; nisi quod in tertio

verſu ſit (˘) loco (-), quam licentiam ſibi interdum ſumunt poëtæ, qui majorem conſonarum, quam vocalium habent rationem. *Monorhythmicum;* omnes enim ejus verſus in eundem rhythmum deſinunt, nempe נו. *Minus* ſive פָּסוּק; quia paucioribus, quam decem diſtichis componitur. Denique eſt *monocolon;* quia omnes illius verſus ejuſdem ſunt metri, hoc eſt, eodem conſtant ſyllabarum numero, nempe ſex; unde vocatur *hexaſyllabicum* ſive *trimetrum.* Hæc ſemel dixiſſe ſufficiat. Eadem aut ſimilia in ſequentibus exemplis fuerit indicaſſe ſatis. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 177.

II. Carmen trimetrum compoſitum.

I. SPECIES ex Spondæo, Iambo, & Spondæo.

Si fecerimus nos	אִם נַ—עֲשֶׂה נַחְנוּ
Mandata Dei noſtri.	מִצְוֹת אֱלֹהֵינוּ :
Ipſe faciet nobis	הוּא יַ—עֲשֶׂה לָנוּ
Omnia deſideria noſtra.	כָּל־מַ—חֲמוּדֵינוּ :

Carmen politius, monorhythmicum, & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 179.

II. SPECIES ex Iambo, & duplici Spondæo.

Audi, quæſo, ſervum tuum,	שְׁמַע נָא אֶת־עַבְדָּךְ
Domine, da gratiam tuam.	יְהוָה תֵּן חַסְדָּךְ :
Dimitte omnem iniquitatem meam,	סְלַח כָּל־לַעֲוֹנִי
Et condona omne erratum meum.	וְשָׂא כָּל־שְׁגִיוֹנִי :

Carmen politiſſimum, ſtrophorhythmicum (quia ſingula ejus diſticha ſuum habent rhythmum peculiarem & ab aliis diverſum) & monocolon. Vocibus עַבְדָּךְ & חַסְדָּךְ affixa junguntur more Chaldaïco, cujus compoſitionis alia exempla in ſequentibus videbimus. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 179.

III. SPECIES ex duplici Bacchio, ſive ex Iambo, Trochæo, & Spondæo.

Homo, qui dolet de malis,	אֱנוֹשׁ חָשׁ	לָרָעִים
Tegit prævaricationes:	מְכַסָּה	פְּשָׁעִים
Odium autem malorum	וְשִׂנְאַת	מְרֵעִים
Excitat contentiones.	תְּעוֹרֵר	מְדָנִים :
Sapiens autem celeriter	וְחָכָם	מְהֵרָה
Deponit excandeſcentiam:	יְבַטֵּל	לְעֶבְרָה
Stultus autem ſervat eam	וְסָכָל	שְׁמָרָהּ
In dies & annos.	לְיָמִים	וְשָׁנִים :

Carmen

Carmen politissimum & diversorhythmicum; tres enim priores ejus incisiones eodem rhythmo clauduntur: quarta vero rhythmum diversum, sed cum quarta strophæ sequentis incisione consonantem obtinet. Ceterum trimetra illa parum sunt usitata; sed hexametris componendis inserviunt. Vide infra §. VI. spec. 3. & notam ad spec. 8. Vide etiam Buxtorf. p. 636. & Theod. Ebert. Poëtic. p. 218.

§. II.

De Carmine heptasyllabico, hoc est, septem syllabis composito.

I. Carmen heptasyllabicum simplex.

Deus Pater, habita, quæso, nobiscum,	אֵל אָב שֵׁב נָא אִתָּנוּ
Ne perdas animam nostram.	אַל תְּאַבֵּד אֶת נַפְשֵׁנוּ ׃
Ab omni delicto munda nos,	מִכָּל־אָשָׁם זַכֵּנוּ
Et in gratia tua salva nos.	וּבְחִנְּךָ הוֹשִׁיעֵנוּ ׃
De manu Diaboli libera nos,	מִיַּד שָׁד הַצִּילֵנוּ
In veritate robora nos,	בֶּאֱמוּנָה חַחְזִיקֵנוּ ׃
Fiduciam in te da nobis,	בִּטָּחוֹן בְּךָ תֵּן לָנוּ
Corrobora, quæso, cor nostrum;	חַגְבֵּר נָא אֶת־לִבֵּנוּ ׃
Ut confidamus in te, creatore nostro,	שֶׁנִּבְטַח בְּךָ בּוֹרְאֵנוּ
Cum omnibus hominibus fœderis nostri.	עִם כָּל־אַנְשֵׁי בְּרִיתֵנוּ ׃
Et rumpamus laqueum concupiscentiæ nostræ,	וּנְנַתֵּק פַּח יִצְרֵנוּ
Induti armis Dei nostri.	לְבֻשֵׁי בִּכְלֵי צוּרֵנוּ ׃
Amen, amen, miserere nobis,	אָמֵן אָמֵן חָנֵּנוּ
Et condona omnes prævaricationes nostras.	וּסְלַח כָּל־לִפְשָׁעֵינוּ ׃
Deus fili, habita, quæso, nobiscum;	אֵל בֵּן שֵׁב נָא אִתָּנוּ
Deus Spiritus habita nobiscum.	אֵל רוּחַ שֵׁב אִתָּנוּ ׃

Carmen istud politissimum est, nisi quod tribus in locis נוּ pro נוּ usurpetur. Monorhythmicum, & monocolon. In versibus 4. 7. 9. 10. 11. 12. schevá mobile vel initio dictionis, vel sub litera daghésch notanda, vel post motionem magnam non fultam accentu tonico, quiescit. Item in versibus 2. 6. 8. schevá compositum ad (ְ) simplex reducitur, ut sileat. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pagg. 181. 182.

II. Carmen heptasyllabicum compositum.

I. SPECIES ex Iambo, Spondæo, & Cretico. Sive ex Iambo, Spondæo, Trochæo, & longa.

Fili mi, nosce, quæso, animam tuam,	בְּנִי דַע נָא נַפְשְׁךָ
Et nosces creatorem tuum.	וְתֵדַע בּוֹרְאֲךָ ׃

Carmen politius, & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 182.

II. SPECIES ex Spondæo, Iambo, & Cretico. Sive ex Spondæo, Iambo, Trochæo, & longa.

	vel
Convertere, quæso, homo, convertere,	שׁוּב נָא אֱנוֹשׁ שׁוּב לְךָ
Bonum fac gressum viæ tuæ,	הֵיטֵב הֲלִיךְ דַּרְכְּךָ :
Dole in corde tuo,	חֲצֵם—עֲצָרָה בִלְבָבְךָ,
De omni errore tuo.	עַל כָּל—מְשׁוּ—גָתְךָ :
Quære remissionem tibi	בַּקֵּשׁ סְלִי—חָתְךָ
In fletu & in humilitate tua.	בִּבְכִי וּבְשְׁ—חוֹחֵךָ :
Adora (sive ora) Deum tuum,	הִשְׁתַּ—חֲוֵה לֵאלֹהֶךָ
Ut remittat peccatum tuum.	שֶׁיִּ—סְלַח חֲטָאֲךָ :
Tunc faciet voluntatem tuam,	אָז יַ—עֲשֶׂה חֶפְצְךָ,
Et acceptam habebit petitionem tuam.	יִרְצֶה שְׁאֵ—לָתְךָ :

Carmen politius, imo politissimum, si שְׁ (:), quod affixum ךָ præcedit, ratio habeatur; monorhythmicum & monocolon. In 3°. versu (:) quiescit sub ב, & in 7°. sub ל, quanvis initio dictionis. E contrario legitur in 8°. sub ס, licet post parvam motionem. Vide Theod. Ebert. Poëtic. p. 183.

§. III.

De Carmine ogdoasyllabico, sive octo syllabis constante, aut tetrametro, vel quadrato, à quaterna ejus dimensione.

I. Carmen tetrametrum simplex.

I. SPECIES Strophorhythmica, h. e. cujus strophæ seu disticha habent rhythmum suum singularem, & ab aliis diversum.

Levabo cor meum & manus meas	אֶשָּׂא לִבִּי גַּם כַּפַּיִם
Ad (Deum), qui habitat in cœlis.	אֶל־הַיּוֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם :
Ab omni iniquitate mea redimet me;	מִכָּל־רָעָה יַצִּילֵנִי
Quia ipse est semper redemtor meus.	כִּי יֶשְׁנוֹ תָמִיד פּוֹדֵנִי :

Carmen politissimum, & monocolon. Vide instit. Heb. R. P. Georg. Mayr S. J. p. 371. edit. Lugd. 1622.

II. SPECIES monorhythmica, id est, cujus singuli versus uno eodemque rhythmo clauduntur.

Cantabo nunc canticum rerum honorabilium,	אָשִׁירָה נָא שִׁיר נִכְבָּדוֹת
Explicando bene & sine ænigmate.	בָּאֵר הֵיטֵב וּבְלִי חִידוֹת :

Explicabo autem decem puncta,	שֶׁר הַנְקֻדּוֹת	וַאֲבָאֵר עֶ—
Quomodo dividantur in duas partes.	לִשְׁתֵּי יְדוֹת ׃	אֵיךְ נֶחֱלָקוּ
Quinque ex eis sunt viri mensurarum,	אַנְשֵׁי מִדּוֹת	חָמֵשׁ מֵהֶן
Quinque ex eis sunt quasi Pygmæi,	כַּגַּמָּדוֹת ׃	חָמֵשׁ מֵהֶן
Quinque magna desiderabilia (sunt):	—לוֹת הַחֲמוּדוֹת	חָמֵשׁ הַגְּד
Deus meus, Dominus est bonus, (ea) *annuntiant.*	טוֹב מַגִּידוֹת ׃	אֵלִי יָהּ הוּא

Sic totum scriptum est secundum Eliæ Canticum, quod 28. versibus constat; estque politissimum, monorhythmicum, & monocolon. In vocibus supra descriptis וַאֲבָאֵר in 3°. versu, & הַחֲמוּדוֹת in versu 7°. (ֲ) revocatur ad simplex (ְ), ut quiescat. In vocibus autem הַנְקֻדּוֹת v. 3. & הַגְּדוֹלוֹת v. 7. (ְ) quiescit, quanvis sit sub literis daghésch afficiendis. Denique quatuor voces אֵלִי יָהּ הוּא טוֹב continent quinque magnas motiones, nempe אֵלִי, (ֵ) & (ִ); יָהּ, (ָ); הוּא, (וּ); טוֹב, (וֹ); quæ melius sic ordinarentur: יָהּ אֵלִי טוֹב הוּא; sed poëta ad nomen suum אֵלִיָּהוּ respexisse videtur.

III. SPECIES colorhythmicæ, id est, cujus posteriora hemistichia in eundem rhythmum desinunt; priora vero sunt libera, h. e. nulli rhythmo adstricta.

Ero certe levis ut aquila,	הָיֹה אֶהְיֶה קַל כַּנֶּשֶׁר
Et robustus ut pardus, aut leo;	גַּם עַז כַּנָּמֵר אוֹ לָבִיא ׃
Disponam faciem meam ut rupem,	אָשִׂים פָּנַי כְּחַלָּמִישׁ
Ut faciam voluntatem Dei mei, patris mei.	לַעֲשׂוֹת כִּרְצוֹן אֵלִי אָבִי ׃

Carmen politissimum, monocolon, & ligatum, nempe in secundo quoque versu. Primum versum sic affert Buxtorfius pag. 620. אֶהְיֶה קַל כַּנֶּשֶׁר וְצְבִי *ero levis sicut aquila & hinnulus*, quem, ut magis pateret rhythmorum diversitas, eo, quem vides, modo, judicavimus immutandum; quanvis etiam prima hemistichia rhythmum eundem habere possint, ac secunda. לָבִיא & אָבִי rhythmum constituunt, quia soni major quam literarum ratio habetur. Denique in vers. ult. לַעֲשׂוֹת est pro לַעֲשׂוֹת, ut quiescat (ְ) compositum. Ejusdem formæ est carmen libro Zohar præfixum.

IV. SPECIES diversorhythmica, in qua tria priora distichi cujuslibet membra, sive cola aut incisa, eodem rhythmo clauduntur, quanvis id semper necesse non sit; quartum vero peculiarem & à præcedentibus diversum habet rhythmum in toto carmine similem.

Justus integer repletur terroribus	מָלֵא אֵימוֹם	צַדִּיק תָּמִים
A viro sanguinolento, sine sua iniquitate.	עַל לֹא פֶשַׁע ׃	מֵאִישׁ דָּמִים
Liberabit eum multa justitia sua.	רֹב צִדְקָתוֹ	תַּצִּיל אוֹתוֹ
At in improbitate sua corruet improbus.	יִפֹּל רָשָׁע ׃	וּבְרִשְׁעָתוֹ

Carmen politissimum, minus, monocolon, incisum sive divisum, & simul ligatum. Vide Buxtorf. pag. 622. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 191.

V. SPECIES ad diverſorhythmicam pertinens ; cum videlicet tertius verſus primo reſpondet , & quartus ſecundo.

Qui dat pauperibus , mutuum dat Deo ,	חוֹנֵן דָּלִים מַלְוֵה לָאֵל
Qui reddet ei decem vicibus (i. e. decuplum).	יְשַׁלֵּם לוֹ עֶשֶׂר מוֹנִים ׃
Ergo beatus , qui intelligit super pauperem ,	לָכֵן אַשְׁרֵי מַשְׂכִּיל אֶל־דָּל
(Et) , *qui dispergit* , (&) *dat egenis.*	פִּזַּר נָתַן לָאֶבְיוֹנִים ׃

Carmen partim politum , nempe in primo & tertio versu , ubi אֵל & דָּל rhythmum conficiunt ; ibi enim ad literas consonas magis , quam ad vocales respicitur ; partim politissimum , videlicet in secundo & quarto hemistichio ; & monocolon. Vide Buxtorf. pag. 622. Hæ sunt præcipuæ carminis ogdoasyllabici , sive trimetri , aut quadrati simplicis species. Sequuntur compositæ in quibus eadem est rhythmorum dispositio. In his itaque præcipuas metri species proponere sufficiat.

II. Carmen tetrametrum compositum.

I. SPECIES ex Spondæo , Iambo , & duplici Spondæo.

Surge , Deus , in auxilium	קוּמָה אֱלֹהִים עֶזְרָתָה
Mihi , & responde in angustia.	לִי וַעֲנֵה בְּצָרָתָה ׃

Vide Buxtorf. pag. 623. & Theod. Ebert. Poëtic. p. 192. ex Aben-Esra.

Aliud exemplum.

Sine fundamento pedis stans	וּבְלִי יְסוֹד רֶגֶל עוֹמֵד
(Est) *omnis vir* , (qui) *sine grammatica discit.*	כָּל־אִישׁ בְּלִי דִקְדּוּק לוֹמֵד ׃

Vide Theod. Ebert. Poëtic. p. 191.

Hoc & præcedens carmen politissimum est & monocolon. Ejusdem etiam generis est sextum Eliæ Canticum.

II. SPECIES ex Iambo & Spondæo alternatim positis.

Elige sapientem (qui) *doceat te ;*	בְּחַר נָבוֹן יְלַמְּדֶךָ
Neque parcas opibus tuis.	וְלֹא תַחְמוֹל בְּהוֹנֶךָ ׃
Posside sapientiam , possìde intellectum ,	קְנֵה חָכְמָה קְנֵה בִינָה
Et acues ea filiis tuis , hoc est ,	וְשִׁנַּנְתָּן לְבָנֶיךָ ׃

Filios tuos ad ea pariter acquirenda stimulabis.

Carmen colorhythmicum , politissimum , & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 196.

Aliud exemplum.

Ipse est Deus meus, & vivens redemtor meus;	והוא אלי וחי גאלי
Et rupes fortis mea in tempore angustiæ.	וצור חבלי בעת צרה ׃
Ipse est vexillum meum, & refugium meum,	והוא נסי ומנוסי
Pars calicis mei in die (qua) *invoco* (eum).	מנת כוסי ביום אקרא ׃
In manum ejus commendo spiritum meum,	בידו א——פקיד רוחי
Tempore (quo) *dormio & vigilo,*	בעת אישן ואעירה ׃
Et cum spiritu meo, corpus meum (commendo).	ועם רוחי גויתי
Dominus meus est, ideo non timebo.	יהוה לי ולא אירא ׃

Carmen diversorhythmicum simul & colorhythmicum, politum in primis, & politissimum in secundis hemistichiis sibi invicem respondentibus, & monocolon. Hujus generis est duodecimum Eliæ Canticum. In primo versu (-:) silet in גאלי. E contrario (:) simplex legitur in אפקיד in quinto versu. Vide Buxtorf. p. 624.

III. SPECIES præcedenti contraria, ex Spondæo & Iambo vices alternantibus.

Quid tibi solitaria sedes,	מה־לך יחידה תשבי
Silens ut rex in captivitate?	דומה כמלך בשבי ׃

Carmen politissimum & monocolon. Vide Buxtorf. p. 624. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 198.

IV. SPECIES ex Trochæo & Spondæo alternatim positis. Vel ex motu & Bacchio alternis itidem compositis.

vel

Surge, Domine, libera me	קום יהוה מלטני
Ab improbis, (qui) *oderunt me.*	מ—רשעים שנאוני ׃

Carmen politius, & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 197.

V. SPECIES ex meris Iambis.

Esto sapiens, fili mi, & intellige scientiam.	חכם בני ובין דעת
Veritatem acquire, & perfectionem scito.	אמת קנה ותם דעת ׃
Reputa stultum quasi umbram idoli,	חשוב אויל כצל אליל
Et à consilio fatui recede.	ומן עצת כסיל שטה ׃
Si præceperit (dicens) : *destrue,* (tu) *ædifica,*	ואם יצו הרוס בנה
Et ad prudentem verbi respice.	ואל——נבון דבר שעה ׃

Carmen colorhythmicum, politissimum, & monocolon. Desumtum est ex משלי

שועלים i. *fabulis vulpium*, fab. 19. R. Barachiæ, qui sæculo XIV. exeunte, aut ineunte XV. floruit. Recte observat doctissimus Wolfius, tom. 1. Biblioth. Heb. p. 273. puncta his fabulis addita fuisse regulis Grammaticis parum accommodata. Exemplo est vox דעה, cui subjecta sunt (ֵָ) in fine utriusque hemistichii primi distichi, cum secundum analogiam legenda foret דֵּעָה in fine primi versus, & דֵּעָה in fine secundi: adeo ut poëta in hoc rhythmo literarum potius, quam vocalium, rationem habuisse videatur. At punctator pro דֵּעָה scripsit דֵּעָה, ut responderet שָׁעָה לֵךְ, qui est quarti & sexti hemistichii rhythmus. Eadem ratione in ultimo versu vox דבר punctis status constructi, quanvis sit in absoluto, instructa est. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 199. 200.

§. IV.

De Carmine enneasyllabico, sive ex novem syllabis composito.

I. Carmen enneasyllabicum simplex.

Dicit Ecclesiastes: tempus (est) pariendi,	אָמַר קֹהֶלֶת עֵת לָלֶדֶת
Tempus moriendi, sive in sepulchrum descendendi.	עֵת לָמוּת אוֹ בִשְׁאוֹל לָרֶדֶת׃
Quia ex quo serpens callidus	כִּי מֵעֵת שֶׁהַנָּחָשׁ עָרוּם
Decepit primum hominem integrum & excelsum,	הִשִּׁיא אָדָם רִאשׁוֹן תָּם וְרָם׃
Mors separavit virum ab uxore sua,	מָוֶת הִפְרִיד אֶת־אִישׁ מֵאִשְׁתּוֹ
Et traxit omnes in medium retis sui, &c.	וַיִּמְשֹׁךְ כֻּלָּם אֶל־תּוֹךְ רִשְׁתּוֹ׃ וגו׳

Carmen strophorhythmicum, politissimum, monocolon, & initium prolixioris, quod Joannes Drusius junior in obitum Josephi Scaligeri composuit. Vide Theod. Ebert. Poëtic. p. 201.

II. Carmen enneasyllabicum compositum.

I. SPECIES ex Iambo, Spondæo duplici, & Bacchio, sive Iambo & motu.

Tollite, capita (vel principes) terræ, portas,	שְׂאוּ רָאשֵׁי אֶרֶץ שְׁעָרִים
Et introibit rex gloriæ & luminum.	וְ—יָבוֹא מֶלֶךְ הוֹד וְאוּרִים׃
Et audite diligenter verba ejus,	וְשִׁמְ—עוּ שָׁמוֹעַ דְּבָרָיו
Ut ornet ipse vos ornatu suo.	לְפָ—אֵר אֶתְכֶם בְּ—פְאֵרָיו׃

Carmen politissimum, strophorhythmicum, monocolon, & desumtum ex Psal. 23. Heb. 24. v. 7. In ultimo versu (ְ) in לְפָאֵר quiescit. E contrario ibidem (ְ) movetur in בפאריו, licet post motionem parvam, quæ non est posita pro magna. Vide Theod. Ebert. Poëtic. p. 200.

II. SPECIES ex Spondæo, Iambo, Spondæo, & Bacchio, sive Iambo & motu.

Viri flete, dicite ore vestro:	אִישִׁים בְּכוּ אִמְרוּ בְּפִיכֶם
Heu! heu! ah! quia interiit decus vestrum;	הוֹ הוֹ אֲהָהּ כִּי מֵת צְבִיכֶם

Quia excisum est cornu nobilium,	כי נג—דעה קרן לחורים
Etiam periit spes doctorum.	גם א—בדה תקוה למורים :
Vocabatur nomen ejus Joseph, quia omnipotens	נקרא שמו יוסף ושדי
Addiderat ei intelligentiam pro certo, &c.	הוסיף תבו—נה לו בודי : וגו'

Carmen politissimum, strophorhythmicum, monocolon, & initium alius carminis, quod idem Drusius in obitum ejusdem Scaligeri composuit. Ultima vox בודי Chaldaica est, aut potius Rabbinica, significatque *in confesso est, certum est, &c.* Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 201.

§. V.

De Carmine decasyllabico, idest, decem syllabis constante, sive Pentametro.

I. Carmen Pentametrum simplex.

Domine sæculorum, non exaltati sunt oculi mei,	רבון העולם לא רמו עיני
Non est exaltatum cor meum in omnibus ratiocinationibus meis.	לא גבה לבי בכל־חשבוני :
Non ambulavi in magnis super me.	לא הלכתי בגדולות ממני
Remitte peccata mea, & miserere mei.	תמחל על חטאתי ותחנני :

Carmen politius, strophorhythmicum, minus, monocolon, & desumtum ex Psal. 130. Heb. 131. Prima vox רבון Chaldaïca est, respondetque Hebraïcæ אדון *Dominus.* Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 202.

II. Carmen Pentametrum compositum.

I. SPECIES ex Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo, & Spondæo.

Formator hominis omnia facta sua posuit	יוצר אנוש כל־מ—עשיו שורה
Super decretum; & quis abolebit, quod præcepit?	על חק ומי יפר אשר צוה :
Et quis pervertet, quod direxit?	מי זה יש—וה את אשר תקן
Aut quis diriget, quod pervertit?	או מי ית—קן את אשר עות :

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. Similis formæ est Canticum Eliæ nonum, & carmen, quod לד Michlol præfixit R. Qimhhi. Vide Theod. Eberti Poëtic. pag. 203.

II. SPECIES ex Iambo, Spondæo gemino, Iambo & Spondæo.

Cum eris judex, judica juste;	בעת תהיה דין שפוט צדק
Et ne pervertas rem judicii, abstinendo abstine.	ואל תט דבר משפט חדל חדול
Duo hæc animadverte simul: ne eleves	שני—הם שמע יחד ולא תשא
Faciem pauperis; neque honores faciem magnatis.	פני דל ולא תהדר פני גדול :

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. In vocibus דבר v. 2. שמע v. 3. ולא v. 4. (:) quiescit, licet initio dictionis. Auctor carminis R. Moyses Hhaviv Hif-

panus, qui ſæculo XV. inclinante floruit. Hujus generis eſt ſeptimum Eliæ Canticum. Vide Buxtorf. p. 625. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 204. Aben-Eſra rhythmum in medio verſu, h. e. poſt ſecundum pedem, interpoſuit.

In elevatione ſphæræ, (quæ) *vertitur in orbem*,	בְּרוּם גַּלְגַּל יָסוֹב עָלָיו מַעְגָּל
Nomen tuum (Deus) *revelatur timendum & inſigne.*	שְׁמָךְ יִגַּל אָיוֹם וְגַם נִדְגָּל :

In שְׁמָךְ *nomen tuum*, affixum jungitur שֵׁם ךְ more Chaldaïco. Quod nonnunquam faciunt Poëtæ. Vide ſupra pag. 344.

§. VI.

De carmine hendecaſyllabico, ſeu undecim ſyllabis conſtante, eoque compoſito.

I. SPECIES ex Spondæo, Moloſſo, & Bacchio gemino. Sive ex Spondæo gemino, Trochæo, Spondæo, Iambo, & motu ſive longa.

Ante contritionem vir vias ſuas pervertit,	לִפְנֵי שֶׁבֶר אִישׁ דְּרָכָיו מְעַקֵּשׁ
Ante gloriam humilitas ei (eſt) *in offendiculum.*	לִפְנֵי כָבוֹד שִׁי—פְלוּת לוֹ לְמוֹקֵשׁ :
Recordare, quis invenerit regnum & prophetarit,	תִּזְכּוֹר מִי מָ—צָא מְלוּכָה וְנִבָּא
Sicut is, qui reverſus eſt ab aſinis quærendis.	כַּאֲשֶׁר שָׁב מִן הָ—אֲתוֹנוֹת לְבַקֵּשׁ :

Carmen politiſſimum, colorhythmicum, & monocolon. Argumentum ejus deſumtum eſt ex lib. 1. Reg. cap. 9. & 10. Exſtat autem in *Miſchle Schoualim*, de quibus ſupra pag. 350. fab. 14. In 2°. verſu (:) natura quieſcens legitur in שִׁפְלוּת. E contrario (-) revocatur ad (:) ut quieſcat, in כַּאְשֶׁר v. 4. pro כַּאֲשֶׁר. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 205.

II. SPECIES ex Spondæo, Bacchio, Moloſſo, & Bacchio. Vel ex Spondæo, Iambo, Spondæo duplici, & Bacchio, ſive Iambo & motu.

Ad te, Domine, clamavi in afflictione,	לָךְ נָא אֲדֹנָי קָרָאתִי בְּצָרָה
Et exaudiſti me ex alto celeriter.	וַתַּ—עֲנֵנִי מִמָּרוֹם מְהֵרָה :
Reſpice, quæſo, animam meam in bona voluntate,	פְּנֵה פְּנֵה נָא אֶל־נַפְשִׁי בְּרָצוֹן
Et in calore oſſibus meis pone refrigerium.	וּבְחֹם לְעַצְמוֹ—תַי שִׂימָה מְקֵרָה :
Ab omni labio mendacii, & lingua doloſa,	מִכָּל—שְׂפַת שֶׁ־קֶר וּלְשׁוֹן רְמִיָּה
Libera unicam meam, & prohibe exciſionem (ejus).	הַצֵּל יְחִידָ—תִי וּמְנַע גְּזֵרָה :

Carmen politiſſimum, colorhythmicum, & monocolon. Prima vox לָךְ Chaldaïca eſt, pro לְךָ. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 206.

III.

III. SPECIES ex Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo & Molosso, vel Spondæo & motu, sive syllaba longa.

אהבת בני נער ללא תועלת
כי על לב—בם נק—שרה עולת :
מעת לעת נתח—פכח רוחם ולא
יפנו ליע־לת חן ואל—אילת :

Amor juvenum (tendit) *ad inutilia ;*
Quia super corde eorum ligata est stultitia.
A tempore in tempus mutatur spiritus eorum ; non enim
Respiciunt ad hinnulam gratiosam, & ad cervam, (i. rationem.)

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. Dictio תועלת Rabbinica est. In vocibus אהבת v. 1. & ליעלת v. 4. (־) mutatum est in (:), metri causa, pro אהבת, ליעלת. Præterea in ולא v. 3. (:) quiescit, licet initio dictionis.

Similis formæ est primum Eliæ Canticum, in quo tamen, si primum hemistichium excipias, alia priora hemistichia pro syllaba ultima longa habent Iambum ; quare ab aliis reliquum istud carmen ad dodecasyllabicum, sive hexametrum, refertur. Vide in §. seq. Spec. V. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 207.

IV. SPECIES ex Spondæo, & triplici Bacchio. Sive ex Spondæo, Iambo, Trochæo, Spondæo, Iambo, & motu sive syllaba longa.

Involucrum laudis, (&) *vitta decoris*	מעטה תהלה צניף ת—פארת
Tegunt corpus, (quod) *ambulat nigrum.*	כסו גויה תהלך קדרת :
(At) *quanvis tegas* (pellem) *viridem supra rubram:*	אף כן מכסה ברך על אדמדם
(Tamen in) *medio interioris ejus stat nota alba.*	תוך ק—רבו ת—עמוד ח—בהרת :

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. In מעטה v. 1. (:) est pro (־), מעטה, vide carmen præced. In תפארת (:) mobile est, quanvis post motionem natura brevem. Sic in קרבו v. 4. unde ב aspiratur. In eodem v. 4. בהרת est formæ גברת ; cum alias legatur בהרת. Sensus carminis est, secundum Theod. Ebert. Poëtic. pag. 208. nihil ita sanctum purumque est, quin aliquas alicubi prodat erroris imbecillitatisque notas.

V. SPECIES ex Iambo, Spondæo, Iambo, Spondæo, & Bacchio, vel Iambo & motu, sive syllaba longa.

ירא האל בני ראשית אמרי
לכח קומה ושמעה מ—אמרי :
ותן על כל—עבודתך תחלה
בכל־יום ל—אלהיך תפלה : וגו'

Time Deum, fili mi, (hoc est) *principium verborum meorum;*
Ades, surge, & audi verba mea,
Et da super omne opus tuum (in) *principio,*
Singulis diebus, Deo tuo laudem, &c.

Carmen politissimum, strophorhythmicum, majus; (est enim initium carminis constantis 179. distichis, sive 358. versibus) & monocolon. Auctor ejus R. האי Hai, al. חאיי Hhai, aut Chai Gaon Hispanus, qui floruit decimo exeunte sæculo, obiitque anno Christi 1037. vel, secundum alios, 1038. In voce עֲבוֹדָתָךְ v. 3. pronomen in forma Chaldaïca affigitur. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 236. & seqq. ubi integrum istud carmen describitur.

Ejusdem metri sunt, sed colorhythmica, Cantica Eliæ 8. & 10. Qimhhianum, quod in fine Michlol legitur, quodque in præfat. tom. I. pag. xxvij. edendum curavimus, & alia bene multa, quæ in libris precum Judaïcarum leguntur.

§. VII.

De Carmine dodecasyllabico, hoc est, duodecim syllabis constante; sive Hexametro, eoque composito.

I. SPECIES ex Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo, & Spondæo gemino.

לֹא מִ—פְּנֵי שֵׂיבָה בְּנֵי אִישׁ נִ—חָתּוּ
גַּם לֹא לְיַל—דוּת עֹז וְחַ—יִל אֶ—וָּרוּ :
כִּי אֶ—חֱזֶה בָנִים וְחָ—שַׁךְ מִ—שְּׁחוֹר
תָּאֳרָם פְּנֵי אִישִׁים זְקֵ—נִים חֲ—וָרוּ :

Non à facie senectutis filii viri terrentur;
Neque pueritiam robur & fortitudo (semper) *comitantur.*
Video enim juvenes (quorum) *obscura est præ nigredine*
Forma eorum: (&) *facies senum, quæ sunt albæ.*

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon; cujus is sensus est: homines timere non debent senectutem, nec præteritam juventutem dolere; neque enim robur & pulchritudo, quæ sunt juventutis dotes, juvenum omnium communes sunt; cum juvenes non paucos infirmos ac deformes; contra vero multos senes robustos & eleganti forma videas. In v. 4. תָּאֳרָם contractum est ex תָּאֳרָם, ut (ֳ) quiescat. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 210.

II. SPECIES ex Spondæo, Iambo, Spondæo duplici, Iambo, & Spondæo.

נַפְשִׁי בְּמִצְוֹת אִם יָפוּ פְּעָמַיִךְ
בֵּיתִי בְּרוּכָה אַתְּ־וּאֹמַר אֱלֹהַיִךְ :

לָכֵן בְּכָל — כֹּחֵךְ בֹּשֶׁת עֲלוּמָיִךְ
זִכְרִי וְחַבְּ—קִי מִכָּל——בְּדִילָיִךְ ׃

O anima mea ! in praceptis (Dei) *si pulchri fuerint gressus tui ,*
Filia mea benedicta tu (es) , *dicet Deus tuus.*
Quapropter omnibus viribus tuis pudoris adolescentia tua
Recordare , ut mundes te ab omni arugine tua.

Carmen politissimum , monorhythmicum , & monocolon. Auctor ejus R. Moyses ben-Hhaviv , de quo supra pagg. 351. 352. Ejusdem formæ est undecimum Eliæ Canticum , & quod libro dicto הַבָּחוּר *electo* , præfixit. Vide Buxtorf. pag. 630. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 211.

III. SPECIES ex Iambo , Spondao duplici , Iambo , & Spondao duplici.

וְאִם דָּרשׁ יִדְרשׁ חֲבוּרַת עָ—שִׁיר רָשׁ
בְּלֹא גוֹרָל נִגְרַשׁ כְּמוֹ רֵעֵי הָאֲרִי ׃
בְּעֵת שָׁאֲלוּ חֶלְקָם בְּגוֹרָל אֶל—חֵיקָם
הֱשִׁי—בָם חִישׁ רֵיקָם בְּזַעַף אַף וָחֳרִי ׃

Si autem inquirendo inquirat de vulnere (i. morbo) *divitis pauper ,*
Sine sorte (i. præmio) *ejicitur ; sicut socii leonis ,*
Cum petunt partem suam sorte (dari) *in sinum suum ,*
Respondet eis cito nequam (leo) *cum indignatione & æstu.*

Carmen politissimum , colorhythmicum , monocolon , & desumtum ex *Mischlé Schoualím* , fab. 12. In vocibus הָאֲרִי v. 2. & שָׁאֲלוּ v. 3. (ֲ) plane tollitur , ut fiant disyllabæ , pro הָאֲרִי , שָׁאֲלוּ . Eandem ob causam exsulat (ֳ) in וָחֳרִי v. 4. pro וָחֳרִי . Sensus est pauperes à divitibus & potentibus contemni. Ejusdem formæ est quintum Eliæ Canticum, &c. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 213.

IV. SPECIES ex Spondao , & Iambo alternatim positis.

אֱלִי תְּמֹךְ נַפְשִׁי בְּדָת צִדְקָתְךָ
צוּרִי הֲבִי—נֵנִי דְּבַר תּוֹרָתְךָ ׃

Mi Deus , sustenta animam meam in lege justitia tua ,
Petra mea , intelligere me fac verbum legis tua.

Carmen politissimum , monorhythmicum , & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 214.

V. SPECIES , cujus prius hemistichium componitur ex Spondais & Iambis vices alternantibus , ut in pracedenti specie ; posterius vero , pro Iambo in fine , habet solum motum , sive syllabam longam. Unde constat tantum undecim syllabis ; proindeque est dicolon.

אם אש־תך רעה ולא תשמע לקו־
שיחך לשׁ־רתך ורע חורשת׃
דע כי במ—קל עז לפ—רה סוררת
תישר תל—מיה והיא חורשת׃

Si uxor tua mala (fuerit) , *& non audierit vocem*
Sermonis tui , ut tibi ſerviat ; & malum machinetur :
Scito , quod (ſi) *baculo forti vitulam refractariam*
Direxeris , ſulcos ſuos & ipſa (rectos) *arat.*

Carmen politiſſimum , colorhythmicum , & dicolon. Auctor ejus R. Moſes ben-Hhaviv , de quo ſupra. In שיחך v. 2. forma Chald. pro שיחך . Similis formæ eſt primum & quartum Eliæ Canticum , niſi quod in primo verſu primi Cantici longa ſit pro Iambo. Confer quæ diximus ſupra in §. VI. Spec. III. pag. 353. Vide Buxtorf. pag. 631. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 215.

VI. SPECIES *ex Iambo , Spondæo duplici , & Bacchio itidem duplici. Sive ex Iambo , Spondæo duplici , Iambo , Trochæo , & Spondæo.*

נחג אותי חאל בישר מסלות
ותהיה עמדי לתקן עלילות׃

Deduc me , Deus , in rectitudine ſemitarum (i. ſemitis rectis) ,
Et ſis mecum , ut dirigas actiones (meas).

Carmen politiſſimum , monorhythmicum , & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 216.

VII. SPECIES *ex quadruplici Bacchio. Sive ex Iambo , Trochæo , Spondæo iteratis,*

vel

ונשען בעשרו ועולות יקר־
ויעבוד ברעו כעבד באהל׃
ויעליל עלילות ברשע בעת ישׁ־
אלו זה שכרי אסף לי ותקהל׃
וישן ברח חיש וצא מ־גבולי
בטרם אני לך להוציא אבחר׃
שאלת יקוה יצותו ולא י־
חזה יום אשר י—זרח אור ויהל׃

Qui innititur divitiis ſuis , & holocauſta offert ,
Et (tamen) *utitur proximo ſuo , tanquam ſervo , in tabernaculo ;*

Et facit opera in impietate ; cum (videlicet) *pe-*
tit ab eo hic (pauper dicens :) *mercedem meam collige mihi & congrega.*
Et respondet : fuge cito , & exi termino meo ,
Antequam ego te ad egrediendum terrore adigam :
Sepulchrum (five *infernum*) *exspectat stratum ejus , & non vi-*
debit diem , quo oriatur lux & luceat.

Carmen politissimum , colorhythmicum , monocolon , & desumtum ex *Mischlé Schoualím* , fab. 1. Hujus sensus est : dives , qui pietatem affectat , quique proximo suo , ut vili mancipio , abutitur ; & facit opera mala , negata duriter operis sua mercede : manet eum infernus , omniaque calamitatum & pœnarum genera. In וַיַּעֲבוֹד v. 2. & וַיְעַלִיל v. 3. (ּ:) est pro (ְ). In eodem v. 3. vox יִשְׁאָלוֹ & v. 7. vox יָזְרִח per diæresin , de qua supra pag. 340. in duas dividuntur , quarum prima pars dictos versus claudit , secunda vero sequentes inchoat. Denique לָךְ v. 6. Chaldaïcum est pro Heb. לְךָ , & in יִזְרַח v. 8. (:) legitur quanvis post motionem natura brevem. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 217.

VIII. SPECIES ex meris Creticis , sive ex Trochæo , Spondæo , Iambo repetitis.

כָּל־לְאֻמִּים וְכָל־יוֹ־שְׁבֵי אַרְעָתָא
חַלְלוּ אֶת־יְהוָה בְּכָל־שַׁעְתָא ׃
כִּי חַסְדָיו לְעוֹלָם מְאֹד גָּבְרוּ
גַּם דְּבָרָיו אֱמוּנִים וְלֹא יַעֲבְרוּ ׃

Omnes populi , & omnes habitatores terræ ,
Laudate Dominum in omni tempore.
Quoniam misericordiæ ejus in æternum valde roboratæ sunt ,
Et verba ejus vera sunt , nec transibunt.

Carmen politissimum , strophorhythmicum , & monocolon. Desumtum est ex Psal. 116. Heb. 117. *Laudate Dominum omnes gentes* , &c. Voces אַרְעָתָא & שַׁעְתָא Chaldaïcæ sunt , quæ in poësi Hebraïca spectari possunt ut dialecti. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 219.

NOTA.

Carmina trimetra *divisa* sive *incisa* hexametris componendis inserviunt , ut diximus supra pag. 345. initio , si ex quatuor eorum colis seu versibus , duo hexametra conficiantur. Sic ordinari potest carmen ultimum paginæ 344. & quod sequitur.

בְּזָקֵן כְּעוֹלֵל חֲיִכְטַח בְּמַעֲלַל
בְּרָשָׁע מְגוֹלָל לְבִלְתִּי יְשַׁלֵּם ׃
רְאִיתִיו בְּעֵינַי מְאָדָם כְּשָׁנִי
בְּפֶשַׁע וְגוֹנַי וְיֵצֶר וְשָׁלֵם ׃

Cum senex, tum puer, an confidet in opere,

(Quod) improbitate involvit, & non persolvet? (i. pœnas dabit?)

Vidi eum oculis meis rubentem ut coccinum

Improbitate, & turpitudine, vitiisque innatis, & persolvit, (i. pœnas dedit).

Carmen politissimum, diversorhythmicum, & monocolon. Constat puris Bacchiis, vel Iambo, Trochæo, & Spondæo iteratis. Auctor ejus R. Schem Tov, sive R. Moyses ben-Hhaviv, de quo supra. Is Rabbinus in limine commentarii sui in *Behhinath olam*, ita nomen suum effert: *Moses filius Schem Tov ex familia Hhaviv*, al. *Chaviv*, *Hispanus*, *ex incolis Synagogæ sanctæ Ulyssiponensis in Lusitania*, &c. Vox גוּנִי in ultimo v. Chaldaïca est, aut potius Rabbinica, & *turpitudinem* significat. Venit à rad. גְּנָא aut גְּנָה, sed formam habet à גּוּן. Vide Buxtorf. pag. 637. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 218.

Aliud exemplum trimetri incisi, quod similiter dispositum, in carmen hexametrum converti potest, vide supra in §. I. num. II. Spec. III. pag. 344. Vide etiam præfat. in *Tsemahh David*, in cujus principio Josue quidam multiplicem titulorum congeriem Bacchiis plerumque monorhythmicis, seu similiter desinentibus, contexuit, ac nomen suum primis cujuslibet tetrastichi, vel, si vocabula in carmen hexametrum, ut infra, ordinentur, distichi literis expressit, hoc modo:

| - - ᵕ | \|- - ᵕ | \|- - ᵕ | \|- -ᵕ } vel

- - \|ᵕ | -\|- ᵕ | \|- -\|ᵕ | -\|-ᵕ }

יְקִירִי חֲמוּדִי פְּאֵרִי מְאוֹדִי

לְרֹאשִׁי כְבוֹדִי פְּנִינִי זְהָבִי : וגו'

Pretiosus meus, & decus meum, ornamentum meum, robur meum,

Caput meum, gloria mea, margarita mea, aurum meum, &c.

Secundum distichum incipit à ה, nempe הֲדָרִי *magnificentia mea.* Tertium à ו, videlicet וְהוּא *& ipse.* Quartum à שׁ, nempe שְׁלֵדִי *corpus meum.* Quintum denique ab ע, nimirum עֲטֶרֶת *corona;* sicque ex (י) primi distichi & quatuor illis literis conficitur nomen auctoris יְהוֹשֻׁעַ. Vide Buxtorf. pag. 636. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 180.

§. VIII.

De carmine trisdecasyllabico, sive tredecim syllabis constante, eoque composito.

I. SPECIES ex Spondæo, Iambo, Spondæo duplici, Iambo & Molosso, sive Spondæo & motu.

\|- - \|-ᵕ \|- - \|- - \|-ᵕ - - - } vel

\|- - \|-ᵕ \|- - \|- - \|-ᵕ - \|- - }

מַה־טּוֹב וּמַה־נָּעִים שֶׁבֶת קְרוֹ—כִים יָחַד

אַחִים וְאָ—חוֹת בְּשְׂ—שׂוֹן קֹשֶׁט בְּלֹא כָּל־פַּחַד :

הִנֵּה כְּשֶׁ—מֶן הַ—טּוֹרֵד עֲלֵי רֹאשׁ אַהֲרוֹן

עַל כָּל—זְקָ—נוֹ וּלְ—בוּשׁוֹ כְּחֶלְ—יַת שַׁחֲרוֹן :

Quam bonum, & quam jucundum habitare propinquos simul,

Fratres & sorores in gaudio veritatis (i. vero), *sine ullo timore!*

Ecce (sunt) *sicut unguentum, quod descendit in caput Aaron,*

In omnem barbam ejus, & vestimentum ejus; sicut ornamentum Saron.

Carmen politissimum, strophorhythmicum, & monocolon, desumtum ex Psal. 132. Heb. 133. In vocibus אַחְרוֹן & שַׁחְרוֹן silet (ְ). Vide Theod. Ebert. Poëtic. p. 219.

II. SPECIES, cujus priora hemistichia componuntur ex Spondæo, Iambo, Spondæo duplici, Iambo & Molosso, sive Spondæo & motu, ut in specie superiori; posteriora vero ex Iambo, Spondæo duplici, & Bacchio, sive Iambo & motu; atque ita novem duntaxat constant syllabis.

vel

מִזְמוֹר לְאֵ—לִיָּהוּ עַל עֲלָמוֹת חוֹסֵף

עֲלֵי אֶוִי חַנְ—עֲלָמוֹת :

לְחָן מִקְּ—רָא אוֹתִיּוֹת נְשִׁימָה חָמָה

אֱלֵי דִבּוּר דּוֹמוֹת לְאִמּוֹת : וגו'

Canticum Eliæ super absconditas (i. quiescentes literas) *fundatur.*

Super Evi, quæ absconduntur, (i. quiescunt).

Illæ vocantur literæ flatus (i. prolationis); *ipsæ* (enim sunt)

Ad loquutionem similes matribus, utpote quæ sonum pariant, &c.

Carmen politissimum, colorhythmicum, majus, & dicolon. Auctor ejus Elias Levita, qui integrum hoc Canticum suum tertium, quod constat 14. distichis seu 28. versibus, hoc metro rhythmoque composuit.

III. SPECIES ex Spondæo, Bacchio, Iambo, Spondæo, Iambo, & Spondæo. Sive ex Spondæo, Iambo, Trochæo, Spondæo, Trochæo, Spondæo & motu, sive syllaba longa.

vel

צִיּוֹן הֲלֹא תִשְׁאֲלִי לִשְׁלוֹם אֲסִירָיִךְ

דּוֹרְשֵׁי שְׁלוֹ—מֵךְ וְהֵם יֶתֶר עֲדָרָיִךְ :

O Sion! nonne requires pacem vinctorum tuorum,

Qui quærunt pacem tuam, quique sunt reliquiæ gregum tuorum?

Carmen politissimum, strophorhythmicum, & monocolon, cujus auctor R. Juda Levi Hispanus, qui medio fere sæculo XII. floruit. In voce דּוֹרְשֵׁי v. 2. (ֹ) quiescit licet post motionem magnam accentu tonico non fultam. Vide Buxtorf. pag. 631. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 220.

IV. SPECIES ex Iambo, Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo, & Bacchio, sive Iambo & motu.

– – ᵕ |–ᵕ |– – |–ᵕ |– – |–ᵕ } vel
–|– ᵕ |–ᵕ |– – |–ᵕ |– – |–ᵕ

אֱל—הֵינוּ וְאָ—בִינוּ הֱיֵה יְשׁוּעָה
וְעֻ—זֵּנוּ בְּכָל—צָרָה וְצוּק וְתוֹעָה ׃
פְּדֵ—נוּ מִ—שְּׁאוֹל מָוֶת וְשֵׁד וְרוֹעַ
וְנָ—שִׁירָה לְךָ בִּמְאֹד בְּקוֹל תְּרוּעָה ׃

Deus noster, & pater noster, esto salus
Et robur nostrum in omni calamitate, & angustia, & errore.
Redime nos ab inferno mortis, & Diabolo, & malo,
Et cantabimus tibi valde in voce exsultationis.

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. In וְרוֹעַ v. 3. páthahh furtivum longam syllabam constituit. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 221.

§. IX.

De Carmine tesseradecasyllabico, sive quatuor & decem syllabis constante, eoque composito.

I. SPECIES ex Spondæo, Bacchio, Spondæo duplici, Bacchio & Iambo. Sive ex Spondæo, Iambo, Spondæo duplici, Trochæo, Spondæo & Iambo.

–ᵕ |– –ᵕ |– – |– – |– –ᵕ |– – } vel
–ᵕ |– –|ᵕ   –|–   –|–   –|–ᵕ |– –

גִּבּוֹר יְגָרֶה גֶּבֶר שָׁפָל וְרָשָׁע לְבָר
עֵת יִתְ—קְפוֹ זֶה אָז הוּא יֵרֵד וְיַחֲלִיק דָּבָר ׃
פִּיו נָא אֲדֹנִי לַחֲטֹא אַל תִּפְ—קְדָה כִּי כְבָר
נִחַ——מְתִּי וְ—אֶהְיֶ לָךְ לְאָב וְאַתְּ לִי לְבָר ׃

Potens irritat virum humilem, & improbus electum.
Cum prævalet ei hic (humilis); *tunc ille* (improbus) *demittit se, & emollit verbum*
Oris sui (dicens): *quæso, Domine mi, ad peccandum ne visites* (me); *quia jam*
Consolatus sum me (de te), *& ero tibi pater, tu autem* (eris) *mihi filius.*

Carmen politissimum, monorhythmicum, monocolon, & desumtum ex *Mischlé Schoualím*, fab. 11. In לַחֲטֹא v. 3. & וְאֶהְיֶ v. 4. (ֲ) & (ֶ) quiescunt, seu non proferuntur. E contrario, in נִחַמְתִּי v. 4. (ְ) legitur post motionem parvam; quare non imprimitur dagh. תּ ת. Denique לָךְ in eodem v. Chaldaïcum est, pro לְךָ; & אַתְּ per enallagen generis ponitur pro אַתָּה. Vide tom. I. pag. 72.

II.

II. SPECIES ex Bacchio, Iambo, Spondæo, Bacchio, Iambo, & Spondæo. Sive ex Iambo, Trochæo, Spondæo, Trochæo, Spondæo, Iambo, & Spondæo.

vel

שמור נא יהוה ע—מך על דבריך
שלח רו—חך אליו וחון את־עבדיך :
למען נאהבך בכל־לב ויצרנו
ונשיר לעולם את־תהלות שבחיך :

Custodi, quæso, Domine, populum tuum propter verbum tuum.
Mitte Spiritum tuum ad eum, & miserere servorum tuorum;
Ut diligamus te ex toto corde, & mente nostra;
Et cantemus in sæculum celebrationes laudum tuarum.

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 223.

§. X.

De carmine pentadecasyllabico, sive quindecim syllabis constante, eoque composito.

SPECIES unica ex puris Bacchiis, sive ex Iambo, Trochæo, Spondæo, Iambo, Trochæo, Spondæo, Iambo, & motu, sive syllaba longa.

vel

יהוה נחני בדרך ישרה וטובה
ומני מנע כל־לשון רע וצרה ואיבה :

Domine, deduc me in via recta & bona,
Et à me prohibe omnem linguam malam, & afflictionem, & inimicitiam.

Carmen politissimum, monorhythmicum, & monocolon. Vide Theod. Ebert. Poëtic. pag. 224.

§. XI.

De carmine hexadecasyllabico, sive sexdecim syllabis constante, eoque composito.

I. SPECIES ex Iambo & Spondæo alternatim positis.

אני ישן ול—בי ער בתח—בולות ומן סוער
בתוך לבי כאש בוער מאד עצור בעצ—מותי :
ביום זכרי מו—מותי תכו—נותי ועד—מותי
וקו—רותי וחב—מותי ואנ—צור בא חלי—פותי :

Ego dormio, sed cor meum vigilat propter curas temporis turbulenti.
In medio cordis mei est quasi ignis ardens: vehementer conturbatus sum in membris meis,
Cum recordor scelerum meorum, dispositionum mearum, astutiarum mearum,
Casuum & calliditatum mearum: exspecto igitur adventum vicissitudinum mearum.

Carmen politissimum, colorhythmicum, & monocolon. Vide Buxtorf. pag. 634. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 196.

Ejusdem formæ est, sed monorhythmicum, acutissimum illud R. Eliæ carmen.

אמת תבחר בדבורך ולא כזב בשום ענין
והאמת יסוד שלום וכזבי בת נשיא מדין :

Veritatem elige in sermone tuo, & non mendacium in ullo negotio;
Nam veritas fundamentum est pacis: at falsitas filia principis contentionis.

Carmen politissimum, monorhythmicum, & monocolon. In והאמת v. 2. (׃) longam efficit per licentiam poëticam, cui facile ignoscitur, ob egregium carminis hujus acumen; in eo enim respicit poëta ad Num. 25. v. 15. ubi mulier cum Zambri interfecta vocatur *Cosbi*, eaque filia erat *Sur* principis *Madianitarum*. Utrumque nomen ex proprio fecit appellativum; כזבי enim aut כוזבי Thalmudistis est *mendacium* sive *falsitas*, à כזב *mentitus est*; & מדין *jurgium*, *contentionem* sonat, à דין *judicavit*, *disceptavit*, *contendit*; eoque sensu accipitur vox plural. מדינים Prov. 18. v. 18. Ut isthæc allusio magis pateret, noster D. Thomas *Du Four* ultimum secundi hemistichii membrum sic interpretatus est: *& Cosbi filia principis Madian.* Vide Buxtorf. p. 635.

II. SPECIES præcedenti opposita, nempe constans ex Spondæo, & Iambo vices alternantibus suas.

רבים שכורי יין וזדון לבם עתידים ל—ענוש
און ישכרו מי ראש ולא יין ישמח לב אנוש :

Multi ebrii sunt vino superbia; (sed) animo suo futurum est ut dent pœnas,
Tunc inebriabuntur aquis cicutæ, neque vinum lætificabit cor hominis.

Carmen politissimum, monorhythmicum, & monocolon. Vide Buxtorf. p. 635. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 198. Metri hujus reperiuntur etiam carmina simplicia, quale est, quod Lexico suo præmisit doctissimus Buxtorfius, de quo infra.

NOTÆ.

Hæ sunt præcipuæ carminum Hebræorum species, quibus plures aliæ excogitari possunt, modo instituta ratio, hoc est, eadem rhythmorum metrorumque species in toto carmine retineatur. Hinc cum versus duodecim syllabis longiores quibusdam anomali videantur & insuaves; sunt qui eos medios secent, ac v. g. hexadecasyllabicos in ogdoasyllabicos tribuant. Exempla sint duæ præcedentis paragraphi species.

II. Species.	*I. Species.*
רבים שכורי יין וחן	אמת תבחר בדבורך
לבם עתידים לענוש :	ולא כזב בשום ענין :
אז יש־כרו מי ראש ולא	וחן — אמת יסוד שלום
יין ישמח לב אנוש :	וכן — כי בת נשיא מדך :

Hi versus, ut vides, ex monorhythmicis fiunt colorhythmici.

Eadem ratione carmen ex viginti syllabis compositum, quod Schindleri lexico pentaglotto Gualtherus Keuchenius præfixit, ad carmen decasyllabicum sive pentametrum revocari potest. Hîc primos duos versus tum viginti suis syllabis constantes, tum ad decem redactos, exempli causa describere sufficiat.

חוי כל־אשר צמא במיץ גומא רד אל־באר חכמה ותושיות :
מה־לך בבורות ריק באין מים הא כ—חלת גלות בעליות : וגו'

Heus omnis, qui sitiens (bibis) *de pressura junci* (i. aquam turbidam), *descende ad puteum sapientiæ & substantiæ*, h. e. ad aquas tranquillas & abundantes.

Quid tibi cum cisternis vacuis (&) *in* (quibus) *non sunt aquæ? Ecce possessionem scaturiginum superiorum*, Jos. 15. v. 19.

Atque ita se habet carmen integrum, quod constat 39. versibus monorhythmicis, qui & ipsi componuntur ex Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo, Spondæo duplici, Iambo, Spondæo, Iambo, & Spondæo. Sic autem in pentametrum convertitur:

חוי כל—אשר צמא במיץ גומא
רד אל—באר חכמה ותו—שיות :
מה־לך בבורות ריק באין מים
הא כ—חלת גלות בע—ליות :

Heus omnis, qui sitiens (bibis) *de pressura junci,*
Descende ad puteum sapientiæ & substantiæ.
Quid tibi cum cisternis vacuis in (quibus) *non sunt aquæ?*
Ecce possessionem scaturiginum superiorum.

Carmen istud sic dispositum ex monorhythmico, fit colorhythmicum, constatque ex Spondæo & Iambo alternatim positis.

Sunt è contrario, qui longioribus versibus delectati, tetrametros in hexadecasyllabicos mutent, & ex disticho unicum versum efficiant.

אדון עולם אשר מלך בט—רם כל—יציר נברא :
בעת נעשה בחפ—צו כל אזי מלך שמו נקרא :
ואח—רי כ—כלות הכל לב—דו י—מלוך נורא :

Dominus mundi, qui regnavit antequam ulla creatura eſſet creata,
Quo tempore facta ſunt per voluntatem ejus omnia: tunc rex nomen ejus vocatum eſt.
Et poſtquam abſolvit omnia, ſolus ipſe regnat reverendus.

Carmen politiſſimum, monorhythmicum, & monocolon. In 3. v. וְאַחֲ iambum conſtituit, quia (ְ) ſilet, aut potius omittitur. Contra, in כִּכְלוֹת & יִמְלוֹךְ, ibid. legitur (ְ) quanvis poſt motionem natura brevem. Vide Buxtorf. pag. 616. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 226.

Carmen iſtud hexadecaſyllabicum ſic ad ogdoaſyllabicum ſive tetrametrum reducitur.

Dominus ſæculorum, qui regnavit	אֲדוֹן עוֹלָם אֲשֶׁר מָלַךְ
Antequam ulla creatura eſſet creata,	בְּטֶ—רֶם כָּל יְצִיר נִבְרָא׃
Quo tempore facta ſunt per voluntatem ejus omnia;	לְעֵת נַעֲשָׂה בְחֶפְ—צוֹ כֹל
Tunc rex nomen ejus vocatum eſt.	אֲזַי מֶלֶךְ שְׁמוֹ נִקְרָא׃
Et poſtquam abſolvit omnia,	וְאַחֲ—רֵי כִ—כְלוֹת הַכֹּל
Solus ipſe regnat reverendus,	לְבַ—דּוֹ יִ—מְלוֹךְ נוֹרָא׃

Sic ex carmine ſequenti trimetro ſive hexaſyllabico & diverſorhythmico,

Valde anima mea abominatur	מְאֹד נַפְשִׁי תְגָעַל
Omnes homines improbos,	לְכָל־אַנְשֵׁי מַעַל
Cum vendunt animam ſuam pro	בְּמָכְ—רָם נַפְ—שָׁם עַל
Loculis argenti ſui;	צְרֹו—רוֹת כַּסְ—פֵּיהֶם׃
Et multiplicant poſſeſſiones,	וְיַרְ—בּוּ קִנְ—יָנִים
Et plantationes amœnas,	וְנִטְ—עֵי נַעְ—מָנִים
Et multiplicant ædificationes	וְיִבְ—נוּ בִנְ—יָנִים
In terra non ſua (i. aliena).	בְּאֶ—רֶץ לֹא לָהֶם׃
Lætabuntur (in) die mortis eorum,	וְשָׂמְ־חוּ יוֹם מוֹתָם
Filii & filiæ eorum;	בְּנֵי—הֶם וּבְ—נוֹתָם
Et ad inſtaurandos theſauros ſuos,	וְלִבְ—דּוֹק אוֹצְ—רוֹתָם
Evacuabunt ſaccos eorum.	מְרִי—קִים שַׂ—קֵּיהֶם׃

Fit carmen hexametrum ſive dodecaſyllabicum, & pariter diverſorhythmicum.

מְאֹד נַפְשִׁי תְגָעַל	לְכָל־אַנְשֵׁי מַעַל
בְּמָכְ—רָם נַפְ—שָׁם עַל	צְרֹו—רוֹת כַּסְ—פֵּיהֶם׃
וְיַרְ—בּוּ קִנְ—יָנִים	וְנִטְ—עֵי נַעְ—מָנִים
וְיִבְ—נוּ בִנְ—יָנִים	בְּאֶ—רֶץ לֹא לָהֶם׃
וְשָׂמְ—חוּ יוֹם מוֹתָם	בְּנֵי—הֶם וּבְ—נוֹתָם
וְלִבְ—דּוֹק אוֹצְ־רוֹתָם	מְרִי־קִים שַׂ־קֵּיהֶם׃

Valde anima abominatur omnes homines improbos,
Cum vendunt animam suam pro loculis argenti sui;
Et multiplicant possessiones & plantationes amœnas,
Et multiplicant ædificationes in terra non sua (i. aliena).
Lætabuntur (in) *die mortis eorum filii & filiæ eorum;*
Et ad instaurandos thesauros suos, evacuabunt saccos eorum.

Carmen istud desumtum est ex מַרְפֵּא לָשׁוֹן marpé laschón, *medela linguæ*, quem librum alii tribuunt Rabbi Moysi filio Hhaviv, de quo supra pag. 358. Alii Rabbi Moysi filio Schem Tov Legionensi, Hispano, qui sæculo XIII. exeunte floruit. Vide doctiss. Wolfium Biblioth. Heb. tom. I. pagg. 821. & 899. In vocibus וְשָׂמְחוּ v. 5. & אוֹצְרוֹתָם v. 6. (ּ) quiescit, licet post motionem magnam fultam tantum accentu euphonico. Vide Buxtorf. pag. 633. & Theod. Ebert. Poëtic. pag. 227.

Ita quoque ex hoc carmine heptasyllabico, diversorhythmico, compositoque ex Bacchio, Iambo, & Spondæo. Sive ex Iambo, Trochæo, Spondæo & motu,

	– –|– ᵕ |– – ᵕ } vel
	–|– –|ᵕ – |– ᵕ
Mitte, quæso, verba tua,	שְׁלַח נָא דְבָרֶיךָ
Domine, populis tuis:	יְהוָה לְעַמֶּיךָ
Et sanctifica fideles tuos	וְקַדֵּשׁ אֱמוּנֶיךָ
In sæcula sæculorum.	לְנֶצַח וְלִנְצָחִים ׃
Dimitte iniquitatem nostram,	סְלַח עַל עֲוֹנֵנוּ
Condona peccatum & debitum nostrum.	נְשָׂא חֵטְא וְחוֹבֵנוּ
Esto auxilium nostrum,	הֱיֵה עֶ—זְרָתֵנוּ
Et da gratiam & quietem.	וְתֵן חֵן וְנִיחוֹחִים ׃

Componitur sequens tesseradecasyllabicum & pariter diversorhythmicum, constansque ex Bacchio, Iambo, Spondæo, Bacchio, Iambo & Spondæo. Sive ex Iambo, Trochæo, Spondæo, Trochæo, Spondæo, Iambo & Spondæo.

– –|– ᵕ |– – ᵕ |– –|– ᵕ |–   – ᵕ } vel
– –|– ᵕ |– –|ᵕ   –|– –|ᵕ   – |– ᵕ
שְׁלַח נָא דְבָרֶיךָ יְהוָה לְעַמֶּיךָ
וְקַדֵּשׁ אֱמוּנֶיךָ לְנֶצַח וְלִנְצָחִים ׃
סְלַח עַל עֲוֹנֵנוּ נְשָׂא חֵטְא וְחוֹבֵנוּ
הֱיֵה עֶ—זְרָתֵנוּ וְתֵן חֵן וְנִיחוֹחִים ׃

Mitte, quæso, verba tua, Domine, populo tuo,
Et sanctifica fideles tuos in sæcula sæculorum.
Dimitte iniquitatem nostram, condona peccatum & debitum nostrum.
Esto auxilium nostrum, & da gratiam & quietem.

Carmen politissimum, monocolon, & desumtum ex Theod. Ebert. Poëtic. pag. 228. In עֶזְרָתֵנוּ v. 4. (ּ) legitur quanvis post motionem natura parvam collocatum.

Hæc pro longioribus carminibus in breviora, & brevioribus in longiora commutatis exempla sufficiant. Alia facile excogitabit musarum Hebræarum amator.

Carmen, quod echûs speciem referat, perquameximium à Poëtis Hebræis existimari diximus supra pag. 342. col. 2. R. Joseph filius Jehhaiæ, al. Jechaiæ aut Jachiæ, Hispanus, qui circa annum Christi 1280. florebat, hoc genere carminis scripsit epitaphium הרשבא *harischba*, h. e. R. Salomonis filii Abrahami filii Adrath, al. Addereth, Barcinonensis, qui circa idem tempus, quo prædictus R. Joseph, vixit. Carmen istud hendecasyllabicum est, & compositum ex Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo, Spondæo & motu, sive Molosso. Sic autem incipit:

קָרְחָה לְהַרְחִיב כְּ—נְשָׁרִים שָׁרִים
חוּשׁוּ וְתַחַת שִׁיר אֲמָרִים מָרִים׃

Calvitium dilatandum est instar aquilarum, ô Cantores,
Festinate, & pro Cantico dicta amara (proferte).

Hoc carmen constat 41. distichis, estque colorhythmicum.

Templi Jerosolymitani vastationem luget carmine simili, h. e. resono, seu echo referente, R. Simeon filius Tsemahh. Hoc carmen, quod incipit: שִׁפְכוּ דְמָעוֹת וגו׳ *effundite lacrymas*, &c. constat 63. distichis colorhythmicis.

Ejusdem generis carmen hexametrum colorhythmicum & incisum præponitur libro dicto עֲקֵדַת יִצְחָק *ligatio Isaaci*, cujus auctor R. Isaac Arama, qui ex Hispania cum ceteris Judæis anno Christi 1492. ejectus est. Carmen istud, cujus membra trimetra constant Iambo & gemino Spondæo, sic incipit:

מְקוֹר בִּינָה נִשְׁחָתָת וְכָל־מַשְׂכִּיל נִחֲרַת
בִּמְזָרֶה אוֹ רַחַת וְנִפְעֲמִים עַמִּים׃

Fons intelligentiæ corruptus est, omnisque prudens attritus est
Ventilabro aut vanno, & conquassati sunt populi.

Vide Buxtorf. pag. 638.

Denique, ut monuimus supra pag. 342. col. 2. clariss. Buxtorf. præmisit Lexico suo Hebraïco & Chaldaïco carmen hujusmodi hexadecasyllabicum, simplex, & monorhythmicum. Erit vero colorhythmicum si ad tetrametrum revocetur. Cum carmen istud manibus omnium teratur, ejus initium hîc ponere sufficiat.

אֵלַי סוּרוּ הַבַּחוּרִים קִרְבוּ כָל־הַנְּעָרִים עֵרִים
נֹפֶת תִּטֹּפְנָה שִׂפְתוֹתַי עִם אֵלֶּה הַדְּבָרִים בָּרִים׃ וגו׳

Ad me divertite juvenes, accedite omnes adolescentes seduli,
Favum distillant labia mea cum his verbis puris, &c.

In הַנְּעָרִים v. 1. & הַדְּבָרִים v. 2. non legitur (·), quanvis sub litera daghésch notanda.

ARTICULUS IV.

De carminibus Hebræorum Acrostichis.

IN libris Judæorum, maxime vero in iis, quos מַחְזוֹרִים mahhzorim, h. e. *circulos* appellant, quod orationes sive preces per anni circulum festis diebus recitandas complectantur, reperire est carmina ἀκρόστιχα, *acrosticha*, id est, quorum versus à literis alphabethi modo recto, modo inverso, modo alio ordine dispositis incipiunt. In his porro carminibus majorem rhythmi quam metri rationem habuerunt Judæorum poetæ. Ejus generis poëseos amatoribus pergratum me facturum existimo, si exemplorum à Theodoro Eberto, Poëtic. Heb. pag. 103. & sequentibus positorum initia, quibus carminum hujuscemodi artificium cognoscatur, in fine hujus capitis descripsero.

I. Carmen, cujus singuli versus à literis alphabethi recto ordine dispositis incipiunt.

Audi parentes tuos in consociatione fidelium,	זוֹן לְהוֹרֶיךָ בְּחִבּוּר אֱמוּנִים	אֱ
(Qui) *precibus te* (Deo) *acquisierunt,*	עֲתָרוֹת אוֹתְךָ קוֹנִים :	בַּ
Traxerunt te in fœdus fortium, (i. patriarcharum,)	וְרָרוּךָ בִּבְרִית אֵיתָנִים	גְּ
Sufficientia lactis uberum te impinguarunt, &c.	י חֲלֵב שָׁדַיִם לְךָ מְדַשְּׁנִים : וגו'	דֵּ

Ex Mahhzor de festo Pentecostes. Paraphrasis est præcepti de honore parentibus exhibendo. *Consociatione fidelium*, v. 1. intelligitur legitimum matrimonium. Verbum *traxerunt*, v. 3. est pro, *erudierunt*, *instituerunt*, &c. carmen est monorhythmicum. Vide tom. I. pag. 4. col. 1. ubi quasdam Scripturæ partes hoc artificio compositas laudavimus.

II. Carmen, cujus singuli versus incipiunt à literis alphabethi, sed ordine inverso dispositis.

Cautus esto, & recede à viris sanguinum,	ור וְסוּר מֵאַנְשֵׁי דָמִים	תְּ
(Qui) *servant in corde suo inimicitiam & adversantur,*	וֹמְרִים בְּלִבָּם אֵיבָה וְשׁוֹטְמִים :	שׁ
(Qui in) *impietate secreti* (sui) *callide agunt,*	שַׁעַת סוֹד מַעֲרִימִים	רְ
(Qui) *tollere animam justorum cogitant*, &c.	חַת נֶפֶשׁ צַדִּיקִים זוֹמְמִים : וגו'	קַ

Ex eodem Mahhzor & ibid. Paraphrasis est præcepti de homine non occidendo. In vocibus in *impietate secreti*, v. 3. hypallage est, pro, in *secreto impietatis*. Carmen est monorhythmicum, ut præcedens.

III. Carmen, cujus versuum prima litera est eadem, puta ח*; secunda qualibet alphabethi recto ordine disposita.*

Dicas (ô Deus), *ut deleantur delicta nostra,*	אמַר לִמְחוֹת אֲשָׁמֵינוּ	ח
Venias ad innovandos dies nostros,	בֹּא לְחַדֵּשׁ יָמֵינוּ	חָ
Aperias annum retributionum nostrarum,	גַּלֵּה שְׁנַת שִׁלּוּמֵינוּ	חָ

Vexillum erigas ad magnificandum nomen nostrum,	דגיל לגדל את־שמנו	ת
Dejicias de scabello adversarios nostros,	חדוף מהדום מתקוממינו	ת
Appareas, ô altissime, ut exaltes nos, &c.	ופיע מרום לרוממנו : וגו׳	ת

Oratio Judæorum, in qua petunt remissionem peccatorum, restitutionem in patriam, & Messiæ adventum. Desumta est ex Mahhzor de die Kippourim seu expiationum. Carmen monorhythmicum, ut præcedentia.

IV. Carmen, cujus singuli versus incipiunt quidem à literis alphabethi recto ordine dispositis; sed cujus distichis præponitur unus idemque Scripturæ textus carminis argumento accommodus. Hujus autem contextus pars prior priori hemistichio, posterior vero posteriori præmittitur. Is textus in exemplo subjecto est סלח־נא לעון condona, quæso, iniquitatem, *&c. Ex Num.* 14. *v.* 19. *desumtus.*

אשמות פשעי לעמיך	סלח־נא
בניך כל יחרח זעמך :	לעון
גיעולם ויחיו ממקור עמך	סלח־נא
דגליך שא ותנחם כנואמך :	לעון
חכל־מודים ועוזבים כרשומך	סלח־נא
ופשע מחל למען שמך : וגו׳	לעון

Condona, quæso, delicta prævaricationum populorum tuorum,
Contra iniquitatem filiorum tuorum ne exardescat ira tua.
Condona, quæso, fœditatem eorum, & vivant ex fonte, (qui) *tecum est.*
Iniquitatem vexillorum tuorum remitte, & consoleris secundum verbum tuum.
Condona, quæso, omnibus confitentibus (tibi), *& derelinquentibus* (peccata) *secundum Scripturam tuam,*
Iniquitati & prævaricationi (eorum) *ignosce propter nomen tuum,* &c.

Oratio, qua Judæi petunt à Deo remissionem peccatorum. Desumta est ex Mahhzor de vespera noctis Kippourim. Carmen est monorhythmicum, uti & præcedentia. In eo voces גיעול v. 3. נואם v. 4. רשום v. 5. & מחל v. 6. sunt Rabbinicæ, cujusmodi plures in his carminibus reperiuntur. Per *fœditatem* v. 3. intelliguntur peccata fœdissima; per *vexilla* v. 4. significatur populus Judaïcus, quem Deus vexilli instar exaltavit; vel qui sub vexillis Dei militare se arbitratur. Hîc etiam generatim monuisse sufficiat, carmina illa esse plerumque obscurissima, allegorica, & multis ellipsibus referta.

V. Carmen, cujus singula disticha ab eadem litera incipiunt, & in quo proinde geminatur alphabethum.

Magnificentiam gloriæ Dei mei	דר יקר אלי	א
Indicabo in prolatione sermonis mei.	חוה בארש מלולי :	א

Cum melodia pulchrum cantabo canticum, ב חִין אַנְעִים זֶמֶר

Cum fructu eructabo ſermonem. ב נִיב אַבִּיעַ אֹמֶר :

Potentias ejus quis loquetur? ג בוּרוֹתָיו מִי יְמַלֵּל

Magnitudinem ejus quis judicabit? &c. ג דְלוֹ מִי יְפַלֵּל : וגו'

Precatio, qua Judæi majeſtatem Dei, ac poteſtatem prædicant. Carmen eſt ſtrophorhythmicum, in quo voces אֲבִיעַ v. 2. & חִין v. 3. ad dialectum Rabbinicam pertinent.

VI. Carmen, in quo verſus omnes incipiunt à ſingulis alphabethi literis recto ordine diſpoſitis, ſed quarum unaquæque in medio verſu repetitur.

א אַפִּיד נֵזֶר א יוֹם

ב שְׁלוֹשׁ קָדוֹשׁ ב יוֹם :

ג בּוֹרֵי כֹחַ ג דוּלָה

ד הַדְרוּהוּ בְּבֵית ד גִילָה :

ה וֹגֵי הֶגֶת ה מוּלָה

ו תַקְּחוּ בְּהַלֵּל ו מִלָּה : וגו'

Cingam corona (laudis) *Terribilem* (i. celebrabo Dominum),

(Cantando) *ter SANCTUS in die* (quolibet).

Fortes virtute majeſtatis (i. e. pii)

Celebrate eum in domo vexilli (i. Templo).

Meditantes ſermonem loquelæ (h. e. angeli)

Celebrate eum in hymno & ſermone (i. oratione), &c.

Auctor carminis, quod deſumtum eſt ex Mahhzór de primo die Róſch haſchſchaná, i. *novi anni*, hortatur homines & angelos, ut Deum optimum celebrent. Sunt in eo plurimæ voces Chaldaïcæ aut Rabbinicæ, puta שְׁלוֹשׁ v. 2. דַּהֲדְרוּהוּ pro וַהֲדְרוּהוּ v. 4. דְּגִילָה ibid. quæ vox verti etiam poteſt *exſultatio*, ſi deducatur à גִּיל *exſultare*; וְתַקְּחוּ v. 6. &c. Templum dicitur *domus vexilli*, quod elevatum eſſet inſtar vexilli; vel *domus exſultationis*, quod in cœlo, quod hîc per Templum ſignificari etiam poteſt, angeli & beati cum exſultatione Dei laudes jugiter canant.

VII. Carmen, cujus verſus incipiunt à literis ſecundum ordinem alphabethi Qabbaliſtici אַתְבַּשׁ*, de quo infra cap. IV. art. I. §. III. diſpoſitis; hoc eſt, cujus verſus primus incipit ab* א*, ſecundus à* ת*, tertius à* ב*, quartus à* ש*, &c.*

אַף אֹרַח מִשְׁפָּטֶיךָ יְהוָֹה קִוִּינוּךָ

תַּאֲוַת לֵב בַּצַּר פְּקַדְנוּךָ

בָּרֵי לֵבָב מֵאֶתְמוֹל קִדַּמְנוּךָ

שׁוֹפַר תְּרוּעָה טֶרֶם שִׁמַּעְנוּךָ :

גְּזֵרַת חֻקּוֹת מִיצִירַת בְּרֵאשִׁית

רֹאשׁ דְּבָרֶיךָ תְּשׁוּבָה לְהָשִׁית

דין טרם חערך מראשית
קדמת למלט שובבים מחרישית ׃ וגו'

Etsi via judiciorum tuorum (sit), *Domine*, (tamen) *exspectamus te*,
(In) *desiderio cordis* (nostri) *in angustia visitamus te*,
Puri corde ab heri prævenimus te,
Tubam jubilationis ante audire fecimus te.
Decretum (enim) *statuisti ante formationem in principio*,
Initium verborum tuorum (vel *rerum tuarum*) *pœnitentiam ponere*.
(Nam) *judicium antequam institueretur ab initio*,
Præcessit (illud pœnitentia) *ad liberandum pœnitentes à silentio* (i. damnatione).

Carmen strophorhythmicum, & ex Mahhzor de Rósch haschschaná desumtum. Ejus auctor pœnitentiam extollit, petit liberationem ab exsilio, &c. Versuum descriptorum is est sensus: Tametsi mala, quæ patimur, à justis judiciis tuis proficiscantur, Domine; vel quanvis hoc ipso primo anni die à te judicemur, tamen exspectamus te, toto corde in tribulationibus nostris ad te confugimus; qua potuimus cordis puritate jam prævenimus te; jubilationis tubam jam ante inflavimus; decrevisti enim ab initio, & ante mundum conditum, pœnitentiam operum tuorum principium statuere, antequam judicium constitueretur ab initio, ut ea præveniret, liberaretque pœnitentes à silentio, h. e. damnatione æterna, in qua silent Dei laudes. Hæc ut facilius intelligantur, sciendum integro mense Eloúl, qui Tischri primum anni civilis mensem præcedit, solere Judæos synagogam petentes cornu arietinum inflare. Vide hunc ritum infra cap. VII. art. II. §. V. descriptum. Putant etiam septem esse ante mundum creata, nempe Legem Mosaïcam, pœnitentiam, hortum Eden, sive paradisum terrestrem, Gehennam, solium gloriæ, domum sanctuarii, & Messiæ nomen. Fingunt itaque Deum creasse pœnitentiam ante judicium sive damnationem, eumque postea decrevisse peccatores pœnitentiam agentes salvare; impœnitentes vero suppliciis æternis deputare.

VIII. Carmen cujus stropharum tres priores versus ab eadem litera incipiunt; quartus vero à qualibet alia. Sic Thren. cap. 3. una eademque litera tribus versibus dat initium; & Psal. 118. *Heb.* 119. *octo versus ab eodem inchoantur elemento.*

Dominus educavit me,	אדון אמנני
Apud se habitare fecit me,	אצלו שכנני
Hominem (Israëlitam) *possidere me fecit*,	אדם חקנני
Dominus possedit me.	יהוה קנני ׃
(Mundi) *ædificium cum disponeret ipse*,	בנין בערכו
Per me consultavit de necessitate ejus,	כי אין צרכו
In delectatione genu ejus,	בשעשוע ברכו
(Ego sum) *principium viæ ejus*, &c.	ראשית דרכו ׃ וגו'

Carmen strophorhythmicum, in quo lex prædicatur, aut potius Sapientia æterna, sive λόγος, qui ab æterno est, per quem facta sunt omnia, & cui præsertim competunt quarti quique stropharum versus, qui ex Prov. 8. vv. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. paucis immutatis, desumuntur. Vide Mahhzór de primo die Pentecostes.

IX. Carmen, in quo geminatur alphabethum, sed in primis tantum versibus duorum distichorum; ita ut primus versus primi distichi, & primus versus secundi distichi incipiant ab א *; primus versus tertii & quarti distichi, incipiat à* ב *, & sic de aliis literis. Secundi versus inchoari possunt à quovis elemento, etiam ab eo, à quo incipiunt primi, ut ex initio carminis sequentis liquet.*

Timebo in operibus meis, sollicitus ero omni tempore,	אפחד במעשי אדאג בכל־עת
Timebo in die judicii, cum veniam in recordationem.	אירא ביום דין בבאי לזכרון׃
Requiram benignum, orabo misericordem,	אדרוש לחנון אחלה לרחום
Deprecabor eum, qui statuit mihi diem in recordationem.	אחנן לחק לי יום לזכרון׃
Cum veniam ad judicium, cui innitar?	בבאי למשפט במי אשען
Et quis quæret mihi justitiam in recordationem?	ומי יחפש לי צדק לזכרון׃
In Patribus (i. Patriarchis) *speravi, & opera eorum comedi;*	באבות בטחתי ופעלם אכלתי
Ipsi enim fuerunt ante in recordationem, &c.	והם היו קדם לזכרון׃ וגו׳

Carmen colorhythmicum, cujus omnia disticha desinunt in vocem זכרון. In eo petunt Judæi à Deo ne rigide secum agat in judicio; sed majorum suorum merita respiciat, &c. phrasis enim, *opera Patriarcharum comedere*, hîc eorum merita sibi applicare significat. Vide Mahhzór in die secundo Rósch haschschaná, i. novi anni.

X. Carmen diversorhythmicum, cujus distichorum primi quique versus duas alphabethi literas, alteram initio, alteram in medio continent; secundi vero versus liberi sunt.

אדון עולם ברא גולם
עלה סלם בשערי תבונה׃
גבה מכל דרכו
יש לו כל בדעת נכונה׃
חוא אדם ובשר ודם
מעפר אדם ביצירה אחרונה׃ וגו׳

Dominus mundi creavit massam (informem),
(Quæ) *ascendit gradatim per portas intelligentiæ* (i. facta est creatura intelligens).
Altior fuit omnibus via (i. natura) *ejus*,
(Cum) *omnia ei fuerint in scientia recta*, (h. e. omnia adprime noverit.)

Ipse (autem) *est homo caro & sanguis*,

De pulvere (enim) *homo* (factus est) *in creatione postrema* (i. postremus omnium creatus) &c.

Carminis hujus auctor est (secundum Ebert. pag. 143.) R. Salomon Loria, al. Louria, qui in prioribus versibus stropharum 12. 13. 14. 15. nomen suum Salomonem initialibus literis expressit. Is natus est Ostroviæ in urbe Podoliæ, ac sæculo XVI. exeunte floruit. Exponit in hoc carmine creationem hominis, lapsum, & ad Deum, per pœnitentiam, conversionem, &c.

XI. Carmen aliud diversorhythmicum, in quo litera eadem quatuor versibus dat initium, & cujus posteriora omnia hemistichia in vocem שופר *desinunt.*

אשא דעי בצדק   תת לפעלי צדק
אשאלה משפטי צדק   קול להרים כשופר׃
אין קורא בצדק   ורודף צדק צדק
אקרא שמעה צדק   בקול בלול בשופר׃
בנתי במרעי   למרחוק שאת דעי
בטוי תרועה בידעי   בקול מתן שופר׃
בו בהריעי   ארצה לרועי
באמצו זרועי   בקול כח שופר׃ וגו׳

Assumam scientiam meam in justitia, ut dem (gloriam) *operantibus justitiam.*

Poscam judicia justitiæ (i. judicia justa), *vocem ut levare possim instar buccinæ.*

Non est (qui) *invocet* (Deum) *in justitia, & sectetur justitiam, justitiam,*

Ego invocabo, exaudi (Deus) *justitiam, in voce mista cum buccina.*

Intellexi in scientia mea à longe (i. à Deo) *sumere scientiam meam,*

Verbum jubilationis dum scire facio (i. annuntio) *in voce exhibitionis buccinæ,*

In ea (buccina) *cum sonuero, placebo pastori meo* (i. Deo).

Cum roboraverit ipse brachium meum in voce roboris buccinæ, (h. e. in voce robustæ buccinæ) &c.

In hoc carmine, quod ex Mahhzór de primo die Rósch haschschaná desumtum est, auctor prædicat cerimoniam inflandæ buccinæ, de qua supra pag. 370. & cui miram virtutem inepte, imo & impie attingit.

XII. Carmen itidem diversorhythmicum, cujus strophæ quatuor versibus componuntur, quorum duo priores sequuntur ordinem literarum alphabethi dicti אתבש, *de quo supra pag. 369. num. VII. Tertius est certum Scripturæ dictum. Quartus per totum carmen unus idemque repetitur.*

אנא אלהים חיים

תכתוב דביקיך לחיים

כי עמך מקור חיים

ואתה כרחום סלח לנו ׃

בעת רצון תענה תחנתי

שמעה יהוה צדק הקשיבה רנתי

אל תעלם אזנך לרוחתי לשועתי

ואתה כרחום סלח לנו ׃ וגו׳

Obsecro, Deus vivens,
Scribe adhærentes tibi ad vitam (i. in libro vitæ).
Quoniam tecum (vel *apud te* est) *fons vitæ*, Psal. 35. Heb. 36. v. 10.
Et Tu, sicut miserator, parce nobis.
In tempore beneplaciti exaudi deprecationem meam,
Audi, Domine juste (vel *justitiam* meam), *intende clamori meo,*
Ne occultes aurem tuam à singultu meo, (&) *à clamore meo*, Thren. 3. v. 56.
Et Tu, sicut miserator, parce nobis, &c.

Poëta in hoc carmine, quod vide in Mahhzór in diluculo Kippourim, petit à Deo exauditionem, peccatorum remissionem, &c.

XIII. Carmen elegantissimum & ex omnibus carminum speciebus compositum. Nam 1°. *ἀκροστιχὸν est, in eoque servatur rectus literarum ordo.* 2°. *Est monorhythmicum; cum primi stropharum versus omnes in eosdem, & secundi omnes in eosdem & similes rhythmos desinant.* 3°. *Referri potest cum ad strophorhythmicum; quilibet enim versus in duas partes divisus singulares rhythmos efficit: tum ad colorhythmicum, quandoquidem cola omnia syllabis* מך *clauduntur.* 4°. *Est diversorhythmicum; singulæ enim illius strophæ in quatuor incisiones dividuntur, quarum duæ priores sunt eædem, & duæ posteriores per totum carmen sunt similes.* 5°. *Ad alteram carminis diversorhythmici speciem pertinet; primo enim versui tertius, & secundo quartus respondet. Denique in hoc carmine hemistichiorum omnium finis componitur ex Scripturæ textu,* Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! *Psal.* 8. *v.* 2. *cujus prior pars,* Domine, Dominus noster, *prius hemistichium; posterior,* quam admirabile est nomen tuum! *posterius hemistichium claudit. Carmen istud, quod ex Mahhzor de diebus Kippourim desumtum est, integrum hîc descriptum non sine voluptate, opinor, invenient Rabbinicæ poëseos amatores.*

אליך תלוית עינינו   יהוה אדנינו
ברוך במקהלות עמך   מה אדיר שמך:
גאלנו שנית ממעינו   יהוה אדנינו
דר בשמי מרומיך   מה אדיר שמך:
הן לך האמרנו   יהוה אדנינו
ומי כעם מרוממי שמך   מה אדיר שמך:
זכור ברית איתנינו   יהוה אדנינו
חי כי אין זר עמך   מה אדיר שמך:
טהור לשמך קננו   יהוה אדנינו
יחיד הדן עולמים   מה אדיר שמך:
כחך יגדל מלכנו   יהוה אדנינו
לבנו לרוממך   מה אדיר שמך:
מנוף בזרוע גאלתנו   יהוה אדנינו
נהללך כאלי מרומך   מה אדיר שמך:
סעדנו וסמכנו   יהוה אדנינו
ענינו תודה לשמך   מה אדיר שמך:
פדנו וחננו   יהוה אדנינו
צור עולמים שמך   מה אדיר שמך:
קוממנו הקימנו   יהוה אדנינו
רחמיך יקדמו ועמך   מה אדיר שמך:
שמע קול תחנונינו   יהוה אדנינו
תתרומם מנשואי רחמך   מה אדיר שמך:

Ad te suspensi sunt oculi nostri, Domine, Dominus noster.
O! benedicte in congregationibus populi tui, quam admirabile est nomen tuum!
Libera nos secundo ab affligentibus nos, Domine, Dominus noster.
Qui habitas in cœlis altitudinis tuæ, quam admirabile est nomen tuum!
Ecce te laudamus, Domine, Dominus noster.
Et quis est sicut populus exaltantium nomen tuum? quam admirabile est nomen tuum!
Recordare fœderis fortium nostrorum (Patriarcharum), *Domine, Dominus noster.*
Vivus (es), *& non est alius tecum, quam admirabile est nomen tuum!*
O pure, propter nomen tuum posside nos, Domine, Dominus noster.
O unice, qui judicas mundum, quam admirabile est nomen tuum!
Virtus tua magnificetur, rex noster, Domine, Dominus noster.
Cor nostrum (est) *ad exaltandum te, quam admirabile est nomen tuum!*

Ex Ægypto in brachio (virtute) *liberasti nos, Domine, Dominus noster.*
Laudamus te sicut fortes altitudinis tuæ (angeli tui), *quam admirabile est nomen tuum!*
Juva nos & sustenta nos, Domine, Dominus noster.
Audi nos & confitebimur nomini tuo, quam admirabile est nomen tuum!
Redime nos & miserere nostri, Domine, Dominus noster.
Petra mundi est nomen tuum, quam admirabile est nomen tuum!
Erige nos & confirma nos, Domine, Dominus noster.
Misericordiæ tuæ præveniant iram tuam, quam admirabile est nomen tuum!
Audi vocem deprecationum nostrarum, Domine, Dominus noster.
Exaltare propter elevatos misericordiæ tuæ (Patriarchas), *quam admirabile est nomen tuum!*

Hæc pro acrostichis Hebræorum carminibus sufficiant. Alias species excogitari posse nemo non videt, qui sit in eo scribendi genere vel leviter exercitatus. Sunt enim, v. g. carmina, quorum voces omnes ab eadem litera, puta א, incipiant. Hujusce generis est precatio R. Joseph Barbi filii Letimi, quæ sic incipit.

אאמיר את־אדני אותותיו אפרשרת
אתודה אף אמונתו ארחשרת
אחדנו אלי אל־אחלו אדרשרת
אדני אלהינו אבקשרת :
אבקשה אמתך אולי אויב אודידרת
אשר אם אעלה אכסה ארץ אובידרת
אודיעך אנחתי אל אכחידרת
אליך אדני אגידרת : וגו'

Celebrabo Dominum, prodigia ejus declarabo;
Confitebor (ei), & *veritatem ejus eructabo.*
Unus ero cum illo, Deum meum in Tabernaculo ejus queram,
Domine, Deus noster, quæram,
Quæram (inquam), *veritatem tuam. Fortasse inimicum* (meum) *dejiciam.*
Quem cum sustulero, operiam terram (ejus &) *perdam* (eam).
Notum tibi faciam gemitum meum, non celabo (eum te);
Tibi (inquam) *Domine, indicabo* (eum). &c.

Sic Christianus Pierius anno 1576. prolixum carmen, cui titulum fecit: *Christus crucifixus*, & cujus singulæ voces à litera *C* incipiunt, in lucem emisit. En priores quatuor hujusce Carminis versus:

Currite, Castalides, Christo comitante, Camœnæ,
Concelebraturæ cunctorum carmine certum
Confugium collapsorum, concurrite, cantus
Concinnaturæ celebres, celebresque cothurnos, &c.

CAPUT III.

De Numeris Hebræorum.

HEBRÆI ad numeros exprimendos utuntur vel literis alphabethi, vel integris vocabulis. Hanc utramque numerandi rationem in sequentibus duobus articulis expendemus.

ARTICULUS I.

De numerandi ratione per literas, seu de notis arithmeticis.

LITERÆ alphabethi sunt duæ & viginti, quibus si addas quinque finales, erunt viginti & septem. Ex his autem 27. literis primus nonarius dat unitates, secundus denarios, tertius centenarios, hoc modo:

Unitates.		*Denarii.*		*Centenarii.*	
א	1.	י	10.	ק	100.
ב	2.	כ	20.	ר	200.
ג	3.	ל	30.	ש	300.
ד	4.	מ	40.	ת	400.
ה	5.	נ	50.	ך	500.
ו	6.	ס	60.	ם	600.
ז	7.	ע	70.	ן	700.
ח	8.	פ	80.	ף	800.
ט	9.	צ	90.	ץ	900.

Alia etiam ratione centenarii à quibusdam exprimuntur, nempe postpositis תָּו ת, quod 400. significat, aliis literis centenarios notantibus, ut תק 500. תר 600. תש 700. תת 800. תתק 900. Sic etiam exprimuntur millenarii, תתר 1000. תתרק 1100. תתרר 1200. תתרש 1300. תתרת 1400. תתרתק 1500. &c. Sed prior modus, quod ad centenarios, & qui sequitur, quod ad millenarios spectat, expeditior est ac usitatior.

Millenarios itaque Judæi exprimunt *vel* per literas duobus punctis coronatas, ut: א̈ 1000. ב̈ 2000. ג̈ 3000. ד̈ 4000. &c. י̈ 10000. כ̈ 20000. ל̈ 30000. &c. ק̈ 100000. ר̈ 200000. ש̈ 300000. &c. ץ̈ 900000. *Vel* per literas ipsi א̈ coronato præpositas, ut: א̈ 1000. בא̈ 2000. גא̈ 3000. &c. יא̈ 10000. כא̈ 20000. לא̈ 30000. &c. קא̈ 100000. רא̈ 200000. שא̈ 300000. &c. ץא̈ 900000. quanvis numeros 2000. excedentes vix arithmetice exprimant, sed vocibus integris utantur; aut si eos arithmetice exprimant, puncta millenarios coronantia negligunt, modo sequantur centenarii, ut: אק 1100. בק 2100. בר 2200. בש 2300. &c. Sic annum præsentem 1726. exprimunt אזכּו.

Numeros compositos exprimunt præponendo denarios, vel centenarios, aut millenarios; minoresque subjungendo. Numerus tamen 15. non signatur per יה quod est unum ex Divinis nominibus, sed per טו, h. e. 9. & 6. idque ob summam erga nomen istud reverentiam. Notas autem numericas unicas unico, plures duplici apice insignire solent, ut facilius à vocibus appellativis distinguantur. Cum duæ sint literæ numerales, alii duplici illo apice notant earum primam, alii, ut & nos, secundam. Cum vero tres, quatuor, aut quinque occurrunt, quidam nobiscum penultimam, quidam antepenultimam literam duobus illis apicibus onerant.

Schema

Schema numerorum compositorum.

י״א	11.	ס׳	60.	ק״ל	130.	ר׳	200.	ך״א	501. &c.	י̈	vel 10000.
י״ב	12.	ס״א	61.	קל״א	131.	ר״א	201.	ם׳	600.	יא̈	
י״ג	13.	ס״ב	62. &c.	קל״ב	132. &c.	ר״ב	202. &c.	ם״א	601. &c.	יא̈א	10001. &c.
י״ד	14.	ע׳	70.	ק״מ	140.	ר״י	210.	ם״י	610.	יא̈	11000.
ט״ו	15.	ע״א	71.	קמ״א	141.	רי״א	211.	םי״א	611. &c.	יא̈א	11001. &c.
י״ו	16.	ע״ב	72. &c.	קמ״ב	142. &c.	רי״ב	212. &c.	םט״ו	615. &c.	יבא̈	12000.
י״ז	17.	פ׳	80.	ק״נ	150.	ר״כ	220.	ן׳	700.	יבא̈א	12001. &c.
י״ח	18.	פ״א	81.	קנ״א	151.	רכ״א	221. &c.	ן״א	701. &c.	כ̈	vel 20000.
י״ט	19.	פ״ב	82. &c.	קנ״ב	152. &c.	ר״ל	230. &c.	ןי״ב	712. &c.	כא̈	
כ׳	20.	צ׳	90.	ק״ס	160.	ר״מ	240. &c.	ף׳	800.	כא̈א	20001. &c.
כ״א	21.	צ״א	91.	קס״א	161.	ר״נ	250. &c.	ף״א	801. &c.	כב̈	22000. &c.
כ״ב	22. &c.	צ״ב	92. &c.	קס״ב	162. &c.	ר״ס	260. &c.	ץ׳	900.	ל̈	vel 30000. &c.
ל׳	30.	ק׳	100.	ק״ע	170.	ר״ע	270. &c.	ץ״א	901. &c.	לא̈	
ל״א	31.	ק״א	101.	קע״א	171.	ר״פ	280. &c.	ץי״ב	912. &c.	לא̈א	30001.
ל״ב	32. &c.	ק״ב	102. &c.	קע״ב	172. &c.	ר״צ	290. &c.	א̈	1000.	לב̈	32000. &c.
מ׳	40.	ק״י	110.	ק״פ	180.	ש׳	300.	א̈א	1001. &c.	ק̈	vel 100000. &c.
מ״א	41.	קי״א	111.	קפ״א	181.	ש״י	310.	א̈יב	1012. &c.	קא̈	
מ״ב	42. &c.	קי״ב	112. &c.	קפ״ב	182. &c.	שי״א	311. &c.	ב̈	vel 2000.	קא̈ר	100200. &c.
נ׳	50.	ק״כ	120.	ק״צ	190.	ת׳	400.	בא̈		ץ̈	vel 900000.
נ״א	51.	קכ״א	121.	קצ״א	191.	ת״א	401. &c.	בא̈	vel 2001. &c.	ץא̈	
נ״ב	52. &c.	קכ״ב	122. &c.	קצ״ב	192. &c.	ך׳	500.	בא̈א		יקא̈	1000000. &c.

NOTÆ

In præcedens Schema.

Rabbini, ut myſterium aliquod in notis arithmeticis deprehendant, earum ordinem invertunt, minores majoribus anteponendo. Sic annum 376. exprimunt voce שלום ſchalom *pax*; nam ש denotat 300. ל 30. ו 6. ם 40. qui omnes numeri ſimul juncti conficiunt 376. ם finale quod 600. ſignificat, hîc valet tantum 40. ut enim literæ finales ſignent centenarios, non debent eſſe in fine poſt notas minores, ſed initio vel in medio. Ab hac tamen regula interdum diſcedunt Maſſorethæ in aſſignando verſuum, vocum, aut literarum libri alicujus Biblici numero. Vide ad calcem Deuteron. in הנץ ubi ץ valet 500. quanvis præcedat נ, quod valet tantum 50.

Iidem Rabbini annos vulgo computant à Mundi creatione, à quo tempore ad annum præſentem Æræ vulgaris 1726. numerant annos 5486. Nos vero, ſi Chriſtum anno 4000. exeunte natum ponamus, numeramus 5726. adeo ut Computatio noſtra Judaïcam annis 240. ſuperet. Hinc 240. illi anni Judaïcis, ut noſtris reſpondeant, ſemper addendi ſunt. Non ſolum autem Rabbinica numerandi ratio 240. annis noſtra minor eſt, verum

etiam millenarii in ea brevitatis ergo ſæpe abjiciuntur; tuncque additur לפ״ק, hoc eſt, לִפְרָט קָטָן *ſecundum ſupputationem minorem.* Sic v. g. Grammatica Qimhhi dicta *Michlol*, qua uſi ſumus, impreſſa eſt Venetiis apud Danielem Bombergum, anno ש״ה לפ״ק 305. ſecundum computationem minorem, h. e. mundi 5305. ſecundum Æram Judaïcam; ſecundum vero noſtram, 1545. Si enim ſummæ annorum 305. addas millenarium à Chriſti nativitate elapſum, & 240. annos, quibus Æra noſtra Rabbinicam ſuperat, habebis annos 1545. E contrario, cum anni ab orbe condito exprimuntur; ut anni Chriſti habeantur, ſummæ annorum à creatione mundi elapſorum addendi ſunt anni 240. & ex ſumma illa anni 4000. detrahendi; ſicque dabitur Æræ Chriſtianæ annus. V. G. Qimhhi floruit anno mundi 4950. ſecundum *Tſemahh David*, vel 4952. ſecundum *Schalſcheleth haqqabbala;* his annis addantur 240. erunt 5190. vel 5192. è quibus deducantur 4000. anni, ſupererunt 1190. vel 1192. qui ſunt anni Æræ Chriſtianæ, quibus floruit Qimhhi. Porro Judæi ab orbe condito ad Chriſtum natum vulgo numerant annos 3760.

ARTICULUS II.

De Numeris per voces integras expreſſis.

NUMERI vocibus integris expreſſi, ſunt vel *Cardinales*, vel *Ordinales*. Cardinales dicuntur, qui abſolute, & nulla habita aliorum ratione ſignificant, ut: *unus, duo, tres*, &c. Ordinales vero ſunt, qui ordinem ad alios denotant, ut: *primus*, qui alios ſequuturos deſignat; *ſecundus* qui primum ſupponit; *tertius* qui duos antecedentes indicat, &c. Hebræi non habent numeros ordinales ultra decem; nam ab undecim & ultra in infinitum ordinales cum cardinalibus confunduntur. In hoc articulo agemus I. de numeris cardinalibus. II. De ordinalibus. III. De adverbiis numeralibus.

§. I.

De Numeris Cardinalibus.

NUMERI Cardinales à tribus ad decem incluſive, maſculini femininorum; & vice verſa, feminini maſculinorum terminationem aſſumunt. Plurimi quandam conſtructionis formam præ ſe ferunt, ut in ſubjecta tabella cernere licet.

NUMERI CARDINALES.

	Femin. Conſtr.	Femin. Abſol.		Maſcul. Conſtr.	Maſcul. Abſol.	
Una.	Idem.	אַחַת	1.	אַחַד	אֶחָד	*Unus.*
Duæ.	שְׁתֵּי	שְׁתַּיִם	2.	שְׁנֵי	שְׁנַיִם	*Duo.*
Tres.	שְׁלֹשׁ	שָׁלֹשׁ	3.	שְׁלֹשֶׁת	שְׁלֹשָׁה	*Tres.*
Quatuor.	Idem.	אַרְבַּע	4.	אַרְבַּעַת	אַרְבָּעָה	*Quatuor.*
Quinque.	חֲמֵשׁ	חָמֵשׁ	5.	חֲמֵשֶׁת	חֲמִשָּׁה	*Quinque.*
Sex.	שֵׁשׁ	שֵׁשׁ	6.	שֵׁשֶׁת	שִׁשָּׁה	*Sex.*

Septem.	שְׁבַע	שֶׁבַע	7.	שִׁבְעַת	שִׁבְעָה	*Septem.*
Octo.	Idem.	שְׁמֹנֶה	8.	שְׁמֹנַת	שְׁמוֹנָה	*Octo.*
Novem.	תְּשַׁע	תֵּשַׁע	9.	תִּשְׁעַת	תִּשְׁעָה	*Novem.*
Decem.	Idem.	עֶשֶׂר	10.	עֲשֶׂרֶת	עֲשָׂרָה	*Decem.*
Undecim, & *undecima.*	עֶשְׂרֵה	אַחַת	11.	עָשָׂר	אַחַד	*Undecim*, & *undecimus.*
Duodecim, & *duodecima.*	עֶשְׂרֵה	שְׁתֵּים	12.	עָשָׂר	שְׁנֵים	*Duodecim*, & *duodecimus.*
Tredecim, & *decima tertia.*	עֶשְׂרֵה	שְׁלֹשׁ	13.	עָשָׂר	שְׁלֹשָׁה	*Tredecim*, & *decimus tertius.*
Quatuordecim, & *decima quarta.*	עֶשְׂרֵה	אַרְבַּע	14.	עָשָׂר	אַרְבָּעָה	*Quatuordecim*, & *decimus quartus.*
Quindecim, & *decima quinta.*	עֶשְׂרֵה	חֲמֵשׁ	15.	עָשָׂר	חֲמִשָּׁה	*Quindecim*, & *decimus quintus.*
Sexdecim, & *decima sexta.*	עֶשְׂרֵה —	שֵׁשׁ	16.	עָשָׂר	שִׁשָּׁה	*Sexdecim*, & *decimus sextus.*
Septemdecim, & *decima septima.*	עֶשְׂרֵה —	שְׁבַע	17.	עָשָׂר	שִׁבְעָה	*Septemdecim*, & *decimus septimus.*
Octodecim, & *decima octava.*	עֶשְׂרֵה	שְׁמוֹנֶה	18.	עָשָׂר	שְׁמוֹנָה	*Octodecim*, & *decimus octavus.*
Novemdecim, & *decima nona.*	עֶשְׂרֵה —	תְּשַׁע	19.	עָשָׂר	תִּשְׁעָה	*Novemdecim*, & *decimus nonus.*
Vigesimus, a, um.			20.	עֶשְׂרִים		*Viginti*, comm.
Viginti & una, vel *vigesima prima.*	וְעֶשְׂרִים	אַחַת	21.	וְעֶשְׂרִים	אֶחָד	*Viginti & unus*, vel *vigesimus primus*, &c.
Viginti dua, vel *vigesima secunda.*	וְעֶשְׂרִים	שְׁתַּיִם	22.	וְעֶשְׂרִים	שְׁנַיִם	*Viginti duo*, vel *vigesimus secundus.*
Viginti tres, vel *vigesima tertia.*	וְעֶשְׂרִים	שָׁלֹשׁ	23.	וְעֶשְׂרִים	שְׁלֹשָׁה	*Viginti tres*, vel *vigesimus tertius.*
Viginti quatuor, vel *vigesima quarta.*	וְעֶשְׂרִים	אַרְבַּע	24.	וְעֶשְׂרִים	אַרְבָּעָה	*Viginti quatuor*, vel *vigesimus quartus.*
Viginti quinque, vel *vigesima quinta.*	וְעֶשְׂרִים	חָמֵשׁ	25.	וְעֶשְׂרִים	חֲמִשָּׁה	*Viginti quinque*, vel *vigesimus quintus.*
Viginti sex, vel *vigesima sexta.*	וְעֶשְׂרִים	שֵׁשׁ	26.	וְעֶשְׂרִים	שִׁשָּׁה	*Viginti sex*, vel *vigesimus sextus.*
Viginti septem, vel *vigesima septima.*	וְעֶשְׂרִים	שֶׁבַע	27.	וְעֶשְׂרִים	שִׁבְעָה	*Viginti septem*, vel *vigesimus septimus.*
Viginti octo, vel *vigesima octava.*	וְעֶשְׂרִים	שְׁמוֹנֶה	28.	וְעֶשְׂרִים	שְׁמוֹנָה	*Viginti octo*, vel *vigesimus octavus.*
Viginti novem, vel *vigesima nona.*	וְעֶשְׂרִים	תֵּשַׁע	29.	וְעֶשְׂרִים	תִּשְׁעָה	*Viginti novem*, vel *vigesimus nonus.*

Trigesimus, a, um.		30.	שְׁלֹשִׁים	*Triginta*, comm.
Una & triginta, vel *trigesima prima*, &c.	אַחַת וּשְׁלֹשִׁים	31.	אֶחָד וּשְׁלֹשִׁים	*Unus & triginta*, vel *trigesimus primus*, &c.
Quadragesimus, a, um,		40.	אַרְבָּעִים	*Quadraginta*, comm.
Una & quadraginta, vel *quadragesima prima*, &c.	אַחַת וְאַרְבָּעִים	41.	אֶחָד וְאַרְבָּעִים	*Unus & quadraginta*, vel *quadragesimus primus*, &c.
Quinquagesimus, a, um.		50.	חֲמִשִּׁים	*Quinquaginta*, comm.
Una & quinquaginta, vel *quinquagesima prima*, &c.	אַחַת וַחֲמִשִּׁים	51.	אֶחָד וַחֲמִשִּׁים	*Unus & quinquaginta*, vel *quinquagesimus primus*, &c.
Sexagesimus, a, um,		60.	שִׁשִּׁים	*Sexaginta*, comm.
Una & sexaginta, vel *sexagesima prima*, &c.	אַחַת וְשִׁשִּׁים	61.	אֶחָד וְשִׁשִּׁים	*Unus & sexaginta*, vel *sexagesimus primus*, &c.
Septuagesimus, a, um.		70.	שִׁבְעִים	*Septuaginta*, comm.
Una & septuaginta, vel *septuagesima prima*, &c.	אַחַת וְשִׁבְעִים	71.	אֶחָד וְשִׁבְעִים	*Unus & septuaginta*, vel *septuagesimus primus*, &c.
Octogesimus, a, um.		80.	שְׁמוֹנִים	*Octoginta*, comm.
Una & octoginta, vel *octogesima prima*, &c.	אַחַת וּשְׁמוֹנִים	81.	אֶחָד וּשְׁמוֹנִים	*Unus & octoginta*, vel *octogesimus primus*, &c.
Nonagesimus, a, um.		90.	תִּשְׁעִים	*Nonaginta*, comm.
Una & nonaginta, vel *nonagesima prima*, &c.	אַחַת וְתִשְׁעִים	91.	אֶחָד וְתִשְׁעִים	*Unus & nonaginta*, vel *nonagesimus primus*, &c.
Centesimus, a, um.		100.	מֵאָה vel מְאוֹת	*Centum*, comm.
Una & centum, vel *centesima prima*, &c.	אַחַת וּמֵאָה	101.	אֶחָד וּמֵאָה	*Unus & centum*, vel *centesimus primus*, &c.
Ducentesimus, a, um.		200.	מָאתַיִם	*Ducenti, æ, a.*
Una & ducentæ, vel *ducentesima prima*, &c.	אַחַת וּמָאתַיִם	201.	אֶחָד וּמָאתַיִם	*Unus & ducenti*, vel *ducentesimus primus*, &c.
Trecentesimus, a, um.		300.	שְׁלֹשׁ מֵאוֹת	*Trecenti, æ, a.*
Quadringentesimus, a, um.		400.	אַרְבַּע מֵאוֹת	*Quadringenti, æ, a.*
Quingentesimus, a, um.		500.	חֲמֵשׁ מֵאוֹת	*Quingenti, æ, a.*
Sexcentesimus, a, um.		600.	שֵׁשׁ מֵאוֹת	*Sexcenti, æ, a.*
Septingentesimus, a, um.		700.	שְׁבַע מֵאוֹת	*Septingenti, æ, a.*
Octingentesimus, a, um.		800.	שְׁמֹנֶה מֵאוֹת	*Octingenti, æ, a.*
Nongentesimus, a, um.		900.	תְּשַׁע מֵאוֹת	*Nongenti, æ, a.*
Millesimus, a, um.		1000.	אֶלֶף	comm. *Mille, millia.*
Bis millesimus, a, um.		2000.	אַלְפַּיִם	comm. *Duo millia.*
Ter millesimus, a, um.		3000.	שְׁלֹשָׁה אֶלֶף vel שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים	*Tria millia.*

Quater millesimus, a, um.		4000.	אַרְבָּעָה אֶלֶף vel אַרְבַּעַת אֲלָפִים	*Quatuor millia.*
Quinquies millesimus, a, um.		5000.	חֲמִשָּׁה אֶלֶף vel חֲמֵשֶׁת אֲלָפִים	*Quinque millia.*
Sexies millesimus, a, um.		6000.	שִׁשָּׁה אֶלֶף vel שֵׁשֶׁת אֲלָפִים	*Sex millia.*
Septies millesimus, a, um.		7000.	שִׁבְעָה אֶלֶף vel שִׁבְעַת אֲלָפִים	*Septem millia.*
Octies millesimus, a, um.		8000.	שְׁמוֹנָה אֶלֶף vel שְׁמוֹנַת אֲלָפִים	*Octo millia.*
Novies millesimus, a, um.		9000.	תִּשְׁעָה אֶלֶף vel תִּשְׁעַת אֲלָפִים	*Novē millia.*
Decies millesimus, a, um.		10000.	עֲשָׂרָה אֶלֶף vel עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים	*Decem millia.*
Undecies millesimus, a, um.		11000.	עַשְׁתֵּי עָשָׂר אֲלָפִים	*Undecim millia.*
Duodecies millesimus, a, um.		12000.	שְׁנֵים עָשָׂר אֲלָפִים	*Duodecim millia.*
Ter decies millesimus, a, um.		13000.	שְׁלֹשָׁה עָשָׂר אֶלֶף	*Tredecim millia.*
Quater decies millesimus, a, um.		14000.	אַרְבָּעָה עָשָׂר אֶלֶף	*Quatuordecim millia.*
Quinquies decies millesimus, a, um.		15000.	חֲמִשָּׁה עָשָׂר אֶלֶף	*Quindecim millia.*
Sexies decies millesimus, a, um.		16000.	שִׁשָּׁה עָשָׂר אֶלֶף	*Sexdecim millia.*
Septies decies millesimus, a, um.		17000.	שִׁבְעָה עָשָׂר אֶלֶף	*Septemdecim millia.*
Octies decies millesimus, a, um.		18000.	שְׁמוֹנָה עָשָׂר אֶלֶף	*Octodecim millia.*
Novies decies millesimus, a, um.		19000.	תִּשְׁעָה עָשָׂר אֶלֶף	*Novemdecim millia.*
Vicies millesimus, a, um.		20000.	עֶשְׂרִים אֶלֶף	*Viginti millia.*
Tres myriades	שְׁלֹשׁ רִבּוֹ vel	30000.	שְׁלֹשִׁים אֶלֶף	*Triginta millia.*
Quatuor myriades	אַרְבַּע רִבּוֹ	40000.	אַרְבָּעִים אֶלֶף	*Quadraginta millia.*
Quinque myriades	חֲמֵשׁ רִבּוֹ	50000.	חֲמִשִּׁים אֶלֶף	*Quinquaginta millia.*
Sex myriades	שֵׁשׁ־רִבּוֹ	60000.	שִׁשִּׁים אֶלֶף	*Sexaginta millia.*
Septem myriades	שְׁבַע רִבּוֹ	70000.	שִׁבְעִים אֶלֶף	*Septuaginta millia.*
Octo myriades	שְׁמוֹנֶה רִבּוֹ	80000.	שְׁמֹנִים אֶלֶף	*Octoginta millia.*
Novem myriades	תְּשַׁע רִבּוֹ	90000.	תִּשְׁעִים אֶלֶף	*Nonaginta millia.*
Decem myriades	עֶשֶׂר רִבּוֹ	100000.	מֵאָה אֶלֶף	*Centum millia.*
Viginti myriades	עֶשְׂרִים רִבּוֹ	200000.	מָאתַיִם אֶלֶף	*Ducenta millia.*
Triginta myriades	שְׁלֹשִׁים רִבּוֹ	300000.	שְׁלֹשׁ מֵאוֹת אֶלֶף	*Trecenta millia.*
Quadraginta myriades	אַרְבָּעִים רִבּוֹ	400000.	אַרְבַּע מֵאוֹת אֶלֶף	*Quadringenta millia.*
Quinquaginta myriades	חֲמִשִּׁים רִבּוֹ	500000.	חֲמֵשׁ מֵאוֹת אֶלֶף	*Quingenta millia.*
Sexaginta myriades	שִׁשִּׁים רִבּוֹ	600000.	שֵׁשׁ־מֵאוֹת אֶלֶף	*Sexcenta millia.*
Septuaginta myriades	שִׁבְעִים רִבּוֹ	700000.	שְׁבַע מֵאוֹת אֶלֶף	*Septingenta millia.*
Octoginta myriades	שְׁמוֹנִים רִבּוֹ	800000.	שְׁמוֹנֶה מֵאוֹת אֶלֶף	*Octingenta millia.*
Nonaginta myriades	תִּשְׁעִים רִבּוֹ	900000.	תְּשַׁע מֵאוֹת אֶלֶף	*Nongenta millia.*

Centum myriades	מֵאָה רְבָבֹת	1000000.	*Millio*, ſeu *decies centena millia.*
Ducentæ myriades	מָאתַיִם רְבָבֹת	2000000.	*Duo milliones*, ſeu *vicies centena millia.*
Trecentæ myriades	שְׁלֹשׁ מֵאוֹת רְבָבֹת	3000000.	*Tres milliones*, ſeu *tricies centena millia.*
Quadringentæ myriades	אַרְבַּע מֵאוֹת רְבָבֹת	4000000.	*Quatuor milliones*, ſeu *quadragies centena millia.*
Quingentæ myriades	חֲמֵשׁ מֵאוֹת רְבָבֹת	5000000.	*Quinque milliones*, ſeu *quinquagies centena millia.*
Sexcentæ myriades	שֵׁשׁ־מֵאוֹת רְבָבֹת	6000000.	*Sex milliones*, ſeu *ſexagies centena millia.*
Septingentæ myriades	שְׁבַע מֵאוֹת רְבָבֹת	7000000.	*Septem milliones*, ſeu *ſeptuagies centena millia.*
Octingentæ myriades	שְׁמֹנֶה מֵאוֹת רְבָבֹת	8000000.	*Octo milliones*, ſeu *octogies centena millia.*
Nongentæ myriades	תְּשַׁע מֵאוֹת רְבָבֹת	9000000.	*Novem milliones*, ſeu *nonagies centena millia.*
Mille myriades	אֶלֶף רְבָבֹת	10000000.	*Decem milliones*, ſeu *centies centena millia.*
Myrias myriadum	רִבּוֹא רִבּוֹת	100000000.	*Centum milliones.*

Hi numeri, uti & alii majores, qui ope myriadum facile exprimi poſſunt, à 30000. ordinales ſunt ſimul & cardinales, haud ſecus ac præcedentes. Numerus itaque 30000. v. g. tam eſt *triceſimus milleſimus*, quam *triginta millia.* Et ſic de ceteris.

APPENDIX I.

De numerorum cardinalium analogia, anomalia, & affixis.

I. PRo אֶחָד *unus*, invenitur per apocopen תֹּו ד, אַח Ezech. 18. v. 10. & per aphæreſin תֹּו א, חַד, ibid. cap. 33. v. 30. In conſt. אַחַד.

אַחַת *una*, formatur ex inuſit. אֲחֶדֶת, ſublato per ſyncopen ד cum ſua motione, mutato (ֶ) תֹּו ח in (ַ) ad euphoniam, & accentu eodem in loco remanente. Cum accentibus pauſantibus, maxime Siloúq, Athnáhh, & interdum Zaqéph qatón, (ַ) ultimæ mutatur in (ָ), & (ַ) penultimæ convertitur in (ֶ) euphonicum, ne duo *a* ſeſe proxime conſequantur ſub duabus literis gutturalibus, ſic אֶחָת pro אַחַת *una.*

עַשְׁתֵּי, de cujus etymologia diſputant grammatici, ſignificat etiam *unum* & *unam*; eſt enim communis generis, nec conſtruitur niſi cum עָשָׂר maſc. & עֶשְׂרֵה femin. *decem*; unde עַשְׁתֵּי עָשָׂר *undecim*, *undecimus*, & עַשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה *undecim*, *undecima.*

II. שְׁנַיִם, conſt. שְׁנֵי, & ſervato ם anomalωs, שְׁנַיִם *duo*; unde שְׁנֵי עָשָׂר & שְׁנַיִם עָשָׂר *duodecim*, maſc. Cum affixis, שְׁנֵיהֶם *ambo illi*, שְׁנֵיכֶם *ambo vos*, שְׁנֵינוּ *ambo nos.*

שְׁתַּיִם, conſt. שְׁתֵּי *duæ*, fit à שְׁנְתַּיִם, cujus tollitur נ, tranſeunte ejus (ְ) ſub שׁ loco (ִ); unde formatur שְׁתַּיִם cum daghéſch leni in ת; nam præterquam quod daghéſch forte nunquam venit poſt motiones breviſſimas, proindeque poſt (ְ), vide tom. I. pag. 29. (ְ) iſtud hac in voce, quanvis initio dictionis, quieſcere volunt plerique omnes

grammatici. Vide tom. I. pag. 33. In const. quandoque etiam retinetur ם, ut in mascul. hinc שְׁתֵּים עֶשְׂרֵה & שְׁתֵּי עֶשְׂרֵה *duodecim*, fem.

III. שְׁלֹשָׁה mascul. *tres*, const. שְׁלֹשֶׁת, quod etiam femininum est Gen. 7. v. 13. & Job. 1. v. 4. Cum affixis usurpatur nomen constructum, sic: שְׁלָשְׁתָּם scheloschtám *tres ipsi*, שְׁלָשְׁתְּכֶם schelóschtekém *tres vos*. Denique pro שְׁלֹשָׁה invenitur etiam שְׁלֹשׁ *tres*, Gen. 38. v. 24.

IV. אַרְבָּעָה masc. *quatuor*, const. אַרְבַּעַת, quæ forma usurpatur cum affixis, ut: אַרְבַּעְתָּם *quatuor ipsi*.

V. חֲמִשָּׁה masc. *quinque*, formatur à feminino חָמֵשׁ, mutato (-) in (·) sequente daghésch forti, per legem æquivalentiæ. Vel si è contrario posterius illud nomen à priori derivatur, (·) & dagh. mutantur in (-) per eandem æquivalentiæ legem.

VI. שִׁשָּׁה masc. & שֵׁשׁ fem. *sex*, eandem analogiam sequuntur ac nomen præcedens.

VII. שִׁבְעָה, & cum נ epenthetico שִׁבְעָנָה masc. *septem*. Cum affixis, שִׁבְעָתָם *septem ipsi*. Verum hîc usurpatur forma inusitata שִׁבְעַת, nam à שִׁבְעָה esset שִׁבְעָתָם. Denique שֶׁבַע femininum est Ezech. 40. v. 26. Vel nomina quibuscum eo loci jungitur, masculina sunt, ut vult Qimhhi.

VIII. שְׁמֹנָה fem. *octo*, in regimine non mutatur. 4. Reg. 22. v. 1. בֶּן־שְׁמֹנֶה שָׁנָה *filius octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset.*

IX. עֲשָׂרָה masc. *decem*. Cum alio nomine numerali conjunctum mutatur in עָשָׂר. Sic in eadem conjunctione pro feminino עֶשֶׂר usurpatur עֶשְׂרֵה. Vide supra pag. 379. lin. 5.

X. A forma feminina עֶשְׂרֵה aut potius עֲשָׂרָה *decem*, fit plurale עֶשְׂרִים *viginti*, communis generis; adeo ut in plur. isto geminetur decas.

XI. Alii numeri usque ad centum plurales quoque sunt, communis generis, & à singulari feminino formati; sed in plurali tot decadas continent, quot singularis numerus unitates complectitur. Sic à שָׁלֹשׁ fem. *tres*, fit שְׁלֹשִׁים *triginta*. Ab אַרְבַּע *quatuor*, אַרְבָּעִים *quadraginta*, mutato (-) in (·); quia (-) istud ponitur loco (·), sic: אַרְבַּע pro אַרְבָּע. Cum autem (-) vicarium est τῶ (·) mutatur ut (·); in plurali autem numero (·) ultimæ, quod (·) sequitur litera sonans vel א, mutatur in (·), ut diximus in tomo I. pag. 63. §. VIII. Ab. חָמֵשׁ *quinque*, חֲמִשִּׁים *quinquaginta*, cum (·) & daghésch forti per legem æquivalentiæ, loco (-), sic: חֲמִשִּׁים. A שֵׁשׁ *sex*, שִׁשִּׁים *sexaginta*, mutato (·) in (·) & dagh. eadem lege, qua in voce præced. A שֶׁבַע *septem*, שִׁבְעִים *septuaginta*, ex forma singularis numeri cum affixis conjuncti; nam ex analogia esset שְׁבָעִים. A שְׁמֹנֶה *octo*, שְׁמֹנִים *octoginta*. Denique à תֵּשַׁע *novem*, תִּשְׁעִים *nonaginta*, ex forma singularis numeri cum affix. ut supra שִׁבְעִים; nam à תֵּשַׁע esset תְּשָׁעִים.

Quidam ex his numeris reperiuntur etiam cum affixis, ut: חֲמִשָּׁיו *quinquaginta ejus*, חֲמִשֶּׁיךָ *quinquaginta tui*, חֲמִשֵּׁיהֶם *quinquaginta eorum*, &c.

XII. Numerale nomen מֵאָה, const. מְאַת, & plur. מֵאוֹת *centum*, communis est generis, uti & duale מָאתַיִם *ducenti, æ, a*, per contractionem pro מְאָתַיִם.

XIII. Vox אֶלֶף, in pausa אָלֶף, plurale absol. אֲלָפִים, const. אַלְפֵי *mille*, est quoque communis generis, necnon & dual. אַלְפַּיִם *duo millia*, cujus loco invenitur etiam שְׁנַיִם אֶלֶף 1. Paral. 7. v. 7. 2000. In plur. cum affix. אֲלָפָיו *millia ejus*, אַלְפֵיכֶם *millia vestra*.

Pro עֲשֶׂרֶת אֶלֶף, aut עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים 10000. usurpatur etiam vox רְבָבָה *myrias*, plur. absol. רְבָבוֹת, const. רִבְבוֹת, cum affix. רִבְבֹתָיו *myriades ejus*; & רִבּוֹא, ac sublato א per apocopen, רִבּוֹ; unde in plur. רִבְּאוֹת cum א & ו quiescentibus, & sine א, רִבּוֹת. Hinc in duali רִבֹּתַיִם Psal. 67. Heb. 68. v. 18. & שְׁתֵּי רִבּוֹא ac שְׁתֵּי רִבּוֹת Nehem. 7. vv. 71. 72. *duæ myriades*, pro עֶשְׂרִים אֶלֶף 20000. Inde etiam אַרְבַּע רִבּוֹא Esd. 2. v. 64. *quatuor myriades*, seu 40000. שֵׁשׁ־רִבֹּאוֹת ibid. v. 69. *sex myriades*, sive 60000. רִבּוֹ רְבָבֹן, sive ut legendum docent Massorethæ רִבּוֹ רִבְבָן Dan. 7. v. 10. Theod. μύριαι μυριάδων *decem millia myriadum*, sive centies mille millia, aut 100000000. Vulg. vero *decies millies centena millia*, sive 1000000000. qui numerus finitus pro infinito ponitur. Quibusdam רִבּוֹ & רִבּוֹא pluralia sunt per apocopen facta, pro רִבּוֹת & רִבְּאוֹת; à sing. inusit. רִבָּה vel רִבָּא. In pluribus codd. legitur רִבְּאוֹת pro רִבְּאוֹת.

APPENDIX II.

De numerorum cardinalium tum secum invicem, tum cum aliis nominibus constructione.

I. DIXIMUS supra pag. 378. §. 1. numerorum cardinalium plures quandam præ se ferre constructionis formam, ut: עַל־אַחַד הֶהָרִים *super unum montium*, Gen. 22. v. 2. ad verbum: *unitatem montium;* in hac enim forma nomen adjectivum numerale spectatur veluti substantivum, sic: שְׁתֵּי בְנֹתָיו *δυὰς filiarum ejus*, h. e. duæ filiæ ejus, Gen. 19. v. 16. שְׁלֹשֶׁת יָמִים *τριὰς dierum*, h. e. tres dies, ibid. cap. 30. v. 46. אַרְבַּעַת הַבָּקָר *τετρὰς boum*, h. e. quatuor boves, Num. 7. v. 7. חֲמֵשֶׁת שְׁקָלִים *πεντὰς siclorum*, h. e. quinque sicli, ibid. cap. 3. v. 47. שֵׁשֶׁת יָמִים *ἑξὰς dierum*, h. e. sex dies, Jos. 6. v. 3. שִׁבְעַת כְּבָשִׂים *ἑπτὰς ovium*, hoc est, septem oves, Levit. 23. v. 18. שְׁמֹנַת יָמִים *ὀγδοὰς dierum*, i. octo dies, Gen. 17. v. 12. תִּשְׁעַת הַמַּטּוֹת *ἐννεὰς tribuum*, i. novem tribus, Num. 34. v. 13. עֲשֶׂרֶת מֹנִים *δεκὰς vicium*, h. e. decem vices, Gen. 31. v. 7. Sic מְאַת שָׁנָה *ἑκατοντὰς annorum*, i. centum anni, Gen. 17. v. 12. אַלְפֵי זָהָב *χιλιὰς aureorum*, h. e. mille aurei, Psal. 118. Heb. 119. v. 72.

II. Substantiva vulgo pluralia junguntur numeris à duobus ad decem inclusive, ut: שְׁנַיִם עֵצִים *duo ligna*, 3. Reg. 17. v. 12. עֶשֶׂר שָׁנִים *decem anni*, Gen. 5. v. 14. Interdum tamen per enallagen numeri, quæ in adjectivis numeralibus frequentissima est, substantiva illa sunt singularia, ut: שְׁמֹנֶה שָׁנָה *octo annus*, i. octo anni, 4. Reg. 22. v. 1.

III. Ab undecim ad novemdecim inclusive, monadici decadi vulgo præponuntur in forma modo absoluta, modo constructa. Masculini sæpius habent formam absolutam, feminini semper constructam, vide supra pag. 379. Substantiva autem, quæ iis adjunguntur, sunt vulgo singularia, ut: שְׁתַּיִם עֶשְׂרֵה שָׁנָה *duodecim anni*, Gen. 5. v. 8. Aliquando tamen cum hisce numeralibus invenitur numerus multitudinis, ut: שְׁתַּיִם עֶשְׂרֵה הָאֲבָנִים *duodecim lapides*, Jos. 4. v. 20. Interdum etiam decas, sed in forma sua communi, non mutata, præcedit, & sequuntur monadici, ut: עֶשְׂרָה וַחֲמִשָּׁה שֶׁקֶל *decem & quinque sicli*, Ezech. 45. v. 12.

IV. Nomina numeralia à viginti ad centum communis sunt generis, iisque adduntur substantiva vulgo singularia, rarius pluralia, ut: עֶשְׂרִים כָּסֶף *viginti argentei*, Gen. 37. v. 28. עֶשְׂרִים שָׁנָה *viginti anni*, ibid. c. 31. v. 38. &c. Interdum etiam adjiciuntur substantiva in numero plurali, ut: עֶשְׂרִים קְרָשִׁים *viginti asseres*, Exod. 36. v. 23. חֲמִשִּׁים שְׁקָלִים *quinquaginta sicli*, Jos. 7. v. 20. Et sic de aliis numeris solitariis, h. e. cum aliis non conjunctis. At quando numeri illi cum minoribus componuntur, modo præcedit minor, & major sequitur, intercedente copula ו, vide supra pag. 379. modo è contrario præcedit major, & minor sequitur, interposita eadem conjunctione. Sive autem præcedat, sive sequatur minor numerus, is retinet formam suam absolutam. In hac autem numerorum compositione, substantiva & minor numerus conveniunt non solum semper in genere, verum etiam sæpius in numero, ut: בְּשִׁבְעָה וְעֶשְׂרִים יוֹם *septimo & vigesimo die*, Gen. 8. v. 14. חָמֵשׁ וּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה *quinque & triginta anni*, Gen. 11. v. 12. Præcedente majori numero, שִׁבְעִים וְשִׁבְעָה אִישׁ *septuaginta & septem viri*, Judic. 8. vers. 14. עֶשְׂרִים וְחָמֵשׁ שָׁנָה *viginti & quinque anni*, 4. Reg. 14. v. 12.

Aliquando etiam in hac compositione substantiva sunt pluralia, ut: חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים שְׁקָלִים *quinque & viginti sicli*, Ezech. 45. v. 12. עֶשְׂרִים וּשְׁמֹנָה בָּנִים *viginti & octo filii*, 2. Paral. 11. v. 21.

V. Adjectivo numerali communi מֵאָה, const. מְאַת, plur. מֵאוֹת *centum*, & in duali מָאתַיִם *ducenti, a, a*, adduntur substantiva singularia, ut: מֵאָה שָׁנָה *centum anni*, Gen. 17. v. 17. מְאַת כִּכַּר *centum talenta*, Exod. 38. v. 25. (Et cum substantivo plurali, quod semel tantum, ni fallor, accidit, מְאַת אֲדָנִים *centum bases*, Exod. 38. v. 27.) מֵאוֹת אִישׁ *centum viri*, מֵאוֹת שָׁנָה *centum anni*, ex analogia; neque enim pluralis numerus מֵאוֹת in Scriptura

Scriptura solus, opinor, invenitur. מָאתַיִם כֶּסֶף *ducenti argentei*, Jud. 17. v. 4. מָאתַיִם שָׁנָה *ducenti anni*, Gen. 11. v. 23.

Numeri minores cum מֵאוֹת conjuncti, ei præponuntur in feminino tantum genere, eoque, ut plurimum, constructo, quanvis sequantur substantiva masculina, ut: אַרְבַּע מֵאוֹת שֶׁקֶל *quadringenti sicli*, Gen. 23. v. 16. שְׁלֹשׁ מֵאוֹת שָׁנָה *trecenti anni*, Gen. 5. v. 22. Rarissime substantiva illa pluralia sunt, ut: חֲמֵשׁ־מֵאוֹת קָנִים *quingenti calami*, Ezech. 42. vv. 17. 18. 19.

VI. Vox numerica אֶלֶף, plural. אֲלָפִים *mille*, & dual. אַלְפַּיִם *duo millia*, est quoque communis generis, & post eam veniunt substantiva vulgo singularia, ut: אֶלֶף כֶּסֶף *mille argentei*, sicli scilicet, Gen. 20. v. 16. אֶלֶף אַמָּה *mille cubiti*, Num. 35. v. 4. Cum substantivo plurali, אֶלֶף עֹלוֹת *mille holocausta*, 3. Reg. 3. v. 4. In duali, אַלְפַּיִם אִישׁ *duo millia virorum*, אַלְפַּיִם בָּאַמָּה *duo millia cubitorum*, Num. 35. v. 5. ad verbum, *in cubito*; quia nomen istud sæpe construitur cum ב pleonastico. Vide Exod. 26. v. 8. c. 27. vv. 9. 18. cap. 36. v. 15. c. 38. vv. 9. 11. 12. &c. Posito substantivo in numero multitudinis, אַלְפַּיִם סוּסִים *duo milla equorum*, Isai. 36. v. 8. Pluralis numerus absolutus & simplex non invenitur, opinor, cum substantivis compositus; at constructus interdum reperitur; &, quæ eum sequuntur substantiva, ea modo singularia sunt, modo pluralia, ut: מֵאַלְפֵי זָהָב וָכָסֶף *pra millibus auri & argenti*, Psal. 118. Heb. 119. v. 72. בְּאַלְפֵי אֵילִים *in millibus arietum*, Mich. 6. v. 7.

Minores numeri ad decem inclusive cum singulari אֶלֶף conjunguntur in genere masculino, & statu absoluto; cum plurali autem אֲלָפִים junguntur in eodem genere, sed in statu constructo, quanvis etiam referantur ad substantiva feminina. Ea autem substantiva sive masculina, sive feminina, modo singularia sunt, modo, & rarius quidem, pluralia: שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים אִישׁ, & שְׁלֹשָׁה אֶלֶף אִישׁ *tria millia virorum*. אַרְבַּעַת אֶלֶף אַמָּה & אַרְבַּעַת אֲלָפִים אַמָּה *quatuor millia cubitorum*. חֲמֵשֶׁת אֶלֶף אַמּוֹת *quinque millia virorum*, אַלְפַּיִם אִישׁ Jud. 20. v. 25. שֵׁשֶׁת אֲלָפִים פָּרָשִׁים *sex millia equitum*, 1. Reg. 13. v. 5. שִׁבְעַת אֲלָפִים כִּכַּר־כֶּסֶף *septem millia talentorum argenti*, 1. Paral. 29. v. 4. שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים כִּכְּרֵי זָהָב *tria millia talentorum auri*, ibid.

Alii numeri ab undecim inclusive & supra, junguntur cum אֶלֶף vel אֲלָפִים ratione descripta supra pag. 381. ut: עַשְׁתֵּי עָשָׂר אֲלָפִים, vel אַחַד עָשָׂר אֶלֶף *undecim millia* virorum, vel mulierum; vox enim אֶלֶף, & in plurali אֲלָפִים, minores numeros sibi præpositos masculinos postulat, ut diximus supra, quanvis referantur etiam ad substantiva feminina. Sic שְׁנַיִם עָשָׂר אֶלֶף *duodecim millia*, comm. gen. אֶחָד וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *unum & viginti millia*, vel עֶשְׂרִים וְאֶחָד אֶלֶף *viginti & unum millia*, comm. gen. & sic de reliquis numeris. At quando minores numeri non referuntur ad אֶלֶף, sed ad substantiva sequentia, eorum genus induunt, ut: עֶשְׂרִים אֶלֶף וְאֶחָד אִישׁ *viginti millia virorum, & unus vir*, עֶשְׂרִים אֶלֶף וְאַחַת אִשָּׁה *viginti millia mulierum, & una mulier*. In his duobus exemplis ellipsis est vocum אִישׁ & אִשָּׁה post adjectivum numerale אֶלֶף, quæ scriptæ sic exprimerentur: עֶשְׂרִים אֶלֶף אִישׁ וְאֶחָד אִישׁ *viginti millia virorum, & unus vir*, עֶשְׂרִים אֶלֶף אִשָּׁה וְאַחַת אִשָּׁה *viginti millia mulierum, & una mulier*.

Numerus מֵאָה, const. מְאַת, plur. מֵאוֹת *centum*, sive sit solus, sive eum præcedant numeri minores, sic cum אֶלֶף jungitur: מֵאָה vel מְאַת אֶלֶף אִישׁ vel אִשָּׁה *centum millia virorum* vel *mulierum*, vel מָאתַיִם אֶלֶף אִישׁ אִשָּׁה *ducenta millia virorum* vel *mulierum*, שְׁלֹשׁ מֵאוֹת אֶלֶף אִישׁ vel אִשָּׁה *trecenta millia virorum* vel *mulierum*, &c. ubi numerus, qui præcedit מֵאוֹת, femininus est; quanvis sequantur substantiva masculina. Si minores numeri veniant post אֶלֶף, eædem leges servandæ sunt, quæ supra, ut: אַרְבַּע מֵאוֹת אֶלֶף וְאֶחָד אִישׁ *quadringinta millia & unus vir*, אַרְבַּע מֵאוֹת אֶלֶף וְאַחַת אִשָּׁה *quadringenta millia & una mulier*, subintellectis vocibus אִישׁ & אִשָּׁה post אֶלֶף, ut supra.

VII. Cum majores & minores numeri simul conjunguntur, modo præcedunt majores, & minores sequuntur; modo præponuntur minores, quibus majores subjiciuntur.

Præpositis majoribus numeris, מְאַת שָׁנָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה וְשֶׁבַע שָׁנִים *centum anni, & viginti anni, & septem anni*, Gen. 23. v. 1. ubi שָׁנָה majoris perspicuitatis ergo ter repetitur, quod sæpius accidit. Sic: אֶלֶף שָׁנָה וּשְׁבַע מֵאוֹת שָׁנָה וְחָמֵשׁ וְעֶשְׂרִים שָׁנָה *mille septingenti viginti quinque anni*, vel *millesimus septingentesimus vigesimus quintus annus*, quo hæc scribimus.

Præpositis minoribus numeris, שֶׁבַע שָׁנִים וּשְׁמֹנֶה מֵאוֹת שָׁנָה *septem anni, & octingenti anni*, Gen. 5. v. 7. Ita חָמֵשׁ וְעֶשְׂרִים שָׁנָה וּשְׁבַע מֵאוֹת שָׁנָה וְאֶלֶף שָׁנָה *quinque & viginti anni, & septingenti anni, & mille anni*, sive *quintus & vigesimus, & septingentesimus ac millesimus annus*; à decem enim exclusive, sive ab undecim inclusive, numeri ordinales cum cardinalibus confunduntur, ut diximus supra pag. 378.

Huc pertinet cum numerus major in plures minores tribuitur. Distributionis hujus exemplum suppeditat Dan. cap. 45. v. 12. *Porro viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli minam faciunt*, hoc est, mina constat 60. siclis. Sunt tamen qui existiment Hebræis triplicis generis nummos seu pondera fuisse, quorum alia 20. alia 25. alia 15. siclos pendebant, ibique trium illorum nummorum sive ponderum mentionem fieri.

§. II.

Numeri ordinales.

NUMERI ordinales ultra decem inclusive non progrediuntur. Qui igitur post numerum illum veniunt, cardinales sunt simul & ordinales, ut diximus supra pag. 378. Sic אַחַד עָשָׂר *undecim* & *undecimus*, אַחַת עֶשְׂרֵה *undecim & undecima*, &c. Ita Gen. 14. v. 4. שְׁלֹשׁ־עֶשְׂרֵה שָׁנָה *tertio decimo anno*, Ezech. 45. v. 21. בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם *quarta decima die*, &c. Porro hi sunt numeri ordinales ab uno ad decem inclusive.

NUMERI ORDINALES.

Femin.				Mascul.	
Prima.	רִאשֹׁנָה vel	רִאשׁוֹנִית	1.	*Primus.*	רִאשׁוֹן
Secunda.	שֵׁנִית	שֵׁנִית	2.	*Secundus.*	שֵׁנִי
Tertia.	שְׁלִישִׁית	שְׁלִישִׁית	3.	*Tertius.*	שְׁלִישִׁי
Quarta.	רְבִיעִית	רְבִיעִית	4.	*Quartus.*	רְבִיעִי
Quinta.	חֲמִשִּׁית	חֲמִשִּׁית	5.	*Quintus.*	חֲמִשִּׁי
Sexta.	שִׁשִּׁית	שִׁשִּׁית	6.	*Sextus.*	שִׁשִּׁי
Septima.	שְׁבִיעִית	שְׁבִיעִית	7.	*Septimus.*	שְׁבִיעִי
Octava.	שְׁמִינִית	שְׁמִינִית	8.	*Octavus.*	שְׁמִינִי
Nona.	תְּשִׁיעִית	תְּשִׁיעִית	9.	*Nonus.*	תְּשִׁיעִי
Decima.	עֲשִׂירִית	עֲשִׂירִית	10.	*Decimus.*	עֲשִׂירִי

APPENDIX

Ad præcedentia nomina.

PRO שֵׁנִי *secundus*, invenitur etiam מִשְׁנֶה, & in const. מִשְׁנֵה *secundus, a, um*; est enim communis generis. Verum מִשְׁנֶה in const. est potius substantivum διπλόν *duplici-*

tas, duplum, &c. quam adjectivum. Sic dicitur

Pro שְׁלִישִׁי *tertius*, שָׁלִישׁ; unde plur. שָׁלִישִׁים *tertii, tertiani*; & שִׁלֵּשׁ, quod in plur. præter analogiam retinet (ֵ), שִׁלֵּשִׁים *tertiæ generationis filii*, sive *abnepotes*. Vide tom. I. pag. 60. col. 1. in fine.

Pro רְבִיעִי *quartus*, רִבֵּעַ & רֶבַע idem. Et in femin. pro רְבִיעִית *quarta*, רֶבַע *quarta pars*. Vide mox infra.

Pro חֲמִישִׁית *quinta*, חֹמֶשׁ idem. Ceterum in חֲמִשִּׁי *quintus*, חֲמִשִּׁית *quinta*, שִׁשִּׁי *sextus*, שִׁשִּׁית *sexta*, hhiriq qatón & daghésch forte sunt pro (ִי) per legem æquivalentiæ, nempe pro חֲמִישִׁי (quod etiam invenitur ut & שִׁישִׁי) שִׁישִׁית & חֲמִישִׁית.

Feminina horumce nominum desinentia in ִית non solum ordinem, verum etiam partem significant, ut: חֲמִישִׁית *quinta*, & *quinta pars*. Apud Rabbinos idem significat חוּמָּשׁ. Unde Pentateuchus ab illis vulgo inscribitur: חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה *quinque quintæ partes Legis*, h. e. volumen Legis in quinque partes distributum, vel, cujus pars quælibet est quinta pars Legis. Idem liber vocatur etiam ab ipsis simpliciter חוּמָּשׁ, cui respondet vox Græca Πεντάτευχος *Pentateuchus*, i. liber in quinque partes tributus.

Numerus cardinalis pro ordinali non raro ponitur, ut: Gen. 1. v. 5. יוֹם אֶחָד *dies unus*, pro יוֹם רִאשׁוֹן *dies primus*. Vide 3. Reg. 15. vv. 25. 28. Et sic sæpe in libris Reg. & Paralip. ubi substantivum שָׁנָה *annus* adjectivo numerali præpositum formam constructam sæpe obtinet, ut: בִּשְׁנַת שָׁלֹשׁ *anno tertio*, &c. Hæc etiam enallage profanis scriptoribus insolens non est. Cicero de senect. num. vulg. 13. Grut. 5. *Qui* (Plato) *uno & octogesimo anno scribens mortuus est*, pro *primo & octogesimo*. Sueton. in Augusto in fin. *De tribus voluminibus, uno mandata de funere suo complexus est: altero indicem rerum à se gestarum..... tertio breviarium totius Imperii*, &c. h. e. in *primo mandata*, &c. Hinc Dio, ἐγέγραπτο ἐν μὲν τῷ πρώτῳ ὅσα τῆς ταφῆς εἴχετο, *in primo autem scripta erant, quæ ad ejus exequias spectabant.*

§. III.

Adverbia Numeralia.

QUEMADMODUM ordinales numeri denarium non excedunt: ita nec adverbia numeralia ordinalia, quæ per feminina numerorum ordinalium exprimuntur, ut: רִאשֹׁנִית *primo*, שֵׁנִית *secundo*, שְׁלִישִׁית *tertio*, &c. Ultra decem, nonnisi per numeros compositos, eosque femininos, exprimuntur, ut: אַחַת עֶשְׂרֵה *undecimo*, &c.

Adverbia autem numeralia cardinalia per vocem פַּעַם, quæ *vicem* significat, exprimuntur, ut: אַחַת פַּעַם, vel simpliciter אַחַת, subintellecto nomine פַּעַם, *semel*, vel *una vice*. פַּעֲמַיִם *bis*, vel *duabus vicibus*. שָׁלֹשׁ פְּעָמִים *ter*, vel *tribus vicibus*. Et sic de ceteris usque ad decem inclusive, præpositis numeris cardinalibus femininis (quandoque tamen præpositi etiam inveniuntur masculini) & voce פַּעַם posita in plurali. Ab undecim autem inclusive & ultra, פַּעַם venit in singulari numero præpositis pariter numeris cardinalibus femininis; ut: עַשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה פַּעַם *undecies*, seu *undecim vicibus*, &c. עֶשְׂרִים פַּעַם *vicies*, &c. Sic quando nomina numeralia in diverso numero junguntur, פַּעַם ponitur in singulari numero, ut: עֶשְׂרִים וְשָׁלֹשׁ פַּעַם *vigesima & tertia vice*, vel *viginti & tribus vicibus*, &c. Cum voce מֵאָה *centum* jungitur פַּעַם in plur. numero, ut: מֵאָה פְּעָמִים *centum vicibus*.

In eadem significatione cum numeris cardinalibus, instar nominis פַּעַם, junguntur & alia duo nomina in plurali, nimirum מֹנִים, cujus singularis numerus in usu non est, & רְגָלִים à רֶגֶל, *vices*, ut: עֲשֶׂרֶת מֹנִים *decem vicibus*, Gen. 31. v. 7. שָׁלֹשׁ רְגָלִים *tribus vicibus*, Exod. 23. v. 14.

Denique hæc adverbia dualia in Scripturis inveniuntur, אַרְבַּעְתַּיִם (à singul. masc. constructo אַרְבַּעַת) *quadruplum*, 2. Reg. 12. v. 6. hoc est, *quatuor*; confer Exod. 22. v. 1. & שִׁבְעָתַיִם (à singul. itidem masc. sed absoluto

שִׁבְעָתַיִם) *septuplum*, Gen. 4. v. 15. h. e. *septem*; confer Isai. 30. v. 26. non bis quatuor seu octo, neque bis septem, sive quatuordecim, ut volunt R. David Qimhhi, Pagninus, & alii non pauci; terminatio enim dualis non semper dualitatem sive duplicationem importat, ut diximus in tom. I. pag. 54. col. 1. utque aperte declarant, quæ conferenda indicavimus loca. Sic alia formari possunt à numeris cardin. singularibus masculinis, iisque præsertim constructis, ut: שְׁלָשְׁתַּיִם *triplum*, à שְׁלֹשֶׁת; חֲמִשְׁתַּיִם *quintuplum*, ab חֲמֵשֶׁת; שִׁשְׁתַּיִם *sextuplum*, à שֵׁשֶׁת; שְׁמוֹנָתַיִם *octuplum*, à שְׁמֹנַת; תִּשְׁעָתַיִם *noncuplum*, à תִּשְׁעָה; עֲשַׂרְתַּיִם *decuplum*, ab עֲשֶׂרֶת. Vox שְׁנַיִם & *duo*, & *duplum* significat. Ultra decem, pro hujusmodi numeris exprimendis circumloquutione utuntur.

Antequam huic de numeris capiti finem imponamus, non ab re fuerit observare interpretes quosdam doctissimos arbitrari, quos numeros in Scriptura vocibus integris expressos legimus, eos in veteribus libris per literas tantum, sive notas arithmeticas, signatos fuisse; exque literarum illarum alterius pro altera, ob quandam figuræ similitudinem, lectione orta esse menda nonnulla, quæ in Hebræo textu deprehenduntur. Hoc ut probent, in exemplum afferunt 2. Paral. 22. v. 2. ubi duos supra quadraginta annos natus dicitur Ochozias cum regnare cœpit; quod pugnare videtur cum v. 20. præcedentis capitis, in quo Joram Ochoziæ pater anno ætatis suæ quadragesimo mortem obiisse legitur, proindeque filio suo annis duobus junior. Arbitrantur itaque hi interpretes librarium, qui primus numeros literis seu notis arithmeticis antea descriptos, vocibus integris numeralibus expressit, literarum כ & מ affinitate deceptum legisse מ״ב 42. pro כ״ב 22. ac pro בֶּן־עֶשְׂרִים וּשְׁתַּיִם שָׁנָה *filius viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset*, &c. scripsisse, בֶּן־אַרְבָּעִים וּשְׁתַּיִם שָׁנָה *filius quadraginta duorum annorum erat*, &c. Hanc interpretum illorum conjecturam firmant, 1°. Locus 4. Reg. 8. v. 26. ubi eadem narratur historia, & ubi Ochozias annos tantum 22. non vero 42. natus regnum iniisse dicitur. 2°. Lxx. versio Aldina, quæ habet: ὢν ἐτῶν εἴκοσι ϗ δύο, *cum esset* (Ochozias) *annorum viginti duorum*. Vox δύο in edit. Vatic. desideratur, idque, ut videtur, librariorum incuria; nam Arabica versio, quæ ad Lxx. adornata est, eam exprimit. 3°. Syriaca interpretatio, quæ ex Hebræo concinnata, numerum 22. non 42. exhibet.

Eadem ratione quidam explicant nonnullas numerorum discrepantias, quæ in libris Reg. Paralip. Esd. & Nehemiæ reperiuntur. Verum, quod ad duos posteriores libros attinet, maxime Esd. 2. & Nehem. 7. quibus in capitibus describitur numerus eorum, qui è captivitate Babylonica in Judæam rediere, & in quibus non parum diversus est catalogus; commodior ac verosimilior mihi videtur scriptores illos conciliandi ratio, quam ineunt interpretes quidam, qui volunt diversam esse recensionem ab Esdra & à Nehemia factam. Prior, ex eorum opinione, habita est in Babylonia; verum nonnulli, qui ei nomen dederant, vel mutato consilio redire noluerunt, vel in itinere mortui sunt; sicque Esdræ catalogus Nehemiæ recensionem, quæ in Judæa facta est, interdum superat. Vice versa, revertentium numerus quandoque major est in Nehemia quam in Esdra, quod nonnulli, qui primo profectionis tempore in censum referri noluerant, mutata postmodum sententia, cum reliquis ascenderint.

Sed his in libris alia superest expendenda difficultas. Esd. 2. v. 64. reduces numerantur 42360. licet familiæ simul sumtæ efficiant duntaxat 29818. Addendi sunt itaque 12542. ut prior numerus 42360. compleatur. Summam illam 12542. componunt interpretes tum ex Judæis, *qui non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, utrum ex Israël essent*, v. 59. tum ex Sacerdotibus, *qui quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non invenerunt*, v. 62. quique, uti & præcedentes, in Esdræ catalogo minime recensentur.

Nehem. 7. v. 66. idem legitur reversorum numerus, nempe 42360. quanvis summæ omnes in unum collectæ efficiant tantum

modo 31089. Desunt itaque 11271. qui numerus colligendus est tum ex Judæis, qui genus suum, tum ex Sacerdotibus, qui stirpem suam sacerdotalem approbare non potuerunt, ut supra in Esdra; & quorum censum prætermisit Nehemias.

CAPUT IV.

De Qabbala, sive Kabbala, aut Cabbala.

QABBALAM numeris subjungimus, quod pars ejus in numeris sit posita.

Qabbala doctrina est de abstrusis & reconditis scientiis, præsertimque mysticis & allegoricis Sacræ Scripturæ sensibus eruendis, à Majoribus ore tenus accepta; קַבָּלָה enim venit à קָבַל *accepit*. Dividitur in *Speculativam* & *Practicam*.

Qabbala speculativa circa res intellectu assequendas occupatur, versaturque vel in sublimioribus doctrinis edisserendis illustrandisque, vel in S. Scriptura secundum mysticos illius sensus exponenda. Duplicis est generis: *Artificialis* seu *Symbolica*, & *Inartificialis* seu *Dogmatica* & *Realis*. Qabbala artificialis sive symbolica, in mysticis Scripturæ sensibus triplici modo infra describendo investigandis eruendisque Qabbalistarum ingenium & artem subtiliter exercet. Qabbala autem inartificialis seu dogmatica & realis, doctrinas à Majoribus acceptas, & ad res Divinas potissimum spectantes complectitur, & ejus cultoribus propinat.

Qabbala practica, inepta, superstitiosa, & impia, ea est, qua ejus studiosi nomen Dei tetragrammaton יהוה, & certas voces aut S. Scripturæ Hebraïcæ loca sic adhibent, ut ea certo modo pronuntiata, scripta, in tabulis signata, colloque appensa, aut alia ratione circumlata, morbos abigant, expellant Dæmonas, illos evocent, ignem extinguant, amoveant fascinum, corpus adversus lethiferos ictus præmuniant, &c. uti arbitrantur, qui in hac futili scientia aut potius superstitione studium atque operam pessime collocant suam. Hujus generis amuleta quædam vide apud Athan. Kircherum in Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 2. pag. 475. & seqq. De hac Qabbala, quam Judæorum etiam cordatiores aspernantur, ut Maimonides in More nevoch. part. 1. c. 62. R. Joseph Gecatilia in *portis lucis*, pag. 2. col. 2. & alii, sic judicat Cornelius Agrippa, de vanit. scient. c. 48. *Cabbala autem, quam ego multo labore aliquando scrutatus sum, nonnisi meram superstitionis rhapsodiam, ac theurgicam quandam magiam agnosco.* Missa igitur insana & impia illa Qabbala, pauca disseramus de artificiali & Symbolica, cui nonnulla etiam de inartificiali sive dogmatica & reali subjiciemus.

ARTICULUS I.

De Qabbala artificiali.

QABBALÆ artificialis tres sunt partes, I. גִּמַטְרִיָּא *Gematria*, II. נוֹטָרִיקוֹן *Notariaqon*, III. תְּמוּרָה *Temoura*, quas totidem paragraphis attingemus. Neque enim animus nobis est longiorem de hac scientia disputationem instituere; sed fundamenta duntaxat, quibus innititur, paucis retegere, ut argumentorum ab ea petitorum quanta sit soliditas, lectis aliquot paginis, quivis facile intelligat.

§. I.

De Gematria.

GEMATRIA derivatur à voce Græca *γεωμετρία geometria*; estque mathematica Scripturæ *vel* literarum, *vel* textuum, consideratio. Cum autem mathesis tum circa quantitatem discretam seu *numerum*; tum circa quantitatem continuam seu *dimensionem* versetur: idcirco duo quoque Gematricæ Qabbalæ sunt modi.

I. Gematria considerat literas in sacro textu positas *numerice*, h. e. quantum ad earum potestatem numericam attinet, & certam quandam doctrinam ex illo numero elicit.

Gen. 25. v. 21. *Et concepit Rebecca* אִשְׁתּוֹ *uxor ejus* (Isaaci), &c. in אשתו numerus est 707. idem continetur in אֵשׁ וְקַשׁ *ignis & stipula*; per ignem autem designatur *Jacob*, per stipulam vero *Esaü*, secundum illud Abdiæ v. 18. *Et erit domus Jacob* אֵשׁ *ignis*.... *& domus Esaü* לְקַשׁ *stipula*, vel *in stipulam*. Occulte ergo innuitur superiori dicto Rebeccam tunc concepisse Jacobum & Esavum.

Ibid. c. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda .... donec* יָבֹא שִׁילֹה *veniat Schilo*. Literæ duarum illarum vocum numerice sumtæ faciunt 358. qui numerus etiam in voce מָשִׁיחַ *Messias* continetur. Ergo, secundum hanc Qabbalæ speciem, *donec veniat Schilo*, idem est ac *donec veniat Messias*; quomodo Paraphrastes Chald. transtulit.

Zach. 3. v. 8. *Ecce ego adducam servum meum* צֶמַח, vox illa valet numerice 138. totidem valet vox מנחם *consolator*, quod unum est ex nominibus Messiæ, secundum Qabbalistas. Ergo per *tsemahh* eo loci intelligitur *Messias*, sicuti transtulit idem Paraphrastes Chaldæus.

Ad hanc Qabbalæ Gematricæ speciem respexisse volunt S. Joannem, Apoc. 13. v. 18. ubi Antichristi nomen compositum iri numero 666. Scribit S. Evangelista. Ab hoc nomine curiosius investigando dissuadet S. Irenæus lib. 5. contra Hæres. cap. 30. pag. 329. nov. edit. Paris. 1710. censetque certius esse exspectare *adimpletionem prophetiæ, quam suspicari & divinare nomina qualibet; quando multa nomina inveniri possunt habentia prædictum numerum*, &c. Deinde ut probet nominum hujuscemodi penuria id à se dictum non fuisse, tria in exemplum affert, quorum literæ numerum 666. efficiunt. Ea sunt: ΕΥΑΝΘΑΣ, ΛΑΤΕΙΝΟΣ, & ΤΕΙΤΑΝ. In duobus posterioribus I longum exprimitur per ει, ut apud veteres cum Græcos, tum Latinos. Alia nomina affert Feuardentius in not. ad hunc Irenæi locum. Vide pag. 200. Appendicis ejusd. edit.

II. Alter Gematriæ modus vel est *simplex*, vel *compositus*. Simplex ille est, qui literarum simplicium mathematicam affectionem, seu quantitatem, considerat. Compositus circa integrorum ædificiorum structuram & dimensionem occupatur.

Ad modum simplicem pertinet,

1°. Cum mysticæ afferuntur causæ, cur nonnullæ in textu Hebræo literæ alias quantitate superent.

Exod. 34. v. 14. *Noli adorare Deum* אַחֵר *alienum*, qua in voce ר ceteras literas quantitate superat ad innuendam peccati gravitatem, cum Deus alienus colitur.

Deut. 6. v. 4. שְׁמַע *audi*, *Israël*, *Dominus Deus noster*, *Dominus* אֶחָד *unus est*. In prima voce *audi*, litera ע majuscula est; eaque animos ad magnæ illius doctrinæ considerationem excitari volunt. In ultima versiculi dictione ד reliquas literas magnitudine vincit, quod indicat Dominum illum æternum esse Deum unicum, qui in quatuor mundi partibus, id est, ubique præsens sit; ד enim in numeris valet 4. Præterea ע & ד simul juncta efficiunt vocem עֵד *testis*; quasi monere voluisset Moses ac dicere: audi, Israël, & testis mihi eris me de unico vero & æterno Deo te serio monuisse, secundum illud Isai. 43. v. 10. *Vos testes mihi estis, inquit Dominus*, &c. Et vicissim Deum *testem* fore contra ipsos si non audiant, secundum illud

Mich. 1. v. 2. .... *sitque Dominus Deus contra vos testis.*

Ibid. c. 29. v. 28. *Et ejecit eos de terra sua....* וַיַּשְׁלִכֵם *& projecit eos in terram alienam*, &c. in וַיַּשְׁלִכֵם, ל majuscula figura scribitur ad projectionis hujus magnitudinem & gravitatem indicandam. Eadem litera ל majuscula indicat etiam eos *in æternum* abjiciendos esse; denotat enim vocem לְעוֹלָם *in æternum*. In eadem voce deficit (י), nempe וַיַּשְׁלִכֵם pro וַיַּשְׁלִיכֵם; cumque (י) istud in numeris valeat 10. ejus resectione innuitur Deum aliquando avulsurum esse 10. tribus à populi Judaïci corpore, ac in exteras regiones disjecturum.

2°. Cum mysticæ rationes afferuntur, cur è contrario quædam literæ minusculo scribantur charactere.

Gen. 2. v. 4. בְּהִבָּרְאָם *quando creata sunt illa*, videlicet cœlum & terra. In hac voce litera ה minuscula indicat omnia creata imminui & interire; & quemadmodum ה constat ex lineis dissolutis, & ab invicem separatis: sic cuncta, quæ creata sunt, dissolutum iri, ut scriptum est Isai. 51. v. 6. *Cœli velut fumus liquescent* aut *evanescent*, &c.

3°. Cum redduntur causæ, cur literæ quædam *inversæ* sint, & quædam *suspensæ*.

Inversæ, Num. 10. v. 35. וַיְהִי בִּנְסֹעַ *& factum est cum proficisceretur Arca, dicebat Moyses: surge, Domine, & dissipentur inimici tui*, &c. נ quod in voce בִּנְסֹעַ inversum est, notat omnes Israëlitarum hostes instar literæ hujus retrorsum agendos, ac in fugam vertendos fore. In Bibliis tamen accuratissimis נ istud inversum non est in בִּנְסֹעַ, sed figura ejus inversa postponitur versui 34.

Suspensæ, Jud. 18. v. 30. *Posueruntque sibi filii Dan sculptile, & Jonathan filium Gersom filii* מְנַשֶּׁה, Lxx. Μανασσῆ *Manassis*, &c. Ideo נ ibi suspensum est, quia tradunt Qabbalistæ *Prophetam studio noluisse Gersomum appellare filium Mosis, quia ignominiosum fuisset Moysi habuisse filium impium;* sed vocare eum filium *Manassis;* litera tamen נ suspensa, h. e. sursum elevata est in signum eam adesse vel abesse posse, ut sit vel filius מְנַשֶּׁה *Manassis* studio & impietatis imitatione; vel מֹשֶׁה *Mosis* prosapia & generatione. Vulg. interpretatur *Moysi*, quia legebat מֹשֶׁה, quæ vera est loci hujus lectio. Ceterum commenta & deliria Rabbinica hæc sunt; literæ enim illæ majusculæ, minusculæ, & suspensæ videntur esse sphalmata librarii, qui eas ceteris omnino æquales, ut sæpe fit, primo non exaraverat; qui vero postea Judæi exemplar istud exscripserunt, mysterium aliquod his in literis latere suspicati, eas vel auxerunt vel minuerunt, vel ex aliarum ordine magis magisque eduxerunt. Ad inversas quod attinet, eas ex altera pagina ob chartæ tenuitatem, aut alium quemvis defectum, invectas esse à vero non est alienum. Vide tom. I. pag. 12. & Rich. Simonem, hist. crit. Veteris Testamenti, l. 1. c. 26. pagg. 341. 342. edit. Roter. 1685.

Modus compositus integrorum ædificiorum compagem dimetitur & considerat.

Gen. 6. v. 15. Arca Noë 300. cubitos longa, 50. cubitos lata, & 30. cubitos alta fuisse dicitur. Si longitudo per altitudinem dividatur, h. e. 300. per 30. prodeunt 10. quæ respondent literæ (י). Dein sumta ipsa longitudine 300. oritur ש, quod valet numerice 300. quæ summa si dividatur per latitudinem, quæ est 50. emergunt 6. quæ notantur litera ו; atque ita elicitur nomen Salvatoris, יֵשׁוּ *JESUS*, quod nomen sæpius sic abbreviate scribitur pro יֵשׁוּעַ. Conf. hym. nov. tempore Passionis ad *Laudes*, ubi Crux *Arca mundo naufrago portum præparasse* dicitur, ut Catholica canit Ecclesia.

3. Reg. 6. v. 2. Templum Salomonis 60. cubitos longum, 20. latum, 30. altum fuisse dicitur. Hic Qabbalista Christianus 1°. latitudinem ab altitudine substrahit, & remanent 10. quæ iterum sunt (י) 2°. eandem altitudinem per residuum illud 10. multiplicat, evaduntque 300. h. e. ש. 3°. Denique per idem residuum 10. longitudinem dividit, & exeunt 6. sive ו, quæ tres literæ in unum collectæ iterum constituunt nomen יֵשׁוּ *JESU*, Servatoris nostri sanctissimi, *in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloss. 2. v. 9. h. e. vere & realiter, non figurate & typice.

§. II.

De Notariaqon.

SECUNDA Qabbalæ species est נוֹטָרִיָקוֹן *notariaqon*, al. נוֹטָרִיקוֹן *notariqon*, quæ vox Latina est, venitque à *noto, notatio, notarius.* Notariaqon autem species Qabbalæ est, qua literæ vocis alicujus significativæ alias dictiones connotant.

Modi ejus præcipui duo sunt; aut enim ex *initialibus* vel *finalibus* aliquot vocum literis una vox conficitur; aut ex unius vocis singulis literis singulæ voces, quarum illæ literæ sunt initiales, colliguntur.

Prior modus fit vel per *aphæresin*, seu, ut Qabbalistæ loquuntur, ר״ת, i. רָאשֵׁי תֵּיבוֹת *capita dictionum*, seu initiales literas; vel per *apocopen*, seu ס״ת, i. סוֹפֵי תֵּיבוֹת *fines dictionum*, sive finales literas; quæ, uti & præcedentes, cum (״) seghól inverso in summitate à Qabbalistis notari solent.

Exempla *Rasche thevoth*, seu cum initiales literæ sumuntur, hæc sunt:

Gen. 22. v. 8. אֱלֹהִים יִרְאֶה לּוֹ *Deus providebit sibi*, literæ initiales trium illarum vocum notant victimam, quam Abrahamus loco Isaaci Deo obtulit. Ea est אַיִל *aries.*

Ibid. c. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec* יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ *VENIAT SCHILO, ET EI erit exspectatio Gentium.* Per collectionem literarum initialium formatur nomen יֵשׁוּ *JESUS.*

Exod. 15. v. 11. מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִים יְהוָה *Quis similis tibi in fortibus* vel *in Diis, Domine?* Ex primis horum vocabulorum literis nomen suum מכבי *Machabæus* Judas sortitus dicitur; cum enim quatuor illas literas, quæ sunt prædictarum quatuor vocum compendia, vexillis suis, ut fertur, inscripsisset, milites post partam victoriam eum מַכַּבִּי *Machabæum* appellarunt.

Exempla *Sophe thevoth*, seu cum ultimæ dictionum literæ ad unam vocem conficiendam adhibentur, ea sunt:

Gen. 2. v. 3.... *quia in ipso* (die) *cessaverat ab omni opere, quod* בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת *creavit Deus ut faceret*, i. quod creando fecerat, vel faciendo crearat; quibus in verbis reperitur vox אֱמֶת *veritas*, secundum illud Psal. 118. Heb. 119. v. 160. *Principium verborum* vel *operum tuorum veritas;* quasi Moses artificiosa hac literarum dispositione innuere voluerit se ipsissimam veritatem à Deo edoctum, illam in libro suo tradere.

Exod. 3. v. 13.... si dixerint לִי מַה־שְּׁמוֹ מָה *mihi: quod est nomen ejus? quid* dicam eis? In his 4. verbis Qabbalistæ responsionem ad propositum quærunt, inveniuntque יְהוָה verum ac ipsissimum Dei nomen.

Quidam tertiam addunt speciem, cum ex mediis aliquot vocum literis, vel una media & altera finali, vox aliqua constituitur, ut: Gen. 2. v. 23. ubi אִישׁ *virum* significat, אִשָּׁה vero *mulierem.* Quandiu nomen Dei יָהּ, quod in his duabus vocibus continetur, nempe in (י) יש אִישׁ, & ה שה אִשָּׁה, perseverat cum viro & muliere, bene est: at si tollatur, tunc non remanet nisi אֵשׁ *ignis* irarum, jurgiorum, &c.

Posterior *Notariaqon* modus est, quando in una dictione singulæ literæ singulas dictiones, quarum illæ literæ sunt initiales, suppeditant.

Gen. 1. v. 1. In voce בָּרָא *creavit*, Qabbalistæ Christiani tres personas SS. Trinitatis inveniunt; ב enim בֵּן *filium* notat; ר, רוּחַ *Spiritum Sanctum*, & א, אָב *patrem.* Filius primo loco ponitur; quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*, Joan. 1. v. 3. Succedit Spiritus Sanctus; quia hæ duæ personæ mittuntur, & monstrant א, i. אָב *patrem.*

S. Irenæus lib. 2. adversus Hæres. cap. 24. pag. 150. col. 1. edit. Paris. 1710. ait *Jesum* (יֵשׁוּ) in lingua Hebraïca significare *Dominum eum, qui continet cœlum & terram*, hoc modo: (י) est prima litera nominis יְהוָה *Dominus*, ש prima שָׁמַיִם *cœlum*, & ו prima וְהָאָרֶץ *& terra.*

Idem

Idem Jesus Christus cognominatur *κατ' ἐξοχὴν* אִישׁ *vir*, Exod. 15. v. 3. *ἀνὴρ*, Act. 2. v. 22. Heb. 1. v. 3. quia portat א, (׳), & שׁ, h. e. אֶרֶץ *terram*, יָם *mare*, & שָׁמַיִם *cælos.* Præterea in voce אִישׁ de Christo Servatore intellecta continentur etiam hæ dictiones: אֲדֹנָי *sustentator* (ab אֶדֶן *basis*), יְהוָה *Deus*, & שַׁדַּי *omnipotens.* Sic homo dicitur אָדָם, quod sit אֵפֶר *cinis*, דָּם *sanguis*, & מָרָה *fel*; vel מָוֶת *mors*, *mortalis.* Idem nomen Ἀδὰμ Græcis est *ἀνατολὴ Oriens*, *δύσις Occidens*, *ἄρκτος Septentrio*, & *μεσημβρία Meridies*; quasi primus homo ex quatuor orbis cardinibus nomen traxerit suum.

Ad posteriorem illum modum pertinent Rabbinorum quorumdam nomina per solas suas literas initiales scripta, ut: רמבם *Rambam*, quod nomen integrum esset רַב מֹשֶׁה בֶּן־מַיְמוֹן *Rabbi Moses filius Maimon*, qui vulgo dicitur *Maimonides.* Sic רמבן *Ramban*, h. e. *R. Moses filius Nahhman*, vel, ut alii pronuntiant, *Nachman.* Ita etiam רשי *Raschi*, i. *R. Salomon* (filius) *Isaaci.* Is vulgo appellatur *Jarhhi* aut *Jarchi*, quo nomine turbam sequuti quandoque etiam Rabbinum illum appellavimus. At verum ejus nomen contractum est *Raschi*; is enim natus non est Lunelli (*Lunel*) in Occitania, ut arbitrantur plurimi, qui eum *Jarhhi* dictum volunt à יָרֵחַ *luna*: sed Trecis in urbe Campaniæ, *Troyes en Champagne.* Unde in Schalscheleth & Juhhasin Gallus appellatur. Vide Rich. Simon. hist. Critic. Vet. T. pag. 545. edit. Roter. 1685. & doctiss. Wolf. Biblioth. Heb. tom. I. pagg. 157. 158.

Huc etiam fortasse pertinet Basilidianorum ABRACADABRA, aut potius ABRACAD; nam ABRA initium videtur ejusdem nominis repetiti. Porro si ABRACAD Hebraïce scribatur (illud enim à Judæorum Qabbala profectum esse conjicio) erit אברוחקד׳, h. e. *Pater*, *Filius*, & *Spiritus sanctus*; א enim per Notariaqon erit אָב *Pater*; ב, בֵּן *Filius*; ר, רוּחַ *Spiritus*, & חקד׳ per apocopen Rabbinis familiarem pro integro הַקָּדוֹשׁ *sanctus*, cum ה articulo sive emphatico, quod olim sæpius efferebatur *α.* Nihil moror Daghésch, quod τὸ ק duplicare debuisset; illud enim veteres sæpius negligebant, ut planum faciunt nomina cum propria, tum appellativa, Græcis aut Latinis characteribus in SS. Patrum operibus descripta.

Sunt viri, & quidem doctissimi, qui nomen istud Græcis literis ΑΒΡΑϹΑΔΑΒΡΑ scribendum existiment. Ex eorum numero est Wendelinus Canonicus Tornacensis, qui in hoc nomine ex Hebraïca & Græca lingua, ut ipsi videtur, composito, hunc sensum reperit:

A אָב *Pater*,
B בֵּן *Filius*,
P רוּחַ *Spiritus*
A הַקָּדוֹשׁ *Sanctus.*
C Σωτηρία *Salus*
A Ἀπὸ *A*
Δ Δόξης *Gloria* (Trinitatis).
A אָב *Pater*,
B בֵּן *Filius*,
P רוּחַ *Spiritus*
A הַקָּדוֹשׁ *Sanctus.*

Vide Joannis Chiflet. Canon. Tornacensis commentar. in gemmas Abrax. pag. 65. edit. Antuerp. 1657.

Doctissimus Harduinus S. J. idem nomen Græcis etiam elementis scribit, ex eoque hunc sensum elicit:

A Ab *Pater*,
B Ben *Filius*,
P Rouah-hakadosh *Spiritus Sanctus*,
A Ἀνθρώπους *homines*
C Σώζων *salvans*
A Ἁγίῳ *per sanctum*
Δ Δένδρῳ *arborem.*
A Ab *Pater*,
B Ben *Filius*,
P Rouah-hakadosh *Spiritus Sanctus.*
A Adonai *Dominus Deus unus est*; adeo

ut sensus sit: *Deus unius & trinus homines salvans per crucem, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Dominus Deus unus est.* Vide Ephem. Trevolt. 1701. mens. Septemb. & Octob. pag. 236. edit. Paris.

Alii nomen istud Romanis literis exarant, ut Kircherus, Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 2. pag. 460. D. *Ducange*, in gloss. med. & infim. Lat. ad vocem ABRACADABRA, Q. Serenus Sammonicus, Gordiani Junioris præceptor ac medicus, hoc etiam vocabulum Latine scripsit, cap. 52. edit. Colinæi 1533. eoque ad collum appenso semitertianam curari existimavit. Ut autem id efficeret, sic illud scribendum edocuit:

Inscribes chartæ, quod dicitur ABRACADABRA,
Sæpius, & subter repetes; sed detrahe summam:
Et magis atque magis desint elementa figuris
Singula, quæ semper rapies, & singula figes,
Donec in angustum redigatur litera conum,

hoc modo:

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

Tres easdem SS. Trinitatis personas exprimit etiam eorumdem Basilidianorum Ἀβράξας, quod idem esse videtur ac superius ABRACAD, Hebraïce אברהקד', integre אברהקדש, & mutata terminatione Hebraica *os* in *as* Græcam, ad numerum, de quo mox, efficiendum, Ἀβράξας. Litera ξ, quæ componitur ex κ & σ, nata est ex ק & ד, quod ultimum elementum daghésch destitutum pronuntiatur ut *s* aut ז, secundum librum Qabbalisticum, cui titulus: קנה בינה *Qene vina*, fol. 32. pag. 2. Ἀβράξας autem numerice sumtum 365. exprimit, quot cœlos fingebant Basilidiani, & quorum primum ab eis vocabatur Ἀβράξας, teste S. Irenæo lib. 1. contra Hæres. c. 34. pag. 202. col. 2. edit. Paris. 1710. Tertull. vero lib. de Præscript. cap. 46. & S. Hieron. in Amos. 3. & alii scribunt eo nomine summum Deum à Basilidianis appellatum. Id confirmant eorum gemmæ, in quibus hæc Dei nomina leguntur: Ἰαὼ (quod est יהוה), Σαβαὼθ, Ἀδωναῒ, Ἀβράξας, Μιθρὰς aut potius Μειθρὰς, quod ultimum nomen arithmetice sumtum idem est atque Ἀβράξας; utrumque enim 365. efficit. Vide Palæog. Græc. nostri de Bernardi de Montfaucon, lib. 2. cap. 8. p. 179. & ejusd. Antiquitatem figuris explicatam, tom. 2. lib. 3. pag. 353. & seqq.

Sunt, qui pro Ἀβράξας, legant Ἀβράσαξ, transpositis literis ξ & σ. Hanc lectionem sequitur Wendelinus supra laudatus, qui in hoc etiam nomine SS. Trinitatis ac redemtionis nostræ mysterium sic reperit:

A	Ἀβ	אָב	*Pater,*
B	Βὲν	בֵּן	*Filius,*
P	Ῥουὰχ	רוּחַ	*Spiritus*
A	Ἀκαδὼς	הַקָּדשׁ	*Sanctus.*
C	Σωτηρία		*Salvatio*
A	Ἀπὸ		*A beneficio*
Ξ	Ξύλου		*Ligni.*

Vide Commentarium Joan. Chifletii superius laudatum, pag. 114.

R. P. Harduinus eadem in hoc nomine mysteria deprehendit, sed literis quibusdam alios sensus affingit, hoc modo:

A	Ab	*Pater,*
B	Ben	*Filius,*
P	Rouah-hakadosh	*Spiritus Sanctus.*
A	Ἀνθρώπους	*homines*
C	Σώζων	*Salvans*
A	Ἁγίῳ	*Per sacrum*
Ξ	Ξύλῳ	*Lignum.*

Hoc est, *Deus unius & trinus homines salvans per crucem.* Vide Ephem. Trevolt. ibid. pagg. 235. 236.

Verum has eruditorum illorum expositiones, quod spectat ad alteram earum partem, nimirum redemtionis nostræ per crucem mysterium, pessundare videtur quod scribit S. Irenæus lib. I. contra Hæres. cap. 24. nov. edit. pag. 101. col. 2. nempe Basilidianos asserere Jesum non fuisse cruci affixum, sed Simonem Cyrenæum, cujus formam assumserat, cuique tradiderat suam. *Quapropter*, inquit, *neque passum esse eum* (dicunt); *sed Simonem quemdam Cyrenæum angariatum portasse crucem ejus pro eo, & hunc secundum ignorantiam & errorem* (Judæorum) *crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus: ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, & stantem irrisisse eos..... & non oportere confiteri eum, qui sit crucifixus; sed eum, qui in hominis forma venerit, & putatus sit crucifixus, & vocatus sit Jesus, & missus à Patre, uti per dispositionem hanc opera mundi fabricatorum dissolveret.* Itaque in ABRAÇAD, & in Ἀϐϱάξας quærendum nihil videtur præter invocationem SS. Trinitatis, quam Hæreticos illos non latuisse opinantur eruditi quidam. Ceterum, quæ hîc diximus, meræ sunt conjecturæ, quas doctorum judicio permittimus. Videamus tertiam Qabbalæ artificialis speciem.

§. III.

De Temoura.

TERTIA Qabbalæ species dicitur תְּמוּרָה *Temoura*, i. *permutatio*, quod literæ invicem permutentur. Id autem fit duplici modo; *vel* enim eædem literæ simpliciter transponuntur, ut fit in Anagrammate; *vel* aliæ pro aliis per alphabethariam vicissitudinem seu revolutionem ponuntur.

Literæ eædem transponuntur, ut: Exod. 23. v. 23. *Præcedet te* מַלְאָכִי *angelus meus.* Quis iste angelus? Respondent Qabbalistæ esse מִיכָאֵל *Michaëlem*; hujus enim vocis eædem sunt literæ ac præcedentis, sed transpositæ.

Isai. cap. 40. v. 26. מִי־בָרָא אֵלֶּה *quis creavit hæc?* Resp. אֱלֹהִים בָּרָא *Deus creavit*, ubi eædem sunt literæ sed trajectæ.

Psal. 20. Heb. 21. v. 1. al. 2. *Domine in virtute tua* יִשְׂמַח *lætabitur rex.* In voce יִשְׂמַח si trajiciantur literæ, invenietur מָשִׁיחַ *Messias*, qui in virtute nominis tetragrammati יְהוָה mira operaturus hîc prænuntiatur. Nil obstat discrimen שׁ & שׂ; hoc enim punctum diacriticum, uti & puncta vocalia, negligunt Qabbalistæ. Porro Mosen vi SS. hujus nominis miracula sua edidisse asserunt Rabbini. Idem de Christo dicunt, qui, ut nugantur, nomen istud in discissam pedis cutem incluserat.

Job. 13. v. 24. *Cur faciem tuam abscondis* (ô Deus), *& arbitraris me* לְאוֹיֵב *inimicum tuum?* hoc est, cur nomen meum אִיּוֹב *Job* mutasti in אוֹיֵב *inimicum?*

Huc pertinet Gen. 6. v. 8. נֹחַ *Noe invenit* חֵן *gratiam coram Domino.* Et Isai. 61. v. 3..... *& darem eis* פְּאֵר תַּחַת אֵפֶר *ornatum*, Vulg. *coronam pro cinere.*

Sic חֵרֶם *anathema*, per metathesin est רַחַם *misericordia*; item רמ״ח vox symbolica numeralis valens 248, quot sunt membra in corpore humano. Si igitur anathemate perculsus resipiscat, pro חֵרֶם *anathemate*, consequitur רַחַם *misericordiam.* Verum si in peccato suo perseveret, tunc חֵרֶם *anathema* intrat in רמ״ח, id est, in 248. membra ejus, & sic totum hominem perdit.

Per eandem *Temouram* fit ut radices Hebrææ, quæ iisdem constant literis, sed transpositis, plerumque cognatas habeant significationes, ut: כֶּשֶׂב & כֶּבֶשׂ *agnus*, יָעֵף & עָיֵף *lassus fuit*, סָכַל & כָּסַל *stultus fuit*, חָפַז & פָּחַז *trepidavit*, &c. quæ sunt veluti anagrammata Hebraïca.

Denique in his Pilati ad Christum verbis: *Quid est veritas?* Joan. 18. v. 38. Anagramma istud reperitur: *Vir, qui adest.* Vide supra pag. 286. col. 1. initio.

Literæ aliæ pro aliis per Alphabethariam vicissitudinem usurpantur, cum 22. Alphabethi Hebraïci literæ in duas partes æquales

dividuntur, ita ut pars altera priori subscribatur vel ordine recto & naturali, ut:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת.

Vel ordine retrogrado, seu βυςροφηδὸν, sic:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

Prior modus, seu prius Alphabethum, dicitur, אלבם *Albam*, posterius vero אתבש *Athbasch*, ob primarum literarum sibi invicem subscriptarum connexionem. In his autem Alphabethis litera superior pro inferiore, & vicissim, usurpatur.

Jerem. 51. v. 1. *Ecce ego suscitabo super Babylonem, & super habitatores ejus*, לֵב קָמָי (contracte pro לֵב קָמִים עָלַי) *qui cor levaverunt contra me*, &c. Literæ harum vocum לֵב קָמָי per alphabethum *Athbasch* permutatæ exhibent dictionem כַּשְׂדִּים; unde LXX. Χαλδαίυς, *Chaldæos* interpretantur.

Per idem Alphabethum *Athbasch* explicatur vox שֵׁשַׁךְ, quæ legitur Jerem. 25. v. 26. *Et Rex Sesach bibet post eos*, id est, *Rex Babel*, ut transtulit Chald. Hujus Temouræ meminit S. Hieron. comment. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 649. *Quomodo autem Babylon*, inquit, *quæ Hebraïce dicitur BABEL, intelligatur SESACH, non magnopere laborabit, qui Hebrææ linguæ parvam saltem habuerit scientiam. Sic apud nos Græcum Alphabethum usque ad novissimam literam per ordinem legitur, hoc est*, Alpha, Betha, *& cetera usque ad* ω; *rursumque propter memoriam parvulorum solemus lectionis ordinem vertere, & primis extrema miscere, ut dicamus:* Alpha, ω, Betha, Psi; *Sic & apud Hebræos primum est ALEPH, secundum BETH, tertium GIMEL, usque ad vigesimam secundam & extremam THAV, cui penultima est SIN. Legimus itaque ALEPH, THAV; BETH, SIN. Cumque venerimus ad medium, LAMED litera occurrit CAPH. Et ut, si recte legamus, legimus BABEL; ita ordine commutato legimus SESACH .... Arbitrorque à S. Propheta prudenter fuisse celatum* (nomen Babel), *ne aperte eorum contra se insaniam commoveret, qui obsidebant Jerusalem, & jam jamque ejus potituri erant. Quod & Apostolum contra imperium Romanum fecisse legimus, scribentem de Antichristo:* Non meministis quod cum apud vos essem adhuc, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore, *subauditur Antichristus;* jam enim mysterium iniquitatis operatur: tantum qui tenet modo, teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illuminatione adventus sui. (2. Thess. 2. v. 5. & seqq.) *Eum qui tenet, Romanum imperium ostendit; nisi enim hoc destructum fuerit, sublatumque de medio, juxta prophetiam Danielis, Antichristus ante non veniet. Quod si aperte dicere voluisset, stulte persecutiones adversum Christianos, & tunc nascentem Ecclesiam rabiem concitasset.* Aliam vocis *Sesach* explicationem vide supra pag. 268. col. 2.

In eodem Alphabetho pro שָׂרָה *Sara*, Qabbalistæ inveniunt בגצ, quæ literæ numerice sumtæ efficiunt 95. Eundem numerum exprimit nomen proprium יִסְכָּה Gen. 11. v. 29. Hinc colligunt *Iscam*, Vulg. *Jescham*, eandem esse ac *Saram*, quæ duobus, ut volunt, insignita erat nominibus.

Eodem Alphabetho tetragrammaton Dei nomen יְהוָֹה mutatur in מַצְפַּץ *Matspats.*

Per Alphabethum *Albam*, quod descriptum est sup. colum. 1. initio, in nomine proprio טָבְאַל *Taveal*, Vulg. *Tabeel*, Isai. 7. v. 6. Qabbalistæ inveniunt רַמְלָא *Ramla*, quem volunt filium fuisse רְמַלְיָהוּ *Remaliæ*, Vulg. *Romeliæ* regis Israël, de quo ibid. v. 4. adeo ut sensus sit: *Ascendamus ad Judam, & suscitemus eum, & avellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio ejus filium* טָבְאַל, hoc est, רַמְלָא seu filium Romeliæ. Verum Aben-Esra in h. l. scribit hanc expositionem *fumum sive vanitatem* esse, hoc est, futilem.

Aliis etiam modis, qui in sequentibus Tabulis conspiciuntur, Alphabethi Hebraïci literas disponunt, & invicem commutant Qabbalistæ.

TABULA I.

Varia Alphabethi Hebraïci literarum Qabbalistica dispositio.

XI.	X.	IX.	VIII.	VII.	VI.	V.	IV.	III.	II.	I.	
כל	ים	טן	חס	זע	וף	חץ	דק	גר	בש	את	1
לם	כן	יס	טע	חף	זץ	וק	הר	דש	גת	אב	2
מן	לס	כע	יף	טץ	חק	זר	וש	חת	דב	אג	3
נס	מע	לף	כץ	יק	טר	חש	זת	וב	הג	אד	4
סע	נף	מץ	לק	כר	יש	טת	חב	זג	וד	אה	5
עף	סץ	נק	מר	לש	כת	יב	טג	חד	זה	או	6
פץ	עק	סר	נש	מת	לב	כג	יד	טה	חו	אז	7
צק	פר	עש	סת	נב	מג	לד	כה	יו	טז	אח	8
קר	צש	פת	עב	סג	נד	מה	לו	כז	יח	אט	9
רש	קת	צב	פג	עד	סה	נו	מז	לח	כט	אי	10
שת	רב	קג	צד	פה	עו	סז	נח	מט	לי	אך	11
תב	שג	רד	קה	צו	פז	עח	סט	ני	מך	אל	12
בג	תד	שה	רו	קז	צח	פט	עי	סך	נל	אם	13
גד	בה	תו	שז	רח	קט	צי	פך	על	סם	אן	14
דח	גו	בז	תח	שט	רי	קך	צל	פם	ען	אס	15
הו	דז	גח	בת	תי	שך	רל	קם	צן	פס	אע	16
וז	הח	דט	גי	בך	תל	שם	רן	קס	צע	אף	17
זח	וט	הי	דך	גל	בם	תן	שס	רע	קף	אץ	18
חט	זי	וך	הל	דם	גן	בס	תע	שף	רץ	אק	19
טי	חך	זל	ום	הן	דס	גע	בף	תץ	שק	אר	20
יך	טל	חם	זן	וס	הע	דף	גץ	בק	תר	אש	21

Alio etiam ordine literæ alphabethi disponuntur à P. Kircherio, Oedip. Ægypt. tom. 2. pag. 246. ut ex sequenti Tabula, quæ ex libro *Ietsira* desumta est, inspicienti liquet. Imo neque in his duabus Tabulis omnes literam conjugationes contineri, ex supplemento infra describendo patebit.

TABULA II.

Alia literarum Alphabethi Hebraïci ex libro Ietsira *Qabbalistica dispositio.*

XI.	X.	IX.	VIII.	VII.	VI.	V.	IV.	III.	II.	I.	
כ ב	י נ	ט ס	ח ע	ז פ	ו צ	ח ק	ד ר	ג ש	ב ת	א ל	1
ל מ	כ נ	י ס	ט ע	ח פ	ז צ	ו ק	ה ר	ד ש	ג ת	א ב	2
ב מ	ל נ	כ ס	י ע	ט פ	ח צ	ז ק	ו ר	ה ש	ד ת	א ג	3
מ נ	ל ס	כ ע	י פ	ט צ	ח ק	ז ר	ו ש	ה ת	ב ג	א ד	4
ג נ	מ ס	ל ע	כ פ	י צ	ט ק	ח ר	ז ש	ו ת	ב ד	א ה	5
נ ס	מ ע	ל פ	כ צ	י ק	ט ר	ח ש	ז ת	ג ד	ב ה	א ו	6
ד ס	נ ע	מ פ	ל צ	כ ק	י ר	ט ש	ח ת	ג ה	ב ו	א ז	7
ס ע	נ פ	מ צ	ל ק	כ ר	י ש	ט ת	ד ה	ג ו	ב ז	א ח	8
ה ע	ס פ	נ צ	מ ק	ל ר	כ ש	י ת	ד ו	ג ז	ב ח	א ט	9
ע פ	ס צ	נ ק	מ ר	ל ש	כ ת	ה ו	ד ז	ג ח	ב ט	א י	10
ו פ	ע צ	ס ק	נ ר	מ ש	ל ת	ה ז	ד ח	ג ט	ב י	א כ	11
פ צ	ע ק	ס ר	נ ש	מ ת	ו ז	ה ח	ד ט	ג י	ב כ	א ל	12
ז צ	פ ק	ע ר	ס ש	נ ת	ו ח	ה ט	ד י	ג כ	ב ל	א מ	13
צ ק	פ ר	ע ש	ס ת	ז ח	ו ט	ה י	ד כ	ג ל	ב מ	א נ	14
ח ק	צ ר	פ ש	ע ת	ז ט	ו י	ה כ	ד ל	ג מ	ב נ	א ס	15
ק ר	צ ש	פ ת	ח ט	ז י	ו כ	ה ל	ד מ	ג נ	ב ס	א ע	16
צ ר	ק ש	ט ת	ח י	ז כ	ו ל	ה מ	ד נ	ג ס	ב ע	א פ	17
ר ש	ק ת	ט י	ח כ	ז ל	ו מ	ה נ	ד ס	ג ע	ב פ	א צ	18
י ש	ר ת	ט כ	ח ל	ז מ	ו נ	ה ס	ד ע	ג פ	ב צ	א ק	19
ש ת	י כ	ט ל	ח מ	ז נ	ו ס	ה ע	ד פ	ג צ	ב ק	א ר	20
כ ת	י ל	ט מ	ח נ	ז ס	ו ע	ה פ	ד צ	ג ק	ב ר	א ש	21
כ ל	י מ	ט נ	ח ס	ז ע	ו פ	ה צ	ד ק	ג ר	ב ש	א ת	22

TABULA III.

Tabulæ primæ supplementum.

X.	IX.	VIII.	VII.	VI.	V.	IV.	III.	II.	I	
כ מ	י נ	ט ס	ח ע	ז פ	ו צ	ה ק	ד ר	ג ש	ב ח	2
ל נ	כ ס	י ע	ט פ	ח צ	ז ק	ו ר	ה ש	ד ת	ג ב	3
מ ס	ל ע	כ פ	י צ	ט ק	ח ר	ז ש	ו ת	ה ב	ד ג	4
נ ע	מ פ	ל צ	כ ק	י ר	ט ש	ח ת	ז ב	ו ג	ה ד	5
ס פ	נ צ	מ ק	ל ר	כ ש	י ת	ט ב	ח ג	ז ד	ו ה	6
ע צ	ס ק	נ ר	מ ש	ל ת	כ ב	י ג	ט ד	ח ה	ז ו	7
פ ק	ע ר	ס ש	נ ת	מ ב	ל ג	כ ד	י ה	ט ו	ח ז	8
צ ר	פ ש	ע ת	ס ב	נ ג	מ ד	ל ה	כ ו	י ז	ט ח	9
ק ש	צ ת	פ ב	ע ג	ס ד	נ ה	מ ו	ל ז	כ ח	י ט	10
ר ת	ק ב	צ ג	פ ד	ע ה	ס ו	נ ז	מ ח	ל ט	כ י	11
		ק ד	צ ה	פ ו	ע ז	ס ח	נ ט	מ י	ל כ	12
			ק ו	צ ז	פ ח	ע ט	ס י	נ כ	מ ל	13
				ק ח	צ ט	פ י	ע כ	ס ל	נ מ	14
					ק י	צ כ	פ ל	ע מ	ס נ	15
						ק ל	צ מ	פ נ	ע ס	16
							ק נ	צ ס	פ ע	17
								ק ע	צ פ	18
									ק צ	19

NOTÆ

In præcedentes Tabulas.

Quinque literæ כ, מ, נ, פ, צ, cum sunt secundæ in cellula literæ, in forma finali, sic: ך, ם, ן, ף, ץ à nonnullis scribuntur; apud alios vero servant formam communem, seu quam initio & in medio dictionis obtinent. Priori modo in prima Tabula; posteriori, in

duabus aliis, ut omnibus faceremus satis, eas descripsimus.

Alphabetha illa ex duabus prioribus cellulis nomina sua desumunt; ita ut primum Alphabethum primæ Tabulæ vocetur Alphabethum *Athbasch*; secundum *Avgath*, tertium *Aghdav*, & sic de ceteris hujus & aliarum Tabularum Alphabethis.

Alphabetha quædam secundæ Tabulæ anomala sunt; nam in 11ª. cellula tertii Alphabethi pro ם priori litera reponitur ב. In secunda cellula quarti Alphabethi ב cernitur pro ח, quod ב in ceteris Alphabethis ad finem usque ibidem continuatur. In 11ª. cellula quinti Alphabethi נ prior litera est pro ג. In eadem cellula septimi Alphabethi cernitur ד pro ם. Ibidem in nono Alphab. ח scribitur loco ש. Sic in 11°. ו pro פ. In 13°. ו pro צ. In 15°. ח pro ק. In 17°. צ pro ר. In 19°. י pro ש. In 20°. ש pro ב. Aliæ, si quæ sunt, anomaliæ facile possunt observari.

Ceterum his Alphabethis raro utuntur Qabbalistæ, nisi forsan in occultioribus, & secretioribus Mysteriis; communior tamen usus est Alphabethi *Athbasch*, quod est primum primæ Tabulæ, & ultimum secundæ. Eo usum fuisse Jeremiam cap. 25. v. 26. in voce *Sesach* contendunt Judæi, imo & ipse Hieronymus. Vide supra pag. 396. c. 1. ubi S. hujus doctoris verba retulimus.

ARTICULUS II.

De Qabbala inartificiali.

QABBALA inartificialis vulgo dividitur in scientiam מֶרְכָּבָה *currus*, & בְּרֵאשִׁית *in principio*. Prior spectat ad Theologiam & Metaphysicam; versaturque in Divinarum perfectionum & cœlestium intelligentiarum cognitione. Sic vocatur ab Ezechielis *curru*, cap. 1. quo præcipua hujus Qabbalæ mysteria explicasse creditur is propheta. Posterior occupatur circa res naturales, quarum naturam investigat. Nomen suum accepit à בְּרֵאשִׁית primo Geneseos vocabulo, quod in primo libri hujus capite rerum omnium creatio exponatur.

Mercava, sive currus Ezechielis, diversa ratione à Qabbalistis explicatur. Ventus ab Aquilone veniens, ut volunt nonnulli, erat Nabuchodonosor, qui, eversis Jerosolymis, Templum incendit. Quatuor animalibus significabantur quatuor angeli quatuor imperiis præfecti. Rotæ quatuor ea quatuor imperia signabant. Denique rota in medio rotæ posita imperium ab imperio evertendum portendebat; revera enim imperium Babylonicum à Persis, Persicum à Græcis, Græcum à Romanis, Romanum à variis barbaris vastatum est.

Præter hunc sensum, qui literalis videtur, longe sublimiores in hoc Ezechielis curru deprehendunt Qabbalistæ. Rota, secundum *Henricum Morum*, materiam primam significat. Quatuor rotæ, quatuor elementa designat. Quatuor animalia, quatuor mundos Qabbalisticos exprimunt, nempe *Aziluthicum*, in quo omnes animæ, etiam Christi, à mundi exordio creatæ in Dei ejusque perfectionum contemplatione occupabantur. *Briathicum*, in quem descenderunt animæ quædam ex Aziluthico, ibique summa cum integritate candoreque se gesserunt. *Ietsirathicum*, in quem, quæ descenderunt animæ, variis cupiditatibus, iræ, amori, ac præsertim superbiæ fuerunt obnoxiæ. Hic rebellavit Lucifer; prælium, cujus Baruc mentionem fecisse videtur c. 3. v. 26. à Gigantibus commissum; tentati sunt à Diabolo homines, victique in quartum mundum, qui *Asiaticus* dicitur, ceciderunt. Ea fere est Henrici Mori sententia, quæ Catholico dogmati, maxime de animorum, quo tempore in corpora infunduntur, creatione, quantum adversetur nemo non videt.

Aliis quatuor mundi Qabbalistici sunt 1°. mundus Archetypus seu idealis, in quo ab æterno omnium rerum possibilium impossibiliumque

biliumque exemplaria extiterunt. 2°. Mundus angelicus, in quo angeli Legis æternæ, cui analoga est Mosaïca, exsequutores, benignos, aut malignos influxus hominibus, prout hanc legem observaverint aut violarint, exhibent, 3°. Mundus sidereus, 4°. Denique mundus elementaris.

Mitto alias Qabbalistarum Ezechielis currus expositiones, necnon mysticos literarum Alphabethi Hebraïci sensus, ut de *Sephiroth* universæ Qabbalæ compendio, pauca dicam.

SEPHIROTH, quas alii *numerationes*, à ספר *numeravit*; alii *splendores*, à ספיר *sapphirus*, interpretantur: sunt decem nomina, aut potius Divinitatis attributa, ex quibus componitur arbor Qabbalistica. Illa autem attributa sunt I. כתר *Corona*. II. חכמה *Sapientia*. III. בינה *Intelligentia*. IV. גדולה *Magnificentia*, al. חסד *Misericordia*. V. גבורה *Fortitudo*, al. פחד *Timor, Severitas*. VI. תפארת *Ornamentum*, sive *Pulchritudo*. VII. נצח *Victoria*. VIII. הוד *Gloria*. IX. יסוד *Fundamentum*. X. מלכות *Regnum*. Cum his decem Sephiris conferunt Qabbalistæ 1°. Decem Dei nomina. 2°. Decem spirituum ordines. 3°. Septem planetas cum cœlo triplici, empyreo videlicet, primo mobili, & firmamento. 4°. Decem præcipua hominis membra. 5°. Denique decem præcepta sive Dei mandata. Itaque respondent

I. CORONÆ, nomen Divinum אהיה *sum qui sum*. Seraphim. Cœlum empyræum. Cerebrum. *Non habebis Deos alienos coram me*, Exod. 20. v. 3.

II. SAPIENTIÆ, יה *Dominus* sive *essentia*. Cherubini. Primum mobile. Pulmo. *Non facies tibi sculptile*, Exod. 20. v. 4.

III. INTELLIGENTIÆ, יהוה *Deus Deorum*. Throni. Firmamentum. Cor. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, Exod. 20. v. 7.

IV. MAGNIFICENTIÆ, אל *Deus creator*, Dominationes. Saturnus. Stomachus. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, Exod. 20. v. 8.

V. FORTITUDINI, אלה *Deus potens*. Virtutes. Jupiter. Jecur. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, Exod. 20. v. 12.

VI. PULCHRITUDINI, אלהים *Deus fortis*. Potestates. Mars. Fel. *Non occides*, Exod. 20. v. 13.

VII. VICTORIÆ, יהוה צבאות *Dominus exercituum*. Principatus. Sol. Splen. *Non mœchaberis*, Exod. 20. v. 14.

VIII. GLORIÆ, אלהים צבאות *Deus exercituum*. Archangeli. Venus. Renes. *Non furaberis*, Exod. 20. v. 14.

IX. FUNDAMENTO, אל חי *Deus vivens*, al. שדי *omnipotens*. Angeli. Mercurius. Hominis αἰδοῖα. *Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium*, Exod. 20. v. 15.

X. REGNO, אדני *Dominus*. Animæ. Luna. Matrix. *Non concupisces*, &c. Exod. 20. v. 16.

Sic ordinantur *Sephiroth*, ut superiores in inferiores, ope duorum & viginti canalium, quot sunt Alphabethi Hebraïci literæ, influant. Ex *Corona*, v. g. tres egrediuntur canales, quorum primus tendit ad *Sapientiam*, secundus ad *Intelligentiam*, tertius ad *Pulchritudinem*, quartus reciprocus est *Sapientiam* inter & *Intelligentiam*. Infra Coronam situs est mundus archetypus, & angelicus. Juxta quartum canalem positæ sunt 32. semitæ sapientiæ, & 50. portæ lucis, h. e. quibus ad summam Sapientiam, & lucem, quæ Deus est, pervenitur. Moses tamen nonam & quadragesimam tantum portam ingressus est, ei clausa fuit quinquagesima. Josue in quadragesimam octavam solummodo penetravit, nec potuit ulterius progredi. Quid quod Salomon ipse, hominum sapientissimus, nunquam efficere potuit, ut sibi quinquagesima porta reseraretur.

Quintus canalis deducitur ex *Sapientia* in *Pulchritudinem*. Is aquas Divinæ misericordiæ continet.

Sextus ex eadem *Sapientia* in *Magnificentiam*, al. *Misericordiam*, ex qua exeunt 35. principes misericordiæ.

Septimus ex *Intelligentia* in *Pulchritudinem*, & continet ignes Divinæ justitiæ ac judicii.

Octavus ex eadem *Intelligentia* in *Fortitudinem*, sive *Timorem*, unde prodeunt 35. principes severitatis.

Nonus misericordiæ & justitiæ reciprocus inter *Magnificentiam* & *Fortitudinem*, sive *Misericordiam* & *Timorem*, aut *severitatem*.

Infra hunc alveum collocatur mundus sidereus.

Decimus ex *Magnificentia* in *Pulchritudinem*, juxta quem sunt 72. potestates dexteræ.

Undecimus ex *Magnificentia* in *Victoriam*; ex eoque derivantur 248. præcepta Legis affirmativa.

Duodecimus ex *Fortitudine* in *Pulchritudinem*; & juxta illum sunt 72. potestates sinistræ, inter quas & 72. dexteras collocantur 72. mediæ.

Decimus tertius ex *Fortitudine* in *Gloriam*; ex eoque fluunt 365. præcepta Legis negativa.

Decimus quartus ex *Pulchritudine* in *Victoriam*.

Decimus quintus ex *Pulchritudine* in *Fundamentum*.

Decimus sextus ex *Pulchritudine* in *Gloriam*.

Decimus septimus ex *Victoria* in *Gloriam*, isque reciprocus est victoriæ & gloriæ; eique subjicitur mundus elementorum.

Decimus octavus ex *Victoria* in *Fundamentum*.

Decimus nonus ex *Victoria* in *Regnum*.

Vigesimus ex *Gloria* in *Fundamentum*.

Vigesimus primus ex *Gloria* in *Regnum*.

Vigesimus secundus ex *Fundamento* in *Regnum*.

Supra *Sephiroth* collocatur à Qabbalistis אין סוף *non finis*, sive *æternitas*, qua Deus ipse significatur. Ut autem ea omnia facilius intelligas, vide infra arborem Qabbalisticam, qualis vulgo describitur; illæ enim Sephiroth à quibusdam repræsentantur sub imagine hominis, cujus caput tres continet; nimirum *Coronam*, *Sapientiam*, & *Intelligentiam*; pectus & duo brachia *Pulchritudinem*, *Magnificentiam*, & *Fortitudinem*; ceteræ partes inferiores quatuor ultimas, nempe *Victoriam*, *Fundamentum*, *Gloriam* & *Regnum* complectuntur. Alii aliis figuris, puta א, circulo, &c. eas exhibent. Vide Kirch. Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 1. pag. 302.

Circa Sephirarum illarum interpretationem non minus à se invicem dissentiunt Qabbalistæ. Sunt enim, qui ad Theologiam illas pertinere existiment; ac tribus quidem prioribus, nempe *Corona*, *Sapientia*, & *Intelligentia* tres SS. Trinitatis personas; reliquis vero, Divinitatis attributa significari arbitrentur. Imo non desunt qui Valentinianos ex illa Judæorum Qabbala, sed aucta, duos & triginta suos *Æonas* mutuatos velint, hisque nihil aliud innuere voluisse, præter varias Dei mundum condentis regentisque operationes, triginta duobus אלהים, quæ in primo Geneseos capite leguntur, respondentes. Vide inter alios Cl. Jac. *Basnage*, Hist. Jud. tom. 2. l. 3. c. 27. pag. 1058. & seqq.

Alii ad Messiæ incarnationem Hebræos Qabbalistas respexisse volunt, quod in V. T. pleræque illæ Sephiroth sive virtutes de Christo venturo prædicentur, loca quædam Apocalypseos earum subsidio commode illustrentur, & à veteribus Qabbalistis sic disponantur, ut figuram hominis referant. Hanc in sententiam concedit doctiss. *Campegius Vitringa*, lib. 10. observ. sacr. p. 123. *Quam ob causam*, inquit, *rem hanc nec mysteriis, nec ratione carere arbitratus, facile quidem deveni in illas cogitationes, quod hæ Sephiroth Kabbalisticæ dispositæ sint juxta figuram corporis humani, quodque per illas veteres Hebræi nobis depinxerint mysterium incarnationis futuri Messiæ: quibus in cogitationibus valde confirmabar, quando animadvertebam plerasque hasce virtutes de Messia prædicari in Instrumento veteri, & loca quædam ex Sacra Apocalypsi hinc haud inconvenienter illustrari..... Si tamen quis existimet* (ita concludit pag. 163.) *hasce Sephiroth respectum suum habere ad Divinam essentiam, ita ut tres superiores Sacrosanctam Trinitatem repræsentent, reliqua vero attributa Divina significent, cujus interpretamenti fundamenta videntur plurima esse in libro* Ietsira, *& scriptis Kabbalistarum aliis, suo poterit judicio frui, modo mihi concedat per meam expositionem mysterium longe majus in hisce Sephiroth contineri, Scripturæ Sacræ dictionibus multo evidentius satisfieri, veritatem quoque de Christo multo clarius esse expositam, circa quam Kabbala omnis genuina debuit esse occupata.*

Alii Spiritus decem à Deo proximos his Sephiris indicari volunt. Ita sentit clarissimus

Huetius in quæst. Alnet. l. 2. c. 4. pag. 132. *Multa hîc*, inquit, *pro more suo nugantur recentiores Judæi; nam præter Sephiroth, decem nempe illos Spiritus Deo proximos, angelos his inferiores ponunt, bonos atque malos: & bonos quidem in diversos dispescunt ordines, animalium, rotarum, prævalidorum, aliisque nominibus discretos*, &c. Confer quæ diximus supra pag. 401. de decem ordinibus spirituum cum his decem Sephiroth comparatis.

Alii præcipua Theologiæ Judaicæ capita in locos decem distributa his exhiberi autumant.

Alii ad Logicæ Peripateticæ decem prædicamenta illas referunt.

Alii ad Astronomiam has revocant, voluntque tribus prioribus cœlum empyræum, crystallinum, ac primum mobile; septem vero aliis, septem planetas significari. Hinc ultimam מַלְכוּת vocant לְבָנָה & יָרֵחַ *lunam*; & תִּפְאֶרֶת ab aliis שֶׁמֶשׁ *sol* appellatur. Confer dicta supra pag. 401. c. 1.

Alii Chymiæ, præsertimque auri conficiendi mysteria his tradi opinantur.

Alii ad Physicam has Sephiroth pertinere existimant ex Joseph. Albo in lib. *Iqqarim*, sive de *fundamentis*, l. 2. c. 11. ubi sic loquitur: *Vocant rerum creatarum principia Sephiroth, dicuntque tres primas intellectualium locum tueri, quas vocant lucem intellectu non assequendam: septem vero posteriores singulas referunt ad singulos dies Hexaëmeri, & decimam vocant Schabbath, quia ultimus est effectus.*

Alias Sephirarum expositiones vide apud doctissimum Wolfium, tom. 2. Biblioth. Heb. pag. 1221. & seqq.

Tametsi varias in sententias circa nominum illorum explicationem abeant eruditi, his tamen verosimile est decem præcipua Dei unius in substantia, & trini in personis, attributa fuisse à veteribus Qabbalistis expressa. Enimvero, quid sibi volunt, v. g. 35. principes misericordiæ & totidem severitatis; 72. potestates dextræ, 72. sinistræ, & 72. mediæ, quæ 216. efficiunt, quot literas continent vers. 19. 20. 21. capitis 14. Exodi, ex quorum versuum unoquoque 72. literis constante nomen Dei 72. literarum componunt; quid, inquam, hæc innuunt, nisi Divinam misericordiam hominibus resipiscentibus parcentem, & justitiam in impietate perseverantibus pœnas infligentem; alteram vero altera temperatam? Si enim sola Dei misericordia obtineret, inquiunt, mundus peccatorum iniquitatibus subverteretur; & si sola justitia seu severitas, idem contingeret. Quare mutuus canalis misericordiam inter & justitiam à Qabbalistis foditur.

Hæc sufficiant circa Sephiroth. Qui fusiorem de his disputationem legere voluerit, adeat Athanas. Kircherum in Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 1. p. 214. & seqq. Cæsar. Ævolum in lib. de decem Sephiroth, Philip. Aquinatem in interpret. arboris Cabbal. Jacob. Basnage in hist. Jud. l. 2. c. 14. Joan. Francisc. Buddæum in introd. in hist. Philos. Heb. p. 277. & seqq. & in tom. 1. observ. Halens. observ. 1. Thom. Burnetum in Archæol. Philos. l. 1. cap. 7. Joan. Bened. Carpzovium in introd. in Theol. Jud. & in dissert. de vacca rufa, part. 2. pag. 56. & seqq. Nicol. Hieron. Gundlingium in hist. Philos. moralis, part. 1. c. 7. p. 95. Christoph. Heumannum in act. philos. tom. 2. num. 2. Abrah. Hinckelmannum in detectione fundamenti Bohmiani, pag. 20. & seqq. Joan. Meyerum in dissert. Theolog. de mysterio SS. Trinitatis ex solius V. T. libris demonstrato, &c. Henric. Morum in operib. philos. pag. 429. & seqq. Gottfrid. Olearium in observ. sac. super Matth. p. 221. & seqq. August. Pfeiferum in Critic. sac. p. 214. & seqq. Joan. Stephan. Rittangelium in not. ad lib. *Ietsira*, & in lib. de veritate Religionis Christianæ, Christianum Knorr. de Rosenroth in Cabbala denudata passim, Steudnerum de mysterio Dei triunius. p. 294. & seqq. Campegium Vitringa in observ. sac. capp. 10. 11. Joseph. Voisinium in notis ad procemium pugionis fidei p. 71. & seqq. Joan. Georg. Vachterum in elucidario Cabbalistico, c. 3. & alios quosdam à doctiss. Wolfio, Biblioth. Heb. tom. 2. pagg. 1228. 1229. laudatos. Jam exhibenda est arbor Qabbalistica eodem fere modo, quo repræsentatur à Kirchero, Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 1. p. 288.

ARBOR QABBALISTICA.

Æternitas אין סוף

Sephira Corona. I.a

Sephira III.a

Sephira II.a

Canalis 2.

Canalis 3.

Canalis 1.

Mundus

Mundus

50. Portæ lucis.

Archetypus

Angelicus.

32. semitæ sapientiæ

Intelligentia.

Canalis 4. recip. 50. portæ et 32. semitæ

Sapientia.

Canalis 8.

Canalis 7.

Lex Mosis umbra

Legis æternæ.

Totus Trinitatis influxus

Canalis 6.

Sephira V.a

Sephira IV.a

35. Principes Severitatis.

Fortitudo Sive Severitas.

Canalis 9. reciproc. misericord. et justitiæ.

Magnificentia Sive Misericordia.

35 Principes misericordiæ.

Canalis 12.

Canalis 10.

Canalis 13.

Canalis 11.

365. Præcepta negativa.

248 Præcepta affirmativa.

Sephira Pulcritudo. VI.a

Sephira VIII.a

Sephira VII.a

Canalis 16.

Canalis 14.

Canalis

Gloria.

Canalis 17. reciprocus victoriæ et Gloriæ

Victoria.

Mundus Elementorum.

15.

Canalis 20.

Canalis 18.

Sephira Fundamentū IX.a

Canalis 21.

Canalis 19.

Canalis 22.

Sephira Regnum. X.a



CAPUT V.

De Massora.

ARTICULUS I.

De Massora nomine, definitione, ac divisione.

MASSORA, sive ut alii legunt, MASORA, de qua hîc agimus, est doctrina Critica à priscis Hebræorum Sapientibus inventa ac tradita circa textum Hebræum, qua versus, voces, & literæ ejus numerantur, notatur omnis earum varietas, ut sic constans & genuina ejus lectio conservetur, & ab omni mutatione aut corruptione præmuniatur. Quare Massora Rabbinis dicitur סְיָג לְתּוֹרָה *sepes Legis.* מְסוֹרָה autem sive מָסוֹרָה venit ab Hebræo verbo מָסַר *tradidit.*

Porro hæc Critica, qualis nunc exstat, neque eodem tempore, neque ab iisdem doctoribus concinnata est; verum *auctores ejus fuerunt centeni & milleni, una generatione post aliam, annis compluribus; neque cognitum nobis est tempus principii vel finis eorum,* inquit Elias Levita, præfat. 3. in librum suum *Massoreth Hammassoreth.* Is tamen Rabbinus in ead. præfat. & Aben-Esra in libello Grammatico צְחוּת *elegantiarum*, Massoræ sicuti punctorum & accentuum primos auctores faciunt Judæos Tiberienses. Imo Elias tempus assignat, nempe post absolutum Thalmud, anno 436. ab excidio Templi secundi, h. e. à Christo nato 506. Quod tamen omni ex parte verum non est, cum in Thalmude tract. *Qiddouschin*, cap. 1. fol. 30. c. 1. mentio fiat numerationis literarum, v. g. quam ad Massorethas etiam referunt, quæque tamen, ut patet, erat Thalmude ipso antiquior. Ceterum Massoram ex variis mss. collectam à R. Jacob ben-Hhaiim, al. Chaiiim, Venetiis primum edidit Daniel Bombergus, anno Christi 1525. una cum textu Hebræo, Thargum sive paraphrasi Chaldaïca, & aliquot Rabbinorum commentariis, opem ferente prædicto Rabbi Jacob Tunetano.

MASSORA duplex est, *Magna* & *Parva.*

MASSORA magna pro ratione loci, quem in bibliis impressis occupat, dividitur in *Textualem* & *Finalem.*

MASSORA magna textualis ad textum cujuslibet folii charactere Biblico seu quadrato adscripta est. Occupat autem locum proxime supra & infra textum, quandoque etiam ad latus ponitur; cum videlicet commentaria Rabbinica deficiunt. In ea primo ponitur vox textus, deinde numerus, quoties videlicet vox ista reperiatur, tum subjiciuntur loca Biblica. Locorum autem illorum neque libri, neque capita citantur, sed dictiones duntaxat quædam afferuntur. Quare, ut quis loca illa reperire possit, concordantias Hebraïcas in manibus continuo habeat necesse est, aut Scripturam integram memoria teneat.

MASSORA magna *finalis* sic dicitur, quod ad finem Bibliorum magnorum Venetorum & Basileensium adjecta sit. Voces ordine Alphabethico, quomodo scilicet à duabus primis literis incipiant, proponit. Loca Biblica vel statim adducit, vel ad Massoram textualem remittit. Verbo dicam, in hac Massora voces omnes Hebrææ, qua ratione scribendæ sint, indicantur; quamobrem varia disposita sunt Alphabetha, ad quæ voces illæ referuntur. Unum aut alterum exemplum rem illustrabit.

Primum Alphabethum sic enuntiatur: א״ב מאותיו גדולות וסימנו׳ נמסרו בריש דברי הימים h. e. *Alphabethum magnarum literarum, quarum loca seu exempla asseruntur initio libri* divre-haiiamim, i. *Numerorum*.

Secundum Alphabethum sit incipit: א״ב מאותיות קטנות סימני׳, h. e. *Alphabethum parvarum literarum. Loca sunt:*

א׳ דויקרא ריש ספרא׳, pro א, וַיִּקְרָא *initio libri*, nempe Levitici.

ב׳ חב חב לעלוקה׳, pro ב, הַב הַב, quæ voces reperiuntur Prov. 30. v. 15. qui incipit à voce לַעֲלוּקָה.

ג׳ וגוש לבש בשרי, pro ג, וְגוּשׁ, quæ vox exstat Job. 7. v. 5. qui incipit לָבַשׁ בְּשָׂרִי. Sic aliæ literæ minusculæ in hoc alphabetho indicantur.

Tertium Alphabethum continet voces incipientes ab אא, אב, אג, אד, אה, &c. quibus similes non sunt, ut: אאר, quæ dictio invenitur ubi legere est ואברכה מברכיך, hoc est, Gen. 12. v. 3. qui sic incipit: וַאֲבָרְכָה מְבָרְכֶיךָ, *& benedicam benedicentibus tibi*, & in quo exstat vox אָאֹר *maledicam*. Et sic de aliis vocibus in hoc alphabetho contentis.

MASSORA parva, quæ magnæ veluti compendium est, literis numeralibus, vocibus decurtatis, & symbolicis ad latus textus interius, interdum etiam & exterius, si sit paulo prolixior, breviter & succincte charactere rotundo seu Rabbinico describitur. Vox textus, ad quam nota Massorethica pertinet, circulo superne notatur. Si plures circuli sint, tum ordine notæ ipsis respondent. Cum inter duas pluresve dictiones circulus ponitur, tunc ad eas conjunctim Massora referenda est. Loca Biblica positum numerum confirmantia hîc nulla adducuntur, sed in Massora magna; nisi quod literæ ב una aut altera vox Biblica adjiciatur, quæ alterum locum Biblicum, ubi designata vox legitur, indicat. Utraque autem Massora Chaldaico idiomate scripta est. Hujus ergo linguæ cognitio necessaria est ei, qui hoc in studio sese exercere voluerit. Ut autem quæ de utraque Massora diximus, facilius intelligantur; ejus specimen una cum interpretatione circa duos priores versiculos I. Genes. capitis ex doctissimi Buxtorfii *clave Massoræ*, pagg. 71. 73. exhibendum est.

Textus Biblicus. Gen. I. — *Massora parva.*

V. 1. בְּרֵאשִׁית בָּרָא° אֱלֹהִים אֵת° הַשָּׁמַיִם° וְאֵת° הָאָרֶץ׃ — ג׳. י״ג. ג׳ כ״ס.

V. 2. וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ° וָבֹהוּ וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי° תְהוֹם וְרוּחַ° אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם׃ — ח׳. ג׳. ב׳. ב׳ ל״ס. ל״פ. ח׳

Massora magna.

V. 1. בראשית ה׳ ג׳ מנחון ר״פ וב׳ במצעו׳ וסי׳ בראשית בראי בראשית ממלכו׳ יהויקים׳ בראשית ממלכת יהויקים׳ בראשית ממלכת צדקיה׳ בראשית מלכות צדקיהו׃ ברא אלהים ג׳ וסי׳ בראשית ברא אלהים׳ אשר ברא אלהים לעשות׳ למן היום ברא׳ ואינון באורי׳׃ הארץ ג׳ ס״פ ובתריהון והארץ וסי׳ בראשית ברא׳ והארץ היתה תהו׳ אבלה נבלה הארץ׳ והארץ חנפה׳ והם יענו את הארץ׳ והארץ תענה׃

V. 2. והארץ ח׳ ראשי פסוקים וסי׳ והארץ היתה תהו ובהו׳ והארץ לא תמכר׳ והארץ תעזב מהם׳ והארץ אשר אתם עוברים׳ והארץ חנפה׳ והארץ חנבלו׳ וכל הלבנון׳ והארץ הנשמה תעבד׳ והארץ תענה׃ תהו ובהו ב׳ דסמיכי׳ וסימנו׳ והארץ היתה תהו ובהו׳ ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו׃ וחשך ב׳ וסימנו׳ וחשך על פני תהם׳ וחשך איזה מקומו׃ פני תהו׳ ב׳ וסי׳ בחוקו חוג על פני תהו׳ ודין וא׳ ופני תהו׳ יתלכדו׃ ורוח אלהי׳ ח׳ בלי׳ וסי׳ כו׳ בכס רבת׃

Massoræ parvæ explicatio.

Vers. 1. בָּרָא° אֱלֹהִים] Circulus, qui inter duas illas voces ponitur, pertinet ad primum ג Rabbinicum Massoræ parvæ; cumque tria in numeris significet, notat voces illas con-

junctim ter in Scriptura legi. Tria hæc loca in Massora magna afferuntur. Quando plures notæ seu literæ Rabbinicæ è regione ejusdem lineæ textus sacri disponuntur, tot quoque circuli super textum iis respondent, & nota seu litera prima Massoræ (incipiendo à dextera sinistram versus) ad circulum primum; secunda ad secundum, &c. referuntur; nisi plures circuli in medio vocum continuo ponantur, ut in altera hujus versiculi parte cernere licet; tunc enim vicem unius obeunt, & ad unicam notam Massorethicam pertinent.

אֵת° הַשָּׁמַיִם° וְאֵת° הָאָרֶץ] Tres priores circuli pertinent ad secundam notam Massorethicam י״ג, qua significatur quatuor illas voces conjunctim reperiri tredecim in locis, quæ in Massora Aggæi 2. & 2. Paral. 2. adducuntur. Mendosi sunt libri quidam impressi, in quibus pro י״ג legitur ג׳, i. 3. pro 13. Quartus circulus super vocem הָאָרֶץ refertur ad tertiam notam Massoreth. ג׳ ס״פ, quæ contracta est pro: ג׳ סוֹף פָּסוּק i. *ter vox illa reperitur in fine versus*, & initio sequentis; quæ loca in Massora magna citantur.

Vers. II. וְהָאָרֶץ] Circulus pertinet ad notam Massoreth. ח׳ ר״פ quæ compendium scripturæ est pro: ח׳ רֹאשׁ פָּסוּק *octo sunt initium versus*, h. e. vox illa octies versum inchoat. Loca adducit Massora magna.

תֹהוּ °וָבֹהוּ] Circulus inter duas illas voces respondet notæ Massoreth. ב׳ ד״ס, quæ est abbreviata seu decurtata, pro: ב׳ דִסְמִיכִין, h. e. *duo sic conjuncta sunt*, vel bis conjunctim leguntur. Loca sunt in Massor. magna.

וְחֹשֶׁךְ] Circulus iste respondet tertiæ notæ Massor. ב׳, h. e. *duo* sunt, sive vox illa bis in Scriptura legitur. Mass. magna duo loca adducit.

פְּנֵי° תְהוֹם] Circulus medius inter illas voces refertur ad notam Massoreth. ב׳, hoc est, *duo* sunt loca in quibus voces illæ sic conjunguntur. Loca illa à Mass. magna sunt allata.

וְרוּחַ° אֱלֹהִים] Circulus pariter medius pertinet ad notam Mass. ח׳, h. e. *octo* sunt loca in quibus voces illæ conjunctim leguntur. Loca autem illa in Mass. magna remittuntur ad Massoram finalem. De his in explicatione Mass. magnæ.

Massoræ magnæ explicatio.

In Bibliis impressis prima vox textus בְּרֵאשִׁית scribitur sine punctis in ornamento circa quod Alphabethum literarum majuscularum exaratur, quia ב prima litera vocabuli בראשית grandiori forma scribitur; unde à Massorethis notatur ב׳ רבתי, h. e. ב *magnum*.

Vers. I. בראשית ח׳ ג׳ מנחון ר״פ וב׳ [בְּרֵאשִׁית במצעו וסי׳, quæ sunt partim abbreviata pro: ה׳ ג׳ מִנְהוֹן רֹאשׁ פָּסוּק וב׳ בְּמִצְעוֹת וְסִימָנֵיהוֹן, h. e. *quinque sunt* (vocabula בְּרֵאשִׁית); *tria ex illis initium versus* (sunt), *& duo in medio, quorum loca:* בְּרֵאשִׁית בָּרָא *in principio creavit* (Gen. 1. v. 1.); בְּרֵאשִׁית מַמְלְכוּת יְהוֹיָקִים *in principio regni Joakim* (Jerem. 26. v. 1.); בְּרֵאשִׁית מַמְלֶכֶת יְהוֹיָקִים *in principio regni Joakim* (Jerem. 26. v. 25.); בְּרֵאשִׁית מַמְלֶכֶת צִדְקִיָּה *in principio regni Sedeciæ* (Jerem. 28. v. 1.); בְּרֵאשִׁית מַלְכוּת צִדְקִיָּהוּ *in principio regni Sedeciæ* (ibid. c. 49. v. 34.). Duo posteriora loca ea sunt, in quibus vox בְּרֵאשִׁית medium versum occupat. Hæc autem Massora duobus punctis crassiusculis à sequenti distinguitur, & sic semper fit.

בָּרָא אֱלֹהִים] ג׳ וסי׳, *tria sunt, quorum loca,* i. ter conjunctim hæc leguntur in his locis: בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים *in principio creavit Deus,* (Gen. 1. v. 1.); אֲשֶׁר בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת *quod creavit Deus faciendo* (Gen. 2. v. 3.); לְמִן הַיּוֹם אֲשֶׁר בָּרָא אֱלֹהִים *à die, quo creavit Deus* (Deut. 4. v. 32.). Deinde subjicit Massora: ואינון באורייתא *& ista sunt in Lege*; quæ vocabula diversitate linguæ & sensus facile distinguuntur à prioribus locis Biblicis.

הָאָרֶץ] ג׳ ס״פ ובתריהון והארץ וסי׳ abbreviate pro: ג׳ סוֹף פָּסוּק וּבָתְרֵיהוֹן וְהָאָרֶץ וְסִימָנֵיהוֹן, h. e. *tria sunt finis versus, & postea statim sequitur* (initio versus sequentis): וְהָאָרֶץ *terra autem; & loca sunt:* בְּרֵאשִׁית בָּרָא *in principio creavit,* (Gen. 1. v. 1.); postquem versum, i. initio sequentis est: וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ *terra autem erat*

inanis (Gen. cap. I. v. 2.); אבלה נבלה הארץ, *luxit, effluxit terra*, (Isai. 24. v. 4.); postea, והארץ חנפה *& terra contaminata est* (v. 5.); והם יענו את־הארץ, *ipsa autem exaudient terram* (Ose. 2. v. 23.); postea, והארץ תענה *& terra exaudiet* (v. 24.)

Verf. II. והארץ] ח׳ ראשי פסוקים וסי׳, contracte pro: ח׳ ראשי פסוקים וסימניהון, h. e. *octo sunt initium versus, quorum loca:* והארץ היתה תהו ובהו *terra autem erat inanis & vacua* (Gen. I. v. 2.); והארץ לא תמכר *& terra non vendetur* (Lev. 25. v. 23.); והארץ תעזב מהם *& terra deseretur ab eis* (Lev. 26. v. 43.); והארץ אשר אתם עוברים *& terra per quam vos transibitis* (Deut. II. v. II.); והארץ חנפה *& terra contaminata est* (Isai. 24. v. 5.); והארץ הגבלי וכל־הלבנון *& terra Giblæa, & totus Libanon* (Jos. 13. v. 5.); והארץ הנשמה תעבד *& terra desolata coletur* (Ezech. 36. v. 34.); והארץ תענה *& terra exaudiet* (Ose. 2. v. 24.).

תהו ובהו:] ב׳ דסמיכי׳ וסי׳, contracte pro: ב׳ דסמיכין וסימניהון, h. e. *duo sunt conjuncta, quorum loca:* והארץ היתה תהו ובהו *terra autem erat inanis & vacua* (Gen. I. v. 2.); ראיתי הארץ והנה־תהו ובהו *vidi terram, & ecce erat inanis & vacua* (Jerem. 4. v. 23.).

וחשך] ב׳ וסימנו׳ *duo sunt, quorum loca:* וחשך על־פני תהום *& tenebræ erant super faciem abyssi* (Gen. I. v. 2.); וחשך אי־זה מקומו *& tenebræ, quisnam est locus earum?* (Job. 38. v. 19.

פני תהום] ב׳ וסי׳ *bis occurrunt, quorum loca:* בחקו חוג על־פני תהום *cum describeret circulum in superficie abyssi* (Prov. 8. v. 27.); ודין *& hic* (versus) unus ex duobus est; וא׳, i. ואחד *& unus est* scilicet cum ו ab initio, ופני תהום יתלכדו *cum superficies abyssi constringitur* (Job. 38. v. 30.)

ורוח אלהים] ח׳ בלשנא וסי׳ כו׳ במסרה רבתא *octo sunt in hac loquutione, quorum loca cetera sunt in Massora magna.* כו׳ abbreviatura est pro כולהון, כולם, כול, *omnia ista, & cetera.* Vox בלשנא notat ejusdem loquutionis aut vocis diversam formam, ut eo loci non tantum de ורוח intelligitur, verum etiam de רוח sine ו præfixo. Per Massoram magnam, ad quam octo loca illa remittuntur, intelligitur Masora *finalis* in ordine seu Alphabetho אל, inter voces אלהים, ubi tamen loca illa nondum adducuntur, sed iterum remittuntur ad *Parascha* ויקהל, h. e. Exod. 35. v. 31. ubi in Mass. Textuali tandem afferuntur.

Sufficit, opinor, hoc specimen ad indicandam utriusque Massoræ dispositionem, & ideam ejus ingerendam. Qui eam penitius introspicere voluerit, adhibeat *clavem Massoræ* doctissimi Buxtorfii, qua ejus penetralia mira facilitate reserantur.

ARTICULUS II.

De Massora circa versus.

CODICES Hebræi, sicuti & Græci & Latini, exarabantur antiquitus sine versuum, imo & vocum, distinctione; unde secundum Eliam præfat. 3. in librum suum Massoreth, *Lex, quam proposuit Moyses filiis Israël, erat liber simplex absque punctatione & accentibus, etiam absque signis finis versuum, prout hodie videmus. Imo, juxta sententiam Cabbalistarum, fuit tota lex ut versus unus, aut, ut quidam dicunt, ut dictio una.* Idem sentit R. *Ramban*, præf. comm. in Pentateuch. Neque etiam versus distinguuntur in exemplaribus, quæ in synagogis Judæorum asservantur, ac publice leguntur. Sola itaque mente versus & aliæ pausæ inter legendum servabantur usque ad tempus Massoretharum, qui textum Biblicum distinxerunt in versus, quos numerarunt non solum in libris, verum etiam in majoribus librorum sectionibus. Communis tamen Judæorum & Christianorum quorumdam eruditissimorum opinio est hanc versuum distinctionem ab Esdra & viris Synagogæ magnæ profectam; sed altera sententia verosimilior nobis videtur, cum ob discrimen, quod reperitur inter distinctionem versuum, quam LXX. interpretando se-

quuti

quuti sunt, & eam, quæ in Bibliis Hebraïcis hodie conspicitur; tum quia Synagogarum exemplaria, ut mox dicebamus, hanc versuum distinctionem non habent, quam tamen retinuissent Judæi antiquiores, si Esdram illius auctorem credidissent. Neque hanc sententiam infirmant, quæ ex Thalmude proferuntur testimonia; illa siquidem de versuum distinctione per mentem facta, non per adjecta signa explicari possunt.

Massorethæ itaque Tiberienses textum Hebræum in versus partiti sunt, quorum summam ad libri cujusque calcem, indicato etiam medio libri hujus versu, apposuerunt hoc modo:

Genesis habet versus אדל״ד 1534. Medius versus: וְעַל־חַרְבְּךָ תִחְיֶה *& gladio tuo vives*, cap. 27. v. 40.

Exod. אר״ש 1209. Medius: אֱלֹהִים לֹא תְקַלֵּל *magistratibus non detrahes*, cap. 22. v. 27.

Levit. נש״ף 859. Medius: וְהַנֹּגֵעַ בִּבְשַׂר הַזָּב *qui tetigerit carnem fluidi*, cap. 15. v. 7.

Numeri, ארפ״ח 1288. Medius: וְהָיָה הָאִישׁ אֲשֶׁר אֶבְחַר־בּוֹ *& erit, vir quem elegero*, &c. cap. 17. v. 20.

Deuteron. הנ״ץ 955. Medius: וְעָשִׂיתָ עַל־פִּי הַדָּבָר *& facies juxta verbum hoc*, cap. 17. v. 10.

Summa versuum totius Pentateuchi 5845. Medius versus Legis seu Pentateuchi: וַיָּשֶׂם עָלָיו אֶת־הַחֹשֶׁן *& imposuit ei Rationale*, seu *pectorale*, Levit. 8. v. 8.

Sic aliorum librorum versus numerarunt Massorethæ, ut in fine quorumlibet animadvertere est. Alias etiam versuum affectiones observarunt, puta 26. esse in quibus singulis omnes Alphabethi literæ continentur, ut Ezech. 38. v. 13. ubi ceteri indicantur, quos inter unus est, nempe Soph. 3. v. 8. qui non tantum omnes literas simplices, sed & quinque finales complectitur.

ARTICULUS III.

De Massora circa voces.

VOCES Biblicas olim distinctas non fuisse; sed conjunctim, ut in antiquis cum Græcis tum Latinis codicibus manu descriptis, exaratas, liquet 1°. Ex quibusdam locis, in quibus litera, à qua incipit vox sequens, ad finem præcedentis adjicitur, ut 2. Reg. 5. v. 2. אַתָּה הָיִיתָה מּוֹצִיא וְהַמֵּבִי *tu fuisti educens & reducens*, ubi Massorethæ legendum monent: אַתָּה הָיִיתָ הַמּוֹצִיא וְהַמֵּבִיא. Et vice versa, ultima vocis præcedentis litera initio sequentis præfigitur, ut: 2. Reg. 21. v. 12 שָׁם הפְּלִשְׁתִּים, pro: שָׁמָּה פְּלִשְׁתִּים, *ubi Philisthini*, &c. 2°. Ex antiquis interpretibus, qui dictiones quasdam ut conjunctas interpretati sunt, quæ in hodiernis Bibliis separantur, & vice versa. Exempla infra pag. 410. c. 1. afferentur. Præter hanc vocum distinctionem, quam Massorethis quoque adscribimus, observarunt iidem Critici,

I. Genuinam earum scriptionem & lectionem, quam expresserunt per voces קְרִי *lege*, aut *lectum*; & כְּתִיב *scribe*, aut *scriptum*. Porro notæ illæ Massorethicæ nihil aliud sunt, ut plurimum, quam diversæ lectiones ex variis mss. excerptæ. Sæpe tamen vox textus anteponenda videtur voci in margine per קְ seu קְרִי notatæ. Interdum etiam mera sunt amanuensium sphalmata per eam, quæ in margine est, lectionem emendata. Lxx. & Vulg. modo textus, modo marginis lectionem sequuntur. Hæc autem critica versatur,

1°. Circa dictiones integras, quæ in textu non scribuntur, spatio relicto, aut solis punctis vocalibus cum circello adscriptis; literis vero in margine positis cum hac nota: קרי ולא כתיב, i. *legitur* (hæc vox) *quanvis non scribatur*, ut: Judic. 20. v. 13. וְלֹא אָבוּ ° בִּנְיָמִן *noluerunt autem ° Benjamin*, &c. supple בְּנֵי *filii*, cujus vocis literæ consonantes בני scribuntur in margine cum nota supra memorata; vocales autem in textu. Sic 13. voces numerantur. Alii 6. tantum, alii 10. agnoscunt. Et sane, in quibusdam Bibliorum editionibus quædam etiam in textu scribuntur,

quædam ſenſu integro manente poſſunt omitti. Hinc variant codices.

2°. Circa voces, quæ è contratio in textu ſcribuntur, ſed non leguntur; quare nulla ipſis puncta ſubſcribuntur, habentque in margine כתיב ולא קרי *ſcribitur* (ea vox) *ſed non legitur*, ut: Ezech. 48. v. 16. חָמֵשׁ חמש מֵאוֹת *quingenta*, ubi poſterius חמש abundat ex librariorum incuria. Et ſic quinque voces numerantur.

3°. Circa voces, quæ in textu ſcribuntur ac ſi unica vox eſſent, quas tamen diviſim legendas monet קרי marginale, ut: Gen. 30. v. 11. בָּגָד pro בָּא גָד *venit turma.* Aq. ἦλθεν ἡ ζῶσις *venit accinctio,* diviſim legebat. At Lxx. ἐν τύχῃ *in fortuna*, Theod. εὐτύχηκα *proſpere mihi ceſſit*, ſive ut Vulg. *feliciter*, conjunctim legebant. Voces autem, quæ conjunctim ſcribuntur, ſed leguntur diviſim, alii numerant 15. alii 11. alii 9.

4°. Circa voces, quæ vice verſa diviſim ſcribuntur, ſed conjunctim legendæ ſunt, ut: 2. Paral. 34. v. 6. בְּחַר בָּתֵּיהֶם pro בְּחַרְבֹתֵיהֶם *in locis deſertis eorum.* Sic 8. voces numerant.

5°. Circa voces, quæ poſtremis temporibus minus honeſtæ viſæ ſunt, & in quarum locum honeſtiores à Rabbinis per קרי זה ſubſtituuntur, ut: Deut. 28. v. 30. *Deſponſabis uxorem, & vir alius* תְּשַׁגְלֶנָּה, quod verbum actum venereum propriiſſime exprimit, & cujus loco Maſſorethæ legendum monent יִשְׁכָּבֶנָּה *cubabit*, Vulg. *dormiet cum ea.* Hujus generis 8. voces recenſentur.

Porro in his vocibus aliter ſcriptis, & aliter lectis, cum puncta diverſa ſunt, vox in textu ſcripta ſuis nativis motionibus ſpoliatur, & punctis voci marginali ac legendæ propriis afficitur, ut 4. Reg. 18. v. 27. vox textualis חריהם *excrementa eorum*, habet puncta vocis marginalis loco ejus ſubſtituendæ, nempe צוֹאָתָם *egeſta eorum;* nam puncta vocis textualis eſſent חֲרֵיהֶם. Hinc interdum accidit ut dictio, quæ in textu ſcribitur, plures aut pauciores pro literarum numero motiones habeat, quia motiones iſtæ ad eam non pertinent, ſed ad vocem marginalem.

Ad voces aliter ſcriptas & aliter lectas pertinet tetragrammaton Dei nomen יְהוָה, cui puncta ſubjiciuntur nominis appellativi אֲדֹנָי *Dominus*, nimirum Scheva (quod dilatatur in ֲ ſub א, quia litera gutturalis eſt ſub qua non reperitur ſcheva ſimplex mobile), Hholem, & Qamets; unde nomen iſtud per vocales non per conſonantes legitur *Adhonai*, non *Iehova*, ut volunt recentiores quidam contra veterum omnium tam Judæorum quam Chriſtianorum ſententiam. Cur autem punctis אֲדֹנָי afficiatur nomen יְהוָה & legatur *Adhonai*, non convenit inter eruditos; alii enim id factum volunt ob ſummam erga Divinum illud nomen reverentiam, qua ducti veteres ab eo proferendo abſtinebant. Alii putant tempore Maſſoretharum veram hujus nominis prolationem ignoratam fuiſſe, utpote quæ poſt Templi ſecundi everſionem prorſus interierit. Quidquid ſit de anomalæ hujus punctationis ratione, certum eſt pro quatuor illis literis יהוה lectum ac pronuntiatum olim fuiſſe *Adhonai*, quod multis argumentis evincitur.

1°. Antiqui interpretes Græci Lxx. Aq. Sym. Theod. V. VI. & VII. editiones vocem יהוה ſemper interpretantur κύριον *Dominum*, qua voce Latina utitur etiam S. Hieronymus; legebant igitur *ADHONAI Dominus;* nam יהוה non *Dominum*, ſed *ens*, ſive *eum qui eſt*, ὁ ὤν, ſignificat; derivatur enim ab הָוָה *fuit.*

2°. In fragmentis Hexaplorum Origenis, quæ ſuperſunt, & in quibus textus Hebræus Græcis literis deſcriptus erat, nomen יהוה per Ἀδωναΐ exprimitur, ut: Iſai. 26. v. 4. Hæc verba Hebraïca ſic legebantur: בטחו ביהוה עדי עד כי ביה יהוה צור עולמים Βετὼ βαδωναΐ ἀδδὼθ, χὶ βαϊα Ἀδωναΐ σουδωλεμειν, *confidite in Domino uſque in perpetuum, quoniam in Deo Domino* (eſt) *petra ſæculorum*, Verba hæc Hebraïca Græce ſcripta quam turpiter ab imperitis amanuenſibus depravata ſint, nemo Hebraïce doctus non videt.

3°. Accedit Judæorum cum veterum, tum recentiorum conſenſus, qui יהוה legebant & etiamnum legunt *Adhonai;* neque barbara illa pronuntiatio *Iehova* ante Petrum Galatinum, qui circa annum Chriſti 1520.

ſcribebat, obtinuit. Dico : *barbara ;* idem enim eſt ac ſi quis amotis vocalibus dictionis *Deus*, ac in earum locum ſuffectis vocalibus vocis *Dominus*, pro *Deus* pronuntiaret *Doius*.

4°. Pronuntiatio *Iehova* Grammaticæ Hebraïcæ regulis adverſatur ; nam literæ ſerviles ב, כ, ל, מ, ו præfixæ vocibus ab (י) cum ſcheva infra ſcripto incipientibus, extrudunt (·) & aſſumunt hhiriq, ut : בִּיהוּדָה *in Juda*, &c. at ante יְהֹוָה literæ illæ afficiuntur (-) ſicuti ante אֲדֹנָי, ut : בַּיהוָֹה *badhonai*, non *bahova*. Sic לַיהוָֹה *ladhonai*, non *lahova*. מ vero habet (··) quaſi ante guttur. ſic מֵיהוָֹה *meadhonai*, non *mehova*. Præterea *Beghadh kephath*, quod eſt initio dictionis poſt vocem litera quieſcente finitam, & accentu regio deſtitutam, non recipit dagheſch lene, quo tamen inſignitur poſt יְהוָֹה etiam cum accentu miniſtro, ut Pſal. 17. Heb. 18. v. 21. יִגְמְלֵנִי יְהוָֹה כְּצִדְקִי *retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam*, כּ notatur cum dagheſch, quia pro *Iehova*, legitur *Adhonai*, ubi (י) ſonat, ac proinde vox illa non deſinit in literam quieſcentem. Alia exempla vide Pſal. 33. Heb. 34. v. 1. &c. Denique cum ante vel poſt יְהוָֹה præcedit vel ſequitur immediate אֲדֹנָי (ſine interjecto accentu diſtinguente) quatuor literis יהוה non ſubjiciuntur puncta nominis אֲדֹנָי, ſed אֱלֹהִים, ne bis conſequenter proferatur *Adhonai*, ut : לֶיהוִֹה אֲדֹנָי contracte pro לַיהוָֹה *Deo Domino*, Pſal. 67. Heb. 68. v. 21. &c. At cum accentus diſtinguens, proindeque pauſa, intercedit ; tunc יְהוָֹה retinet puncta *Adhonai*, ut : Pſal. 15. Heb. 16. v. 2. אָמַרְתְּ לַיהוָֹה אֲדֹנָי אָתָּה *Dixiſti Domino : Dominus meus es tu.*

Jam vero ſi quæratur, quæ fuerit genuina יהוה prolatio : reſpondeo veroſimiliorem mihi videri eruditorum quorumdam ſententiam, qui putant eſſe *IAO*. Diodorus Siculus l. 1. Biblioth. hiſt. p. 84. edit. Han. 1604. ſcribit *Judæorum Deum dictum fuiſſe* ΙΑΩ. Macrob. lib. 1. Satur. c. 18. ſcribit Apollinem Clarium, cum interrogatus fuiſſet, quis Deorum eſſet maximus, reſpondiſſe ΙΑΩ. Porphyr. lib. 4. contra Chriſtianos hoc nomen levi inflexione profert ΙΕΥΩ. Sic etiam Tyrii, ut ex Philone Biblico diſcimus. S. Epiphanius hæreſ. 26. ſcribit apud Baſilidianos hæreticos, alioſque Gnoſticos nomen primi ſive ſummi Dei fuiſſe ΙΑΩ. Sane nomen iſtud in Baſilidianorum gemmis, quas *Abraxas* vocant, paſſim occurrit. Vide ſupra pag. 394. col. 2. Theodoretus quæſt. 15. in Exod. dicit nomen tetragrammaton à Judæis efferri ΑΙΑ mendoſe pro ΙΑΩ. Denique in lexicis nominum Hebraïcorum cum interpretatione, nomen יהוה ſæpius affertur ΙΑΩ. Vide tom. 2. oper. S. Hieron. nov. edit. coll. 159. 211. 259. & eruditiſſimam diatribam Ludovici Cappelli de nomine tetragrammato יהוה, &c.

II. Maſſorethæ obſervarunt voces quaſdam, quæ plene vel defective ſcribuntur. Sic מְאֹרֹת Gen. 1. v. 14. bis reperitur utrinque defective ſcriptum, h. e. ſine ו. In his autem vocibus notandis hanc ſequuti ſunt regulam : cum plenæ dictiones plures fuerunt quam deficientes, tunc numerarunt deficientes ; cum vero deficientes numero ſuperarunt, tunc numerarunt plenas, eaſque prout in eorum exemplaribus ſcriptas invenerunt ; nam in hodiernis voces quædam plenæ ſcribuntur, quæ à Maſſorethis notantur defectivæ, & vice verſa. Literæ autem illæ, quibuſcum voces plenæ vel defectivæ ſcribuntur, ſunt ו & (י) ſæpius ; א & ה rarius.

III. Locus vocum in verſibus etiam notatur, puta initio, in medio, & in fine, ut : וְהָאָרֶץ Gen. 1. v. 2. obſervatur octies eſſe initium verſus, ubi & loca adducuntur. אַחֲרֵי־כֵן ter medium verſum occupat, ut notat Maſſora Gen. 6. v. 4. הָאָרֶץ ter in fine verſus legitur, ſequentem inchoante וְהָאָרֶץ, ut obſervat Maſſ. Gen. 1. v. 1. &c. Vide ſup. p. 307. ſeqq.

IV. Voces ambiguæ notantur, ut Gen. 6. v. 11. ad עֲלֵה in Maſſora obſervatum eſt ſex eſſe in ſignificatione *folii ;* nam alias עֲלֵה eſt *aſcende*. Pſal. 21. Heb. 22. v. 17. ad כָּאֲרִי Maſſora notat duo eſſe cum (-) in duplici ſignificatione, nempe Iſai. 38. v. 13. ubi vox illa certo ſignificat *leonem ;* ergo in pſalmo mox laudato aliud ſignificat, nempe *foderunt*, ut interpretantur LXX. ὤρυξαν. Aq. ᾔσχυναν *fœdarunt*, S. Hieron. *fixerunt*. Hi omnes interpretes legerunt כָּאֲרוּ, vel ab inuſitata rad. כָּאַר ; vel à כָּרָה *fodit*, *perfodit*, cum א epenthe-

tico, vel potius antiqua vocali *a*, quæ nunc per (ַ) sub כ exprimitur. Chald. utramque lectionem conjunxit נָכְתִין הֵיךְ כְּאַרְיָא *momorderunt sic velut Leo manus meas & pedes meos.* Rabbi Jacob, qui Massoram collegit, scribit in ordine אר, se in quibusdam correctis exemplaribus invenisse כָּארוּ *foderunt.* Ipsa etiam Massora ad Num. 24. v. 9. notat in hoc Psalmo scriptum esse כארו. Itaque כָּאֲרִי videtur esse mendum graphicum pro כָּארוּ, ut Esd. 10. v. ultimo legitur נָשְׂאֵי pro נָשְׂאוּ. Ex hoc sphalmate nata est duplex lectio, quarum alteram, nempe כָּאֲרִי, in libris suis unicam posuerunt Judæi recentiores, quod eam minus favere Christianis existimaverint. Neque tamen idcirco dedita opera sacros codices vitiasse dicendi sunt, sed Christianis, quos tamen mala eorum fides latere non potuit, judicandi sunt infensissimi.

V. Massorethæ observarunt etiam *vocales & accentus.*

Vocales, ut Gen. 16. v. 13. ad רֳאִי parva Massora notat *non exstare amplius cum hhateph qamets.* Ad לָאוֹר Gen. 1. v. 5. Massora magna observat hanc vocem reperiri septies cum (ָ) sub ל, nam tredecim vicibus pro (ָ) subscribitur (ְ) sic לְאוֹר, &c.

Accentus, ut Gen. 3. v. 11. ad vocem לְךָ utraque Massora notat 14. esse cum accentu *Zaqeph* in lege, cum alias vox illa eodem accentu, necnon aliis pausantibus affecta, scribatur לָךְ. Sic אָנֹכִי extra pausas majores communiter est *Milra*, h. e. accentum habet in ultima, in pausis vero majoribus *Milel*, i. cum accentu in penultima. Octies tamen vox illa penacuta est, quamvis non sit in ea pausa major, seu accentus distinguens ac pausans, ut observarunt Massorethæ ad Gen. 3. v. 10. &c.

Ad hunc articulum pertinent etiam 18. voces, quas vocant תִּקּוּן סוֹפְרִים *correctionem scribarum* seu Doctorum, quæque nihil aliud sunt quam variæ lectiones à doctis quibusdam Judæis in suis codicibus observatæ. Versiones antiquæ has correctiones partim sequuntur, partim veterem lectionem. Massora magna decem & octo illas voces recenset initio libri Numerorum circa ornamentum intra quod describitur prima vox libri וַיְדַבֵּר *Loquutus est autem*, &c. illæque sunt: (1.) Gen. 18. v. 22. ubi olim lectum erat: וַיהוָֹה עוֹדֶנּוּ עֹמֵד לִפְנֵי אַבְרָהָם *Dominus autem adhuc stabat coram Abraham*, pro quo legitur hodie: וְאַבְרָהָם עוֹדֶנּוּ עֹמֵד לִפְנֵי יְהוָֹה *Abraham autem adhuc stabat coram Domino.* (2.) Num. 11. v. 15. olim בְּרָעָתְךָ *malum tuum*, nunc בְּרָעָתִי *malum meum.* (3.) Ibid. cap. 12. v. 12. olim אִמֵּנוּ *matris nostræ*, nunc אִמּוֹ *matris ejus.* Ibid. olim בְּשָׂרֵנוּ *carnis nostræ*, nunc בְּשָׂרוֹ *carnis ejus.* (4.) 1. Reg. 3. v. 13. olim לִי *mihi*, nunc לָהֶם *ipsis.* (5.) 2. Reg. 16. v. 12. olim בְּעָנְיָם *afflictionem eorum*, nunc בְּעוֹנִי *afflictionem meam*, & juxta lectionem Massor. בְּעֵינִי *oculum meum.* (6.) 3. Reg. 12. v. 16. olim: לֵאלֹהֶיךָ *ad Deos tuos*, nunc לְאֹהָלֶיךָ *ad tabernacula tua.* (7.) Ezech. 8. v. 17. olim אֶל־אַפִּי *ad nasum meum*, nunc אֶל־אַפָּם *ad nasum eorum.* (8.) Habac. 1. v. 12. olim אַל תָּמוּת *non morieris*, nunc לֹא נָמוּת *non moriemur.* (9.) Malach. 1. v. 13. olim אוֹתִי *me*, nunc אוֹתוֹ *eum.* (10.) Zach. 2. v. 8. olim עֵינִי *oculi mei*, nunc עֵינוֹ *oculi ejus.* (11.) Jerem. 2. v. 11. olim כְּבוֹדִי *gloriam meam*, *nunc* כְּבוֹדוֹ *gloriam ejus.* (12.) Job. 7. v. 20. olim עָלֶיךָ *super te*, nunc עָלַי *super me.* (13.) Ose. 4. v. 7. olim כְּבוֹדִי *gloriam meam*, nunc כְּבוֹדָם *gloriam eorum.* (14.) Job. 32. v. 3. olim אֱלֹהִים *Deus*, *nunc* אִיּוֹב *Job.* (15.) Thren. 3. v. 20. olim עָלֶיךָ נַפְשֶׁךָ *super te anima tua*, nunc עָלַי נַפְשִׁי *super me anima mea.* (16.) Psal. 105. Heb. 106. v. 20. olim כְּבוֹדִי *gloriam meam*, nunc כְּבוֹדָם *gloriam suam.* Licet autem sexdecim tantum loca recenseantur, decem tamen & octo voces numerantur, duæ enim in numeris 3. & 15. continentur.

Huc etiam referri potest עִטּוּר סוֹפְרִים *ablatio scribarum*, quæ est resectio conjunctionis ו, quam plebs imperita quinque vocibus præfigebat. Illæ autem voces erant: *confortate cor vestrum* אַחַר *postea transibitis*, Gen. 18. v. 5. ubi imperiti legebant וְאַחַר *& postea.* Quatuor aliæ voces seu loca sunt idem vocabulum אַחַר, Gen. 24. v. 55. Num. 12. v. 14. (quo in ultimo loco exemplaria nostra habent ו, quamvis Massora Psal. 35. Heb. 36. illud ablatum observet) Psal. 67. Heb. 68. v. 2. & מִשְׁפָּטֶיךָ *judicia tua*, Psal. 35. Heb. 36. v. 7.

ARTICULUS IV.

De Massora circa literas.

MASSORA, quæ versatur circa literas, considerat 1°. earum qualitatem in figura, 2°. quantitatem in numero, 3°. alia quædam accidentia, ut pleonasmum, ellipsin, & metathesin.

Figura literarum vel majuscula est, vel minuscula, vel suspensa, vel inversa. Quid de hac insolenti literarum figura sentiamus, declaravimus supra pag. 390. col. 2. & seqq.

Frivolas æque ac ineptas rationes afferunt Judæi, cur uno aut pluribus punctis coronentur 15. voces, quarum decem in Lege, quatuor in prophetis, & una in hagiographis leguntur. Si fides Rabbinis, puncta illa magnorum mysteriorum, quæ nunc ignorantur, signa sunt; si cordatis, origo eorum aliunde repetenda non est, quam ex atramenti guttula, quæ forte ex librarii calamo super has literas deciderit. Hæc tamen puncta antiqua sunt, siquidem eorum mentio fit in Thalmude, & apud S. Hieron. quæst. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 524. in hæc verba, cap. 19. v. 33. *At ille* (Lot) *non sensit nec quando accubuit filia*, וּבְקוּמָהּ *nec quando surrexit*, ubi punctum imminet על ו, qua de causa? *appungunt desuper*, scribit S. Doctor hac in re Judæorum commentis nimium credulus, *quasi incredibile, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam nescientem.* Reliquæ voces punctatæ sunt וּבֵינֶיךָ *& inter te*, Gen. 16. v. 15. אֵלָיו *ad eum*, Gen. 18. v. 9. וַיִּשָּׁקֵהוּ *& osculatus est eum*, Gen. 33. v. 4. וְאַהֲרֹן *& Aaron*, Num. 3. v. 39. רְחֹקָה *longinqua*, Num. 9. v. 10. אֲשֶׁר *quod*, Num. 21. v. 20. וְעִשָּׂרוֹן *& decimam*, Num. 29. v. 15. לָנוּ וּלְבָנֵינוּ *nobis & filiis nostris*, Deut. 29. v. 29. יָצָא *egressus est*, 2. Reg. 19. v. 20. הֵמָּה *ipsa*, Isai. 44. v. 9. הַהֵיכָל *templi*, Ezech. 41. v. 20. מְהֻקְצָעוֹת *angulata*, Ezech. 46. v. 22. לוּלֵא *nisi*, Psal. 26. Heb. 27. v. 13.

Literarum numerum quod attinet, eum à Massorethis quondam institutum fuisse liquet ex Massora, quæ Lev. 11. v. 42. ad literam ו in voce גָּחוֹן hæc habet: וָיו דְּגָחוֹן חֲצִי הַתּוֹרָה בְּאוֹתִיּוֹת *litera* ו *vocis* גָּחוֹן *medietas est Legis in literis.* Thalmudici etiam observarunt ע in voce מִיָּעַר Psal. 79. Heb. 80. v. 14. esse mediam literam in libro Psalmorum. At cum pars minima Massoræ supersit, ea, quæ literarum numerationem continebat, hodie desideratur. Rabbi *Saadias Gaon* caput Academiæ Soranæ in Babylonia circa annum Christi 927. in carmine quodam curiosa ac difficili opera composito docet quoties unaquæque alphabethi litera in Scriptura reperiatur: verum cum numerus ille parum accuratus videatur, eum hoc in loco nequaquam judicavimus apponendum. Et sane calculum qui omnibus exemplaribus conveniat, iniri non posse probat codicum varietas; quæ enim voces in his plenæ sunt, in illis defectivæ scribuntur, &c.

Præter insolitam literarum figuram, & numerum; Massorethæ etiam notarunt earum pleonasmum, qui frequens est, præsertim in literis י ו א; hæ enim, ut jam sæpius diximus, cum vocalium olim munere una cum ה fungerentur, punctis adscriptis sublatæ sunt præter aliquammultas, quæ, cum diligentiam priorum Massorethaum, qui puncta illa inscripserunt, effugerint, à posterioribus ut abundantes plerumque notatæ sunt. Sic v. g. redundat א in וְקָאם pro וְקָם *& surget*, Ose. 10. v. 14. דָּאג pro דָּג *piscis*, Nehem. 13. v. 16. רָאשׁ pro רָשׁ *pauper*, 2. Reg. 12. v. 1. Aliarum literarum pleonasmum, defectum, & metathesin vide in *Critica Sacra* doctissimi Ludovici *Cappelli*; nobis enim completam & absolutam de Massora commentationem hîc instituere animus non est, sed eam duntaxat adumbrare. Qui majorem ejus notitiam habere voluerit, legat D. Buxtorfii *Tiberiadem*, ex qua utilitatem Massoræ colligere licet, quæ tamen tanta non est, quantam eam præ-

dicat, adeo ut *sepes legis* habeatur; nam præterquam quod maxima pars ejus perierit; quod ex ea supereſt, id neque omnes omnino Scripturæ voces attingit, neque mendis caret, quæ ex parte correxit vir ille doctiſſimus, & Rabbinorum Chriſtianorum ætatis ſuæ facile princeps. Reſtat, ut, ſicut Maſſoræ, ita Talmudis ideam exhibeamus.

CAPUT VI.

De Talmude.

ARTICULUS I.

De Talmudis nomine, diviſione, ac ætate.

TALMUD vel, ut alii ſcribunt, THALMUD, opus eſt doctrinale multiplicem ſcientiarum omnium doctrinam, ac potiſſimum jus Canonicum & Civile Judæorum complectens. Sic dicitur à לָמַד *didicit*, in Piël לִמֵּד *docuit*, in Hiphil inuſitato הִלְמִיד, unde תַּלְמוּד *opus doctrinale.*

Talmud duplex eſt, *Jeroſolymitanum* & *Babylonicum.*

Talmud Jeroſolymitanum pro Judæis in terra Iſraël commorantibus, Jeroſolymis, & lingua Jeroſolymitana, h. e. Syro-Chaldaïca compoſuit R. *Johhanan* circa annum Chriſti 230. ſecundum R. David. Ganz in *Tſemahh David*, & D. Buxtorfium, pag. 200. recenſionis Talm. edit. 1613. Vel 270. ſecundum RR. Gedaliam in Schalſcheleth haqqab. pag. 34. Vel 370. ſecundum RR. Maimonidem præfat. in *Iad hazzaqa*, Abarbanelem procem. in *Pirqé avóth*, Eliam Levitam præfat. in *Methurg.* &c. Chriſtiani ſunt, qui Talmudis hujus compoſitionem ad V. imo VIII. Chriſti ſæculum differant. Vide doctiſſ. Wolf. Biblioth. Heb. tom. 2. pagg. 683. 684. ubi ſententia illa confutatur.

Talmud Babylonicum ad uſum Judæorum, qui in Babylonia degebant, inchoarunt RR. *Aſche* & *Avina*, quorum prior, ſecundum Gedaliam in Schalſch. haqqab. fol. 35. pag. 1. obiit anno Chriſti 427. Opus inchoatum proſequutus eſt R. *Joſe*, illudque abſolvit anno Chriſti 500. teſte eodem Gedalia, ibid. Vel 505. ſecundum auctorem libri *Ieſod olam*, lib. 4. c. 18. Vel 545. ſecundum Abarbanelem præfat. in *Pirqé avóth*. A quo Talmud iſtud conſignatum eſt ad noſtram uſque ætatem univerſa Judæorum gens cum in ſacris, tum in politicis, illius legibus obtemperat, relicto Jeroſolymitano utpote obſcuro, difficili, & imperfecto, quippe quod deciſiones omnes minime contineat.

Utrumque Talmud duabus conſtat partibus, *Miſchna* & *Gemara.*

Miſchna, ut fert ejus etymon, eſt *ſecunda Lex*; venit enim à שָׁנָה *iteravit*. Duplicem porro Legem agnoſcunt Judæi, *ſcriptam*, quæ in quinque Moſis voluminibus, quem Pentateuchum vocamus, continetur; & *non ſcriptam*, ſive ore traditam à Moſe ad R. Judam cognomine Sanctum, qui eam ſcriptis conſignavit anno poſt everſum Templum ſecundum 120. vel, ſecundum alios, 150. h. e. anno Chriſti 190. vel 220. Morinus in VI. Chriſti ſæculum hanc compilationem differt, ſed confutatur à doctiſſ. Wolfio, in Biblioth. Heb. tom. 2. pag. 675. & ſeqq. Neque tamen ſecundaria illa Lex, quam Græci δευτέρωσιν appellant, ita ore tenus tradita eſt, ut ſcriptis etiam mandata non fuerit; contrarium enim aſſerit Maimonides præfat. in

Iad hazzaqa, ubi ait *in unaquaque generatione principem domus judicii, aut prophetam sæculi illius sibi scripsisse commentarios traditionum, quas audierat à doctoribus suis, publice vero ore docuisse, & ita unumquemque viritim descripsisse expositionem Legis & rituum ejus, quemadmodum audierat.... atque ita totum hoc usque ad R. Sanctum perdurasse, qui collegit omnes traditiones, omnia judicia, sententias, & expositiones, quas audierant à Mose doctore nostro, quasque singularum generationum synagogæ super universa Lege docuerant. Ex his omnibus librum* Mischnaioth *composuit, publiceque legit, ut omnibus Israëlitis innotesceret.*

Gemara, Talmudis pars altera, Mischnæ *complementum* est, quo quidquid in ea brevius vel obscurius dictum est, illud ex variis Rabbinorum sententiis amplificatur simul & elucidatur. Vox illa derivatur à גָּמַר *complere, absolvere*, &c. Gemara itaque eruditus est Mischnæ commentarius. Utraque corpus Talmudis constituit, in quo sic disponitur, ut præcedat Mischna tanquam textus, sequatur Gemara veluti ejus glossa. In Talmudis editionibus tum Mischna, tum Gemara literis quadratis excuduntur, & mediam paginam occupant; Rabbinorum vero commentarii literis rotundis descripti in margine cum interiori, tum exteriori, sæpissime etiam in inferiori pagina collocantur. Denique Gemara distinguitur à Mischna literis גם, quæ sunt duæ priores vocis גְּמָרָא *Gemara*. Ubi duæ illæ literæ desiderantur, deest quoque Gemara; neque enim illa perpetua est: nam in Talmude Babylonico, v. g. quod hîc describimus, in I. ordine unus codex *Berachoth* ea instructus est, carent ceteri. In ordine II. codex *Scheqalin* ea privatur. In ordine IV. codices *Edaioth* & *Avoth* eam non habent. In ordine V. codices *Tamid*, *Middoth* & *Qinnim* illa carent. Denique in ordine VI. solus codex *Nidda* ea instruitur.

Mischna & Gemara seorsim sumtæ interdum Talmudis nomine appellantur. Hinc Elias Levita in *Thischbi*, seu Lexico Talmudico, sic loquitur: *Non discunt consuetudinem juris ex Talmud, id est, ex Mischna.* In *Avoda Zara*, c. 1. hæc legere est: *Tripliciter dividat homo annos suos, ita ut tertiam partem Scripturæ, tertiam Mischnæ, & tertiam Talmudi tribuat*, h. e. Gemaræ. Unde R. Johhanan Talmudis Jerosolymitani auctor dicitur, quanvis Jerosolymitanam duntaxat Gemaram compilarit; & RR. Asche, Avina, & Jose Gemaræ Babylonicæ tantum collectores, Talmud Babylonicum composuisse dicuntur.

ARTICULUS II.

De Talmudis partibus.

TALMUD sive Mischna in sex partes, quas *ordines* vocant; ordo in codices, aut libros, vel tractatus; codex in capita; caput in sectiones, sive aphorismos, aut decisiones dividitur. Ordinem appellant סֵדֶר; codicem מַסֶּכֶת aut Chaldaïce מַסֶּכְתָּא; caput פֶּרֶק; denique sectionem מִשְׁנָה, ex prioris partis Talmudis ipsius nomine, aut חֲלָכָה.

Ordo I. inscribitur זְרָעִים *semina*. II. מוֹעֵד *festum, solemnitas*. III. נָשִׁים *mulieres*. IV. נְזִיקִין *damna*. V. קָדָשִׁים *sanctitates*. VI. טְהָרוֹת *purificationes*; quorum omnium in sequentibus paragraphis est aliqua summa facienda.

§. I.

Ordo I. זְרָעִים semina.

IS ordo agit de seminibus, frugibus, fructibus, herbis, arboribus; de fructuum usu privato & publico, de seminibus homogeneis & heterogeneis, &c. Ejus codices sunt:

I. ברכות *benedictiones.* In eo differitur de precibus & gratiarum actionibus pro terræ fructibus, ac omnibus omnino beneficiis. Quo tempore, quo loco, & quibus aliis circumstantiis preces dicendæ sint. Capita ejus 9. sectiones 57. Gemara instruitur, qua carent reliqui ordinis hujus codices.

II. פאה *angulus.* De agri angulo pauperibus relinquendo, ut fructus ejus colligant. Capita 8. sectiones 69.

III. דמאי *res dubia.* De rebus, de quibus dubitatur utrum decimæ Deo datæ sint, necne. Dabatur autem pars centesima, h. e. decima decimarum. Agit etiam de decimis aliisque reditibus Sacerdotibus cum cura tradendis. Capita 7. sectiones 53.

IV. כלאים *heterogenea.* De duobus aut pluribus ac diversis (maxime seminum) generibus non miscendis. Capita 9. sectiones 77.

V. שביעית *septimus* (annus). De juribus anni septimi, quo sabbathum debebat esse terræ, nihil seri, nihil ex eo quod satum esset, meti. Capita ejus 10. sectiones 88.

VI. תרומות *oblationes.* De rebus, quas quisque de bonis suis eximebat ac separabat, & quasi sacras Sacerdoti offerebat. Item, quibus id facere licitum erat, quibus non; de quibus rebus, de quibus non. Porro de centenis offerebant duo; ita ut quinquagesima pars Sacerdotibus semper cederet. Capita 11. sectiones 100.

VII. מעשרות *decimæ*, sive מעשר ראשון *decimatio prima*, quæ Levitis dabatur, & de quibus rebus. Capita 5. sectiones 40.

VIII. מעשר שני *decimæ secundæ*, quas Levitæ de decimis sibi oblatis dabant Sacerdotibus, quæque Jerosolymis consumebantur. Capita 5. sectiones 57.

IX. חלה *placenta*, quam mulieres massam depsentes Sacerdotibus offerre tenebantur. Capita 4. sectiones 37.

X. ערלה *præputium.* De arboribus, quæ tres priores à plantatione sua annos præputiatæ dicebantur, & quarum idcirco fructus erant prohibiti. Capita 3. sectiones 35.

XI. בכורים *primitiæ.* De iis, qui primitias offerre debebant, de quibus rebus, & quomodo in Templo offerendæ. Capita 4. quorum ultimum de jure Androgynorum extrinsecus adjicitur; unde dicitur ברייתא *doctrina* seu *declaratio* extranea, h. e. extra Jerusalem & Talmudis compilatores scripta. Sectiones 34. pro tribus prioribus capitibus; 39. si adjiciatur quartum.

Summa Capitum 74. vel 75. Sectionum 647. vel 652. si quinque sectiones cap. 4. codicis XI. numerentur.

§. II.

Ordo II. מועד festum.

IN hoc ordine differitur de tempore quo sabbathum, aliaque festa inchoari, finiri, & celebrari debeant. Ejus codices sunt:

I. שבת *sabbathum.* De sabbathi juribus & solemnitatibus, lucernis sabbathinis, quo oleo, aut qua pinguedine accendi debeant; foco aut fornace, in qua cibi calidi conservantur, & innumeris rebus, quas agere licitum sit vel illicitum. Capita 24. sectiones 139.

II. עירובין *commixtiones.* Quomodo vespera sabbathi, h. e. die Veneris, cibus à variis vicinis collectus eos sic conjungat, ac si unius domus familia ac domestici essent. Quod fiebat ne longius à seinvicem habitantes longiore itinere sabbathum violarent, pluresque die sabbathi convenire possent. Ita si ultra terminum sabbathi, qui 2000. gressibus minoribus definiebatur, à seinvicem habitarent, ponebant in medio cibum aliquem, quem quis ibi comedens poterat ab ipso termino ab alium progredi; perinde enim fuit ac si domi suæ comedisset. Capita 10. sectiones 89.

III. פסחים *Paschata.* De Paschatis festo, fermento inquirendo & expurgando, pane azymo, &c. Quid vespera Paschatis agendum. De mactatione agni Paschalis, quomodo

modo afflatus fuerit. De calamitatibus in Ægypto acceptis, &c. Capita 10. sectiones 88.

IV. שְׁקָלִים *sicli*. De siclo quem quisque singulis annis pensitare tenebatur, tum pro emendo sacrificio jugi & quotidiano, tum pro aliis rebus. Solvebatur is siclus ante principium Maii. Capita 8. sectiones 52. Caret Gemara.

V. יוֹמָא *dies*, quo nomine appellabatur κατ' ἐξοχὴν dies expiationis, quo jejunabant, & variis modis sese macerabant. Septem diebus ante hoc festum, quod erat admodum solemne, domo sua in Templum secedebat Sacerdos, ut ad majorem se præpararet sanctitatem. Capita 8. sectiones 61.

VI. סוּכָּה *tabernaculum*. De tabernaculorum festo, eorum forma; qui, quandiu, & quomodo in iis gerere se debeant, &c. Capita 5. sectiones 53.

VII. בֵּיצָה *ovum*, sive יוֹם טוֹב *bona dies*. De iis, quæ quolibet festo, præter sabbathum, licita aut illicita erant. V. G. utrum ovum die festo à gallina positum eodem die comedere liceat. Capita 5. sectiones 41.

VIII. רֹאשׁ הַשָּׁנָה *principium anni*, civilis nempe, qui incipiebat in neomenia mensis Tischri, qui nostro Septembri & Octobri ex parte respondet. De novi hujus anni juribus, solemnitatibus, &c. Capita 4. sectiones 35.

IX. תַּעֲנִית *jejunium*. De variis jejuniis quorum mentio fit in Scriptura, & antiquo jejunandi modo. Capita 4. sectiones 34.

X. מְגִלָּה *volumen*, Estheris videlicet, quod legunt in festo *Purim* sive *Sortium*. De festi hujus celebrandi ratione. Capita 4. sectiones 33.

XI. מוֹעֵד קָטָן *festum parvum*, quo nomine appellant dies intermedios inter primum & octavum festorum diem, qui toti sunt solemnes & sacri in festo Paschatis & Tabernaculorum. Intermedii tamen minus festivi sunt, neque in iis opera omnia sunt interdicta. Capita 3. sectiones 23.

XII. חֲגִיגָה *festivitas*, qua omnis masculus quotannis tenebatur sistere se Domino Jerosolymis, nempe in festo Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, Exod. 23. v. 17. Quinam immunes erant, &c. Capita 3. sectiones 23.

Summa capitum 88. sectionum 671.

§. III.

Ordo III. נָשִׁים mulieres.

AGIT de uxoribus ducendis vel repudiandis; de mulierum officiis, affectibus, morbis, &c. Codices ejus sunt:

I. יְבָמוֹת *fratriæ*. De fratris sine liberis defuncti uxore ducenda, de juribus ejus, de calceo, si frater eam ducere nolit, extrahendo, & quibus cerimoniis id olim factum. Capita 16. sectiones 123.

II. כְּתוּבוֹת *contractus*. De contractibus matrimonialibus, jure dotum, uxorum privilegiis, officio mariti, virginum, & viduarum jure, &c. Capita 13. sectiones 111.

III. קִדּוּשִׁין *sponsalia*. De sponsalibus, & sponsalitiis; quot modis sponsa de jure acquiratur, quomodo consecretur, qua ratione varii casus matrimoniales decidi debeant, &c. Capita 4. sectiones 47.

IV. גִּטִּין *libelli repudii*. De divortiis & libello repudii, quomodo scribi, dari, & offerri debeat. Capita 9. sectiones 75.

V. נְדָרִים *vota*. Quæ obligatoria sint, quæ non; qui vovere possint, quibus id licitum non sit, &c. Capita 11. sectiones 90.

VI. נָזִיר *Nazaræus*. De Nazaræis & eorum voto; quandiu durabat; à quibus rebus abstinebant Nazaræi, &c. Capita 9. sectiones 60.

VII. סוֹטָה *declinans* mulier ab officio suo, nempe quæ in adulterii suspicionem venit; quomodo zelotypus eam probare debeat, quomodo aqua amara potata fuerit, secundum legem Num. 5. à v. 12. ad finem usque capitis. Capita 9. sectiones 67.

Summa capitum 71. sectionum 573.

§. IV.

Ordo IV. נְזִיקִין damna.

IN hoc ordine disputatur de damnis ab hominibus vel à bestiis illatis; de eorum pœna & compensatione. Codices ejus sunt:

I. בָּבָא קַמָּא *porta prima.* De damnis quæ à bestiis, vel ab hominibus, igne, aliove modo alicui inferuntur. Capita 10. sectiones 79.

II. בָּבָא מְצִיעָא *porta media.* De rebus inventis, deposito, mercede, commodato, mutuo, usura, fœnore, conductionibus, & locationibus. Capita 10. sectiones 101.

III. בָּבָא בַּתְרָא *porta postrema.* De societate in commerciis, ædium vicinitate, emtione & venditione, hæreditate & successione, possessione, fideijussionibus, &c. Capita 10. sectiones 86.

IV. סַנְהֶדְרִין *consessus judicum.* De senatu majori, judiciis inferioribus, pecuniariis, & criminalibus; judicibus, testibus; quatuor supplicii generibus, nimirum lapidatione, combustione, decollatione, & strangulatione; de Israëlitis, qui partem habituri sunt in futuro sæculo, & qui non; de tempore adventus Messiæ, &c. Capita 11. sectiones 71.

V. מַכּוֹת *plaga.* De quadraginta plagis, quibus cædebantur, qui capitalis criminis rei non erant, ex Deut. 25. v. 3. Quare ab illis una substracta est, quod jam Apostoli tempore factum fuit, 2. Corinth. 11. v. 24. Capita 3. sectiones 34.

VI. שְׁבוּעוֹת *juramenta.* Quinam ad juramentum præstandum idonei erant, qui non idonei; quomodo jurent quadruplices rerum custodes; nempe qui gratis custodit, qui petiit custodiam, qui mercedem custodiæ accepit, qui mercede conduxit. Capita 8. sectiones 62.

VII. עֵדֻיּוֹת al. עֵדִיּוֹת *testificationes.* De plurimarum controversiarum decisionibus ex præstantissimorum Rabbinorum testificationibus collectis. Caret Gemara. Capita 8. sectiones 74.

VIII. הוֹרָיוֹת *documenta.* De documentis & statutis quibusdam judicum; quomodo ea servanda, & eorum transgressores puniendi. Capita 3. sectiones 20.

IX. עֲבוֹדָה זָרָה *cultus alienus.* Alii, עֲבוֹדַת כּוֹכָבִים *cultus stellarum.* Alii, עֲבוֹדַת אֱלִילִים *cultus idolorum.* De idololatria, & vitanda omni cum Christianis societate. Capita 5. sectiones 50.

X. אָבוֹת *patres.* Alii פִּרְקֵי אָבוֹת *capita* vel *capitula patrum.* De patribus, qui legem oralem à Mose inde acceptam docuerunt & propagarunt; ubi insignes eorum sententiæ, apophthegmata, & axiomata referuntur. Caret Gemara. Capita 6. sectiones 106.

Summa capitum 74. sectionum 683.

§. V.

Ordo V. קָדָשִׁים sanctitates.

IN hoc ordine de sacrificiis, & variis rebus sacris agitur. Codices ejus sunt:

I. זְבָחִים *sacrificia.* De sacrificiis, quæ, qualia, quo tempore, quo loco, & à quibus parari & offerri debebant. Capita 14. sectiones 101.

II. חוּלִּין *profana.* De animalibus mundis & immundis, quatenus ea hominum usibus licita sint vel illicita. Capita 12. sectiones 74.

III. מְנָחוֹת *oblationes.* De oblationibus vespertinis ex farina & pane, vel cum oleo & thure, aut sine illis. Capita 13. sectiones 93.

IV. בְּכוֹרוֹת *primogenita.* De jure primogenitorum in animalibus, quomodo vel offerri, vel pecunia redimi deberent. Capita 9. sectiones 73.

V. ערכין *æstimationes*. De æstimatione sive pretio rerum, quæ devotæ & promissæ erant; ne videlicet pretio viliori redimerentur. Capita 9. sectiones 50.

VI. תמורה *permutatio*. De permutatione sacrificiorum; an aliud pro alio substituere licitum. Capita 7. sectiones 35.

VII. מעילה *transgressio*. De transgressionibus in usu sacrificiorum, ubi lucellum quæsitum, & sacrificium non recte mactatum. Capita 6. sectiones 38.

VIII. כריתות *excisio*. De excisione animarum ex sæculo futuro, & de peccatis quæ excisionem merentur. Capita 6. sectiones 43.

IX. תמיד *juge* (sacrificium). De jugi sacrificio, quod fiebat quotidie ex duobus agnis, quorum alter mane, alter vespere offerebatur. Caret Gemara. Capita 7. sectiones 33.

X. מדות *mensura* nimirum Templi. Capita 5. sectiones 33. Caret Gemara.

XI. קנים *nidi*. De pullis ex nido avium à pauperibus offerendis. Caret Gemara. Capita 3. sectiones 15.

Summa capitum 90. sectionum 588.

§. VI.

Ordo VI. טהרות purificationes.

IN hoc ordine agitur de vasorum, aliarumque rerum purificatione, immunditie, & pollutione. Codices ejus sunt:

I. כלים *vasa*. De vasis, instrumentis, suppellectili, vestibus ex quocunque genere & quacunque materia, quomodo pura aut impura censeantur & quomodo purificentur. Capita 30. sectiones 254.

II. אהלות *tabernacula*. De tabernaculis sive domibus, earumque partibus; quomodo polluantur & purificentur; ubi speciatim ad mortuos respicitur. Capita 18. sectiones 134.

III. נגעים *plagæ*. De plaga lepræ, quomodo ab ea pollutio contrahatur. Capita 14. sectiones 115.

IV. פרה *vacca* (rufa). De purgatione ab immunditia à cadavere humano contracta, per cineres vaccæ rufæ, de qua Num. 19. Capita 12. sectiones 96.

V. טהרות *purificationes*. De purificationibus ab immunditia quæ aliunde quam à cadavere humano contrahitur. Capita 10. sectiones 92.

VI. מקואות *fossæ*. De fossis seu conceptaculis aquarum, in quibus cum viri, tum mulieres lavant & immergunt se purificationis gratia. Capita 10. sectiones 71.

VII. נדה *menstruata*. De purificatione mulieris à fluxu menstruo, & immunditia partus. Capita 10. sectiones 79.

VIII. מכשירין *dirigentia*. Alii משקין *liquida*. De liquidis, h. e. quomodo fructus aut olera, aut alia terræ nascentia, quibus homo vescitur, per affusionem liquidorum polluantur, aut ad pollutionem *dirigantur*, seu disponantur. Capita 6. sectiones 54.

IX. זבים *fluentes*. De fluxum nocturnum seminis patientibus, aut gonorrhœa affectis, & quomodo purificentur. Capita 5. sectiones 32.

X. טבול יום *lotus diei*. De immunditia ante solis occasum eluenda. Capita 4. sectiones 26.

XI. ידים *manus*. De lavandis manibus, vasis, & aquarum qualitate & quantitate. Capita 4. sectiones 22.

XII. עוקצים *pervioli*. De petiolis fructuum, quomodo contactu aliorum fructuum polluantur. Capita 3. sectiones 28.

Summa capitum 126. sectionum 1003.

Talmudis itaque sunt ordines VI. codices LXIII. vel LX. tantummodo secundum veteres Hebræos, qui tres *Bavas* in ordine IV. pro uno codice habebant, & codicem *Maccoth* in eodem ordine codici Sanhedrin adjungebant. Capita DXXIII. vel DXXIV. si tribus capitibus codicis *Biccourim* in ordine I. quartum de androgynis adjicias. Hi porro codices in omnibus Talmudis editionibus eundem, quem illis assignavimus, ordinem non servant. In iis ordinandis secuti sumus clariss. Buxtorfium, quem se-

quitur etiam doctissimus Wolfius. Denique sectiones sive Mischnaioth numerantur MMMMCLXV. vel MMMMCLXX. si 34. sectionibus trium priorum capitum *Biccourim* quinque sectiones capitis quarti ejusdem tractatus addideris.

Præter enumeratos codices Talmudis, sequentes quatuor à recentioribus Rabbinis sunt adjecti, quorum etiam aliqua hîc facienda est summa.

Novi codices veteribus additi.

I. מסכת סופרים *codex scribarum.* Quomodo scribendus sit liber Legis in pergameno, & quali utendum. An atramenti maculam, vel literam aliquam eradere liceat. De vocibus aliter scriptis & aliter lectis. Quomodo & à quot personis liber Legis in Synagoga legendus sit, &c. Capita 21.

II. מסכת אבל רבתי *codex luctus magni.* Alii, מסכת שמחות *codex lætitiarum* (prohibitarum scilicet). De luctu & cerimoniis, quibus lugendi sunt mortui; quomodo lugentibus adhibenda consolatio, & qua ratione polluantur ob cadaver. Capita 14.

III. כלה *sponsa.* De sponsæ acquisitione, ornamentis, aliisque ad eam pertinentibus. Is codex duorum *Qiddouschin* & *Kethouvoth* complementum est. Caput 1.

IV. מסכת דרך ארץ *codex via terra.* De moribus rite informandis, & ratione cum hominibus conversandi, quam Hebræi vocant *viam terra*, h. e. in terris sese gerendi rationem. Dividitur in codicem *majorem* & *minorem.* Ille constat capitibus decem, hic vero sex. Subjicitur ad finem caput peculiare dictum פרק שלום *caput de pace.*

Ut facilius intelligatur ad quem ordinem pertineant codices in eruditorum operibus laudati, proindeque in Talmude ipso facilius inveniantur; non ab re fuerit eos secundum literarum alphabethi seriem cum capitibus suis, sectionibus sive Mischnaioth, & ordinibus exhibere.

Codices Talmudici ordine alphabethico dispositi.

Codices.	*Capita.*	*Sectiones.*	*Ordines.*	*Codices.*	*Capita.*	*Sectiones.*	*Ordines.*
אבות	6.	106.	IV.	חולין	12.	74.	V.
אהלות	18.	134.	VI.	חלה	4.	37.	I.
בבא קמא	10.	79.	IV.	טבול יום	4.	26.	VI.
בבא מציעא	10.	101.	IV.	טהרות	10.	92.	VI.
בבא בתרא	10.	86.	IV.	יבמות	16.	123.	III.
ביצא	5.	41.	II.	ידים	4.	22.	VI.
בכורות	9.	73.	V.	יומא	8.	61.	II.
בכורים	4—5.	34—39.	I.	כלאים	9.	77.	I.
ברכות	9.	57.	I.	כלים	30.	254.	VI.
גטין	9.	75.	III.	כריתות	6.	43.	V.
דמאי	7.	53.	I.	כתובות	13.	111.	III.
הוריות	3.	20.	IV.	מגלה	4.	33.	II.
זבחים	14.	101.	V.	מדות	5.	33.	V.
זבים	5.	32.	VI.	מכשירין	6.	54.	VI.
חגיגה	3.	23.	II.	מכות	3.	34.	IV.

Codices.	*Capita.*	*Sectiones.*	*Ordines.*
מְנָחוֹת	13.	93.	V.
מוֹעֵד קָטָן	3.	23.	II.
מְעִילָה	6.	38.	V.
מַעַשְׂרוֹת	5.	40.	I.
מַעֲשֵׂר שֵׁנִי	5.	57.	I.
מִקְוָאוֹת	10.	71.	VI.
נְגָעִים	14.	115.	VI.
נִדָּה	10.	79.	VI.
נְדָרִים	11.	90.	III.
נָזִיר	9.	60.	III.
סוֹטָה	9.	67.	III.
סוּכָּה	5.	53.	II.
סַנְהֶדְרִין	11.	71.	IV.
עֲבוֹדָה זָרָה	5.	50.	IV.
עֵדֻיּוֹת	8.	74.	IV.
עוּקְצִים	3.	28.	VI.
עֵירוּבִין	10.	89.	II.
עֲרָכִין	9.	50.	V.
עָרְלָה	3.	35.	I.
פֵּאָה	8.	69.	I.
פְּסָחִים	10.	88.	II.
פָּרָה	12.	96.	VI.
קִדּוּשִׁין	4.	47.	III.
קִנִּים	3.	15.	V.
רֹאשׁ הַשָּׁנָה	4.	35.	II.
שְׁבוּעוֹת	8.	62.	IV.
שְׁבִיעִית	10.	88.	I.
שַׁבָּת	24.	139.	II.
שְׁקָלִים		52.	II.
תָּמִיד	7.	33.	V.
תְּמוּרָה	7.	35.	V.
תַּעֲנִית	4.	34.	II.
תְּרוּמוֹת	11.	100.	I.

Hi ſunt codices Talmudis Babylonici ordine alphabethico diſpoſiti. Ut autem Talmudis utriuſque paulo major habeatur notitia, præcipuas operis hujus editiones ex doctiſſimo Wolfio hîc exhibere ab inſtituto noſtro non erit alienum.

ARTICULUS III.

De præcipuis Talmudis editionibus.

§. I.

Talmudis Jeroſolymitani editiones.

DUæ ſunt præcipuæ Talmudis hujus editiones.

I. Venetiis fol. apud *Bombergum*, ſine anno notato, teſte *Sabbathæo*, ſive *Schævtai* in Bibliotheca ſua dicta שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים ſiphte ieſchenim, *labia dormientium* ſive *mortuorum*, pag. 88.

II. Cracoviæ eadem forma anno Chriſti 1609. apud *Iſaacum ben Aaron*. In hac editione Miſchna & Gemara literis quadratis, annotationes vero rotundis ſive Rabbinicis excuſæ ſunt.

Talmud iſtud, prout typis mandatum eſt, conſtat quatuor ſolis prioribus ordinibus, & codice נִדָּה ex ordine ſexto. Imo nec codex ille integer eſt, quatuor enim tantum capitibus abſolvitur. Neque etiam quatuor ejus ordines habent ſuos omnes codices;

nam v. g. in ordine quarto desunt codices *Edajoth* & *Avoth*. Ideo autem mutilatum est istud Talmud, quod plura reperiri non potuerint, quanvis editores missis huc illuc literis & nuntiis, ordines omnes ac tractatus recuperare, sed frustra, conati sint, ut ad calcem editionis Venetæ profitentur.

Mischna Talmudis hujus cum in verbis, tum in sententiis non parum discrepat à Mischna Babylonica. Qua de causa? Id eruditis inquirendum relinquit *Lightfootus* in tom. 2. opp. pag. 229.

Ejus Gemara plenior est Babylonica; ea siquidem non solum ad codicem *Berachoth* ordinis I. verum etiam ad alios ejusdem ordinis codices, qui in Talmude Babylonico ea carent, attexitur. Verum, ut diximus, obscura est, & paucis etiam Judæis perspecta; quare Talmud istud ab iis fere negligitur. Illud è contrario Christianis præ Babylonico se commendavit, 1°. quod sit Babylonico brevius. 2°. Quod plurima in eo reperiantur quæ ad illustrandum Sacrum Codicem, maxime vero Novum Testamentum, ut ex Lightfooti operibus liquet, non parum conferant. 3°. Quod ejus Gemara immunis plerumque sit nugis ac fabellis, vel, ut aliis placet, allegoriis, quibus scatet Babylonica. Plures hujus Talmudis editiones non memorat clariss. Wolfius.

§. II.

Talmudis Babylonici editiones.

NOVEM Talmudis hujus editiones numerantur, quarum

I. Venetiis prodiit ex typographæo *Bombergiano* anno Christi 1520. & sequentibus. Hæc editio in duodecim tomos in fol. vulgo tribuitur, qui eo ordine, quem requirit Talmud, excusi non sunt; sed nunc hic, nunc ille tomus, pro typographi arbitrio, donec totum corpus absolveretur, in lucem prodiit. Folia vulgo dividuntur in tres columnas, quarum prima, quæ Mischnam & Gemaram literis quadratis excusam complectitur, mediam paginam occupat. Aliæ duæ columnæ exhibent hinc *Raschii*, sive R. Salomonis filii Isaaci commentarios, inde *Tosephoth*, h. e. additiones, quæ, uti & Raschii commentarii, ad solam Gemaram pertinent. Quapropter in codicibus Gemara destitutis hi non comparent, sed in eorum locum suffectus est hinc Maimonidis, illinc R. Samsonis commentarius. In fine codicum reperiuntur *Pisqe Tosephoth*, id est conclusiones ex Tosephoth exceptæ; *Perousch hammischnaioth*, hoc est, expositio Mischnæ ex Maimonide; denique commentarius *R. Ascher*. Ampliorem editionis hujus recensionem vide apud doctissimum Wolfium Biblioth. Heb. tom. 2. pag. 896. & seqq. ubi quo anno tomi singuli excusi sint, & quid ad unumquemque tractatum sive codicem pertineat, accurate eruditeque dissteritur.

II. Talmudis editio Venetiis in fol. itidem adornata est apud *Marcum Antonium Justinianum*, anno Christi 1546. & sequentibus. Editionem hanc curavit *R. Josue Boaz*, de familia Baruch, qui præter ea, quæ in editione Bombergiana memorata sunt, huic in altero margine addidit מָסֹרֶת הַתַּלְמוּד *Massoram Talmudis*, id est, indicem locorum Talmudis parallelorum, qui reperiuntur in Maimonide, סמ״ג, h. e. סֵפֶר מִצְוֹת גָּדוֹל *libro præceptorum magno*; R. Moysi Qotsensis, & in libro, qui inscribitur אַרְבַּע טוּרִים *quatuor ordines*, R. Jacobi fil. Ascher F. Jehhiel. In altero margine adjecit עֵין מִשְׁפָּט *oculum Judicii*, h. e. indicem institutorum & rituum, qui in veterum scriptis ritualibus, puta Maimonide, סמ״ק, h. e. סֵפֶר מִצְוֹת קָטָן *libro præceptorum parvo*, R. Isaaci fil. Joseph Corbelensis, & in אַרְבַּע טוּרִים superius laudato. Accedit præterea חִקּוּר דִּינִים *scrutinium rituum* aut *judiciorum*, quod ab aliis dicitur נֵר מִצְוָה *lumen præcepti*, qui catalogus est decisionum omnium ritualium in Gemara exstantium, ut cognosci possit quo in loco contineantur. Adjicitur præterea תּוֹרָה אוֹר *Lex lux*, seu

Index locorum Sacræ Scripturæ, quæ in Talmude citantur. Denique codicibus aliquot Gemara instructis subjicitur, 1°. Compendium ex פסקי תוספות, 2°. Commentarius R. Ascher, 3°. compendium ejusdem commentarii auctore R. Jacob ejus filio, vulgo dicto *Baal battourim*, id est, *auctor* (quatuor) *ordinum*, 4°. commentarius Mischnicus Maimonidis. Denique in codices I. & VI. ordinis, qui, si *Berachoth* ex ordine I, & *Nidda* ex V. exceperis, carent Gemara, loco interpretum Gemaricorum occurrit commentarius R. Maimonidis & R. Samsonis, ut in superiori editione Veneta.

Secundæ hujus editionis, quæ à nonnullis in dubium vocatur, mentio fit in inscriptione Talmudis Cracoviani & Amstelædamensis, de quibus infra, & in libro precum Synagogæ Romanæ, citante Bartoloccio, tom. 3. Biblioth. Rabbin. pag. 762. Eamdem describit Schavtai, pag. 89. *Siphte Ieschenim.* Exstant in Bibliotheca nostra Sangermanensi Talmudis hujus tria volumina, quorum primum, quod anno Christi 1547. excusum est, hos II. ordinis codices complectitur: *Betsa, Rosch haschschana, Ioma, Souca, Taanith, Scheqalim, Hhaghigha*, & *Moedh qaton.* In secundo volumine, quod anno 1550. typis mandatum est, continetur codex unicus *Avodha Zara* ex ordine IV. Denique volumen tertium anno 1551. è prelo egressum continet *Nedharim, Sota*, & *Nazir* ex ordine III. & *Nidda* ex VI.

III. Talmudis Babylonici editio prodiit in fol. Basileæ apud *Ambrosium Frobenium* annis Christi 1578. 1579. & 1580. Ad editionem Bombergianam expressa est, sed à Marco Marino Brixiano Canonico Regulari S. Salvatoris mutilata; is enim conjecta in Christum & Christianos convitia sustulit. Quamobrem inter alia resecuit integrum codicem *Avodha Zara*, qui statim Cracoviæ Judæorum opera editus est, ac editioni Basileensi, ut completa foret, adjectus. Editio illa ob prædictam resectionem parvo in pretio est apud Judæos, imo Christianos non paucos, qui castrationem hanc præposteram judicant. Editioni huic adjecti sunt indices locorum Scripturæ Sacræ, & locorum Talmudis parallelorum, qui in Bombergiana desiderantur.

IV. Talmudis hujus editio Cracoviæ in fol. adornata est apud R. *Isaacum ben Aaron*, annis Christi 1603. 1604. & 1605. ad fidem & exemplum editionis Venetæ Justinianææ, adeo ut pagina paginæ respondeat; & qui utramvis recte norit, ambas noverit. A Judæis plurimi æstimatur, tum quod in ea restituta sint, quæ in Basileensi resecta fuerant, tum quod cum mss. codicibus, & prioribus Talmudis editionibus collata fuerit atque emendata. Alteram editionem Cracovianam cum Raschii commentariis & brevi vocum difficiliorum ex *Aruch* expositione anno Christi 1616. in 4°. elaboratam memorat Schavtai.

V. Editio in fol. cœpta est Lublini anno Christi 1617. & sequentibus continuata. Ea quoque ad editionem Venetam Justinianæam adornata est, ita tamen ut denuo correcta sit & emendata ad codices, præsertimque ad librum *Salomonis Loriæ* dictum חכמת שלמה *Sapientia Salomonis*, opera R. *Tsevi bar Abraham Qalonymi*, apud R. *Josua bar Israël* Austriacum. Isthæc editio fugit Bartoloccium, necnon Thomam Hyde, virum alioquin his in rebus versatissimum. Editionem aliam Lublinensem prædicta antiquiorem, nempe anno Christi 1559. memorat Schavtai, pag. 89.

VI. Talmudis Babylonici editio concinnata est Amstelædami, in minori fol. vel 4°. majori, apud *Emanuelem Benbeniste*, ab anno 1644, ad 1647. Cracoviensem plane refert, nisi quod in levissimis ab ea discrepet, ut v. g. in titulo & fronte marginum, ubi pro התלמוד reposuerunt הש"ס, hoc est, ששה סדרים *sex ordines*, quod idem est ac התלמוד. Post codicem שבועות in ordine IV. sequitur מסכת אבות דרבי נתן *codex Avoth R. Nathan*, qui complectitur apophthegmata, sententias morales, &c. SS. Patrum Veteris Testamenti. Is codex diversus est ab alio, qui in eodem ordine collocatur inscribiturque אבות *Avoth*, sive פרקי אבות pirqe avoth *capitula patrum.* Deinde veniunt quatuor

codices Talmudi recens adjecti, de quibus supra pag. 420. coll. 1. 2. Editio illa magno in pretio habetur apud Judæos, quod loca varia exhibeat postliminio restituta, quæ religioni Christianæ adversantur. Sunt tamen nonnulla Christianis adversa uti & quædam ad religionem minime pertinentia, quæ vel casu, vel consilio nescio quo exciderunt, testibus Bartoloccio tom. 3. p. 761. & Wulfero ad theriac. Judaicam pag. 265. Idem Wulferus præfat. ad cod. *Scheqalim*, scribit Talmud istud à reliquis Mischnæ editionibus immensum quandoque discrepare, vel omisso prorsus, vel addito alio vocabulo; quod exemplis confirmat in suis notis. Menda tamen illa in omnibus exemplaribus non comparent, quod, uti verosimile est, folia mendosa correcta, & denuo excusa fuerint.

VII. Editio in fol. elaborata Francofurti ad Viadrum sive Oderam, typis *Michaëlis Gottschalckii*, & sumtibus *Issachar Behrman* Judæi Halberstadiensis, annis Christi 1697. 1698. & 1699. Si titulo credas, editio illa adornata est ad Basileensem à Marco Marino Brixiano mutilatam. Id autem falsum esse codex *Avodha Zara* suo loco insertus planum facit. Insuper isthæc editio præstat Basileensi, quod in ea varii errores typographici aliique sublati sint beneficio libri Salomonis Loriæ dicti חָכְמַת שְׁלֹמֹה *Sapientia Salomonis*, de quo supra, & alterius libri inscripti חִדּוּשֵׁי הֲלָכוֹת *novellæ observationes in Talmudis decisiones*, R. Samuelis Eliezeris. Accedit huic editioni index locupletior decisionum ritualium ex Maimonide, Mose Qotsensi, & Baal hattourim, de quibus supra, in tractatus *Berachoth*, *Nedarim*, *Sota*, *Nazir*, & *Nidda*, in quos deerat in præcedentibus editionibus. Index similis invenitur super integrum ordinem *Qodaschim*, una cum emendationibus desumtis ex libro R. Aaronis fil. Samuelis, cui titulus בִּרְכַּת הַזֶּבַח *benedictio Sacrificii*, quæ sunt animadversiones in Gemaram, & commentarium Raschii in eandem & Tosephoth Qodaschim. Repræsentantur figuræ ad intelligendas Maimonidis in ordinem *Zeraim*, & Raschii aliorumque in *Erouvin* & *Souca* commentationes. Denique invenitur *Massoreth hattalmoudh* in tractatus *Horaioth* & *Nidda*, necnon in totum ordinem *Tohoroth*, ubi in præcedentibus editionibus desiderabatur.

VIII. Editio, ut & præcedens, prodiit in fol. Francofurti ad Oderam sive Viadrum ex officina *Michaëlis Gottschalckii*, & Berolini ex typographeo *Joannis Ernesti Jablonskii*, ab anno Christi 1715. ad annum 1721. Ea editio præcedenti adeo similis est, ut pagina paginæ respondeat. In eo solo posterior à priori discrepat, quod in posteriori editione charta & Mischnæ ac Gemaræ characteres minores sint, quam in priori; at nitidiores simul sunt & elegantiores. Præterea in posteriori ad menda tollenda adhibitus est commentarius, quem in Talmud integrum scripsit R. *Meir* Lublinensis.

IX. Et novissima Talmudis Babylonici editio cœpta est fol. Amstelodami 1714. apud *Salomonem Marqes*, & *Raphaëlem* filium *Josue Palasii*, accurante *Juda Arie Low* filio *Josephi Samuelis* quondam archisynagogi Francofurtensis ad Mœnum. Ea editio, sumtus typographici minuendi causa, maximam sui partem continuata est Francofurti ad Mœnum, ibique anno 1721. absoluta. Complectitur omnia, quæ in præcedentibus editionibus occurrunt, prætereaque textus recognitus est & emendatus tum ad exemplaria secum invicem collata, tum ad libros, quibus tituli: חִדּוּשֵׁי הֲלָכוֹת *novellæ observationes*, &c. חָכְמַת שְׁלֹמֹה *sapientia Salomonis*, de quibus in VII. edit. & חָכְמַת מָנוֹחַ *sapientia Manoahh*, filii *Schemariæ*, quæ sunt castigationes, & variæ lectiones Talmudicæ in Gemaram, Raschium, & Tosephoth; tum ad exemplar, quod R. *Joseph Samuel* fil. *Tsevi*, archisynagogus Francofurtensis ad Mœnum, magna cura correxit, & quo præsertim restituti sunt ordines *Zeraim*, *Qodaschim*, & *Tohoroth*, qui mendis plurimis scatebant. Vulgati indices emendati sunt & aucti, novi additi sunt, puta in Raschii commentarium, in R. Ascher, & Tosephoth. Tractatibus præmittuntur animadversiones & emendationes nonnullæ ad tractatum illum pertinentes, vel ex mss. codd. vel aliunde excerptæ.

Ordo

Ordo *Qodaschim* recensitus est ex observationibus R. *Isaaci Loriæ*, & notis R. *Gerson* illustratus. Tractatus minores, dicti מַסֶּכְתּוֹת קְטַנּוֹת, correcti sunt & quibusdam capitibus aucti. Adjecti sunt מַסֶּכֶת גֵּרִים *tractatus advenarum* sive *proselytorum*, & מַסֶּכֶת אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל *tractatus de terra Israëlis*, quæ videlicet ultra fluvium Sambathionem statuitur, ubi decem tribus à Salmanazare in captivitatem abductas etiamnum habitare Judæi fabulantur. Vide de ficto illo flumine doctiss. Buxtorfii Lexicon Talmud. ad radicem שַׁבָּת. Adjectus est commentarius octo capitibus, quibus Maimonides tractatum *Pirqe avoth* illustravit; ipsis vero *Pirqe avoth* accedit commentarius *Raschii*. Ibi etiam conspicitur commentarius R. *Ascher* in ordines *Zeraim* & *Tohoroth*, neglectis tamen his, quæ in aliis interpretibus sunt obvia. Novellæ observationes in *Tosephoth* antiquas super tractatum *Ioma*. Novellæ itidem observationes *Nahhmanidæ*, i. R. Mosis filii Nahhman, dicti vulgo *Ramban*, super tractatum *Kethouvoth*. Tosephoth R. *Ascher* super tract. *Bava metsia*. In fine ordinis *Moedh* exstant הֲלָכוֹת קְטַנּוֹת *decisiones parvæ* R. *Ascher*, cum קִצּוּר פְּסָקִים *compendio decisionum*, & animadversiones ejusdem R. *Ascher* in tract. *Qiddouschin*. Denique ut facilius redderetur Talmudis studium, codici *Berachoth* adjecit editor præfationem Maimonidæ in ordinem *Zeraim*, indicem alphabethicum Mischnæ capitum, *Atrium Talmudis* R. *Samuelis hannagid*, cum compendio institutionum Gemaricarum ex variis libris de hoc argumento tractantibus excerptarum, generales quasdam regulas ad intelligendos Raschii commentarios Talmudicos pertinentes, tredecim Legis interpretandæ modos, &c.

Hæc de præcipuis Talmudis Babylonici editionibus, quæ omnes fere in duodecim aut tredecim tomos in folio tribuuntur, sufficiant. Qui plura de his voluerit, legat doctissimi Wolfii Bibliothecam Hebraïcam, tom. 2. pag. 895. & seqq.

CAPUT VII.

De recentiorum Judæorum Kalendario.

KALENDARIUM est tabula dierum, hebdomadarum, mensium, festorum, & jejuniorum, quæ per unius anni circulum recurrunt. De his omnibus pauca quædam pro instituti nostri ratione, & quantum ad loca nonnulla Sacræ Scripturæ intelligenda satis est, delibabimus.

ARTICULUS I.

De diebus, horis, hebdomadis, mensibus, & annis Judæorum.

§. I.

Dies & horæ Judæorum.

DIES, alius est naturalis, alius artificialis. Naturalem & νυχθήμερον constituit solis ab uno puncto ad idem fere cœli punctum conversio, puta ab occasu ad occasum,

à quo tempore Judæi diem auspicantur; qui mos etiam apud veteres Gallos, Germanos, Numidas Lybienses, &c. olim obtinuit.

Dies artificialis est solis supra finitorem, seu *horizontem* commoratio, cui nox ex adverso respondens, solis itidem infra finitorem sive *horizontem* mora circumscribitur. Dies ille artificialis dicitur, quod eo durante soleant artifices opus suum peragere.

Dies naturalis in quatuor & viginti partes sive horas distribuitur. Eæ sunt vel æquales vel inæquales. Æquales sunt Astronomis, & iis, qui sub linea æquinoctiali degunt; inæquales autem (præterquam æquinoctiorum tempore) cum 12. luci, & 12. nocti assignantur; necesse enim est æstivas horas lucis, maximas; noctis, minimas fieri: & vice versa in hyeme. His horis inæqualibus usa est omnis fere antiquitas in Italia, Græcia, Asia, Ægypto, in toto Oriente, maxime in Palæstina & Judæa, ac de iis intelligendæ horæ in sacris literis passim commemoratæ.

Antiquissimis temporibus horarum & nomen, & res ignorabatur, ac pro diversis temporibus & locis diversa fuit νυχθημέρου, h. e. diei naturalis partitio. Erat cum divideretur in partes quatuor, quarum duæ lucis, seu diei; duæ noctis erant. Dies ab ortu solis ad occasum distinguebatur in tempus antemeridianum & pomeridianum. Sic nox ab occasu solis ad ejus ortum dirimebatur in tempus, quod mediam noctem antecedebat, & in tempus, quod eam sequebatur.

Hebræi veteres, necnon & vetustissimi Græci, ut ex Homero liquet, diem artificialem tres in partes distribuebant, videlicet in matutinum, meridianum, & vespertinum tempus; quæ partitio etiamnum viget apud Arabes, Persas, aliosque populos Orientales, teste Ubbone Emmio rerum chronolog. lib. 1. p. 7. Sic etiam nox tres in partes dividebatur, in vesperam, mediam noctem, & custodiam matutinam.

Tandem ex historia Evangelica videntur Judæi diem naturalem octo in partes distribuisse, quarum quatuor diei & quatuor nocti assignarunt. Partes noctis, *vigiliæ*; diei, *horæ* dicebantur. Prima hora incipiebat ab ortu solis ad horam usque nonam. Tertia ab hora nona ad meridiem. Sexta à meridie ad tertiam pomeridianam. Nona à tertia pomeridiana ad occasum solis. Sic prima noctis vigilia inchoabatur ab occasu solis & desinebat hora nona in nocte. Secunda ab hora nona ad mediam noctem extendebatur. Tertia à media nocte incipiebat, durabatque ad tertiam horam post mediam noctem. Quarta denique vigilia initium ducebat ab hora tertia post mediam noctem, & finiebatur hora sexta matutina, sive sole exoriente. Illæ autem horæ ac vigiliæ pro diversis temporibus, si æquinoctiale exceperis, inæquales erant. Quandoque etiam horæ intermediæ numerabantur; unde Matth. 20. v. 6. fit mentio horæ undecimæ, quæ incipiebat ab hora quarta pomeridiana, & desinebat hora quinta, à qua incipiebat hora duodecima. Cum autem horas inæquales cum nostris horis æqualibus & astronomicis eo loci conferimus, horas æquinoctiales intelligimus, nam v. g. prima hora inæqualis in solstitio æstivo non incipiebat nostra hora sexta, sed quarta matutina, in qua sol oritur. Horam autem Astronomi nostri dividunt in 60. partes, seu minuta ('); partem quamlibet sexagesimam in 60. secundas ("); secundam in 60. tertias ('''), &c. Judæi vero horam partiuntur in 1080. *hhalaqim* seu scrupula, ut videbimus infra, Art. V. §. I. in neomeniæ Tischri inveniendæ ratione.

§. II.

Hebdomades Judæorum.

TRIPLICIS generis hebdomades erant Hebræis, nempe hebdomades dierum, quæ septem diebus constabant; hebdomades annorum, quæ 7. annos complectebantur; denique hebdomades 7. annorum, qui per 7. annos ducti 49. annorum numerum conficiebant; quibus exactis annus quinquagesimus, isque Jubilæus, renuntiabatur. Non desunt tamen eruditi, qui Jubilæum in annum 49um. incidisse arbitrentur.

§. III.

Menses Judæorum.

MENSIS alius est solaris, alius lunaris. Mensis solaris circumscribitur temporis spatio, quo sol unum Zodiaci signum percurrit: lunaris vero fit à novilunio ad novilunium. Uterque dividitur in naturalem seu cœlestem, & civilem sive politicum.

Menses naturales sive cœlestes cum solis tum lunæ impares inter se sunt, ac præter dies integros, habent etiam dierum partes, ut horas, horarumque scrupula; neque enim sol æque diu moratur in omnibus signis: sed alia citius, ut Sagittarium, Capricornum, &c. alia tardius seu longius, ut Arietem, Geminos, &c. permeat, propter orbis, in quo fertur, *excentricitatem*. Sic nec luna eodem temporis spatio, cum ob suam, tum ob solis anomaliam, à synodo, sive conjunctione, ad synodum revertitur.

Menses civiles seu politici, i. qui ad vulgi captum accommodati sunt, & in usu apud civitates seu populos habentur (cœlestes enim proprii Astronomorum sunt) dies integros habent; solares quidem 30. vel 31. (excepto uno Februario, qui 28, & in anno bissextili 29. constat): lunares vero alternis 29. & 30. Menses lunares 30. dierum, *plenos*; 29. *cavos* appellant. Atque hi menses in Kalendario inferius describendo adhibebuntur. Quare ab horis, & scrupulis horariis naturalium, seu cœlestium, describendis abstinebimus.

Menses Hebræorum à novilunio *apparente*, hoc est, non à conjunctione lunæ cum sole, quæ ipsis *dies latentis lunæ* dicebatur; sed à die, quo luna apparebat, ac *dies apparentis lunæ* vocabatur, olim incipiebant. Hos propriis nominibus olim distinctos non fuisse patet ex Scriptura, in qua sæpius *primus*, *secundus*, &c. appellantur. Salomonis tantum ætate nominibus propriis, aut epithetis, insigniri cœpere, ut planum facit hæc series, in qua secundum vulgarem annum disponuntur.

Primus est תִּשְׁרִי *Tischri*. Dicitur etiam אֵיתָנִים *Ethanim*, 3. Reg. 8. v. 2. Cur isthæc nomina sortitus sit ille mensis, sicut & ceteri, non convenit inter eruditos. Partim Septembri, partim Octobri nostro respondet. Ab eo annus civilis incipit.

Secundus מַרְחֶשְׁוָן *Marhheschvan*. Vocatur בּוּל *boul*, vel *Bul*, 3. Reg. 6. v. 38. Vide Lexicon ad vocem בּוּל. Cum Octobri & Novembri concurrit.

Tertius כִּסְלֵו *Kislev*, Vulg. *Casleu*, Zach. 7. v. 1. Novembri & Decembri respondet.

Quartus טֵבֵת *Teveth*, Vulg. *Tebeth*, Esth. 2. v. 16. Decembri & Januario respondet.

Quintus שְׁבָט *Schevat*, S. Hieron. & Lxx. *Sabat*, quia olim *scheva* initiale legebatur ut sequens vocalis. Mensis hujus mentio fit Zach. 1. v. 7. Januario & Febr. respondet.

Sextus אֲדָר *Adhar*, vel, ut Vulg. *Adar*, Esth. 3. v. 7. & cap. 9. v. 1. respondet partim nostro Februario, & partim nostro Martio. Hic mensis repetitur, & interseritur, seu intercalatur, unoquoque triennio vel biennio, nempe septies intra novemdecem annorum cyclum, vocaturque וַאֲדָר *& Adhar*, sive *secundus Adhar*; ac ex parte in causa est cur menses Hebræi nostris ex æquo non respondeant.

Septimus נִיסָן *Nisan*, Nehem. 2. v. 1. Ab hoc mense incipiebat annus sacer. Martio & Aprili respondet. Dicitur אָבִיב, Exod. 13. v. 4. sed nomen istud ejus proprium non est; quare à Lxx. redditur ἐν μηνὶ τῶν νέων, ab alio veteri interprete ἐν μηνὶ τῶν νεαρῶν, à Vulg. *in mense novarum frugum*.

Octavus אִיָּר *Iiiar*. Is 3. Reg. 6. v. 1. dicitur זִו *Ziv*, Vulg. *Zio*. Aprili & Maio respondet.

Nonus סִיוָן *Sivan*, Vulg. *Siban*, Esth. 8. v. 9. Maio & Junio respondet.

Decimus תַּמּוּז *Tammouz*, Junio & Julio respondet.

Undecimus אָב *Abh* vel *Av*, Julio & Augusto respondet.

Duodecimus אֱלוּל *Eloul*, Nehem. 6. v. 15. 1. Mach. 14. v. 28. Partim Augusto, partim Septembri respondet.

Diximus supra de recentium nominum his mensibus impositorum significatione & causa inter eruditos non convenire; eorum tamen conjecturas hîc referre non erit alienum.

תִּשְׁרִי derivari volunt à verbo Chaldaïco שְׁרָא *remittere, parcere*; hoc enim mense festum expiationis agebatur. Vide infra p. 436. §. VI. Dicitur etiam אֵיתָנִים *fortitudines, vires*, quod omnia ad maturitatem pervenerint.

מַרְחֶשְׁוָן appellatur etiam בּוּל quasi à מַבּוּל *inundatio*, ob imbres, qui hoc mense decidere solent.

כִּסְלֵו quasi à כְּסִיל *stultus*, ob cœli inconstantiam & intemperiem; unde *Orion*, qui hoc mense oritur, appellatur כְּסִיל, Job. 9. v. 8. al. 9.

זִו sic vocatur, quod in eo conspiciatur arborum amœnitas, quæ Chaldaïca dialecto זִיו dicitur. Aliorum mensium nomina aut peregrina sunt, aut plane ignota. Nova illa mensium nomina Babylone ascendisse scribit R. Hhaiia. Porro menses illi alternis pleni sunt & cavi, h. e. 30. & 29. diebus componuntur.

§. IV.

Anni Judæorum.

ANNI, sicut & menses, duplicis sunt generis; solares & lunares. Annus solaris spatium est temporis, quo sol totum Zodiacum ab æquinoctio in æquinoctium, vel à solstitio in solstitium permeat; isque annus *tropicus* dicitur, quod quatuor illi cœli cardines, nimirum æquinoctium vernum, æquinoctium autumnale, solstitium æstivũ, & solstitiũ brumale, Græcis τροπαὶ vocentur.

Annus lunaris est duratio, qua luna menses duodecim conficit, h. e. duodecies cum sole congreditur.

Uterque annus vel cœlestis est & naturalis, vel civilis. Annus solaris cœlestis, sive tropicus medius, constat 365. diebus, 5. horis, & 49. scrupulis horariis seu minutis. Annus solaris civilis, qui & *Julianus* dicitur, quod eum Julius Cæsar communem ad usum Romani orbis transtulerit, 365. dierum & 6. horarum præcise spatio definitur. Horæ 6. supra 365. dies tamdiu differuntur, dum collectæ diem efficiant, quod quarto quoque vertente anno accidit; unde quinti initio, nimirum ante VI. Calend. Martias dies ille inseritur. Annus itaque tropicus Juliano minor est scrupulis horariis undecim, quæ neglecta effecerunt ut æquinoctium, quod Concilii Nicæni tempore diem 20. & 21. Martii obsidebat, anno Christi 1582. diem 10. & 11. ejusdem mensis obtineret. Kalendarii Gregoriani conditor æquinoctium expunctis his decem diebus in pristinam sedem restituit, in qua ut deinceps retineretur, cautum est ut singulis annorum centuriis vertentibus dies unus bissextilis seu intercalaris ante VI. Calend. Martias omitteretur, quarta duntaxat excepta centuria, quæ bissextilem ex more retinet.

Annus lunaris cœlestis & naturalis componitur 354. diebus, 8. horis, 48. scrupulis horariis primariis, & 38. scrupulis horariis secundariis circiter. Idem annus civilis & politicus 354. dies præcise continet. Annus itaque lunaris civilis à cœlesti superatur 8. horis, 48′, 38″ ex quibus dies integri conflati extra ordinẽ quibusdam annis inculcantur.

Veteres Hebræos ab orbe condito ad exitum usque ex Ægypto anno solari fixo usos fuisse existimant plerique omnes eruditi. Is annus constabat mensibus duodecim, quorum singuli complectebantur dies 30. præter ultimum qui erat dierum 35. Residuæ autem 6. horæ circiter servabantur donec ex iis post certum annorum decursum, h. e. post 120. annos mensis integri modus excresceret, atque annorum illorum exactorũ ultimo velut mensis decimus tertius adderetur. Hæc sententia innititur iis, quæ in historia diluvii de diebus, mensibus, & annis à Mose sunt annotata, quæque per omnia cum hujus-

modi annorum forma conveniunt; ex hujus enim Legislatoris calculo annum Hebraicum 365. diebus compositum fuisse colligitur.

Post egressum autem ex Ægypto annus Hebræorum lunaris videtur fuisse; neque enim ex Scriptura id evincitur; nam mensium quidem apud Mosen frequens fit mentio, ac Paschale festum decima quarta die primi mensis ad vesperam celebrari jussum est, nusquam tamen lunæ lunarisve mensis meminit S. Legislator. Sed certo certius est anni initium mutatum fuisse, quod ad solemnitates attinet; nam antea incipiebat à mense *Tischri*, sive ab autumno, quo tempore mundum à Deo conditum fuisse multa argumenta suadent; postea vero à mense *Nisan*, seu à verno tempore initium duxit, Exod. 12. v. 2. Unde Hebræis annus duplex exortus est, alter communis, cujus initium ab autumno, sicuti prius, repetebatur: alter sacer, qui à verno tempore incipiebat. Anno Sacro usos fuisse Prophetas liquet ex Zach. 1. v. 7. ubi *Schevat* dicitur undecimus anni mensis. Vide etiam cap. 7. v. 1. ubi *Kislev*, seu *Kasleu* nonus anni Mensis dicitur. Annum itaque Hebræorum, quantum ad solemnitates, lunarem fuisse probari nequit nisi post Alexandri magni tempora, cum Græcorum annum sequerentur. Is autem annus erat solaris, menses vero lunares; unde auctor Ecclesiastici cap. 43. v. 6. *Luna ostensio temporis & signum ævi.* V. 7. *A luna signum diei festi....* V. 8. *Mensis secundum nomen ejus*, &c. Idem confirmat Maimonides dum scribit: *Menses anni, menses lunæ; anni autem, quos nos computamus, sunt anni solis.* Liquet etiam ex libris Machabæorum, Josepho, & Philone, Judæos his temporibus usos fuisse annis Græcorum veterum, quibus πρόθεσις ἦν τοὺς μὲν μῆνας ἄγειν κατὰ σελήνην, τοὺς δὲ ἐνιαυτοὺς καθ' ἥλιον, *propositum fuit ut menses secundum lunæ cursum, annos secundum solem agerent*, scribit Geminus Isag. c. 6.

In hac autem annorum forma, mensium intercalationes haud certa ratione descriptæ sunt, nam plerumque anni duo embolimæi continuari solebant; tribus enim potissimum de causis intercalatum est. Prima propter cardinem æquinoctii verni, qui cardo si in XVI. diem *Nisan*, aut post eam incurrerit, *Adhar* secundus intercalatus est; nam Pascha sive prima dies Azymorum in decimam quintam lunam, & æquinoctialem cardinem incidere debet. Secunda propter *Aviv*, sive maturas fruges, ex quibus *Omer* sive manipulus offerebatur. Tertia si nondum arborum fructus maturuerant. Referuntur & aliæ causæ, quas otiosum esset hîc persequi. Unde patet vetera Judæorum Paschata ope computationis certo inveniri non posse.

Sequutis vero temporibus, &, ut nonnullis videtur, post confectum Talmud, & abolitionem synedriorum, penes quæ erat jus neomenias renuntiandi & intercalandi mensem, Hebræi adhibuere puros putosque annos lunares solaribus tamen accommodatos ope mensis intercalati 3°. 6°. 8°. 11°. 14°. 17°. & 19°. cycli decemnovalis anno. Hic autem cyclus, qui & *aureus numerus*, forte ob ejus utilitatem dicitur, à Methone Atheniensi excogitatus est ad annos lunares cum solaribus componendos. Et sane, exactis novem & decem annis, ex quibus componitur; ad idem fere loci temporisque punctum, in quod cum sole convenerat, luna revertitur. Dico *fere*, nam luna solem antevertit hora circiter 1. 27'. 32''. 41'''. quod sic demonstratur: Annus Julianus colligit dies 365. horas 6. Hi per 19. ducti, dies efficiunt 6939. horas 18. Novemdecim autem anni lunares civiles duodecim mensibus alternis plenis & cavis compositi, sive 228. syzygiæ aut lunationes complectuntur dies 6726. quibus si adjeceris septem menses alternis itidem cavos & plenos, qui per annos 19. intercalati sunt, habebis 235. lunationes, & 6932. dies cum horis 12. quæ cum aliis horis annuis & scrupulis, quæ in cyclum cadere nequeunt, conjunctæ, conficiunt dies 6939. horas 16. 32'. 27'. 18'''. Cyclus itaque lunæ decemnovalis minor est eodem cyclo solis seu 19. annis solaribus hora 1. 27'. 32''. 41'''. quocirca post 19. annos exactos non fit præcisa peræquatio motuum utriusque sideris, neque luna ad idem diei punctum revertitur, unde cum sole progressa fuerat; illudque ambarum enneadecaeteridon discri-

men à Kalendariorum artificibus ignoratum, aut saltem dissimulatum & neglectum, effecit ut anno 1582. quo fasti à Gregorio XIII. emendati sunt, antecessio lunaris deprehensa fuerit quatridui circiter à tempore Nicænæ synodi, h. e. in annis 1257. quæ sunt enneadecaëtendes sive cycli decemnovales paulo plus 66. Hic de Hebræorum annis cum veteribus tum recentioribus rudi penicillo adumbrasse sufficiat. Qui accuratam eorum notitiam habere desiderat, legat Joseph. Scalig. De emend. temp. Petavium de doctrina temp. & eundem in Ration. temp. part. 2. lib. 1. cap. 2.

ARTICULUS II.

De Judæorum festis.

TRIA erant festa, quibus olim singulis annis omnis masculus ex Judæis Jerosolymam ascendere, & in conspectu Domini apparere tenebatur; nempe *in solemnitate azymorum*, seu Paschatis; *& in solemnitate hebdomadarum*, sive Pentecostes; *& in solemnitate tabernaculorum*, Deut. 16. v. 16. De his & aliis quibusdam hîc paucis disserendum.

§. I.

Festum Paschatis.

INTER præcipua Judæorum festa primum locum obtinet *Pascha*, quod celebrabatur 14. die Nisan, ad cujus vesperam agnus Paschalis immolabatur. Cum autem everso Templo sacrificium desierit, sic festum illud olim celebrarunt, & etiamnum celebrant Judæi. Nullum toto hoc mense sibi indicunt jejunium, nisi ob *malum somnium*. Soli primogeniti, ut infra dicemus, sub paschatis vesperam jejunant. Proximum Sabbathum ante Pascha sanctum valde ab illis habetur, prolixamque in eo concionem habent de agno paschali & illius esu. Duobus ad minimum vel tribus diebus ante Pascha omnia vasa, omnemque suppellectilem, pro cujuslibet vasis natura, verrere, abstergere, & purgare incipiunt. Quam superstitionem carpit Christus Marc. 7. v. 8. Nocte ante Paschatis pervigilium paterfamilias præmissa oratione, accensaque candela cerea, per totam domum panem fermentatum perquirit, lustratque omnia conclavia, cubicula, cellas, ipsas etiam murium scrobeculas, num forte micam panis eo detulerint, quam non perederint. Scrupulosam hanc fermenti inquisitionem perstringit Christus Matth. 16. v. 6. Mane pridie Paschatis multo apparatu, multisque cerimoniis placentas azymas conficiunt, quæ vulgo rotundæ sunt, tenues, & perforatæ, ut aëri perviæ sint, nec intumescant, aut fermententur. Hora circiter decima leviter prandent, ut noctu eo major sit azymorum appetentia. Primogeniti tamen à mane ad noctem usque jejunant, quia Deus olim primogenitos Israël ab angelo destructore servavit. Si primogenitus sit parvulus, pater pro eo jejunat. Si pater ipse primogenitus fuerit, jejunat mater pro filio.

Sub vesperam noctisve principium duas candelas accendunt, ac dum mariti in synagoga canticis & precibus vacant, mulieres mensam argenteis, aureis, aliisque pretiosis vasis pro cujusque facultatibus honorifice sternunt. Apponunt pelvim cum tribus placentis azymis in medio duorum mantilium involutis, quarum suprema summum Sacerdotem, media genus Leviticum, infima plebem Judaïcam designat. Apponitur etiam scutella, in qua est armus è tenero agno vel hœdo assus, & ovum induratum. Armo, qui Hebraïcè dicitur זרוע, quæ vox *brachium* etiam significat, & ovo, quod lingua

Chaldaïca appellatur בִּיעָא, quodque ex alia rad. Chaldaïca בְּעָא *bene velle, gratiosum esse* significat, innuunt Deum pro sua voluntate è servitute Ægyptiaca in brachio extento eos liberasse. Ministratur quoque patina cum pulmento è pomis, pyris, nucibus, &c. confecto, cui vinum immiscent & incoquunt, ut *lateris* (brique) speciem præ se ferat. Addunt præterea multa aromata, in primisque cinnamomum crasse contusum, ut paleam & lutum referat; atque hoc symbolo innuunt Majores eorum quondam in Ægypto palea lutoque laborasse, ac in lateribus conficiendis occupatos fuisse. Hoc condimentum vocant חֲרוֹסֶת. Adponitur quoque acetarium è lactucis, hedera, raphanis, petroselino, chærephyllo, nasturtio compositum, ut in memoriam revocent patres eorum agnum paschalem cum herbis amaris comedisse.

Mensæ sic instructæ accumbunt, ac singulis scyphus vini infunditur, quem paterfamilias benedictione, sicuti & festum Paschatis, consecrat. Scyphum hunc sinistro cubito innixi evacuant. Postquam olera aceto intincta gustarunt, paterfamilias mediam placentam in duas partes dividit, quarum maximam sub mantili collocat ad innuendum Majores suos, cum Ægypto egrederentur, massam suam linteis illigatam secum detulisse; alteram vero partem in medio duarum placentarum integrarum, & armum assatum cum ovo è scutella capit; dumque singuli scutellam, in qua est dimidia placenta apprehendunt & elevant, alta voce, & lingua Chaldaïca canere incipiunt: *Hic est panis paupertatis & afflictionis, quem Majores nostri comederunt in Ægypto*, &c. Armo deinde & ovo in mensa depositis, & singulis secundo scypho infuso, scutellam cum placentis è mensa tollunt. Tum longum satis de liberatione Ægyptiaca hymnum decantant, quo finito scyphum hauriunt.

Postea paterfamilias, lotis denuo manibus, aliquid de duabus aliis placentis frangit editque, & aliis edendum porrigit. His peractis vere cœnare incipiunt, & in mediam fere noctem epulantur. Media nocte instante, dimidiam placentam, quam paterfamilias absconderat, profert; aliquantulum ex ea comedit, & aliis frustulum porrigit. Dimidia hæc placenta agnum etiam paschalem repræsentat, qui post cœnam comestus fuit. Tum scyphus tertius infunditur, quo consecrato & epoto, quartus ac postremus scyphus miscetur, quem paterfamilias manu accipiens Christianis aliisque Judæorum inimicis (sub nomine *gentium*) diras imprecatur; reliquas deinde preces, quæ ad mensam vulgo recitari solent, ad finem usque perducit, & concludit Deum enixe orando, ut quantocyus Templum suum reædificet; tumque quartum illud ac ultimum sorbetur poculum. Domorum fores per totam hanc noctem apertas tenent, sperant enim fore ut veniat Elias Messiæ adventum nuntiaturus, qui eos in hac Paschatis nocte liberaturus sit, Christianos vero, ut olim Ægyptios, mulctaturus.

Nocte insequente, à qua numerare incipiunt dies עֹמֶר, de quibus infra, eandem cœnam & cum iisdem cerimoniis iterant; ac secunda die eadem omnino ratione feriantur, qua pridie; dubium enim & incertum hodie apud eos est, quo die Martii novilunium contingat, ac proinde quisnam decimus quartus sit Martii dies. Quare festum Paschatis per duos dies celebrant, ut à vero festi die omnino non aberrent. Eadem etiam de causa dies octavus æque sacer iis est à septimus, cujus duntaxat solemnitas Exod. 12. v. 16. imperatur.

§. II.

Festum Pentecostes.

FESTUM illud Moysi dicitur *festum hebdomadarum*, Deut. 16. v. 10. eo quod à Paschate, sive à secunda nocte post pascha, numerandæ essent septem hebdomades, quæ

dies 49. conficiunt; quinquagesimus vero erat dies *Pentecostes*, qui in VI. diem Sivan incidebat. Levit. 23. v. 15. *Numerabitis ergo ab altera die Sabbathi, in quo obtulistis* (OMER sive) *manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas*, &c. Vox *sabbathum* in hoc contextu non est septima dies hebdomadis, sed metonymice pro quolibet festo accipitur. Judæi autem Qaraitæ hanc vocem premunt, & septem hebdomadas numerare incipiunt à postero die sabbathi post Pascha sequentis, sive à prima die hebdomadis. Hæc festivitas vocatur etiam *solemnitas messis*, quæ tunc incipiebat, Exod. 23. v. 16. Item, *dies primitivorum*, Num. 28. v. 16. eo quod Deo in gratiarum actionem novarum frugum primitiæ offerentur. Rabbinis dicitur עֲצֶרֶת *clausura*, quod septem hebdomadas à Paschate claudat.

In Pentecoste per biduum eadem de causa, qua in Paschate, feriantur Judæi hodierni. In synagoga capita & statuta aliquot de oblationibus hoc festo offerri solitis, & *haphtaram* ex Prophetis legunt, sicuti & libellum Ruth, quia illa historia tempore messis triticeæ contigit. In memoriam Legis, quam hac die datam fuisse à Majoribus traditione acceperunt, domos, plateas, scholam, herba sternunt, fenestras ramis virentibus, rosis, & aliis floribus ornant, corollas virides capitibus suis imponunt. Multos cibos è lacte confectos edunt, quia lex pura, candida, & dulcis instar lactis est.

§. III.

Scenopegia sive festum Tabernaculorum.

HOc festum, quod à Deo institutum est ut in memoriam revocarent Israëlitæ se ex servitute Ægyptiaca ejus beneficio liberatos, 40. annis in tabernaculis habitasse, quinto-decimo die mensis primi, anni communis; vel septimi, anni sacri celebrabatur. Cur autem mense, qui nostro Septembri & Octobri respondeat, cum tamen verno tempore egressus iste contigerit, festum istud agitandum voluerit Deus, hanc rationem afferunt Judæi; nempe quod si hæc festivitas celebraretur mense Martio, quo dies æstivi incipiunt, & solent tabernacula facere; non agnoscerent quod de præcepto Divino, & in beneficii liberationis memoriam tabernacula inhabitent. Rejicitur itaque in Septembrem, cum tempus est frigoris & pluviarum, & vulgo omnes è tabernaculis exire solent, atque ædes & hypocausta repetere.

Tabernacula olim fiebant *ex fructibus arboris pulcherrimæ, spatulisque Palmarum, & ramis ligni densarum frondium, & salicibus de torrente*, Levit. 23. v. 40. Aliarum quarundam arborum præter illas mentio fit 2. Esd. 8. v. 15. Judæi hodierni per *fructum arboris pulcherrimæ*, intelligunt ramum citrinum cum foliis & fructibus, quem magno pretio sibi redimunt. Per *ramos autem ligni densarum frondium*, myrtum; quod ea foliis & ramis sit densissima. His solis ramis cum spatulis palmarum, & salicibus tabernacula construunt. Compingunt insuper ex quatuor illis frondium speciebus fasciculum, quem לוּלָב *loulav* appellant à primaria specie, nempe palma, quæ alias magnitudine & altitudine in fasciculo superat.

Decimo quarto die sub vesperam, post preces aliquot in synagoga decantatas, tabernacula petunt, quæ paterfamilias oratione consecrat, ibique cœnant & lætantur. Postea domos suas cubitum eunt; neque enim in tabernaculis pernoctant ob frigus, loci humiditatem, aliaque hujus generis incommoda. Soli strictioris disciplinæ zelo accensi in tabernaculis dormiunt.

Decimo quinto die summo mane in synagogam redeunt, ubi canunt & multum precantur; cumque præcentor devenit ad precatiunculam *Domine, da pacem*, &c. fasciculum *loulav* vehementer concutiunt dicendo: *Benedictus tu, Domine, Deus noster..... qui nos fasciculum gestare jussisti.* In hac fasciculi concussione respiciunt ad illud Psal. 95. Heb.

96.

96. v. 12. *Tunc exsultabunt omnia ligna sylvarum.* Postea eumdem fasciculum à fronte propellunt ter in orientem, ter in meridiem, ter à tergo supra humeros in occidentem, ter in sinistram partem septentrionem versus, ter denique sursum & deorsum. Ad alias preces fasciculi concussionem iterant, eoque strepitu Satanam adeo terrefactum opinantur, ut aufugiat, eosque peccatorum amplius non audeat accusare. Suggestum etiam, cui volumen legis imponitur, cum fasciculis suis circumeunt in memoriam ejus, quod olim stante Templo, altare cum spatula palmæ & salicibus septies circuirent; & quod septem vicibus Hierichuntem filii Israël circuierint, ex quo contigit ut muri ejus conciderint; sic quoque muros Edom, i. secundum ipsos, imperii Romani, ruituros aliquando confidunt. Unde in precibus suis à Deo petunt ut nos, quemadmodum olim primogenitos in Ægypto, percutiat.

Eadem prorsus ratione die sequenti feriantur, eo quod certo scire nequeant quisnam sit decimus quintus dies mensis; quare biduum loco unius diei festivitatem agunt, ut supra vidimus in Paschate.

Septimus hujus solemnitatis dies iterum sacer est, appellaturque ab eis הוֹשַׁעְנָא רַבָּא Hoschana rabba *serva potenter;* præsentissimum enim adversus hostes suos à Deo implorant auxilium, prosperumque ac fertilem annum, cujus mensis iste in rebus politicis primus est, expetunt. Multa à Deo hac die fieri nugantur; puta eum per lunam totius anni eventa indicare, ejusdem anni pluviæ mensuram definire, &c. Quare boni ominis ergo de largissima pluvia à Deo demittenda, aquas è simpulis effundunt. Quem morem respicit & carpit Christus Joan. 7. v. 37. & seqq. Sunt tamen qui hæc Christi verba ad octavum diem referant. Vide interpretes.

Octavus dies secundum legem quoque sacer est, diciturque עֲצֶרֶת *clausula*, quod diem festum claudat. Prandent in tabernaculis, sed domi cœnant. Nonus etiam dies festus est, & vocatur *festum lætitiæ legis*, de quo infra, §. VII.

Hactenus de tribus solemnioribus festis, quibus Judæi Hierosolymam convenire tenebantur, eaque ibi celebrare: nunc de iis, quæ in locis, in quibus habitabant, agere licitum erat.

§. IV.

Novilunium, seu Neomenia.

NOVILUNIUM Hebræis dicitur רֹאשׁ חֹדֶשׁ *principium mensis;* eorum enim menses, post eversum Templum, à luna cum sole conjuncta incipiunt, cum prius ab eadem tantum apparente inciperent.

Primus dies noviluniorum olim sacer erat, in eoque singularem sibi oblationem offerri præceperat Deus, Num. 28. vv. 11. 12. 13. 14. 15. Hodie dimidia tantum ex parte feriantur Judæi, & à gravioribus duntaxat laboribus abstinent. Sabbatho neomeniam præcedente, novilunium precatione in synagoga renunciatur. Pridie Judæi religiosiores jejunant, & faustum à Deo novilunium petunt. Cum luna dies aliquot orta est, h. e. post exactum septiduum, ut definiunt Rabbini, precatione eam consecrant, &, ut lætitiam suam magis testificentur, ter in cœlum versus exsiliunt (quo altius eo melius); sicque lunam compellant: *Quemadmodum ad te exsilio, nec te tamen apprehendere possum: ita quoque nullus inimicorum meorum possit me in malum tangere, mihique nocere.*

Quorumdam mensium neomenia per duos dies celebratur, nempe quoties lunatio 30. constat diebus, toties sequens mensis duplicem habet neomeniam, quarum prima ad præcedentem spectat mensem & est trigesima illius dies; secunda vero ad mensem sequentem, cujus dies à secunda illa neomenia numerantur. In novilunio autem multas mane, meridie, & vespere recitant preces, ac hilariter epulantur; quod sibi præceptum volunt Num. 10. v. 10.

§. V.

Novus annus.

ANNUS Judæorum politicus & civilis, ad quem publica contrahentium instrumenta diriguntur, à mense *Tiſchri*, ut diximus ſupra, incipit. Primo hujus menſis die, opera tam bona quam mala, quæ anno proxime elapſo patrarunt, à Deo diſcuti exiſtimant, ac debitam utriſque mercedem definiri. Quamobrem ut ſeverum iſtud ob peccata admiſſa judicium declinent, in quibuſdam regionibus toto menſe *Eloul*, in aliis autem, quatriduo duntaxat novum annum præcedente, ſurgunt ante lucem, & preces quaſdam ad miſericordiam & peccatorum remiſſionem obtinendam recitant. Solent præterea per totum hunc menſem *Eloul* veſpere & mane, cum ſynagogam petunt, cornu arietino clangere; cum ut ad pœnitentiam excitentur, ſeque in hoſtem, peccatum videlicet, armandi tempus inſtare ſignificent; tum ut *exſurdetur & hebetetur Satan*, ſicque verum anni principium, quo cornu inflare juſſit Moſes, Num. 29. v. 1. ignoret; ac proinde in judicio adverſus eos ſtare, eoſque peccatorum accuſare non poſſit. Eadem de cauſa novam hanc lunam ſolemni benedictione non conſecrant.

Pridie Kalendas *Tiſchri* ſolito maturius ſurgunt; multas enim preces ad veniam peccatorum impetrandam recitandas habent. Eodem die ſanctiores jejunium ſibi indicunt. A precibus matutinis in ſynagoga recitatis, pro locorum conſuetudine, in cœmeteria ſua ſe conferunt, ut Deus orationes eorum exaudiat propter merita ſanctorum Judæorum, qui ibi ſepulti ſunt; ſanctorum enim ſuffragia meritaque ſibi applicari credunt. Loco oblationum, quæ olim pro peccatis fieri ſolebant, largas pauperibus eleemoſynas diſtribuunt. Poſt meridiem viri capillos eleganter reſecandos curant. Lavant in balneis vel thermis, ut, quoad fieri poteſt, mundi & puri coram judice ſuo compareant. Dum in aqua ſtant, peccata confitentur, & ad ſingulas voces dextera pectus tundunt. Veſpera in ſynagogam redeunt, ubi ad noctem uſque, quo tempore feſtum inchoatur, vacant precibus.

Primus dies *Tiſchri* ſacer erat, Lev. 23. v. 24. & Num. 29. v. 1. dicebaturque *feſtum clangoris*, quia ſacerdotes in Templo tubis clangebant, ut ad pœnitentiam excitaretur populus, & ad proximum expiationis diem ſeſe præpararet. Tuba, qua utuntur Judæi hodierni, eſt cornu arietinum in memoriam arietis illius, qui pro Iſaac oblatus eſt; quod in primam diem Tiſchri incidiſſe exiſtimant. Biduum feriantur his Kalendis, quia duo illi dies *cenſentur tamquam una dies longa & ſanctitatis unius*. Neomeniæ hujus conſecratio differtur poſt feſtum expiationis, h. e. decimum menſis diem; à prima enim die ad hanc uſque ſtant quaſi in judicio pavidi & timidi; lunæ autem conſecratio fieri debet animo læto & hilari. Veſpera ſolitas preces in ſynagoga recitant *incurvati*, & clara altaque voce; quia hoc die quaſi judicandi coram tribunali Judicis comparent: unde cum timore & tremore majorique devotione & ardore orandum ipſis eſt. Finitis precibus, vini cyatho, & peculiari precatiuncula feſtum conſecrant, ſibique invicem fauſtum annum adprecantur hac formula: *ad bonum annum inſcribaris*. Salutatus reſpondet: *Tu quoque*. Domum reverſi accumbunt menſæ, cui inter varios cibos adponitur caput arietinum, in memoriam arietis pro Iſaac ab Abrahamo oblati. Mane linteis tunicis induti ſynagogam pergunt, ubi canunt, orant, & Legis aliquot ſectiones cum *haphtara*, de qua inferius, legunt. Dein ſuggeſtum aliquis conſcendit, &, cornu arietino inflato, triginta voces quaſdam æquali, quaſdam fracto tono, variis vicibus intonat. Si egregie voces reſonent, fortunatus erit annus; ſecus, inauſpicatus. A ſynagoga domum redeuntes edunt & bibunt, ac peccata à Deo condonatum

tri confidunt. Post sumtum cibum ad aquam vel pontem eunt, ut peccata sua in aquam projiciant, secundum illud Mich. 7. v. 19. *Projiciet* (Deus) *in profundum maris omnia peccata nostra.* Noctu in lætitiam sese effundunt, & genialiter epulantur; sicque biduo novi anni initium cum summa lætitia & voluptate celebrant.

§. VI.

Festum expiationis.

AD festum hoc, quod die decimo *Tischri* celebrabatur, Levit. 16. v. 29. & c. 23. v. 27. ita se comparant Judæi. Ab anni principio, sive à primo die mensis hujus *Tischri*, ad decimum usque diem, jejunio animas suas affligunt (præterquam in Sabbatho, quod intra hos dies incidit, & vespera diei expiationum, in quibus jejunare prohibitum est) multum orant, magnamque affectant pietatem, ut, si quem in mortis libro Deus inscripserit, pœnitentia ejus motus, eum magno expiationis die in viventium librum referat, & judicium ejus tum demum obsignet; his enim decem diebus putant judicari hominem à Deo, omnia ejus opera examinari, sententiamque de eo in die expiationum proferri. Ter singulis diebus mane peccata confitentur sua, excepto die nono, quo semel tantum mane isthæc confessio ab illis editur.

Nono die surgunt ante lucem, synagogam petunt, ubi diu multumque canunt & precantur. Domum reversi, mares singuli tum pueri tum viri sumunt gallum gallinaceum album, si fieri potest, non rubrum; nam color iste peccata designat Isai. 1. v. 18. feminæ vero gallinam; gravida gallum & gallinam; si enim paritura sit masculum, gallus inservit expiationi infantis, gallina vero expiationi matris: si femellam, gallina matrem & filiam expiat. Ideo autem volucrem hanc pro expiatione eligunt Judæi, quia hebraïce dicitur גֶּבֶר, quæ vox virum etiam significat. Si quis tamen gallum gallinaceum non habeat, ejus loco vel anser, vel turtur, vel pullus columbæ potest assumi. Hoc autem ritu sacrificium istud expiationis aggrediuntur. Quilibet paterfamilias cum gallo præ manibus in medium primus prodit, oratque ut gallo huic mors afferatur, ipsi vero & toti Israëli vita prospera; quam precationem ter repetit, nimirum pro se, pro filiis suis, & pro peregrinis, qui apud illum sunt. Gallo deinde manibus impositis, ut in sacrificiis olim, eum præfocat, jugulat, vi in terram projicit, & assat; quibus ceremoniis declarat dignum se esse, qui præfocetur, juguletur, lapidibus obruatur, & igne comburatur; atque ita quatuor hæc mortis genera pro Judæis gallus sustinet. Galli hujus intestina supra domus tectum jaciunt, ut corvi advenientes ea diripiant ac in desertum avolando auferant, quemadmodum hircus in V. T. populi peccatis onustus in desertum aufugiebat. Hunc autem expiationis ritum in Oriente & in Italia abrogatum fuisse scribit *Leo de Modena.*

Facta expiatione cum gallo, in cœmeterium suum pergunt, ut supra in anni principio, ibique orant, ac pauperibus tantum pecuniæ distribuunt, quanti æstimatur gallus.

Post meridiem lavant, & si cui cum alio inimicitiæ intercedunt, is, qui injuriam intulit, veniam ab injuria affecto petere debet, qui si prima vice ignoscere noluerit, qui veniam petit, tres alios secum assumit. Si nihil proficiat, decem secum adducit, eumque iterum deprecatur. Si injuria lacessitus condonet, bene est; secus, qui læsit suo functus est officio, & peccatorum suorum veniam à Deo consequetur; qui autem remittere noluit, minime. Hoc etiam die peccata sua confitentur, ac præter ea, quæ in confessionis formula continentur, alia etiam specialia addunt, quorum sibi sunt conscii. Hæc confessio stando fit, & minimum decies hoc die iteratur.

Peractis precibus & confessione, solet al-

ter ab altero in angulo synagogæ humi prostratus loro bovino triginta & novem ictibus dorso inflictis vapulare. Qui flagellatur, confessionem peccatorum suorum emittit, sibique ad singulas voces pectus tundit; qui vero flagellat, precationem ex Psal. 77. Heb. 78. v. 38. compositam recitat: *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis*, &c. Hic versiculus Hebraïce tredecim constat vocibus, terque à flagellante repetitur, & ad singulas voces ictum infligit, quod 39. ictus constituit. Postea flagellator à flagellato eodem modo excipitur. A synagoga domum ad mensam festinant, eduntque gallos & gallinas, quas mane pro peccatis obtulerant, ac saliarem in modum epulantur. Post cœnam illam, quæ finiri debet ante solis occasum, vestes pretiosissimas induunt, quibus superinducunt latum lineum indusium, quod ad calceos usque dependet, eoque significant fore ut postero die albi & puri sint à peccatis, & angelis similes.

Ante noctem in synagogam conveniunt, ibique accensis cereis, quos secum attulere, inauspicato ac ferali clamore canere ac precari incipiunt. Si candelæ hujus lumen clarum ac serenum fuerit, bonum in omen accipiunt, credentes peccata sibi remissum iri: si è contrario, fusco ardeat lumine, omen istud abominantur, eosque magnus occupat mœror. Hujusmodi etiam cereos pro parentum defunctorum animabus accendunt, orantque ut ab igne *purgatorio*, quem cum Ecclesia catholica agnoscunt, quantocyus liberentur.

Ab hac vespera ad sequentem stricto jejunio sese macerant, à quo immunes sunt duntaxat ægroti, puerperæ in tribus diebus à partu, & pueri undecim annos nondum nati. Calceis non utuntur; senes tamen, debiles, & qui morbo aut plaga aliqua laborant, soccos laneos induere possunt. Oleo aut aqua odorata abstinent. Lavare ipsis prohibitum est, sicuti & uxores tangere. His quinque modis *animas suas affligunt*.

Antequam preces inchoent, sceleratos & perfidos absolvunt duo è præcipuis Rabbinis cum præcentore, ut una cum Ecclesia orare possint. Deinde præcentor longam orationem canit (singulis submissa voce sequentibus), in cujus initio postulant omnia vota, interdicta, anathemata, quæ voverunt, jurarunt, observarunt anno præterito, cassa & irrita fieri. Pergunt postea & cantum in multam noctem producunt. Quidam totum Psalterium hac nocte recitant. Nonnulli noctem in synagoga orando & cantando exigunt. Sunt qui per totum festum diu noctuque stant in pedes. Quosdam vidit clariss. Buxtorfius qui per 27. horas eodem in loco steterunt.

Sub matutinum tempus, priusquam illucescat, omnes iterum in synagogam conveniunt, ubi per totum diem remanent precantes. Sæpius in terram operto vultu procidunt, præsertim quando peccata sua confitentur; ad singulas voces pectus palmis tundunt. Ante meridiem precum epimetron, quod *Mousaph* appellant, canit præcentor. Post meridiem precationes vespertinas recitant, continuantque donec sol in occasum vergat, quo tempore precationem *obserationis* subjungunt; tum enim fores sanctuarii olim claudebantur. Nocte incipiente, Sacerdos palliolo illo villoso, quod collo circumpositum gestat, quodque טַלִּית *talleth* vel *talles* appellant, caput oculosque obtegit, & populum benedictione, quam Num. 6. vv. 24. 25. 26. legere est, prosequitur. Interea populus manibus oculos & faciem tegit, nec sacerdotis manus intueri audet, eo quod durante benedictione Majestas Dei illis insideat. Deinde precationem decantat, quam septies repetit, singulis vicibus sublata altius voce; scribunt enim, finita benedictione, Deum, qui hucusque præsens eorum precibus intererat, in septimum cœlum recedere: abeuntem itaque hac melodia prosequuntur, necnon clangore cornu arietini, quia scribitur Psal. 46. Heb. 47. v. 6. *Ascendit Deus in Jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Alias etiam clangoris hujus causas afferunt quas brevitatis gratia missas facio.

Domum reversi quantocyus mensæ accumbunt, per octo enim & viginti horas nihil comederunt; istudque jejunium in causa est cur festum expiationis, sicuti alia,

biduum non celebrent; quia gravius esset duos dies integros illud sustinere. Reperiuntur tamen, qui per biduum integrum festum illud jejuni celebrent. Solent etiam hac die neomeniam consecrare; quod dies antecedentes in luctu & pœnitentia exegerint.

§. VII.

Festum lætitiæ Legis.

HOc festum, quod die 23. mensis *Tischri* celebratur, à Rabbinis institutum est, ut Deo gratias agerent, quod illos per annum unum in Lege studere, ejusque lectionem & expositionem hoc die absolvi voluerit. Ut festi hujus institutionis ratio melius cognoscatur, notandum est quinque libros Mosis in 54. sectiones majores à Judæis distribui. Prima cujusque sectionis vox, vel duæ primæ, aut mox sequens, si sit illustris & emphatica, unamquamque sectionem ab aliis secernit. Sic prima sectio à prima voce inscribitur בראשית *bereschith*; secunda dicitur נֹחַ *Noahh*, quæ est tertia vox hujus sectionis. Et sic de ceteris.

Ratio autem cur Pentateuchus in 54. sectiones dividatur, hæc est: nempe ut anno intercalari, qui mense integro annum vulgarem superat, cuique Sabbatho distincta sectio tribuatur; cum annis communibus bis sectiones duæ brevissimæ conjunctim uno Sabbatho legantur.

Sectio major notatur tribus literis majusculis פפפ, vel etiam ססס. Litera פ prima est vocis integræ פָּרָשָׁה *sectio*, à verbo פָּרַשׁ, quod in Niphal *separari* significat. Litera ס inchoat dictionem סֵדֶר vel Chald. סדרא *ordo*. Ultima tamen libri Geneseos sectio major indicatur unico ס minusculo; qua de causa? disputant Rabbini. Porro sectiones majores sunt in Gen. 12. Exod. 11. Lev. 10. Num. 10. Deut. 11. atque ita in toto Pentateucho 54. Judæi harum sectionum distinctionem Moysi referunt. Alii, quod probabilius est, Esdræ.

Præter sectiones illas majores, aliæ etiam minores sunt, quæ exprimuntur per פ vel ס minusc. Sectio minor פ dicitur פָּרָשָׁה פְתוּחָה *sectio aperta*, quia lineam incipit, & in fine præcedentis sectionis, quod superest lineæ vacuum relinquitur. E contrario, sectio ס vocatur פָּרָשָׁה סְתוּמָה *sectio clausa*, quod in medio lineæ incipiat, & ante & post se dictiones habeat. Si sectio præcedens ad ultimam usque lineam pervenerit, hæc à linea quidem incipit, sed relicto intervallo. Denique sectionis apertæ initium semper est in principio lineæ, clausæ vero in medio; quanvis in libris impressis hæc scribendi ratio accurate non servetur. Numerantur autem hujusmodi sectiones minores apertæ in Gen. 43. Exod. 69. Levit. 52. Num. 92. Deut. 34. Summa 290. clausæ vero in Gen. 48. Exod. 95. Lev. 46. Num. 66. Deut. 124. conjunctim 379.

Non solum autem sectiones Mosaïcas in synagogis legunt Judæi, verum etiam illis adjiciunt distinctiones ex prophetis tam prioribus quam posterioribus. Cum enim *Antiochus Epiphanes* Judæos sub capitis pœna lectione Legis in synagogis interdixisset, illi quidem ad tempus Regis edicto paruerunt: sed postea, ut verbis divinis operam darent, sectiones propheticas, Legalibus Pentateuchi utcunque respondentes, in locum sectionis Legis Sabbathicæ omissæ substituerunt. V. G. pro sectione prima בְּרֵאשִׁית, in qua de creatione cœli & terræ agitur, legerunt sectionem propheticam: *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos*, &c. Isai. 42. v. 5. Quæ autem sectio prophetica sectioni Mosaïcæ respondeat, videbimus infra. Mortuo Antiocho, Mosaïca lectio publice repetita fuit, cui etiam lectio prophetica subjuncta est, quod etiamnum hodie perseverat. Lectio Prophetica vocatur הַפְטָרָה *cessatio, dimissio*, quod ea peracta, populus dimittatur. Jam ad festum lætitiæ legis redeamus.

Die vigesima tertia mensis *Tischri* mane in synagogam conveniunt, leguntque sectionem Mosaïcam ultimam; tum nullo in-

tervallo interpoſito, ſectionem primam, cui ſubjiciunt lectionē de oblationibus ex Num. 29. v. 35. Ideo autem ſectionem ultimam primæ adjungunt, ut videlicet omnis eos calumniandi & accuſandi occaſio Diabolo præripiatur, ne ad Deum accedens dicat: *Judæi quidem abſolverunt lectionem libri legis, ſed nolunt amplius legere.* Eam itaque ſummo cum gaudio iterant. Proximum abhinc Sabbathum dicitur *Sabbathum Bereſchith*, quia in eo ſectionem primam, quæ eſt *Bereſchith*, ſeu initium Geneſeos, cum certis quibuſdam precationibus & Pſalmis legunt. Ceterum inter variarum regionum, puta Hiſpaniæ & Germaniæ, Judæos circa ſectionum propheticarum initium, ordinem, & lectionem, non ſemper convenit. Hanc diverſitatem in indice ſecundo exhibemus, in quo etiam Paraſchoth, quibus illæ Haphtaroth reſpondent, iterum deſcribuntur ſecundum ordinem, quem in Pentateucho obtinent. In primo autem & proxime ſubjiciendo indice Paraſchoth ordine alphabethico diſponuntur, quo facilius inveniantur; ſolent enim Judæi ſcriptores in operibus ſuis loca Scripturæ ſecundum illas Paraſchoth laudare; non vero ſecundum libros aut capita, in quibus illa reperiuntur, indicare.

INDEX I.

Paraſchoth ſeu ſectionum Legalium ordine Alphabethico diſpoſitarum.

אַחֲרֵי מוֹת	*Poſt mortem*, Levit. 16. v. 1.
אֵלֶּה הַדְּבָרִים	*Iſta ſunt verba*, Deut. 1. v. 1.
אֵלֶּה פְקוּדֵי	*Iſta ſunt numerata*, Exod. 38. v. 21.
אֱמֹר	*Dic, alloquere*, Levit. 21. v. 1.
אַתֶּם נִצָּבִים	*Vos ſtatis*, Deut. 29. v. 9.
בֹּא אֶל־פַּרְעֹה	*Ingredere ad Pharaonem*, Exod. 10. v. 1.
בְּהַעֲלֹתְךָ	*In accendendo te*, Num. 8. v. 2.
בְּהַר סִינַי	*In monte Sinai*, Levit. 25. v. 1.
בְּחֻקֹּתַי	*In ſtatutis meis*, Levit. 26. v. 3.
בַּיּוֹם הַשְּׁמִינִי	*In die octavo*, Levit. 9. v. 1.
בְּמִדְבַּר סִינַי	*In deſerto Sinai*, Num. 1. v. 1.
בְּרֵאשִׁית	*In principio*, Gen. 1. v. 1.
הַאֲזִינוּ	*Attendite*, Deut. 32. v. 1.
וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים	*Hæc ſunt judicia*, Exod. 21. v. 1.
וְאֵלֶּה שְׁמוֹת	*Hæc ſunt nomina*, Exod. 1. v. 1.
וָאֵרָא	*Et apparui*, Exod. 6. v. 3.
וְאַתָּה תְּצַוֶּה	*Tu autem præcipe*, Exod. 27. v. 20.
וָאֶתְחַנַּן	*Et cum deprecarer*, Deut. 3. v. 23.
וְזֹאת הַבְּרָכָה	*Et hæc eſt benedictio*, Deut. 33. v. 1.
וַיַּרְא בָּלָק	*Et vidit Balaq*, Num. 22. v. 2.
וַיִּגַּשׁ	*Et acceſſit*, Gen. 44. v. 18.
וַיְהִי בְּשַׁלַּח	*Cumque dimiſiſſet*, Exod. 13. v. 17.

ויהי מקץ	*Fuitque à fine*, Gen. 41. v. 1.
ויחי	*Et vixit*, Gen. 47. v. 28.
וילך	*Et ivit*, Deut. 31. v. 1.
ויצא	*Et egressus est*, Gen. 28. v. 10.
ויקהל	*Et congregavit*, Exod. 35. v. 1.
ויקח קרח	*Et cepit Qorahh*, Num. 16. v. 1.
ויקחו־לי תרומה	*Et accipient mihi oblationem*, Exod. 25. v. 2.
ויקרא	*Et vocavit, clamavit*, Lev. 1. v. 1.
וירא	*Et apparuit*, Gen. 18. v. 1.
וישב	*Et habitavit*, Gen. 37. v. 1.
וישלח	*Et misit*, Gen. 32. v. 4.
וישמע יתרו	*Et audivit Iithro*, Exod. 18. v. 1.
חיי שרה	*Vita Saræ*, Gen. 23. v. 1.
חקת התורה	*Statutum Legis*, Num. 19. v. 2.
כי תבוא	*Cum veneris*, Deut. 26. v. 1.
כי תזריע	*Cum seminaverit*, Lev. 12. v. 2.
כי תצא	*Cum egressus fueris*, Deut. 21. v. 10.
כי תשא	*Cum tuleris*, Exod. 30. v. 12.
לך־לך	*Vade tibi*, Gen. 12. v. 1.
מסעי	*Profectiones*, Num. 33. v. 1.
מצורע	*Leprosi* Lex, Lev. 14. v. 2.
נח	*Noë*, Gen. 6. v. 9.
נשא את־ראש	*Tolle summam*, Num. 4. v. 22.
עקב	*Propterea*, Deut. 7. v. 12.
פינחס	*Pinhhas*, seu *Phinees*, Num. 25. v. 11.
צו	*Præcipe*, Lev. 6. v. 2.
קדשים תהיו	*Sancti estote*, Lev. 19. v. 2.
ראה	*Vide*, Deut. 11. v. 26.
ראשי המטות	*Capita Tribuum*, Num. 30. v. 2.
שלח לך אנשים	*Mitte tibi viros*, Num. 13. v. 2.
שופטים	*Judices*, Deut. 16. v. 18.
תולדות	*Generationes*, Gen. 25. v. 19.

Hæ sunt 54. majores Pentateuchi sectiones ordine alphabethico dispositæ, & quarum nonnullæ in supremis Bibliorum Hebraïcorum paginis compendiosiori etiam ratione notantur; nempe דברים pro אלה הדברים, פקודי pro אלה פקודי, נצבים pro אתם נצבים, בא pro בא אל־פרעה, שמיני pro ביום השמיני, &c. Jam singulæ illæ sectiones cum *Haphtaroth* ipsis respondentibus, secundum eum, quem in Bibliis habent ordinem, describendæ sunt.

INDEX II.

Paraſchoth *cum* Haphtaroth *ipſis reſpondentibus, ſecundum Hiſpanorum, & Germanorum Judæorum conſuetudinem.*

Litera H. Hiſpanos, G. Germanos indicat.

		Haphtaroth.		*Paraſchoth.*	
Iſai. 42. v. 5. uſque ad v. 21. incluſive.		כה אמר האל יהוה	I.	בראשית	Gen. 1. uſque ad cap. 6. v. 8. incluſive, i. uſque ad Paraſcham ſequentē excluſive.
Iſai. 54. v. 1. ad v. 5. cap. 55. incluſive.		רני עקרה	II.	נח	Gen. 6. v. 9. ad cap. 11. incluſive.
Iſai. 40. v. 27. ad v. 16. cap. 41. incluſive.		למה תאמר יעקב	III.	לך־לך	Gen. 12. v. 1. ad cap. 17. incluſive.
4. Reg. 4. v. 1. ad v. 23. incluſive.		ואשה אחת	IV.	וירא	Gen. 18. v. 1. ad cap. 22. incluſive.
3. Reg. 1. v. 1. ad v. 31. incluſive.		והמלך דוד	V.	חיי שרה	Gen. 23. v. 1. ad cap. 25. v. 18. incluſive.
Malach. 1. v. 1. ad v. 7. cap. 2. incluſive.		משא דבר יהוה	VI.	תולדות יצחק	Gen. 25. v. 19. ad cap. 28. v. 9. incluſive.
Oſe. cap. 11. v. 7. ad v. 12. cap. ſeq. incluſive.	H.	ועמי תלואים	VII.	ויצא	Gen. 28. v. 10. ad cap. 32. v. 3. incluſive.
Oſe. cap. 12. v. 13. ad v. 1. cap. 14. incluſive.	G.	ויברח יעקב			
Abdias cap. 1. ad finem uſque capitis.		חזון עובדיה	VIII.	וישלח יעקב	Gen. 32. v. 4. ad cap. 36. incluſive.
Amos 2. v. 6. ad v. 8. capitis 3. incluſive.		כה אמר יהוה	IX.	וישב יעקב	Gen. 37. v. 1. ad cap. 40. incluſive.
3. Reg. 3. v. 15. uſque ad 1. verſ. cap. 4. incluſive.		ויקץ שלמה	X.	ויהי מקץ	Gen. 41. v. 1. ad v. 17. cap. 44. incluſive.
Ezech. 37. v. 15. ad finem uſque capitis.		ויהי דבר יהוה אלי	XI.	ויגש אליו	Gen. 44. v. 18. ad v. 27. cap. 47. incluſive.
3. Reg. 2. v. 1. ad v. 12. incluſive.		ויקרבו ימי דוד	XII.	ויחי יעקב	Gen. 47. v, 28. ad finem uſque libri.
Jerem. c. 1. v. 1. uſque ad v. 3. cap. 2. incluſive.	H.	דברי ירמיהו	XIII.	ואלה שמות	Exod. 1. v. 1. ad cap. 6. v. 2. incluſive.
Iſai. 27. v. 6. ad v. 13. c. 28. incluſive. Deinde addunt v. 22. 23. c. 29.	G.	הבאים ישרש			
Ezech. 28. v. 25. ad finem cap. 29.		כה אמר אדני יהוה בקבצי	XIV.	וארא אל־אברהם	Exod. 6. v. 3. ad cap. 9. incluſive.
Jerem. 46. v. 13. ad finem uſque capitis.		הדבר אשר דבר	XV.	בא אל־פרעה	Exod. 10. v. 1. ad cap. 13. v. 16. incluſive.
Jud. 4. v. 4. ad finem uſque capitis.		ודבורה אשה	XVI.	ויהי בשלח	Exod. 13. v. 17. ad cap. 17. incluſive.
Iſai. 6. v. 1. uſque ad v. 6. cap. 7. incluſive; cui adduntur vv. 6. 7. ex cap. 9.		בשנת־מות	XVII.	וישמע יתרו	Exod. 18. v. 1. ad cap. 20. incluſive.
Jerem. 34. v. 8. uſque ad finem capitis. Deinde legitur ex cap. 33. à v. 25. ad finem capitis.		הדבר אשר היה	XVIII.	ואלה המשפטים	Exod. 21. v. 1. ad cap. 25. v. 1. incluſive.
3. Reg. 5. v. 26. uſque ad verſ. 13. cap. 6. incluſive.		ויהוה נתן חכמה	XIX.	ויקחו־לי תרומה	Exod. 25. v. 2. ad cap. 27. v. 19. incluſive.

Ezech.

Haphtaroth.			*Paraschoth.*	
Ezech. 43. v. 10. ad finem usque capitis.	אתה בן־אדם	XX.	ואתה תצוה	Exod. 27. v. 20. ad cap. 30. v. 10. inclusive.
3. Reg. 18. v. 20. usque ad v. 39. inclusive. H. 3. Reg. 18. v. 1. ad v. 19. inclusive. G.	וישלח אחאב ויהי ימים רבים	XXI.	כי תשא	Exod. 30. v. 12. ad cap. 34. inclusive.
3. Reg. 7. v. 13. ad v. 26. inclusive. H. 3. Reg. 7. v. 40. ad v. 50. inclusive. G.	וישלח המלך ויעש חירום	XXII.	ויקהל	Exod. 35. v. 1. ad cap. 38. v. 20. inclusive.
3. Reg. 7. v. 40. ad v. 50. inclusive. H. 3. Reg. 7. v. 51. ad v. 21. cap. 8. inclusive. G.	ויעש חירום ותשלם כל־המלאכה	XXIII.	אלה פקודי	Exod. 38 v. 21. ad finem libri.
Isai. 43. v. 21. usque ad v. 23. cap. 44. inclusive.	עם־זו יצרתי לי	XXIV.	ויקרא	Levit. 1. v. 1. ad cap. 6. exclusive.
Jerem. 7. v. 21. usque ad v. 3. cap. 8. inclusive. Additur insuper v. 23. c. 9.	כה אמר יהוה	XXV.	צו את־אהרן	Lev. 6. v. 2. ad caput 8. inclusive.
2. Reg. c. 6. v. 1. ad v. 17. cap. 7. inclusive.	ויסף עוד דוד	XXVI.	ביום השמיני	Lev. 9. v. 1. ad cap. 11. inclusive.
4. Reg. 4. v. 42. ad v. 19. cap. 5. inclusive.	ואיש בא מבעל	XXVII.	כי תזריע	Lev. 12. v. 2. ad cap. 13. inclusive.
4. Reg. 7. v. 3. ad finem usque capitis.	וארבעה אנשים	XXVIII.	מצורע	Lev. 14. v. 2. ad cap. 15. inclusive.
Ezech. 22. v. 1. ad v. 16. inclusive.	ויהי דבר יהוה	XXIX.	אחרי מות	Lev. 16. v. 1. ad cap. 18. inclusive.
Ezech. 20. v. 2. ad v. 20. inclusive. H. Amos 9. v. 7. ad finem capitis. G.	ויהי דבר יהוה אלי הלוא כבני כשיים	XXX.	קדשים תהיו	Lev. 19. v. 2. ad cap. 20. inclusive.
Ezech. 44. v. 15. ad finem capitis.	והכהנים הלוים	XXXI.	אמר אל־הכהנים	Lev. 21. v. 1. ad cap. 24. inclusive.
Jerem. 32. v. 6. ad v. 27. inclusive.	ויאמר ירמיהו	XXXII.	בהר סיני	Lev. 25. v. 1. ad cap. 26. v. 2. inclusive.
Jerem. 16. v. 19. ad v. 14. cap. 17. inclusive.	יהוה עזי ומעזי	XXXIII.	אם בחקתי	Lev. 26. v. 3. usque ad finem libri.
Ose. 1. v. 10. al. 2. v. 1. ad v. 20. al. 22. cap. 2. inclusive.	והיה מספר	XXXIV.	במדבר סיני	Num. 1. v. 1. ad cap. 4. v. 20. inclusive.
Jud. 13. v. 2. ad finem usque capitis.	ויהי איש אחד	XXXV.	נשא את־ראש	Num. 4. v. 22. ad cap. 7. inclusive.
Zach. 2. v. 14. ad v. 7. cap. 4. inclusive.	רני ושמחי	XXXVI.	בהעלתך	Num. 8. v. 2. ad v. 1. cap. 13. inclusive.
Josue 2. v. 1. usque ad finem capitis.	וישלח יהושע	XXXVII.	שלח־לך אנשים	Num. 13. v. 2. ad cap. 15. inclusive.
1. Reg. 11. v. 14. ad v. 22. cap. 12. inclusive.	ויאמר שמואל	XXXVIII.	ויקח קרח	Num. 16. v. 1. ad cap. 18. inclusive.
Jud. 11. v. 1. ad v. 33. inclusive.	ויפתח הגלעדי	XXXIX.	זאת חקת התורה	Num. 19. v. 2. ad cap. 22. v. 1. inclusive.
Mich. 5. v. 6. ad v. 8. cap. 6. inclusive.	והיה שארית	XL.	וירא בלק	Num. 22. v. 2. ad v. 9. c. 25. inclusive.
3. Reg. 18. v. 46. usque ad finem cap. 19. inclusive.	ויד יהוה היתה	XLI.	פינחס	Num. 25. v. 11. ad v. 1. cap. 30. inclusive.
Jerem. 1. v. 1. ad v. 3. cap. 2. inclusive.	דברי ירמיהו	XLII.	ראשי המטות	Num. 30. v. 2. ad cap. 32. inclusive.

	Haphtaroth.		*Paraschoth.*	
Jerem. 2. v. 4. ad v. 28. inclus. Alii addunt cap. 4. v. 3. Alii 1. & 2. v. ejusdem cap. 4.	שמעו דבר־יהוה	XLIII.	מסעי	Num. 33. v. 1. ad finem libri.
Isai. 1. v. 1. ad v. 27. inclusive.	חזון ישעיהו	XLIV.	אלה הדברים	Deut. 1. v. 1. ad v. 22. c. 3. inclusive.
Isai. 40. v. 1. ad v. 26. inclusive.	נחמו נחמו עמי	XLV.	ואתחנן	Deut. 3. v. 23. ad v. 11. cap. 7. inclusive.
Isai. 49. v. 14. ad v. 3. cap. 51. inclusive.	ותאמר ציון	XLVI.	עקב	Deut. 7. v. 12. ad v. 25. c. 11. inclusive.
Isai. 54. v. 11. ad v. 5. cap. 55. inclusive.	עניה סערה	XLVII.	ראה	Deut. 11. v. 26. ad v. 17. cap. 16. inclusive.
Isai. 51. v. 12. ad vers. 12. cap. 52. inclusive.	אנכי אנכי הוא	XLVIII.	שופטים	Deut. 16. v. 18. ad v. 9. cap. 21. inclusive.
Isai. 54. v. 1. ad v. 10. inclusive.	רני עקרה	XLIX.	כי תצא	Deut. 21. v. 10. ad cap. 25. inclusive.
Isai. 60. vers. 1. ad finem cap.	קומי אורי	L.	כי תבוא	Deut. 26. v. 1. ad v. 9. cap. 29.
Isai. 61. v. 10. ad finem v. 9. cap. 63. inclusive.	שוש אשיש	LI.	אתם נצבים	Deut. 29. v. 10. ad cap. 30. inclusive.
Ose. 14. v. 2. ad finem capitis. Addunt insuper vv. 18. 19. 20. cap. 7. Michææ.	H. שובה ישראל	LII.	וילך	Deut. 31. v. 1. ad finem capitis.
Isai. 55. v. 6. ad v. 8. cap. 56. inclusive.	G. דרשו יהוה			
2. Reg. cap. 22. v. 1. ad finem usque capitis.	H. וידבר דוד ליהוה	LIII.	האזינו	Deut. 32. v. 1. ad finem capitis.
Ose. 14. v. 2. ad finem cap. Deinde addunt ex cap. 2. Joëlis à v. 15. ad finem capitis.	G. שובה ישראל			
Jos. 1. v. 1. ad finem cap. Legunt etiam librum Ecclesiastis.	ויהי אחרי מות	LIV.	וזאת הברכה	Deut. 33. v. 1. ad finem libri, & Pentateuchi.

Præter 54. illas *Paraschoth*, seu sectiones majores, quatuor adhuc sunt minores, quas legere solent mense *Adhar*, in anno communi; vel mense *Vaadhar*, in anno embolimæo. Sectiones illæ minores ex majoribus, uti mox indicabo, desumtæ sunt, & cum aliis majoribus sæpius conjunguntur in duobus mensibus, quos supra commemoravi.

I. Minor *Parascha* vocatur שקלים *sicli*, quia in ea fit mentio dimidii sicli, quem Israëlitæ quotannis Templo Jerosolymitano pensitare tenebantur. Pars est Sectionis majoris כי תשא, incipitque Exod. cap. 30. v. 12. ac desinit ad v. 16. inclusive. Legitur Sabbatho ante neomeniam *Adhar* vel *Vaadhar*; vel in neomenia ipsa horum mensium, si occurrat in Sabbatho.

II. Parva *Parascha* est זכור *recordare*. Desumitur ex majori sectione כי תצא, ac incipit Deut. 25. v. 17. continuaturque ad finem capitis. Eam legunt Sabbatho ante festum *Pourim*, seu *sortium*.

III. Parva *Parascha* dicitur פרה *vacca rufa*. Habetur in sectione majori חקת, Num. 19. v. 2. Utriusque commune est exordium; at parva cum ipso capite absolvitur. Legitur autem in Sabbatho primo post festum *Pourim*, quod celebratur 14. die mensis *Adhar*, aut *Vaadhar*; nam inter festum illud & neomeniam Nisan, duo vel tria sabbatha possunt intercedere. Si duo sabbatha intercurrant, primo Sabbatho post festum *Pourim* legunt פרה, & secundo Sabbatho החדש, de qua parva parascha mox agemus. Si tria Sab-

batha intercedant, primo Sabbatho legitur פרה, in secundo Sabbatho fit הפסקה *cessatio*, *intermissio* parvæ sectionis, in eoque major duntaxat parascha legitur. Tertio denique Sabbatho legitur החדש.

IV. Parva *Parascha* appellatur החדש *mensis*, continetur que in majori sectione בא אל־ פרעה. Incipit Exod. 12. v. 2. ac in fine capitis desinit. Legitur Sabbatho ante Kalendas *Nisan*. Si Kalendæ istæ in Sabbathum incidant, in eo legitur parva illa sectio החדש.

Quatuor autem minores istæ sectiones copulantur cum una ex sex illis majoribus, nimirum vel cum תרומה, vel cum תצוה, vel cum כי תשא, vel cum ויקהל, vel cum פקודי, vel denique cum משפטים. Cum quavis ex majoribus illis sectionibus Parascha minor in quolibet anno conjungatur, vide in Kalendariis infra describendis.

Sunt etiam certis quibusdam anni diebus, ac festis speciales *Paraschoth* & *Haphtaroth* assignatæ, quas hîc subjicere ab instituto nostro non erit alienum.

APPENDIX I.

Paraschoth & Haphtaroth, quæ certis quibusdam anni diebus ac festis in synagogis Judæorum leguntur.

In principio anni, לראש השנה

DIE prima mensis *Tischri*, qui anni civilis primus est, legunt in Parascha וירא Gen. 18. v. 1. à principio capitis 21. ad ejus finem. Deinde legunt in Parascha פנחס Num. 25. v. 1. in cap. 29. à v. 1. ad 6. inclusive. Haphtara autem desumitur ex 1. Reg. c. 1. v. 1. ad finem v. 10. cap. 2.

Die secunda ejusdem mensis legunt in Parascha וירא Gen. 18. v. 1. à cap. 22. v. 1. ad finem usque capitis. Deinde legunt in Parascha פנחס, Num. 25. v. 11. à v. 1. cap. 29. ad 6. inclusive ejusdem cap. ut in 1. die. Postea subjiciunt Haphtaram *Sic dicit Dominus*, &c. Jerem. 31. v. 2. usque ad v. 20. inclusive.

In jejunio Godoliæ. לצום גדליה

Tam matutino quam vespertino tempore legunt in Parascha כי תשא, Exod. 30. v. 12. à v. 11. cap. 32. usque ad finem v. 14. ejusdem cap. Deinde transiliunt ad cap. 34. in eoque legunt à v. 1. usque ad v. 10. inclusive. Eadem legunt in jejunio Decimi mensis, & in jejunio Estheræ.

In die expiationis, ביום כפור

Mane legunt in Parascha אחרי מות, Lev. 16. à v. 1. usque ad finem capitis 17. Deinde legunt in Parascha פנחס Num. 25. v. 11. à v. 7. cap. 29. ad finem usque v. 10. Haphtara autem desumitur ex Isai. 57. v. 14. ad finem cap. 58.

Vespere legunt in eadem Parascha אחרי מות à cap. 18. v. 3. usque ad finem Paraschæ. Pro Haphtara autem legunt integram Jonæ prophetiam.

In festo Tabernaculorum, לסכות

Die prima legunt in Parascha אמר, Lev. 21. v. 1. incipiuntque à cap. 22. v. 27. usque ad finem cap. Deinde legunt in Parascha פנחס Num. 25. v. 11. à cap. 29. v. 12. ad finem v. 16. ejusd. cap. Postea legunt Haphtaram in Zacharia, cap. 14. ad finem usque prophetiæ.

Die secunda legunt in Parascha אמר & in Parascha פנחס sicut heri. Præterea addunt Haphtaram ex 3. Reg. 7. à v. 51. usque ad v. 21. cap. 8.

Sabbatho infra octavam Tabernaculorum legunt in Parascha כי תשא Exod. 30. v. 12. ac incipiunt à cap. 33. v. 12. ad cap. 34. v. 26. inclusive. Deinde legunt in Parascha פנחס, in קרבנות cap. 29. Num. secundum quod requirit dies infra octavam. Denique legunt Haphtaram ex Ezech. 38. v. 18. ad cap. 39. v. 15. inclusive.

Die prima post Sabbathum infra Octavam legunt quatuor homines in Parascha פנחס,

Eorum primus legit: *In die secundo*, &c. Num. 29. v. 17. Secundus legit: *In die tertio*, &c. ibidem v. 20. Tertius legit: *In die quarto*, &c. ibid. v. 23. Quartus denique legit ספיקא דיומא *dubium diem. Et in die secundo*, &c. Num. 29. v. 17. *Et in die tertio*, ibidem v. 20. & sic per omnes Hebdomadæ dies eundem servant ordinem.

Die octava legunt in Paraſcha ראה Deut. 11. v. 26. incipientes à cap. 15. v. 19. usque ad cap. 26. v. 11. inclusive. Cum dies illa octava incidit in Sabbathum, Hiſpani & Itali Paraſcham illam à cap. 15. v. 12. Germani vero à cap. 14. v. 22. incipiunt. Deinde legunt in Paraſcha פנחס à cap. 29. Num. v. 35. usque ad finem v. 1. cap. sequentis 30. adduntque Haphtaram ex 3. Reg. 8. v. 54. usque ad finem v. 1. cap. 9.

In festo lætitiæ Legis, לשמחת תורה.

In hoc festo legunt in Paraſcha וזאת הברכה Deut. 33. v. 1. & in Paraſcha פנחס à cap. 29. v. 35. Num. ad finem utriuſque Paraſchæ. Haphtara vero deſumitur ex Joſ. cap. 1. ad finem usque capitis.

In Neomenia, לראש חודש.

Quando neomenia incidit infra hebdomadam in die feriali, legunt in Paraſcha פנחס, incipiuntque à cap. 28. Num. v. 1. & desinunt ad v. 16. cap. 29. inclusive. Si cadat in Sabbathum, legunt in Num. à 28. v. 11. usque ad v. 24. inclusive. Haphtaram deſumunt ex Isai. cap. 66. ad finem usque prophetiæ. Si vero Neomenia celebretur prima Sabbathi, pro Haphtara legunt à v. 18. cap. 20. 1. Reg. usque ad v. 42. inclusive.

In Encæniis, בחנכה.

Legunt à v. 1. cap. 7. Num. usque ad finem v. 4. cap. 8. Die prima legunt usque ad v. 17. incluſ. in reliquis vero diebus legunt per ordinem unum ex illis *principibus*, ita ut die octavo compleatur Paraſcha.

Quando autem occurrunt quatuor minores Paraſchæ, de quibus ſupra, his adjungunt ſequentes Paraſchas & Haphtaras.

In Sabbatho Scheqalim, לשבת שקלים

Legunt in Paraſcha כי תשא Exod. 30. v. 12. ab eoque versu incipiunt, desinuntque ad v. 17. inclusive. Haphtara autem incipit 4. Reg. 11. v. 17. & ad v. 16. cap. 12. clauditur.

In Sabbatho ZACHOR, לשבת זכור

Legunt in Paraſcha כי תצא Deut. 21. v. 10. incipiuntque à v. 17. cap. 25. ac lectionem illam terminant in fine cap. & Paraſchæ. Adduntque Haphtaram ex 1. Reg. 15. v. 1. ad v. 34. inclusive.

In festo Pourim, לפורים

In hoc festo legitur in Paraſcha בשלח Exod. 13. v. 17. à v. 8. capitis 17. ad finem usque Paraſchæ.

In Sabbatho PARA, לשבת פרה

Legunt initium Paraſchæ חקת usque ad verſ. 8. inclusive. Pro Haphtara vero legunt Ezech. cap. 36. v. 17. ad finem usque capitis.

In Sabbatho HAHHODESCH, לשבת החדש

Legunt in Paraſcha בא אל־פרעה Exod. 10. v. 1. à 1. v. cap. 12. ad v. 20. inclusive. Haphtara vero deſumitur ex Ezech. 45. v. 16. usque ad v. 17. inclusive, ſecundum Hiſpanos & Italos; at Germani incipiunt à v. 18. huiusce capitis, leguntque ad finem v. 18. ſeq. cap. 46.

In Sabbatho magno, לשבת הגדול *quod festum Paſchatis præcedit.*

Legunt Haphtaram ex Malach. cap. 3. v. 4. ad finem cap. 4. & totius Prophetiæ.

In Paſchate, לפסח.

Die 1. legunt in Paraſcha בא אל־פרעה Exod. 10. v. 1. à cap. 12. v. 21. ad finem usque capitis. Deinde legunt in Paraſcha פנחס Num. 25. v. 1. à cap. 28. v. 16. ad finem verſ. 18. Denique legunt Haphtaram ex Joſ. 3. v. 5. usque ad v. 7. inclusive. Sic Germani. Hiſpani autem & Itali Haphtaram incipiunt à cap. 5. v. 2. ad finem usque capitis, cui ad-

dunt v. ultimum capitis 6.

Die 2. legunt in Parascha אֱמֹר Levit. 21. v. 1. à cap. 22. v. 26. usque ad finem cap. 23. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס, ut heri. Postea legunt Haphtaram ex 4. Reg. 23. v. 1. ad 9. inclus. ex quo transiliunt ad v. 25.

Die 3. legunt in Parascha בֹּא אֶל־פַּרְעֹה Exod. 10. v. 1. à cap. 13. v. 12. ad finem Paraschæ. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס Num. 25. v. 1. à cap. 28. v. 19. ad v. 25. inclusive.

Die 4. legunt in Parascha וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים Exod. 21. v. 1. à cap. 22. v. 25. ad cap. 23. v. 19. inclusive. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס ut heri.

Die 5. legunt in Parascha כִּי תִשָּׂא Exod. 30. v. 12. à cap. 34. v. 1. ad v. 26. inclus. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס ut heri.

Si quinta illa dies cadat in Sabbathum, legunt Exod. 33. v. 12. ad finem Paraschæ. Postea legunt Haphtaram ex Ezech. cap. 36. v. 37. ad v. 17. cap. 37. inclusive.

Die 6. legunt in Parascha בְּהַעֲלֹתְךָ Num. 8. v. 1. à cap. 9. v. 1. ad v. 14. inclus. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס Num. 25. v. 1. à cap. 28. v. 19. ad v. 25. inclusive.

Die 7. legunt in Parascha וַיְהִי בְּשַׁלַּח, Exod. 13. v. 17. ab eo versu ad versum 26. cap. 15. Deinde legunt in פִּנְחָס ut heri. Postea subjiciunt Haphtaram ex 2. Reg. c. 22. ad finem usque capitis.

Die 8. legunt in Parascha רְאֵה, Deut. 11. v. 26. à cap. 15. v. 19. ad versum 17. cap. 16. inclusive. Si fuerit Sabbathum, Germani incipiunt à cap. 14. v. 22. Hispani vero & Itali à cap. 15. v. 12. ad v. 18. inclusive. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס, ut heri. Tandem subjiciunt Haphtaram ex Isai. 10. v. 32. ad finem cap. 12.

In festo Pentecostes, לְשָׁבוּעוֹת

Die 1. legunt in Parascha וַיִּשְׁמַע יִתְרוֹ, Exod. 18. v. 1. à cap. 19. v. 1. ad finem cap. 20. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס, Num. 25. v. 1. à cap. 28. v. 26. ad finem cap. Postea subjiciunt Haphtaram ex Ezech. 1. v. 1. ad finem cap. cui adjungunt versum 12. cap. 3.

Die 2. legunt in Parascha רְאֵה, Deut. 11. v. 26. à cap. 15. v. 19. ad v. 17. cap. 16. inclusive. Si fuerit Sabbathum, Germani incipiunt à cap. 14. v. 22. Hispani vero & Itali à cap. 15. v. 12. ad v. 18. inclusive. Deinde legunt in Parascha פִּנְחָס, Num. 25. v. 1. à cap. 28. v. 26. ad finem usque cap. Tandem subjiciunt Haphtaram ex Habac. 2. v. 20. usque ad finem cap. 3. & Prophetiæ.

לְשִׁבְעָה עָשָׂר בְּתַמּוּז
In jejunio diei 17. mensis Tammouz.

Mane legunt in Parascha כִּי תִשָּׂא, Exod. 30. v. 12. & incipiunt à cap. 32. v. 11. ad finem v. 10. cap. 34. neque transiliunt מַעֲשֵׂה הָעֵגֶל *opus vituli*, sed recta pergunt. Vespere eadem legunt, sed transiliunt *opus vituli*, neque legunt ea, quæ ad conflatile spectant, quod faciunt in reliquis jejuniis.

לְתִשְׁעָה בְּאָב
In jejunio diei 9. mensis Abh.

Tempore matutino legunt in Parascha וָאֶתְחַנַּן, Deut. 3. v. 23. à cap. 4. v. 25. usque ad v. 40. ejusd. cap. Deinde legunt Haphtaram ex Jerem. 8. v. 13. ad v. 24. cap. 9. inclusive. Vespere legunt in Parascha כִּי תִשָּׂא, Exod. 30. v. 11. à cap. 32. v. 12. ad v. 10. c. 34. inclusive; & transiliunt *opus vituli*.

Hæ sunt sectiones tam Propheticæ quam Legales, quæ in sabbathis, & certis quibusdam diebus ac festis in synagogis Judæorum quotannis leguntur. Lectionis hujus antiquitas patet ex libro Act. cap. 15. v. 21. *Moyses enim* (inquit S. Jacobus) *à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbathum legitur*, h. e. per omnes hebdomadas, non solum autem Sabbatho, verum etiam feria 2. & 5. cujusque hebdomadis hanc lectionem, licet minus solemniter, repetunt Judæi. Ex eodem libro Act. cap. 13. v. 15. *post lectionem Legis & Prophetarum*, &c. Vide v. 27. ubi Paulus Hebræos redarguit, quod ignorarent *voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur.* Vide etiam Luc. 4. v. 16. &c. ubi Christus dicitur legisse Haphtaram ex Isai. 61. vers. 1. desumtam. Verosimile est Haphtaram, quæ hodie v. 10. hujusce capitis incipit, quæque respondet Pa-

raschæ נִצָּבִים, quam circa finem Augusti legunt, olim à versu 1. sumsisse exordium; neque enim sectionum cum Legalium, tum Propheticarum idem antiquitus fuisse initium, eundemque finem, certo affirmare ausim; cum Haphtaroth inter Judæos Hispanos & Germanos easdem omnino non esse, neque ab eodem versu semper incipere, supra adnotaverimus.

Jamvero quo ordine, & quibus diebus mensis Hebraïci sectiones Pentateuchi in synagogis legantur; quæ majores sectiones inter se & cum minoribus sectionibus conjungantur, & quo mense id fieri debeat; curiosorum gratia hîc operæ pretium est indicare. Id ostendit cyclus perpetuus ex quatuordecim *symbolis* compositus, quorum septem inserviunt pro 7. annis embolimæis; & septem pro 7. annis communibus; in cyclo enim decemnovali septem sunt anni embolimæi, & septem communes. Quinque alii anni communes, qui ex cyclo decemnovali supersunt, coincidunt cum sociis suis, nempe secundus cum primo; quintus cum quarto; decimus cum nono; decimus tertius cum duodecimo; & decimus sextus cum decimo quinto; unde quatuordecim tantummodo Kalendaria, seu annorum series describendæ sunt.

Annorum autem embolimæorum *symbola* sunt: 1. V. D. I. 2. III. O. VII. 3. II. A. VII. 4. V. A. III. 5. VII. D. III. 6. VII. A. V. 7. II. D. V.

Annorum vero communium: 1. V. A. I. 2. V. O. VII. 3. VII. D. I. 4. VII. A. III. 5. II. D. III. 6. II. A. V. 7. III. O. V.

In his symbolis numero primo Romano indicatur feria, qua annus incipit. Litera significatur anni qualitas, h. e. utrum communis sit & ordinarius, quod notat litera O. utrum sit defectivus, quod indicat litera D. denique utrum sit abundans, quod ostendit litera A, idque in annis tam embolimæis quam communibus. Altero denique numero Romano Paschatis feria notatur. Vide infra art. V. §. II. in fine Kalendarii Judaïci ubi isthæc fusius explicantur.

In sequentium XIV. annorum descriptione eum sequuti sumus ordinem, quem proponit *Julius Bartoloccius*, tom. 2. Bibliothecæ magnæ Rabbinicæ pag. 601. & seq. ab eoque anno orsi sumus, cujus symbolum est V. D. I. in annis embolimæis, h. e. cujus neomenia Tischri incidit in feriam V. qui embolimæus defectivus est, i. constans diebus 383. & in quo Pascha feria I. nempe die Dominico celebratur.

APPENDIX II.

XIV. Kalendaria, seu annorum series, in quibus neomeniarum feriæ, & mensium Hebraïcorum dies, in quos Sabbatha incidunt, & in quibus sectiones Legales in synagogis legere solent Judæi, per cyclum 19. annorum assignantur.

Annus I. embolimæus, cujus Symbolum V. D. I. Habet hebdomadas 55. dies vero 383.

תִּשְׁרִי *Tischri.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	הַאֲזִינוּ
Sabbatho	10.	כִּפּוּר dies *expiationis.*
Sabbatho	17.	Infra octavam *Succoth.*
6.	23.	וְזֹאת הַבְּרָכָה שִׂמְחַת תּוֹרָה
Sabbatho	24.	בְּרֵאשִׁית

מַרְחֶשְׁוָן *Marhheschvân.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
6. & 7.	Neomen.	
Sabbatho	1.	נֹחַ eodem die.
Sabbatho	8.	לֶךְ־לְךָ

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	15.	וירא
Sabbatho	22.	חיי שרה
Sabbatho	29.	תולדות

כסלו *Kisléu.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	ויצא
Sabbatho	14.	וישלח
Sabbatho	21.	וישב
Sabbatho	28.	ויחי מקץ

טבת *Tevéth.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויגש
Sabbatho	13.	ויחי
Sabbatho	20.	ואלה שמות
Sabbatho	27.	וארא

שבט *Schevát.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	בא אל־פרעה
Sabbatho	12.	ויהי בשלח
Sabbatho	19.	וישמע יתרו
Sabbatho	26.	ואלה המשפטים

אדר *Adhár.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	ויקחו־לי תרומה
Sabbatho	10.	ואתה תצוה
Sabbatho	17.	כי תשא
Sabbatho	24.	ויקהל

ואדר *Vaadhár.*

6. & 7.	Neomen.	
Sabbatho	1.	אלה פקודי & שקלים

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	8.	ויקרא & זכור
Sabbatho	15.	צו & הפסקה
Sabbatho	22.	ביום השמיני & פרה
Sabbatho	29.	כי תזריע & החדש

ניסן *Nisán.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	מצורע
Sabbatho	14.	אחרי מות
Sabbatho	21.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	28.	קדושים תהיו

אייר *Iiiár.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	אמור
Sabbatho	12.	בהר סיני
Sabbatho	19.	בחקותי
Sabbatho	26.	במדבר סיני

סיון *Siván.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	נשא את־ראש
Sabbatho	11.	בהעלותך
Sabbatho	18.	שלח לך אנשים
Sabbatho	25.	ויקח קרח

תמוז *Tammoúz.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	חקת התורה
Sabbatho	9.	וירא בלק
Sabbatho	16.	פינחס
Sabbatho	23.	ראשי המטות

אב *A'bh.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth,*
Sabbatho	Neomen.	מסעי
Sabbatho	8.	אלה הדברים
Sabbatho	15.	ואתחנן
Sabbatho	22.	עקב
Sabbatho	29.	ראה

אלול *Eloúl.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth,*
1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	שופטים
Sabbatho	13.	כי תצא
Sabbatho	20.	כי תבוא
Sabbatho	27.	אתם נצבים

Annus II. embolimæus, cujus Symbolum est III. O. VII. Habet hebdomadas 55. Dies 384.

תשרי *Tischrí.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth,*
3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	וילך
Sabbatho	12.	האזינו
Sabbatho	19.	Infra octavam *Succoth.*
4.	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	26.	בראשית

מרחשון *Marhheschván.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth,*
4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	נח
Sabbatho	10.	לך לך
Sabbatho	17.	וירא
Sabbatho	24.	חיי שרה

כסלו *Kisléu.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	תולדות
Sabbatho	9.	ויצא
Sabbatho	16.	וישלח
Sabbatho	23.	וישב

טבת *Tevéth.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
7. & 1.	Neomen.	ויהי מקץ
Sabbatho	7.	ויגש
Sabbatho	14.	ויחי
Sabbatho	21.	ואלה שמות
Sabbatho	28.	וארא

שבט *Schevát.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	בא אל־פרעה
Sabbatho	13.	ויהי בשלח
Sabbatho	20.	וישמע יתרו
Sabbatho	27.	ואלה המשפטים

אדר *Adhár.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	ויקחו־לי תרומה
Sabbatho	11.	ואתה תצוה
Sabbatho	18.	כי תשא
Sabbatho	25.	ויקהל & שקלים

ואדר *Vaadhár.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	אלה פקודי & הפסקה
Sabbatho	9.	ויקרא & זכור
Sabbatho	16.	צו & הפסקה
Sabbatho	23.	ביום השמיני & פרה

ניסן *Nisán.*

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	Neomen.	כי תזריע & החדש
Sabbatho	8.	מצורע

Feria.

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	15.	Primum Paschatis.
Sabbatho	22.	Secundum Paschatis.
Sabbatho	29.	אחרי מורת

אייר *Iiiár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	קדושים תהיו
Sabbatho	13.	אמר
Sabbatho	20.	בהר סיני
Sabbatho	27.	אם בחקותי

סיון *Siván.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	במדבר סיני
Sabbatho	12.	נשא את־ראש
Sabbatho	19.	בהעלותך
Sabbatho	26.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammoúz.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	ויקח קרח
Sabbatho	10.	חקת תורה
Sabbatho	17.	וירא בלק
Sabbatho	24.	פנחס

אב *A'bh.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	מסעי & ראשי המטורת
Sabbatho	9.	אלה הדברים
Sabbatho	16.	ואתחנן
Sabbatho	23.	עקב

אלול *Eloúl.*

Sabb. & 1.	Neomen.	ראה

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	7.	שופטים
Sabbatho	14.	כי תצא
Sabbatho	21.	כי תבא
Sabbatho	28.	אתם נצבים

Annus III. embolimæus, cujus Symbolum est II. A. VII. Hebd. 55. Dies 385.

תשרי *Tischrí.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	וילך
Sabbatho	13.	האזינו
Sabbatho	20.	infra octavam *Succoth.*
3.	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	27.	בראשירת

מרחשון *Marhheschván.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	נח
Sabbatho	11.	לך־לך
Sabbatho	18.	וירא
Sabbatho	25.	חיי שרה

כסלו *Kislév.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	תלדורת
Sabbatho	9.	ויצא
Sabbatho	16.	וישלח
Sabbatho	23.	וישב

טבת *Tevéth.*

Sabb. & 1.	Neomen.	חתי מקץ
Sabbatho	7.	ויגש
Sabbatho	14.	ויחי

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	21.	ואלה שמות
Sabbatho	28.	וארא

שבט *Schevát.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	בא אל־פרעה
Sabbatho	13.	ויהי בשלח
Sabbatho	20.	וישמע יתרו
Sabbatho	27.	ואלה המשפטים

אדר *Adhár.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	ויקחו־לי תרומה
Sabbatho	11.	ואתה תצוה
Sabbatho	18.	כי תשא
Sabbatho	25.	ויקהל & שקלים

ואדר *Vaadhár.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	אלה פקודי & הפסקה
Sabbatho	9.	ויקרא & זכור
Sabbatho	16.	צו & הפסקה
Sabbatho	23.	ביום השמיני & פרה

ניסן *Nisán.*

Sabbatho	Neomen.	כי תזריע & החדש
Sabbatho	8.	מצורע
Sabbatho	15.	Primum Paschatis.
Sabbatho	22.	Secundum Paschatis.
Sabbatho	29.	אחרי מות

איר *Iiiár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	קדושים תהיו

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	13.	אמר
Sabbatho	20.	בהר סיני
Sabbatho	27.	אם בחקותי

סיון *Siván.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	במדבר סיני
Sabbatho	12.	נשא את־ראש
Sabbatho	19.	בהעלותך
Sabbatho	26.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammóuz.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	ויקח קרח
Sabbatho	10.	חקת תורה
Sabbatho	17.	וירא בלק
Sabbatho	24.	פנחס

אב *A'bh.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	מטי & ראשי המטות
Sabbatho	9.	אלה הדברים
Sabbatho	16.	ואתחנן
Sabbatho	23.	עקב

אלול *Elóul.*

Sabb.& 1.	Neomen.	ראה
Sabbatho	7.	שופטים
Sabbatho	14.	כי תצא
Sabbatho	21.	כי תבא
Sabbatho	28.	אתם נצבים

Annus IV. embolimæus, cujus Symbolum est V. A. III. Hebd. 55. Dies 385.

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*

תִּשְׁרִי *Tischrí.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	האזינו
Sabbatho	10.	כפור dies *expiationis.*
Sabbatho	17.	Infra octavam *Succoth.*
Sabbatho	24.	בראשית

מַרְחֶשְׁוָן *Marhheschván.*

6.& Sabb.	Neomen.	נח
Sabbatho	8.	לך־לך
Sabbatho	15.	וירא
Sabbatho	22.	חיי שרה
Sabbatho	29.	תולדות

כִּסְלֵו *Kisléu.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויצא
Sabbatho	13.	וישלח
Sabbatho	20.	וישב
Sabbatho	27.	ויהי מקץ

טֵבֵת *Tevéth.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	ויגש
Sabbatho	11.	ויחי
Sabbatho	18.	ואלה שמות
Sabbatho	25.	וארא

שְׁבָט *Schevát.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	בא אל־פרעה
Sabbatho	10.	ויהי בשלח
Sabbatho	17.	וישמע יתרו
Sabbatho	24.	ואלה המשפטים

אֲדָר *Adhár.*

6.& Sabb.	Neomen.	ויקחו־לי תרומה
Sabbatho	8.	ואתה תצוה
Sabbatho	15.	כי תשא
Sabbatho	22.	ויקהל
Sabbatho	29.	אלה פקודי & שקלים

וַאֲדָר *Vaadhár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויקרא & הפסקה
Sabbatho	13.	צו & זכור
Sabbatho	20.	ביום השמיני & פרה
Sabbatho	27.	כי תזריע & החדש

נִיסָן *Nisán.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	מצורע
Sabbatho	12.	אחרי מות
Sabbatho	19.	Infra octavam Paschatis.
Sabbatho	26.	קדושים תהיו

אִיָּר *Iiár.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	אמר
Sabbatho	10.	בהר סיני
Sabbatho	17.	בחקותי
Sabbatho	24.	במדבר סיני

סִיוָן *Siván.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	נשא את־ראש

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	9.	בְּהַעֲלֹתְךָ
Sabbatho	16.	שְׁלַח לְךָ אֲנָשִׁים
Sabbatho	23.	וַיִּקַּח קֹרַח

תַּמּוּז *Tammóuz.*

Sabb.&1.	Neomen.	חֻקַּת תּוֹרָה
Sabbatho	7.	וַיַּרְא בָּלָק
Sabbatho	14.	פִּנְחָס
Sabbatho	21.	רָאשֵׁי הַמַּטּוֹת
Sabbatho	28.	מַסְעֵי

אָב *Abh.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	אֵלֶּה הַדְּבָרִים
Sabbatho	13.	וָאֶתְחַנַּן
Sabbatho	20.	עֵקֶב
Sabbatho	27.	רְאֵה

אֱלוּל *Elóul.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	שֹׁפְטִים
Sabbatho	11.	כִּי תֵצֵא
Sabbatho	18.	כִּי תָבוֹא
Sabbatho	25.	אַתֶּם נִצָּבִים & וַיֵּלֶךְ

Annus V. embolimæus, cujus Symbolum est VII. D. III. Hebd. 55. Dies 383.

תִּשְׁרִי *Tischrí.*

Sabbatho	Neomen.	
Sabbatho	8.	הַאֲזִינוּ
Sabbatho	15.	סֻכּוֹת festum *Tabernac.*
Sabbatho	22.	Octava Tabernaculorũ.
Dominica	23.	וְזֹאת הַבְּרָכָה & שִׂמְחַת תּוֹרָה
Sabbatho	29.	בְּרֵאשִׁית

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*

מַרְחֶשְׁוָן *Marhheschván.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	נֹחַ
Sabbatho	13.	לֶךְ־לְךָ
Sabbatho	20.	וַיֵּרָא
Sabbatho	27.	חַיֵּי שָׂרָה

כִּסְלֵו *Kislév.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	תּוֹלְדוֹת
Sabbatho	12.	וַיֵּצֵא
Sabbatho	19.	וַיִּשְׁלַח
Sabbatho	26.	וַיֵּשֶׁב

טֵבֵת *Tevéth.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	וַיְהִי מִקֵּץ
Sabbatho	11.	וַיִּגַּשׁ
Sabbatho	18.	וַיְחִי
Sabbatho	25.	וְאֵלֶּה שְׁמוֹת

שְׁבָט *Schevát.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	וָאֵרָא
Sabbatho	10.	בֹּא אֶל־פַּרְעֹה
Sabbatho	17.	וַיְהִי בְּשַׁלַּח
Sabbatho	24.	וַיִּשְׁמַע יִתְרוֹ

אֲדָר *Adhár.*

6.&Sabb.	Neomen.	וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים
Sabbatho	8.	וְיִקְחוּ־לִי תְּרוּמָה
Sabbatho	15.	וְאַתָּה תְצַוֶּה

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	22.	כי תשא
Sabbatho	29.	ויקהל & שקלים

ואדר *Vaadhár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	אלה פקדי & הפסקרה
Sabbatho	13.	ויקרא & זכור
Sabbatho	20.	צו & פרה
Sabbatho	27.	ביום השמיני & החדש

ניסן *Nisán.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	כי תוריע
Sabbatho	12.	מצורע
Sabbatho	19.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	26.	אחרי מורת

אייר *Iiiár.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	קדושים תהיו
Sabbatho	10.	אמר
Sabbatho	17.	בהר סיני
Sabbatho	24.	בחקותי

סיון *Siván.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	במדבר סיני
Sabbatho	9.	נשא את־ראש
Sabbatho	16.	בהעלותך
Sabbatho	23.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammóuz.*

Sabb. & 1.	Neomen.	ויקח קרח
Sabbatho	7.	חקת תורה

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	14.	וירא בלק
Sabbatho	21.	פנחס
Sabbatho	28.	ראשי המטות & מסעי

אב *A'bh.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	אלה הדברים
Sabbatho	13.	ואתחנן
Sabbatho	20.	עקב
Sabbatho	27.	ראה

אלול *Elóul.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	שופטים
Sabbatho	11.	כי תצא
Sabbatho	18.	כי תבא
Sabbatho	25.	אתם נצבים & וילך

Annus VI. embolimæus, cujus Symbolum est VII. A. V. Hebd. 55. Dies 385.

תשרי *Tischrí.*

Sabbatho	Neomen.	
Sabbatho	8.	האזינו
Sabbatho	15.	Festum Tabernaculorũ.
Sabbatho	22.	Octava Tabernaculorũ.
Dominica	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	29.	בראשית

מרחשון *Marhheschván.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	נח
Sabbatho	13.	לך־לך
Sabbatho	20.	וירא
Sabbatho	27.	חיי שרה

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*

כסלו *Kislév.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	תולדות
Sabbatho	11.	ויצא
Sabbatho	18.	וישלח
Sabbatho	25.	וישב

טבת *Tevéth.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	ויהי מקץ
Sabbatho	9.	ויגש
Sabbatho	16.	ויחי
Sabbatho	23.	ואלה שמות

שבט *Schevát.*

Sabbatho	Neomen.	וארא
Sabbatho	8.	בא אל־פרעה
Sabbatho	15.	ויהי בשלח
Sabbatho	22.	וישמע יתרו
Sabbatho	29.	ואלה המשפטים

אדר *Adhár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויקחו־לי תרומה
Sabbatho	13.	ואתה תצוה
Sabbatho	20.	כי תשא
Sabbatho	27.	ויקהל & שקלים

ואדר *Vaadhár.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	אלה פקודי & הפסקה
Sabbatho	11.	ויקרא & זכור

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	18.	צו & פרה
Sabbatho	25.	ביום השמיני & החדש

ניסן *Nisán.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	כי תזריע
Sabbatho	10.	מצורע
Sabbatho	17.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	24.	אחרי מות

אייר *Iiár.*

6.&Sabb.	Neomen.	קדושים תהיו
Sabbatho	8.	אמר
Sabbatho	15.	בהר סיני
Sabbatho	22.	בחקותי
Sabbatho	29.	במדבר סיני

סיון *Siván.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	Infra octavam Pentec.
Sabbatho	14.	נשא את־ראש
Sabbatho	21.	בהעלותך
Sabbatho	28.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammúz.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	ויקח קרח
Sabbatho	12.	חקת & וירא בלק
Sabbatho	19.	פנחס
Sabbatho	26.	ראשי המטות & מסעי

אב *A'bh.*

4	Neomen.	
Sabbatho	4.	אלה הדברים

Feriæ.	Dies mensis	Paraschoth.
Sabbatho	11.	ואתחנן
Sabbatho	18.	עקב
Sabbatho	25.	ראה

אלול *Eloúl.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	שופטים
Sabbatho	9.	כי תצא
Sabbatho	16.	כי תבוא
Sabbatho	23.	אתם נצבים & וילך

Annus VII. embolimæus, cujus Symbolum est II. D. V. Hebd. 54. Dies 383.

תשרי *Tischrí.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	וילך
Sabbatho	13.	האזינו
Sabbatho	20.	Infra octavam *Tabern.*
Sabbatho	27.	בראשית

מרחשון *Marhheschván.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	נח
Sabbatho	11.	לך לך
Sabbatho	18.	וירא
Sabbatho	25.	חיי שרה

כסלו *Kislév.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	תולדות
Sabbatho	10.	ויצא
Sabbatho	17.	וישלח
Sabbatho	24.	וישב

Feriæ.	Dies mensis	Paraschoth.

טבת *Tevéth.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	ויחי מקץ
Sabbatho	9.	ויגש
Sabbatho	16.	ויחי
Sabbatho	23.	ואלה שמות

שבט *Schevát.*

Sabbatho	Neomen.	וארא
Sabbatho	8.	בא אל פרעה
Sabbatho	15.	ויחי בשלח
Sabbatho	22.	וישמע יתרו
Sabbatho	29.	ואלה המשפטים

אדר *Adhár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויקחו לי תרומה
Sabbatho	13.	ואתה תצוה
Sabbatho	20.	כי תשא
Sabbatho	27.	ויקהל & שקלים

ואדר *Vaadhár.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	אלה פקודי & הפסקה
Sabbatho	11.	ויקרא & זכור
Sabbatho	18.	צו & פרה
Sabbatho	25.	ביום השמיני & החדש

ניסן *Nisán.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	כי תזריע
Sabbatho	10.	מצורע

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	17.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	24.	אחרי מות

אייר *Iiiár.*

6.& Sabb.	Neomen.	קדשים תהיו
Sabbatho	8.	אמר
Sabbatho	15.	בהר סיני
Sabbatho	22.	בחקתי
Sabbatho	29.	במדבר סיני

סיון *Siván.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	Infra octavam Pentec.
Sabbatho	14.	נשא את־ראש
Sabbatho	21.	בהעלתך
Sabbatho	28.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammoúz.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	ויקח קרח
Sabbatho	12.	חקת תורה & בלק
Sabbatho	19.	פנחס
Sabbatho	26.	ראשי המטות & מסעי

אב *A'bh.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	אלה הדברים
Sabbatho	11.	ואתחנן
Sabbatho	18.	עקב
Sabbatho	25.	ראה

אלול *Eloúl.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	שופטים

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	9.	כי תצא
Sabbatho	16.	כי תבא
Sabbatho	23.	אתם נצבים & וילך

Anni simplices seu communes.

Annus I. simplex, cujus Symbolum est V. A. I.
Hebd. 51. Dies 355.

תשרי *Tischrí.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	האזינו
Sabbatho	10.	כפור dies *expiationis.*
Sabbatho	17.	Infra octavam *Succoth.*
6.	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	24.	בראשית

מרחשון *Marhheschván.*

6.& Sabb.	Neomen.	נח
Sabbatho	8.	לך־לך
Sabbatho	15.	וירא
Sabbatho	22.	חיי שרה
Sabbatho	29.	תולדות

כסלו *Kisléu.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויצא
Sabbatho	13.	וישלח
Sabbatho	20.	וישב
Sabbatho	27.	ויהי מקץ

טבת *Tevéth.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	ויגש
Sabbatho	11.	ויחי

Feriæ.

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	18.	ואלה שמות
Sabbatho	25.	וארא

שבט *Schevát.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	בא אל־פרעה
Sabbatho	10.	ויהי בשלח
Sabbatho	17.	וישמע יתרו
Sabbatho	24.	ואלה המשפטים

אדר *Adhár.*

6.& Sabb.	Neomen.	ויקחו־לי תרומה & שקלים
Sabbatho	8.	ואתה תצוה & זכור
Sabbatho	15.	כי תשא & הפסקה
Sabbatho	22.	ויקהל & פרה
Sabbatho	29.	אלה פקודי & החדש

ניסן *Nisán.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	ויקרא
Sabbatho	14.	צו
Sabbatho	21.	Infra octav. Paschæ.
Sabbatho	28.	ביום השמיני

איר *Iiiár.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	כי תזריע & מצורע
Sabbatho	12.	אחרי מות & קדושים תהיו
Sabbatho	19.	אמר
Sabbatho	26.	בהר סיני & בחקותי

סיון *Siván.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	במדבר סיני

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth*
Sabbatho	11.	נשא את־ראש
Sabbatho	18.	בהעלותך
Sabbatho	25.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammoúz.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	ויקח קרח
Sabbatho	9.	חקת תורה
Sabbatho	16.	וירא בלק
Sabbatho	23.	פנחס

אב *A'bh.*

Sabbatho	Neomen.	ראשי המטות & מסעי
Sabbatho	8.	אלה הדברים
Sabbatho	15.	ואתחנן
Sabbatho	22.	עקב
Sabbatho	29.	ראה

אלול *Eloúl.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	שופטים
Sabbatho	13.	כי תצא
Sabbatho	20.	כי תבא
Sabbatho	27.	אתם נצבים

Annus II. simplex, cujus Symbolum est V. O. VII. Hebd. 51. Dies 354.

תשרי *Tischrí.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	האזינו
Sabbatho	10.	כפור dies *expiationis.*
Sabbatho	17.	Infra octavam Tabern.
Sabbatho	24.	בראשית

מרחשון *Marhheschván.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
6.& Sabb.	Neomen.	נח
Sabbatho	8.	לך־לך
Sabbatho	15.	וירא
Sabbatho	22.	חיי שרה
Sabbatho	29.	תולדות

כסלו *Kisléu.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	ויצא
Sabbatho	14.	וישלח
Sabbatho	21.	וישב
Sabbatho	28.	ויהי מקץ

טבת *Tevéth.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	ויגש
Sabbatho	12.	ויחי
Sabbatho	19.	ואלה שמות
Sabbatho	26.	וארא

שבט *Schevát.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	בא אל־פרעה
Sabbatho	11.	ויהי בשלח
Sabbatho	18.	וישמע יתרו
Sabbatho	25.	ואלה המשפטים & שקלים

אדר *Adhár.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	ויקחו־לי תרומה & הפסקה
Sabbatho	9.	ואתה תצוה & זכור
Sabbatho	16.	כי תשא & הפסקה
Sabbatho	23.	ויקהל & ואלה פקודי & פרה

ניסן *Nisán.*

Sabbatho	Neomen.	ויקרא & החדש
Sabbatho	8.	צו
Sabbatho	15.	Pascha.
Sabbatho	22.	Octava Paschæ.
Sabbatho	29.	ביום השמיני

אייר *Iiiár.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	כי תזריע & מצורע
Sabbatho	13.	אחרי מות & קדושים תהיו
Sabbatho	20.	אמר
Sabbatho	27.	בהר סיני & בחקותי

סיון *Siván.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	במדבר סיני
Sabbatho	12.	נשא את־ראש
Sabbatho	19.	בהעלותך
Sabbatho	26.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammoúz.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	ויקח קרח
Sabbatho	10.	חקת תורה
Sabbatho	17.	וירא בלק
Sabbatho	24.	פנחס

אב *A'bh.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	ראשי המטות & מסעי
Sabbatho	9.	אלה הדברים

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	16.	ואתחנן
Sabbatho	23.	עקב

אלול *Eloúl.*

Sabb. & 1.	Neomen.	ראה
Sabbatho	7.	שופטים
Sabbatho	14.	כי תצא
Sabbatho	21.	כי תבא
Sabbatho	28.	אתם נצבים

Annus III. simplex, cujus Symbolum est VII. D. I. Hebd. 50. Dies 353.

תשרי *Tischri.*

Sabbatho	Neomen.	
Sabbatho	8.	האזינו
Sabbatho	15.	Festum Tabernac.
Sabbatho	22.	Octava seu clausula festi Tabernaculorum.
Dominic.	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	29.	בראשית

מרחשון *Marhheschván.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	נח
Sabbatho	13.	לך-לך
Sabbatho	20.	וירא
Sabbatho	27.	חיי שרה

כסלו *Kislév.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	תלדות
Sabbatho	12.	ויצא
Sabbatho	19.	וישלח
Sabbatho	26.	וישב

Feria.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*

טבת *Tevéth.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	ויהי מקץ
Sabbatho	11.	ויגש
Sabbatho	18.	ויחי
Sabbatho	25.	ואלה שמות

שבט *Schevát.*

5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	וארא
Sabbatho	10.	בא אל-פרעה
Sabbatho	17.	ויהי בשלח
Sabbatho	24.	וישמע יתרו

אדר *Adhár.*

6. & Sabb.	Neomen.	ואלה המשפטים & שקלים
Sabbatho	8.	ויקחו-לי תרומה & זכור
Sabbatho	15.	ואתה תצוה & הפפקרה
Sabbatho	22.	כי תשא & פרה
Sabbatho	29.	ויקהל, & אלה פקודי, & החדש

ניסן *Nisán.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	7.	ויקרא
Sabbatho	14.	צו
Sabbatho	21.	Infra octav. Paschatis.
Sabbatho	28.	ביום השמיני

אייר *Iiiár.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	כי תזריע & מצורע
Sabbatho	12.	אחרי מות & קדושים תהיו

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	19.	אֱמֹר
Sabbatho	26.	בְּהַר סִינַי & בְּחֻקֹּתַי

סִיוָן *Siván.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	בְּמִדְבַּר סִינַי
Sabbatho	11.	נָשֹׂא אֶת־רֹאשׁ
Sabbatho	18.	בְּהַעֲלֹתְךָ
Sabbatho	25.	שְׁלַח לְךָ אֲנָשִׁים

תַּמּוּז *Tammoúz.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	וַיִּקַּח קֹרַח
Sabbatho	9.	חֻקַּת הַתּוֹרָה
Sabbatho	16.	וַיַּרְא בָּלָק
Sabbatho	23.	פִּנְחָס

אָב *A'bh.*

Sabbatho	Neomen.	רָאשֵׁי הַמַּטּוֹת & מַסְעֵי
Sabbatho	8.	אֵלֶּה הַדְּבָרִים
Sabbatho	15.	וָאֶתְחַנַּן
Sabbatho	22.	עֵקֶב
Sabbatho	29.	רְאֵה

אֱלוּל *Eloúl.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	שֹׁפְטִים
Sabbatho	13.	כִּי תֵצֵא
Sabbatho	20.	כִּי תָבוֹא
Sabbatho	27.	אַתֶּם נִצָּבִים

Annus IV. simplex, cujus Symbolum est VII. A. III. Hebd. 51. Dies 355.

תִּשְׁרִי *Tischri.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	Neomen.	
Sabbatho	8.	הַאֲזִינוּ
Sabbatho	15.	Festum. Tabernaculor.
Sabbatho	22.	Octava Tabernaculor.
Dominic.	23.	וְזֹאת הַבְּרָכָה & שִׂמְחַת תּוֹרָה
Sabbatho	29.	בְּרֵאשִׁית

מַרְחֶשְׁוָן *Marhheschván.*

1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	נֹחַ
Sabbatho	13.	לֶךְ־לְךָ
Sabbatho	20.	וַיֵּרָא
Sabbatho	27.	חַיֵּי שָׂרָה

כִּסְלֵו *Kisléu.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	תּוֹלְדוֹת
Sabbatho	11.	וַיֵּצֵא
Sabbatho	18.	וַיִּשְׁלַח
Sabbatho	25.	וַיֵּשֶׁב & festum Dedicat.

טֵבֵת *Tevéth.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	וַיְהִי מִקֵּץ
Sabbatho	9.	וַיִּגַּשׁ
Sabbatho	16.	וַיְחִי
Sabbatho	23.	וְאֵלֶּה שְׁמוֹת

שְׁבָט *Schevát.*

Sabbatho	Neomen.	וָאֵרָא
Sabbatho	8.	בֹּא אֶל־פַּרְעֹה
Sabbatho	15.	וַיְהִי בְּשַׁלַּח
Sabbatho	22.	וַיִּשְׁמַע יִתְרוֹ
Sabbatho	29.	וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים & שְׁקָלִים

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
	אדר *Adhár.*	
1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויקחו־לי תרומה & הפסקה
Sabbatho	13.	ואתה תצוה & זכור
Sabbatho	20.	כי תשא & פרה
Sabbatho	27.	ויקהל & פקודי & החדש
	ניסן *Nisán.*	
3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	ויקרא
Sabbatho	12.	צו
Sabbatho	19.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	26.	ביום השמיני
	אייר *Ijiár.*	
4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	כי תזריע & מצורע
Sabbatho	10.	אחרי מות & קדושים תהיו
Sabbatho	17.	אמר
Sabbatho	24.	בהר סיני & בחקותי
	סיון *Siván.*	
6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	במדבר סיני
Sabbatho	9.	נשא את־ראש
Sabbatho	16.	בהעלותך
Sabbatho	23.	שלח לך אנשים
	תמוז *Tammoúz.*	
Sabb.& 1.	Neomen.	ויקח קרח
Sabbatho	7.	חקת תורה
Sabbatho	14.	וירא בלק

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	21.	פנחס
Sabbatho	28.	ראשי המטות & מסעי
	אב *A'bh.*	
2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	אלה הדברים
Sabbatho	13.	ואתחנן
Sabbatho	20.	עקב
Sabbatho	27.	ראה
	אלול *Eloúl.*	
3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	שופטים
Sabbatho	11.	כי תצא
Sabbatho	18.	כי תבוא
Sabbatho	25.	אתם נצבים

Annus V. simplex, cujus Symbolum est
II. D. III. Hebd. 50. *Dies* 353.

	תשרי *Tischri.*	
2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	וילך
Sabbatho	13.	האזינו
Sabbatho	20.	Infra octavam *Tabern.*
3.	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	27.	בראשית
	מרחשון *Marhheschván.*	
3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	נח
Sabbatho	11.	לך־לך
Sabbatho	18.	וירא
Sabbatho	25.	חיי שרה

כסלו *Kisléu.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	תולדות
Sabbatho	10.	ויצא
Sabbatho	17.	וישלח
Sabbatho	24.	וישב

טבת *Tevéth.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	ויהי מקץ
Sabbatho	9.	ויגש
Sabbatho	16.	ויחי
Sabbatho	23.	ואלה שמות

שבט *Schevát.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	Neomen.	וארא
Sabbatho	8.	בא אל־פרעה
Sabbatho	15.	ויהי בשלח
Sabbatho	22.	וישמע יתרו
Sabbatho	29.	ואלה המשפטים & שקלים

אדר *Adhár.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
1. & 2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	ויקחו־לי תרומה & הפסקה
Sabbatho	13.	ואתה תצוה & זכור
Sabbatho	20.	כי תשא & פרה
Sabbatho	27.	ויקהל & פקודי & החדש

ניסן *Nisán.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	ויקרא
Sabbatho	12.	צו
Sabbatho	19.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	26.	ביום השמיני

אייר *Iiár.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	כי תזריע & מצורע
Sabbatho	10.	אחרי מות & קדושים תהיו
Sabbatho	17.	אמור
Sabbatho	24.	בהר סיני & בחקותי

סיון *Siván.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	במדבר סיני
Sabbatho	9.	נשא את־ראש
Sabbatho	16.	בהעלותך
Sabbatho	23.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammoúz.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabb.& 1.	Neomen.	ויקח קרח
Sabbatho	7.	חקת התורה
Sabbatho	14.	וירא בלק
Sabbatho	21.	פנחס
Sabbatho	28.	ראשי המטות & מסעי

אב *Abh.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	אלה הדברים
Sabbatho	13.	ואתחנן
Sabbatho	20.	עקב
Sabbatho	27.	ראה

אלול *Eloúl.*

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	שופטים

Feria.	Dies mensis	Paraschoth.
Sabbatho	11.	כִּי תֵצֵא
Sabbatho	18.	כִּי תָבוֹא
Sabbatho	25.	אַתֶּם נִצָּבִים & וַיֵּלֶךְ

Annus VI. simplex, cujus Symbolum est II. A. V. Hebd. 50. Dies 355.

תִּשְׁרִי *Tischrí.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	וַיֵּלֶךְ
Sabbatho	13.	הַאֲזִינוּ
Sabbatho	20.	Infra octavam Tabern.
3.	23.	וְזֹאת הַבְּרָכָה & שִׂמְחַת תּוֹרָה
Sabbatho	27.	בְּרֵאשִׁית

מַרְחֶשְׁוָן *Marhheschván.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	נֹחַ
Sabbatho	11.	לֶךְ־לְךָ
Sabbatho	18.	וַיֵּרָא
Sabbatho	25.	חַיֵּי שָׂרָה

כִּסְלֵו *Kisléu.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	תּוֹלְדוֹת
Sabbatho	9.	וַיֵּצֵא
Sabbatho	16.	וַיִּשְׁלַח
Sabbatho	23.	וַיֵּשֶׁב

טֵבֵת *Tevéth.*

Sabb. & 1.	Neomen.	וַיְהִי מִקֵּץ
Sabbatho	7.	וַיִּגַּשׁ
Sabbatho	14.	וַיְחִי
Sabbatho	21.	וְאֵלֶּה שְׁמוֹת
Sabbatho	28.	וָאֵרָא

Feria.	Dies mensis	Paraschoth.

שְׁבָט *Schevát.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	בֹּא אֶל־פַּרְעֹה
Sabbatho	13.	וַיְהִי בְּשַׁלַּח
Sabbatho	20.	וַיִּשְׁמַע יִתְרוֹ
Sabbatho	27.	וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים & שְׁקָלִים

אֲדָר *Adhár.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	וְיִקְחוּ־לִי תְּרוּמָה & הַפְסָקָה
Sabbatho	11.	וְאַתָּה תְּצַוֶּה & זָכוֹר
Sabbatho	18.	כִּי תִשָּׂא & פָּרָה
Sabbatho	25.	וַיַּקְהֵל & פְקוּדֵי & הַחֹדֶשׁ

נִיסָן *Nisán.*

1.	Neomen.	
Sabbatho	3.	וַיִּקְרָא
Sabbatho	10.	צַו
Sabbatho	17.	Infra octavam Paschæ
Sabbatho	24.	בַּיּוֹם הַשְּׁמִינִי

אִיָּר *Iiár.*

6. & Sabb.	Neomen.	כִּי תַזְרִיעַ & מְצוֹרָע
Sabbatho	8.	אַחֲרֵי מוֹת & קְדוֹשִׁים תִּהְיוּ
Sabbatho	15.	אֱמֹר
Sabbatho	22.	בְּהַר סִינַי & בְּחֻקֹּתַי
Sabbatho	29.	בְּמִדְבַּר סִינַי

סִיוָן *Siván.*

Dominica	Neomen.	
Sabbatho	7.	Infra octavam Pentec.
Sabbatho	14.	נָשֹׂא אֶת־רֹאשׁ

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	21.	בהעלתך
Sabbatho	28.	שלח לך אנשים

תמוז *Tammoúz.*

2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	ויקח קרח
Sabbatho	12.	חקת התורה & וירא בלק
Sabbatho	19.	פנחס
Sabbatho	26.	ראשי המטות & מסעי

אב *A'bh.*

4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	אלה הדברים
Sabbatho	11.	ואתחנן
Sabbatho	18.	עקב
Sabbatho	25.	ראה

אלול *Eloúl.*

5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	שופטים
Sabbatho	9.	כי תצא
Sabbatho	16.	כי תבא
Sabbatho	23.	אתם נצבים & וילך

Annus VII. simplex, cujus Symbolum est III. O. V. Hebd. 50. *Dies* 354.

תשרי *Tischrí.*

3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	וילך
Sabbatho	12.	האזינו
Sabbatho	19.	Infra octav. Tabernac.
4.	23.	וזאת הברכה & שמחת תורה
Sabbatho	26.	בראשית.

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*

מרחשון *Marhheschván.*

4. & 5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	נח
Sabbatho	10.	לך לך
Sabbatho	17.	וירא
Sabbatho	24.	חיי שרה

כסלו *Kislév.*

6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	תולדות
Sabbatho	9.	ויצא
Sabbatho	16.	וישלח
Sabbatho	23.	וישב

טבת *Tevéth.*

Sabb. & 1.	Neomen.	ויהי מקץ
Sabbatho	7.	ויגש
Sabbatho	14.	ויחי
Sabbatho	21.	ואלה שמות
Sabbatho	28.	וארא

שבט *Schevát.*

2.	Neomen.	
Sabbatho	6.	בא אל־פרעה
Sabbatho	13.	ויהי בשלח
Sabbatho	20.	וישמע יתרו
Sabbatho	27.	ואלה המשפטים & שקלים

אדר *Adhár.*

3. & 4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	ויקחו־לי תרומה & הפסקה
Sabbatho	11.	ואתה תצוה & זכור

Feriæ.

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
Sabbatho	18.	כי תשא & פרה
Sabbatho	25.	ויקהל & פקודי & החדש
	ניסן *Nisán.*	
5.	Neomen.	
Sabbatho	3.	ויקרא
Sabbatho	10.	צו
Sabbatho	17.	Infra octavam Paschæ.
Sabbatho	24.	ביום השמיני
	אייר *Iiiár.*	
6.& Sabb.	Neomen.	כי תזריע & מצורע
Sabbatho	8.	אחרי מות & קדושים תהיו
Sabbatho	15.	אמר
Sabbatho	22.	בהר סיני & אם בחקתי
Sabbatho	29.	במדבר סיני
	סיון *Siván.*	
Dominica	Neomen.	
Sabbatho	7.	Infra octav. Pentecost.
Sabbatho	14.	נשא את־ראש
Sabbatho	21.	בהעלתך
Sabbatho	28.	שלח לך אנשים

Feriæ.	*Dies mensis*	*Paraschoth.*
	תמוז *Tammoúz.*	
2. & 3.	Neomen.	
Sabbatho	5.	חקת קרח
Sabbatho	12.	חקת תורה & וירא בלק
Sabbatho	19.	פנחס
Sabbatho	26.	ראשי המטות & מסעי
	אב *Ábh.*	
4.	Neomen.	
Sabbatho	4.	אלה הדברים
Sabbatho	11.	ואתחנן
Sabbatho	18.	עקב
Sabbatho	25.	ראה
	אלול *Eloúl.*	
5. & 6.	Neomen.	
Sabbatho	2.	שופטים
Sabbatho	9.	כי תצא
Sabbatho	16.	כי תבוא
Sabbatho	23.	אתם נצבים & וילך

Nota. *Menses, quorum novilunio in his Kalendariis duo dies assignantur, duplicem habent neomeniam; priorem die 30. mensis præcedentis, posteriorem die 1. mensis, in cujus capite duo illi dies adnotantur.*

Cognita ex regulis infra art. 5. §. 1. & 2. tradendis anni qualitate, facile est ope Kalendariorum illorum Paraschoth, quas in Synagogis suis uno quoque sabbatho legunt Judæi, invenire. Annus Judaicus 5481. v. g. qui ab autumno anni nostri 1720. initt, ex his regulis deprehenditur communis, h. e. non embolimæus; ordinarius, sive constans diebus 354. incipiens à fer. 5. die 3. Octobris, & in eo Pascha in feriam 7. incidens; proindeque ejus symbolum est V. O. VII. Quæratur istud symbolum in annis simplicibus, seu communibus, quorum secundus est, invenietur sabbatho, quod in diem 3. Tischri, 5. Octobris incidit, lectam fuisse Parascham האזינו cum Haphtara ipsi respondente. Sequenti sabbatho, die 10. Tischri, 12. Octobris, lectum est in Parascha diei expiationis assignata, nempe אחרי מות, Lev. 16. à v. 1. ad finem usque cap. 17. &c. vide supra pag. 443. coll. 1. 2. Sabbatho tertio, die 17. Tischri, 19. Octobris, infra Octavam Tabernaculorum, lectum in Parascha כי תשא, Exod. 30. v. 12. inceptumque à capite 33. v. 12. ad cap. 34. v. 26. inclusive, &c. Vide ibid. Quarto ejusdem mensis Hebraici sab-

batho, 24. Tiſchri, 26. Octobris, lecta eſt Paraſcha בראשית cum ſua Haphtara. Hoc in præſentia temporis exemplum ſufficiat. Plura inferius proponentur. Itaque ad reliqua Judæorum feſta, *Encænia* videlicet, *Pourim*, & *Sabbathum* progrediamur.

§. VIII.

Feſtum Encæniorum.

FESTI hujus mentio fit Joan. 10. v. 22. *Facta ſunt encænia Jeroſolymis, & hyems erat;* celebrabatur enim die 25. menſis Caſleu, qui partim Novembri, partim Decembri noſtro reſpondet. Ea ſolemnitas inſtituta eſt à Juda Machabæo cum Templum, quod Græci profanaverant, iterum dedicavit 25. die Caſleu, atque annuatim per octo dies feſtum hoc dedicationis celebrandum ſtatuit. Vide 1. Machab. c. 4. v. 59. Judæi hodierni illud agitant accendendo lucernas nocte prima unam, ſecunda duas, tertia tres, & ſic conſequenter ſingulis Octavæ diebus unam adjiciendo. Hæ autem lucernæ noctu poſt occaſum ſolis accenduntur, & ad fores ædium apertas, vel ante eas, vel ad feneſtras, quo miraculum magis pateſcat, collocantur. Miraculum autem agnoſcunt non ſolum in fuſis Græcorum copiis; verum etiam in reperta olei lenticula ſummi Sacerdotis ſigillo obſignata & in terra abſcondita, quæ oleum ſuppeditavit, quantum ſatis erat ad lychnuchum per octo ſolidos dies accendendum; imo, exactis octo illis diebus, plena adhuc deprehenſa eſt; quod maximum lætitiam Iſraëlitis attulit, qui præparare vel nanciſci oleum mundum non potuiſſent ante ſeptem dies purificationis ſuæ; polluti enim cenſebantur ex contactu cadaverum Gentilium. Exſtat hæc hiſtoriola in Talmude, tract. de Sabbatho, cap. 2. Legunt hoc die cap. 7. Numerorum; in quo agitur de dedicatione Tabernaculi, cujus ſtructuram die 25. Caſleu abſolutam fuiſſe, à majoribus, ut ſcribunt, accepere. Joſeph. lib. 12. Antiq. c. 11. ſolemnitatem hanc appellat *feſtum luminum.*

§. IX.

Feſtum Pourim, *h. e. ſortium.*

FESTUM hoc inſtituit Mardochæus, Eſth. 9. v. 20. & 21. appellatumque eſt feſtum פורים *Pourim* (quæ vox Perſica eſt, idemque ſignificat ac hebraïca גורל *ſors*); quia menſe Niſan, anno duodecimo regni Aſſueri, cecidit ſors coram Aman, quo die & quo menſe gens Judæorum deberet interfici; & exivit menſis duodecimus, qui vocatur *Adar*. Miſſæ ſunt igitur literæ ad univerſas provincias, ut occiderent omnes Judæos tertio decimo die hujus menſis, Eſth. 3. vv. 7. 13. Verum Dei omnipotentis nutu res aliter cecidit; quo enim die Judæorum internecionem ſperaverant hoſtes eorum, illo in Judæorum manus inciderunt; Suſis enim quingenti homines cum decem Amanis filiis jugulati ſunt, & poſtridie trecenti alii. Reliqui vero Judæi in aliis provinciis, quinque & ſeptuaginta millia hominum interfecere, & decimo quarto die quieverunt. Scripſit itaque Mardochæus omnibus Judæis, ut *quartamdecimam & quintamdecimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & revertente ſemper anno, ſolemni celebrarent honore.* Eſth. 9. v. 21. Hac autem ratione feſtum illud agitant Judæi hodierni.

Die 13. menſis *Adar* jejunant, non quidem ex Dei, ſed ex Rabbinorum præcepto. Duobus ſequentibus diebus *vacant epulis; gaudio atque conviviis*, Eſth. 9. v. 17. Nocte gaudii teſtandi cauſa candelas accendunt, leguntque librum Eſther. Cum profertur nomen *Aman*, dicunt: *Deleatur nomen ejus*, vel *nomen impiorum putreſcat.* Pueri pugnos

complodendo, & Amanen explodentes, magnum edunt strepitum. Lignis etiam vel lapidibus nomen istud inscribunt, hosque lapides vel ligna tamdiu inter se collidunt, donec nomen istud deleatur. Ubi ad locum devenerunt, in quo decem Amanis filiorum nomina recensentur, ea uno spiritu & halitu legunt; dicunt enim illos uno momento interfectos, eorumque animas fuisse simul extinctas. Speciali etiam ratione decem illa nomina in libris cum mss. tum editis describuntur, nempe unum super aliud in eadem linea perpendiculari; quia unus super alium, ut scribunt, suspensi fuere. Finita lectione, benedicunt Mardochæo, Estheræ, Harbonæ, cujus manu suspensus est Aman, & omnibus Israëlitis: maledicunt vero Amani, Zaresch uxori ejus, & omnibus idololatris, quos inter Christianos etiam comprehendunt.

His diebus amici mittunt sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largiuntur. Si sit annus intercalaris, sive embolimæus, in quo duo sunt Adar, die 14. prioris celebrant etiam festum *Pourim*, sed minori festivitate, unde vocatur *Pourim parvum*; reliqua autem in secundo Adar peragunt.

§. X.

Solemnitas sabbathi.

FESTA Judæorum claudat Sabbathum, quod ad memoriam creationis renovandam à Deo institutum, singulis hebdomadibus recurrit. Hoc ita observant Judæi.

Die Veneris ante noctem, quidquid Sabbatho comedere volunt, præparant, secundum Legem Exod. 16. v. 23. corpus, vel saltem faciem, manus, & pedes lavant, resecant ungues, cultros acuunt, vestibus Sabbathinis, h. e. elegantioribus, induuntur, linteis mundis & albis sternunt mensam, cui duplex panis mantili involutus adponitur.

Sub vesperam, Synagogæ æditus circumeundo proclamat ut à labore cessantes singuli *ad ingressum sponsæ* (ita enim sabbathum vocant) se præparent. Illud mature inchoant, eique nonnihil de præcedente die adjungunt in gratiam defunctorum, quorum animæ, cum præcatiuncula quæ incipit à voce ברכו *benedicite*, decantatur, è purgatorio, ut credunt, avolant, & in obvias quasque aquas sese projiciunt, sicque paululum refrigerantur. Judæos autem purgatorium agnoscere, ex variis Rabbinorum testimoniis liquet. Unum ex Talmude Babyl. brevitatis gratia protulisse sufficiat. Sic itaque codice *Rosch haschschana*, cap. 1. pag. 16. circa finem legere est. תניא בש אומרי ונו׳ *Traditio est schola Schammai tres* (hominum) *classes sisti in judicio: unam justorum perfectorum; alteram impiorum perfectorum; tertiam INTERMEDIORUM. Justi perfecti scribuntur, & subito firmantur ad vitam æternam. Impii perfecti scribuntur, & statim addicuntur & firmantur in gehenna, secundum illud* (Dan. 12. v. 2.) Et multi è dormientibus in terra pulveris expergiscentur; ii ad vitam æternam; & ii ad opprobria, ad contemtum sempiternum. *INTERMEDII descendunt in gehennam ubi premuntur, & ASCENDUNT*, ut dicitur (Zach. 13. v. 9.) Et adducam tertiam partem per ignem, & conflabo eos, sicut conflatur argentum; & probabo eos, sicut probatur aurum. Ipse invocabit in nomine meo, & ego exaudiam eum. *Et de his dixit Anna:* (1. Reg. 2. v. 6.) Dominus mortificat & vivificat: descendere facit ad infernum, & ascendere facit. Eadem referuntur in libro cui titulus: עין ישראל *oculus Israëlis*, parte prima, pag. 123. col. 3. num. 10. Ad Sabbathi cerimonias redeamus.

Dum adhuc igitur aliquantum superest diei, jubet paterfamilias ut mulieres lucernas *Sabbathinas* in triclinio accendant. E Synagoga domum reversi, protinus mensæ accumbunt, tumque paterfamilias accepto vini cyatho sabbathum consecrat oratione, qua finita, vinum primus ipse degustat, ce-

terisque omnibus gustandum porrigit. Postea idem paterfamilias duos panes mantili contectos accipit, eosque sursum elevatos oratione itidem consecrat; deinde frustum de alterutro, vulgo tamen de inferiore pane decisum comedit, aliisque comedendum offert. Ideo autem duos panes benedicit, quod olim Judæi in deserto cibos duplices, i. duo mannæ *Gomor* per singulos homines die sexta collegerint. Peracta vini & panis benedictione, laute, qui possunt, epulantur. A cibo, precibus iterum vacant: sed mensa ad sequentem usque vesperam strata remanet.

Postero mane Synagogam repetunt, ubi pluribus solito precibus recitatis, sectionem ex Lege perlegunt septem viri ad id numeris advocati. Incipit Sacerdos, pergit Levita, quem excipit alius Judæus, tum sequentes alii quatuor eandem sectionem alius post alium absolvunt. Hinc in quibusdam Bibliis Hebraïcis ad singulas sectiones majores in margine legitur כֹּהֵן *Sacerdos;* לֵוִי vel שֵׁנִי *Levita* vel *secundus;* יִשְׂרָאֵל vel שְׁלִישִׁי *Israël* vel *tertius;* רְבִיעִי *quartus*, חֲמִישִׁי *quintus*, שִׁשִּׁי *sextus*, שְׁבִיעִי *septimus.* Ex his quilibet sectionis particulam, ad quam voces istæ notatæ sunt, legit. Pro varia festorum ratione plures aut pauciores advocantur lectores. In noviluniis v. g. quatuor legunt; in die festo & hilari, quinque; in die expiationum, sex; in sabbatho, quod festorum omnium sanctissimum est, septem.

Lectionibus è lege subjiciunt *Haphtaram* sive lectionem ex prophetis, quam interdum pueris, eos exercendi gratia, legendam committunt. Peracta lectione, libro Legis sursum elevato, cœtui benedicitur. Postea orant pro principe vel magistratu loci illius, in quo degunt, secundum Dei præceptum in Jeremia cap. 29. v. 7. Recitant etiam pro animabus defunctorum, qui sabbathum non observarunt, precationem quæ incipit: *Pater misericordiarum*, &c. Absolutis precibus, secundas sabbathi epulas circa horam sextam, i. meridiem, celebrant; nisi quis triste ac infaustum somnium viderit; is enim ad vesperam usque cibo abstinet; sicque 70. annorum *indulgentiam* consequitur. A prandio in sacris libris aliquantulum legere & studere ex præcepto Rabbinorum tenentur.

Oblationis vespertinæ tempore, h. e. circa horam circiter tertiam pomeridianam cum dimidia, Synagogam iterum repetunt, ubi vespertinis precibus vacant, quibus finitis, tertium & ultimum Sabbathi cibum, qui levissimus est, durante adhuc Sabbatho, capiunt. Instante nocte iterum conveniunt precationis causa. Inter alias preces eam recitant, cujus initium est: *Ipse autem est misericors*, &c. eamque in noctem producunt, ut animæ defunctorum, pro quibus funditur, serius in purgatorium redeant. Hac aliisque precibus in Synagoga peractis, Sabbathum à nova septimana separat præcentor in gratiam pauperum, qui præ rei familiaris angustia id domi facere nequeunt; nam singuli patresfamilias eo munere domi defunguntur.

Hæc autem Sabbathi separatio ita peragitur. Ingentem cereum accendunt, præparant insuper pixidulam præstantibus aromatibus plenam. Tum paterfamilias vini cyathum dextera accipit, quem oratione quadam alta voce decantata consecrat, prius tamen aliquantulum vini è cyatho in terram effundit. Postea cyathum sinistra apprehendit, dextra vero aromatum pixidem, quam recitata oratione olfacit, & domesticis olfaciendam tradit. Deinde cyathum rursus dextra capit, manusque sinistræ ungues ad cereum diligenter speculatur. Cyathum rursus sinistra capit, & dexteræ ungues collustrat; quo facto cyathum in dextram resumit & ait: *Benedictus*, &c. *qui discrimen facis inter sanctum & profanum*, &c. Inter hanc precatiunculam aliquid iterum vini è cyatho in mensam effundit. Tum pauxillum quiddam de illo bibit, aliisque bibendum porrigit. Cur in hac cerimonia paterfamilias ungues tam diligenter inspiciat, olfaciat aromata, paululum vini in terram & in mensam è cyatho effundat, varias rationes afferunt Rabbini, sed futiles & stolidas, quas idcirco prætermittimus, uti & eorum superstitionem, imo stultitiam, circa quietis in Sabbatho à Deo

imperatæ obſervationem, de qua extat in Talmude tractatus prolixiſſimus, in quem doctiſſimi & præſtantiſſimi Rabbinorum commentati ſunt, & alter alterum ſubtilitate & acumine ingenii ſuperare conatus eſt, ut aliquid, quod in Sabbathi ſanctificationem cederet, comminiſceretur. Hactenus de Judæorum feſtis; nunc de illorum jejuniis.

ARTICULUS III.

De Judæorum jejuniis.

UNICUM in Lege Moſaïca præcipitur jejunium, nempe die 10. menſis *Tiſchri*, in quo feſtum expiationis celebratur. Nihilominus tamen alia jejunia à ſanctis patribus & prophetis pro temporis & neceſſitatis ratione inſtituta ſunt. Hinc Zachariæ prophetæ temporibus (cap. 8. v. 19.) quatuor publica jejunia quotannis indici ſolita legimus, quæ etiamnum ſervantur à Judæis ob calamitates & afflictiones, quæ his diebus olim patribus eorum contigerunt.

I. Eſt die 10. menſis *Teveth*, quod apud prophetam Zachariam dicitur *jejunium decimi* ſcilicet menſis anni ſacri; quia illo die Nabuchodonoſor cœpit Jeroſolymam obſidere, ac in magnas anguſtias redegit.

II. Die 17. menſis *Tammus*, quod eidem prophetæ appellatur *jejunium quarti* nempe menſis. Ideo inſtitutum eſt, quod eo die duæ Legis tabulæ ob vitulum aureum à Moſe fractæ ſunt, oblatio quotidiana ceſſavit, ſacrum Legis exemplar combuſtum eſt, idolum à Manaſſe in Templo collocatum, urbs Jeruſalem obſidione rupta fuit, & pars murorum ejus disjecta.

III. Jejunium celebratur 9. die *Abh*, diciturque Zachariæ *jejunium quinti*. Reliquis multo ſanctius & gravius habetur, quia eo die Templum primum per Nabuchodonoſorem, & ſecundum per Titum combuſtum eſt, decretum Divinum contra patres eorum, quod ingreſſuri non eſſent in terram promiſſam, latum, & urbs Bitter, in qua erant multa Judæorum millia, vaſtata eſt.

Pridie hujus jejunii ſub veſperam parce ac ſobrie cœnant. Lentes, vel piſa, vel ova conceduntur iis, qui infirmitatis cauſa eduliis coctis carere nequeunt; alii enim panem duntaxat ſale conſperſum juxta focum in terra ſedentes comedunt, & aqua potantur. Non ſimul accumbunt tres vel plures, ſed unuſquiſque ſolus aſſidere & ſilere debet, ut ſcriptum eſt Thren. 3. v. 28. *Sedebit ſolitarius & tacebit*. In lecto tam molli, ac ſoliti ſunt, hac nocte non cubant; qui duobus pulvillis antea uſus eſt, unico tantum utitur; cui unicus fuit, illo nunc abſtinet. Quidam loco pulvini lapidem capiti ſupponunt exemplo Jacobi, Gen. 28. v. 11. In tenuium linteorum locum craſſa ſubſtituunt. Denique omnia immutata & deteriora eſſe debent; ſicque ad jejunium iſtud ſe præparant Judæi.

Quod autem ſpectat ad ritum, quo ſolemnem hunc diem celebrant, is eſt. Prima veſpera nudis pedibus in Synagogam ſe conferunt, velum ab arca, in qua volumen Legis aſſervatur, removent, ſedent in terra more lugentium, ad candelæ unius lumen preces & Threnos Jeremiæ legunt, &c. Mane ſequenti Synagogam repetunt, in qua ſolitas preces matutinas recitant, ibique manent uſque ad meridiem humi ſedentes, & in cinere ſeſe volutantes. Meridie è Synagoga exeuntes, cœmeterium ad luctum excitandum petunt. Domum reverſi, legunt triſtes hiſtorias, puta Jobum, & præcipue Threnos Jeremiæ. Nemo alterum ſalutare debet; dies enim iſte dies ſalutis non eſt, ſed mœroris & ejulatus. Nocte decima, ſeu à qua incipit dies decimus, laudabilis conſuetudo eſt, ut à carne & vino abſtineant. Imo hoc etiam decimo die jejunandum eſſet, quia ſub veſperam diei noni ignis Templo injectus eſt, & ad occaſum uſque ſolis diei decimi conflagravit; verum quia per biduum

jejunium sustinere paucorum est, nono tantum die jejunant; decimo tamen lætitiæ & voluptatibus indulgere prohibitum.

IV. Jejunium die 3. mensis septimi nempe *Tischri* celebratur in memoriam Godoliæ Judæis, qui in Babyloniam abducti non fuerant, præpositi, qui hostium dolis & fraudibus misere trucidatus est, & cujus mors plurimarum aliarum calamitatum, quæ ipsis evenerunt, causa fuit.

Hæc sunt quatuor præcipua Judæorum publica jejunia, quorum meminit Zacharias cap. 8. v. 19. & quibus interdum etiam addunt extraordinaria; quoties videlicet publicæ calamitates ingruunt, puta bellum, pestis, fames, morbus epidemius, pluviarum defectus, aut nimia earum abundantia, &c.

Alia jejunia, quæ in Kalendario mox describendo notantur, ab omnibus non observantur; sed à quibusdam tantum, qui majorem pietatis speciem affectant. Sunt etiam qui post festum Paschatis & Tabernaculorum tria sibi indicunt jejunia, nempe die lunæ, Jovis, & rursum die lunæ sequenti, ut Deo faciant satis, si forte illa festa, quæ octo dies durant, non rite celebrarint, vel transgressione aliqua violarint. Quidam pridie omnium noviluniorum, quidam etiam quoties aliquid infausti, puta librum Legis conflagrantem, noctu somniarunt, jejunant. Quilibet eo die, quo pater ejus mortuus est, per totam vitam tenetur jejunare.

Qui aliis sanctiores videri cupiunt, etiamnum singulis hebdomadis, diebus lunæ & Jovis, ut Pharisæus ille, de quo Luc. 18. v. 12. jejunant. Jejunium istud tribus de causis observatur. 1°. Propter vastationem Templi. 2°. Ob combustum Sanctuarium. 3°. Propter nomen Dei profanatum. Cum duo illi dies ex parte festi sint, qua ratione eos observent, hîc describere juvat.

Mane in Synagogam conveniunt, ubi precantur, canunt, multasque alias preces solitis matutinis adjiciunt. Tum magna pompa librum Legis ex arca promunt, in eoque sectionem hebdomadæ legunt. Quo apparatu id fiat, paucis hîc declarandum. In singulis Synagogis Pentateuchum habent membranis vitulinis in longitudinem consutis, crassioribus characteribus absque punctis inscriptum. Ad utrasque voluminis hujus extremitates duo ligna tornata annectuntur, quibus convolvi, tolli, & circumferri queat. Hæ membranæ in latitudine habent sesquiulnam, in longitudine vero quinquaginta. In scriptione magna cura atque diligentia adhibenda est, adeo ut si vel in unica litera mendum sit, totus liber prophanus habeatur. In peculiari arca vel capsula muro ut plurimum versus orientem impacta, in Synagogis asservatur.

Arcam hanc vocant ארון הקדש *arcam sanctitatis*, ad imitationem arcæ fœderis, in qua liber Legis repositus erat. In hac arca, sive armario, reponebantur etiam antiquitus libri Canonici, dum ea excludebantur alii. Hinc apud Tertull. Epiphan. Joan. Damasc. &c. in arca reponi & Canonicum esse, de libro Scripturæ dictum, idem est. Ante capsulæ hujus operculum pendet velum elegans ac pretiosum. Porro liber iste peculiari linteo fasciæ instar quatuor aut quinque ulnas longo & palmum lato involvitur, ac præterea contegitur panno seu palliolo interdum bombycino vel heteromallo, quandoque etiam Attalico.

Tria sunt circa librum illum officia, quæ ambiunt Judæi, & magno emunt pretio. Primum est גלילה *complicatio*, munus complicandi & replicandi librum. Secundum עץ חיים *lignum vitæ*, quo nomine appellant ligna illa tornata, de quibus supra; munus illud in hoc positum est, ut quis illa ligna teneat & prehendat. Tertium הגבהה *elevatio*, quo quis librum sustollit, circumfert, & populo scripturam Legis ostendit.

Cum חזן *Hhazzan*, vel præcentor, aut æditiuus (idem enim sunt) librum Legis ex arca profert, singuli Hebraïce canunt: *Cum elevaretur* (aut proficisceretur) *arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua*, Num. 10. v. 35. *De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem*, Isai. 2. v. 3. Cum idem præcentor librum in brachium

sumit, Hebraïce itidem canit: *Magnificate Dominum mecum, exaltemus nomen ejus simul*, seu *in idipsum*, Psal. 33. Heb. 34. v. 4. cœtus respondet Hebraice: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, Psal. 97. Heb. 98. v. 5. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus; quoniam sanctus Dominus Deus noster*, Ibid. v. 9. Dum ad suggestum librum defert, accurrunt omnes, & volumen in ulnis ejus osculantur. Qui ore non potest, manu tangit, quam deinde osculatur. Libro deposito super mensa, quæ mappa, vel etiam bombycino aut holoserico tapete operitur, accedit *Segben*, qui proximus est à summo Sacerdote vel Archisynagogo, & stans ad sinistram præcentoris pannos removet, & librum explicat; tum mandat præcentori quemnam ad legendum advocare debeat. Vocatur autem 1. Sacerdos suo & patris sui nomine, hoc modo: *Surgat & ascendat Rabbi* N. *filius* N. *sacerdos*. Hic accedens, & in medio amborum se sistens, pannis, quibus liber involvitur, osculum affigit, prehensisque duobus lignis inferioribus, antequam legere incipiat, alta & clara voce dicit: *Benedicite Deo Benedicto*. Cœtus respondet: *Benedictus esto Deus Benedictus in sæcula sæculorum*. Post aliam benedictionem, stans legit locum sibi à præcentore stylo argenteo monstratum; librum enim manu contingere non audet. Peracta lectione, & benedictionibus, gratiarum actionibus, precibusque recitatis, quibus cœtus respondet *amen*, locum alteri cedit. Eodem modo advocantur duo alii, quorum unus debet esse Levita, alter simpliciter Israëlita, sive Judæus. Hi duo primum per omnia tam legendo quam benedicendo imitantur. Lectio autem stando fieri debet, nec pauciores quam decem versus à singulis legendi. Finita lectione, accedit minister *elevationis*, qui librum explicatum quam altissime potest gestat, & circuitus aliquot conficit, ut Legis scripturam omnes videre possint. Interea cœtus clamat: *Hæc est illa Lex, quam Moses filiis Israël proposuit*. Postea accedunt duo alii libri ministri, quorum alter eum complicat, alter fascia & palliolo involvit. Quo facto, juvenes senesque veniunt, qui voluminis tornata ligna osculantur, duobus digitis tangunt, quos è vestigio oculis suis admovent; id enim præsentissimum adversus cœcitatem & lippitudinem remedium arbitrantur. Dum præcentor in arcam librum defert, Deo laudes decantat, quibus cœtus alias subjungendo respondet. Libro recondito, preces absolvunt, quibus peractis, nec prius, è Synagoga egrediuntur dicendo: *Domine, deduc me in justitia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu meo viam tuam*, &c. Redeamus ad Jejunia.

Jejunium publicum nullum fieri debet in die septimanæ quinto, quia in comparandis necessariis pro Sabbatho & ejus epulis eo die occupati sunt. Nullum etiam privatum sibi indicendum est die Sabbathi, novilunii, festi alicujus solemnis, dedicationis Templi, Pourim, & vespera diei expiationum, nisi ob infaustum somnium, ut vidimus supra.

Diebus jejuniorum orationibus ordinariis addunt confessiones peccatorum. Domi leguntur tristes historiæ earum rerum, quæ uno quoque die contigerunt, & in Synagoga versus 11. 12. 13. & 14. cap. 32. Exod. Idem fit in oratione vespertina. Adjungitur *Haphtara* seu lectio prophetica ex Isai. cap. 55.

Doctores, professores, & pædagogi jejunium nullum privatum sibi debent injungere; quia vires eorum debilitat, & muneri eorum rite obeundo impares reddit: à jejunio autem publico immunes non sunt.

Hæc de Judæorum festis ac jejuniis obiter annotasse sufficiat. Qui eorum aliorumque gentis hujus rituum accuratiorem notitiam habere desiderat, adeat Clarissimi Buxtorfii Patris *Synagogam Judaïcam* à doctissimo ejus filio recensitam, à qua præsertim mutuati sumus, quod hîc exhibemus compendium. Nunc subjiciendum Kalendarium, in quo ad singulorum mensium dies hæc festa ac jejunia annotantur. In eo edendo initium faciemus à Tischri primo anni civilis mense.

ARTICULUS IV.

De fastis Judaïcis.

I. TISCHRI תִּשְׁרִי *plenus.*

Septemb. Octob.

Dies mensis.	*Festa & Jejunia.*
1.	Neomenia. Initium anni civilis, & festum clangoris tubarum, Lev. 23. v. 24. Num. 29. v. 1.
2.	
3.	Jejunium ob Godoliam occisum, 4. Reg. 25. v. 25. Jerem. 41. v. 2. Jejunium septimi mensis anni sacri, Zach. 8. v. 19.
4.	
5.	Jejunium. Moriuntur 20. Israëlitæ.
6.	
7.	Jejunium ob decretum in patres nostros gladium & famem propter vitulum aureum fabricatum.
8.	
9.	
10.	Jejunium & festum expiationis, Lev. 23. v. 27.
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	Scenopegia, seu festum Tabernaculorum, Lev. 23. v. 34.
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	Hosanna rabba; sive festum Ramorum.
22.	*Atsereth*, seu Octava Scenopegiæ, Lev. 23. v. 36.
23.	Festivitas lætitiæ Legis, i. ob Legem acceptam, & lectionem ejus absolutam.
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	
30.	

II. MARHHESCHVAN מַרְחֶשְׁוָן *cavus.*

Octob. Novemb.

Dies mensis.	*Festa & Jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	Jejunium. Excœcatur Sedecias, & filii ejus coram ipso jugulantur, 4. Reg. 25. v. 7. Jerem. 52. v. 10.
7.	
8.	
9.	
10.	
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	

In annis abundantibus tum communibus, tum embolimæis, hic mensis ex cavo plenus fit, seu constat 30. diebus.

III. KISLEV כסלו *plenus.*

Novemb. Decemb.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	Jejunium. Joakim combussit volumen à Barucho scriptum dictante Jeremia, Jerem. 36. v. 23.
8.	
9.	
10.	
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	
24.	
25.	Encænia, 1. Mach. 4. v. 52. &c.
26.	
27.	
28.	
29.	
30.	

Hic mensis in annis defectivis cum embolimæis, tum communibus, cavus est, seu 29. diebus constans.

IV. TEVETH טבת *plenus.*

Decemb. Januar.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	
8.	Jejunium ob legem in diebus Ptolemæi Regis Græce conversam.
9.	Jejunium, cujus causa latet.
10.	Jejunium. Obsidetur Jerusalem à Rege Babylonis. Hujus meminit Zach. 8. v. 19.
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	

V. SCHEVAT שְׁבָט *plenus.*

Januar. & Februar.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	
8.	Jejunium. Mortui sunt seniores Josuæ coævi, Jud. 2. v. 10.
9.	
10.	
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	Jejunium. Congregati sunt Israëlitæ contra Benjamin, propter pellicem & idolum Micha, Jud. capp. 18. & 20.
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	
30.	

VI. ADHAR אֲדָר *cavus.*

Februar. & Mart.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	Jejunium. Moritur Moses magister noster, Deut. 34. v. 5.
8.	
9.	Jejunium. Scholæ Schammai & Hillel contendere cœperunt.
10.	
11.	
12.	
13.	Festivitas. Nicanor occiditur, 2. Mach. 15. v. 37. Jejunium Esther.
14.	Festum minus *Pourim*, seu sortium.
15.	Festum majus sortium, Esth. 9. v. 27.
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	

VII. NISAN נִיסָן *plenus.*

Martius & Aprilis.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia. Initium anni sacri. Jejunium. Mortui sunt Aaronis filii, Lev. 10. v. 2. Num. 3. v. 4.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	
8.	
9.	
10.	Jejunium. Moritur Maria soror Mosis, Num. 20. v. 1. Eligitur agnus Paschalis, Exod. 12. v. 3.
11.	
12.	
13.	
14.	Pascha, Exod. 12. Lev. 23.
15.	Prima dies Azymorum, Lev. 23. v. 6.
16.	Oblatio *Omer*, seu manipuli frugum, Lev. 23. v. 11. Incipiunt numerari 7. hebdomades, post quas celebratur festum Pentecostes, ibid. v. 15.
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	Solemnitas. Finis azymorum, Lev. 23. v. 6.
22.	
23.	
24.	
25.	
26.	Jejunium. Moritur Josue filius Nun, Jos. 24. v. 29.
27.	
28.	
29.	
30.	

VIII. IIIAR אִיָּר *cavus.*

Aprilis & Maius.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	
8.	
9.	
10.	Jejunium. Moritur Eli Pontifex, 1. Reg. 4. v. 18. Capta est Arca, ibid. v. 11.
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	Jejunium. Moritur Samuel propheta, 1. Reg. 25. v. 1. & 28. v. 3.
29.	

IX. Sivan סִיוָן *plenus.*

Maius & Junius.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	Festum hebdomadarum, sive Pentecoste, Lev. 23. v. 15.
7.	
8.	
9.	
10.	
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	Jejunium ob idololatriam & defectionem 10. tribuum tempore Jeroboami, 3. Reg. 12. v. 27. &c.
24.	
25.	Jejunium. Occiditur R. Simeon Gamalielis filius, &c.
26.	
27.	Jejunium. Combustus est R. Hanina Tardionis filius cum libro Legis.
28.	
29.	
30.	

X. Tammouz תַּמּוּז *cavus.*

Junius & Julius.

Dies mensis.	*Festa & jejunia.*
1.	Neomenia.
2.	
3.	
4.	
5.	
6.	
7.	
8.	
9.	
10.	
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	Jejunium. Franguntur tabulæ Legis, Exod. 32. v. 19. Cessat juge sacrificium. Epistemon Legem combussit, & posuit statuam in Templo.
18.	
19.	
20.	
21.	
22.	
23.	
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	

XI. ABH אָב *plenus.*

Julius & Augustus.

Dies mensis. — *Festa & jejunia.*

1. Neomenia. Jejunium. Moritur Aaron pontifex, Num. 33. v. 38.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8. Jejunium. Decretum contra patres nostros, ne ingrederentur in terram Chanaan, Num. 14. v. 23. Urbs excisa. Vastatio Templi prioris & posterioris.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18. Jejunium. Exstincta est lucerna vespertina, aliis, occidentalis, in diebus Achaz, quo tempore Sacerdotes, Levitæ, &c. expulsi sunt, ac fores Templi clausæ, confer lib. 2. Paral. capp. 28. 29.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

XII. ELOUL אֱלוּל *plenus.*

Augustus & September.

Dies mensis. — *Festa & jejunia.*

1. Neomenia.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17. Jejunium. Moriuntur exploratores, qui terræ promissionis detraxerant, Num. 14. v. 36. &c.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.

ARTICULUS V.

De neomenia Tischri inventione.

§. I.

Prima & perpetua neomeniæ hujus inveniendæ ratio.

A Neomenia *Tischri* pendent aliorum mensium neomeniæ. Quare, ut primum istud anni civilis novilunium facilius inveniatur, duæ in primis adornatæ sunt tabulæ.

TABULA I. continet in I. columna annos Judaïcos priores 19. in II. annos periodi Julianæ, à quibus anni illi Judaici ineunt; in III. cyclum solis; in IV. cyclum lunæ; in V. characteres mensis *Tischri*, h. e. 1°. feriam à qua incipit, quæque denotatur per numerum primum; 2°. horam, quam indicat numerus secundus; 3°. denique scrupula horaria, quæ numerus tertius exhibet; quanvis enim civiles Judæorum menses alternis, fere nostrorum more, pleni sint & cavi; neque appendices horariæ vulgo locum habeant; nihilominus tamen in civilibus neomeniis statuendis fractionum ac minutiarum epilogismos diligenter observant Judæorum astronomi, qui horam in 1080. scrupula primaria, scrupulum primarium in 1080. secundaria, &c. tribuunt. Ideo autem hora in 1080. partes ab illis dividitur, non in 60. minuta, quia numerus iste 1080. in plures partes integras, quam numerus 60. dividitur. Et sane, media pars 1080. est 540. quarta 270. quinta 216. sexta 180. octava 135. nona 120. decima 108. In eadem tabula describitur etiam quoto die mensis Juliani incœperit neomenia *Tischri* per 19. primos annos Judaïcos. Primum enim novilunium commissum fingitur à Judæis 7. die Octobris ineunte, h. e. in exordio noctis (eo enim tempore dies incipiunt) post sextum diem absolutum, feria 2. hora 5. cum scrup. 204. anno periodi Julianæ 953. cyclo Lunæ Judaico 1. Juliano 3. cyclo solis 1. litera Dominic. G. F. istudque novilunium vocant novilunium תהו *tóhou*, h. e. *confusionis*, & inane sive fictitium; opinantur enim primum orbis conditi annum incœpisse non anno periodi Julianæ 953. sed sequente 954. ita ut primus dies Tischri respondeat diei 26. Septembris nostri, cujus character est 6. 14. 0. sive fer. 6. hor. 14. scrup. 0. i. e. sine ullis scrupulis horariis. Attamen facilioris methodi gratia uno anno mundi primordium antevertunt. Quemadmodum τοῦ Tischri, ita & aliorum mensium characteres per 19. priores mundi annos eadem tabula I. repræsentat.

Cum cycli solaris & periodi Jul. mentionem fecerimus, non ab re fuerit, antequam ultra progrediamur, pauca de iis disserere.

Cyclus solaris est orbis annorum 28. quo septem hebdomadis feriæ ordine decurrentes ad idem, unde profectæ sunt, caput revertuntur, & eundem deinceps ordinem tenent. V. G. Si annus incipiat die 1. Januarii, feria 1. litera A; post 28. annos, h. e. anno 29. incipiet ab eadem feria & litera; quod octavo quoque anno cōtingere deberet: verum dies, qui singulis quatuor annis ante VI. Kalend. Mart. infunditur, æquabilem hunc cursum interpellat. Septem autem hebdomadis feriæ septē primis alphabethi literis distinguuntur, quarum unaquæque vice sua feriam primam sive diem Dominicam designat, excepto anno bissextili, sive in quo dies ante VI. Kalendas Martias interseritur, & cui duæ literæ Dominicales assignantur, quarum prima seu superior in cyclo mox describendo, à prima die Januarii ad VI. Kalendas Martias inclusive Dominicam indicat; secunda vero sive inferior in reliquo anno, h. e. à VI. Kal. Martias exclu-

ſive uſque ad finem anni, eandem Dominicam repræſentat. Methodi Paſchalis conditores cyclum hunc à biſſextili, & literis G. F. auſpicati ſunt, hoc modo:

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.
G.	E.	D.	C.	B.	G.	F.	E.	D.	B.	A.	G.	F.	D.	C.	B.	A.	F.	E.	D.	C.	A.	G.	F.	E.
F.				A.				C.				E.				G.				B.				D.

26.	27.	28.	29.
C.	B.	A.	G.
			F.

Et ſic in altero cyclo, repetitis iiſdem literis.

Ratio cycli ſolis, ſive literæ Dominicalis inveniendæ ante Kalendarii correctionem anno 1582. à Gregorio XIII. invectam facilis eſt; dividatur enim annus propoſitus per cyclum ſolarem integrum, nempe 28, & addantur 9. anni his, qui diviſione peracta ſuperſunt, habebitur annus cycli ſolaris & ſimul litera Dominicalis, quæ ei ſubjicitur. V. G. quæritur cyclus ſolis anni 542. æræ Chriſtianæ, hac ſumma per 28. diviſa, reſtant decem, quibus ſi 9. addideris, habebis 19. cycli ſolaris, & proinde E pro litera Dominicali. Si additis 9. ad annos, qui poſt diviſionem reſtant, numerus major τοῦ 28. emergat, ex illa ſumma exime 28, & reſiduum erit cyclus ſolaris. Ideo autem 9. ad reſiduum ſummæ diviſæ adjiciuntur, quia cyclus ſolis cum æra Chriſtiana non incœpit, ſed novem ex eo anni jam præceſſerant.

Poſt emendationem Gregorianam litera Dominicalis ſequenti tabula facile invenitur.

Cyclus Solaris.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
	Literæ. Dominicales.																											
A	gf	e	d	c	ba	g	f	e	dc	b	a	g	fe	d	c	b	ag	f	e	d	cb	a	g	f	ed	c	b	a
B	ag	f	e	d	cb	a	g	f	ed	c	b	a	gf	e	d	c	ba	g	f	e	dc	b	a	g	fe	d	c	b
C	ba	g	f	e	dc	b	a	g	fe	d	c	b	ag	f	e	d	cb	a	g	f	ed	c	b	a	gf	e	d	c
D	cb	a	g	f	ed	c	b	a	gf	e	d	c	ba	g	f	e	dc	b	a	g	fe	d	c	b	ag	f	e	d
E	dc	b	a	g	fe	d	c	b	ag	f	e	d	cb	a	g	f	ed	c	b	a	gf	e	d	c	ba	g	f	e
F	ed	c	b	a	gf	e	d	c	ba	g	f	e	dc	b	a	g	fe	d	c	b	ag	f	e	d	cb	a	g	f
G	fe	d	c	b	ag	f	e	d	cb	a	g	f	ed	c	b	a	gf	e	d	c	ba	g	f	e	dc	b	a	g

Septem literæ, quæ ad lævam diagrammatis hujus diſponuntur, indicant literarum Dominicalium ſeriem, quæ ſæculis integris uſurpanda eſt, hoc modo:

D	1582.	A	2100.	F	2700.	C	3300.	A	3900.	E	4500
	1600.	B	2200.		2800.	D	3400.		4000.	F	4600.
E	1700.	C	2300.	G	2900.	E	3500.	B	4100.	G	4700.
F	1800.		2400.	A	3000.		3600.	C	4200.		4800.
G	1900.	D	2500.	B	3100.	F	3700.	D	4300.	A	4900.
	2000.	E	2600.		3200.	G	3800.		4400.	B	5000. &c.

Tabula hæc in infinitum usque deduci potest, modo trecentesimis & quadringentesimis annis eadem assignetur litera. Post Kalendarii emendationem à Gregorio imperatam, facile est literam Dominicalem invenire; cognito enim, methodo superius tradita, cyclō solis, quærenda est in serie, quæ sæculo anni propositi inservit, litera quæ cyclo solis invento respondeat, eaque erit Dominicalis. Si litera illa unica fuerit, annus erit communis; si cum alia conjuncta, erit bissextilis, tuncque prior litera diem Dominicum indicabit ad VI. Kalendas Martias, sive 24. diem Februarii inclusum, posterior vero ab hoc die ad finem usque anni Dominico diei commonstrando inserviet. Exemplum. Anno Christi 1727. cyclus solis est 28. Quæratur 1°. is cyclus in capite diagrammatis; quæratur 2°. in annorum serie E huic sæculo 1700. respondente, litera quæ cyclo 28. subjecta est, & invenietur *e*; quæ litera, cum sit unica, annum esse communem, h. e. bissextilem non esse indigitat. Anno insequente 1728. cyclus solis est 1. quære è regione E cellulam huic cyclo 1. respondentem, invenies *d. c.* proindeque annus erit bissextilis; in eoque litera *d.* Dominicalis erit ab anni principio ad VI. Kalend. Martias, à quo die altera litera *c* erit Dominicalis. Ideo autem anni illi *bissextiles* vocantur, quod in iis dies una inseratur post VI.Kalend. Martias, bisque dicatur VI. Kalend. Mart. nempe 24. & 25. die Februarii. Hinc annorum illorum, qui quarto quoque anno recurrunt, Februarius constat 29. diebus, festum S. Mathiæ celebratur 25. die, non 24. ut in annis communibus, & litera f, quæ est è regione VI. Kalend. Martias, iteratur.

Quid sit cyclus lunæ diximus supra pag. 429. col. 2. Is eadem facilitate, qua solaris, invenitur. Diviso enim anno quolibet ab æra Christiana proposito per 19. qui est cyclus lunæ integer; residuum, uno addito, erit cyclus lunæ. Unitas autem adjicitur, quod in primo æræ Christianæ anno cyclus lunæ esset 2. proindeque addendus est cyclus 1. qui æram Christianam vulgarem antecessit.

Indictio, ex qua etiam Periodus Juliana, de qua mox, componitur, cyclus est 15. annorum, quibus exactis, alia de novo incipit. Triplicis erat generis Indictio, I. Constantinopolitana, quæ Kalendis Septembris; II. Cæsarea, quæ die 24. ejusdem mensis; III. Pontificia sive Romana, quæ Kalendis Januariis sequentibus incipiebat. Vide Petav. Ration. temp. part. 1. l. 6. cap. 1. Anni cujuslibet propositi Indictionem habebis, si annum illum per 15. diviseris; residuum enim, tribus ei additis (nam primo æræ Christianæ vulgaris anno Indictio erat 4.) quæsitam Indictionem exhibebit.

Periodus Juliana ex tribus cyclis componitur, solis nempe 28. annorum, lunæ 19. & Indictionis 15. qui in se ducti 7980. annos conficiunt. Dicitur Juliana, quod annis Julianis constet, & ad eos accommodetur. Orbem conditum antecedit annis 730. secundum Petavium, 710. secundum Usserium, & 953. secundum Judæos. Primus annus æræ Christianæ vulgaris respondet anno 4714. hujus Periodi. Dico *vulgaris;* Christus enim, ut observarunt Chronologorum doctissimi, natus est quadriennio integro citius quam vulgo creditur, nempe anno 4709. exeunte hujus periodi, non vero 4713. Vide Annales Usserii pagg. 600. & 608. edit. Paris. 1673. Mira est hujus periodi utilitas; nam

1°. Annis singulis sui sunt characteres, qui nulli alteri competunt. Annus 6440. v. g. in quem incidit annus æræ Christianæ 1727. habet cyclum solis 28. lunæ 18. Indictionis 5. qui characteres nulli alteri anno, præterquam isti, in tota hac periodo congruunt. Ex quo fit, ut, datis in quovis anno his cyclis, quem locum in periodo Juliana is annus obtineat, h. e. quoto tempore æram Christianam præcedat vel sequatur, quivis facile intelligat. Hoc ut fiat, ex cyclo solis (additis 28. si opus est) detrahendus est lunæ cyclus, & per residuum multiplicandus numerus 56. tum summæ productæ addendus est cyclus solis datus vel simplex, vel una cum 28. ipsi additis. Deinde ex hac summa detrahendi sunt 532. quoad fieri poterit. Ex reliqua summa detrahenda quoque

que est Indictio, residuum per 15. dividendum, reliquum divisionis in 1064. ducendum, denique producto addendum quod reliquum fuit ex summa unde detracti sunt 532. Summa amborum, abjectis 7980. sive integra periodo Juliana, quoties fieri poterit, erit annus Julianæ periodi quæsitus. Exemplo sint cycli supra dati, nimirum solis 28. lunæ 18. Indict. 5. E cyclo solis 28. deduc 18. lunæ, residuum 10. duc in 56. fient 560. quibus adde 28. cycl. sol. summa erit 588. de qua aufer 532. restabunt 56. ex quibus etiam detrahe Indictionem 5. supererunt 51. quem numerum partire per 15. residuum erit 6. quod duc in 1064. productum erit 6384. cui adde 56. (quæ summa reliqua est post detractionem 532. de quibus supra) fient 6440. ex quibus cum 7980. sive periodus Juliana integra detrahi non possit, sequitur annum 6440. esse periodi hujus annum, cui competunt cycl. sol. 28. lunæ 18. Indictionis 5. Cum cyclus solis minor est aut æqualis cyclo lunæ, qui ex eo detrahendus est, addendus est cyclus solis integer 28. annorum. Ita etiam numerus 532. sive periodus Victoriana sic detrahenda est, ut supersit unde eximatur Indictio. Hinc si bis v. g. eximi posset, &, ea facta detractione, satis non esset unde substraheretur Indictio, semel tantum eximenda foret ea periodus Victoriana. Duplicis hujus observationis periculum facere potes in cycl. sol. 1. lun. 1. ind. 2. qui congruunt anno P. J. 6917.

2°. De annis ab orbe condito ad æram Christianam tot fere sunt sententiæ quot chronologi. Præterea, cum annorum, quibus historiæ vel epochæ illigantur, varia sint exordia, eorumque nonnulli à verno tempore incipiant, ut anni urbis Romæ; alii à solstitio æstivo, ut Olympiades; alii ab autumno, ut Judaïci; alii ab hyeme, ut Juliani; qui annum alium, quam Julianum, quo nunc utuntur omnes chronologi, conceperit; is utrum ineunte anno illo, an exeunte, ut cum Juliano comparetur, res quam narrat, contigerit, explicet necesse est. Unde cum in hunc vel illum mundi annum incidisse quidpiam in Chronico legimus, nihilo doctiores sumus, nisi quot annos ab orbe condito ad æram Christianam, aut ætatem nostram numeret chronologus, & quo insuper annorum genere utatur, compertum habeamus. At in hac periodo omnia plana sunt. Prima Olympias v. g. iniit anno P. J. 3938. Hos annos exime ex 4714. quo anno incipit æra Christiana, superabunt anni 777. ante æram Christianam, vel 776. ante vulgarem Christi natalem.

3°. Ad institutum nostrum quod in primis attinet, ea id habet commodi, quod in annis à Christo nato elapsis cycli solis, lunæ, & Indictionis, sine ulla adjectione reperiantur, si anni illi ad hanc Periodum accommodentur, h. e. si anno æræ Christianæ dato adjiciantur 4713. quot annis æram illam antecessit ista Periodus. E. G. si huic anno 1726. addas 4713. conficiet annus Periodi Julianæ 6439. His annis 6439. per 28. divisis, residuum dabit cyclum solis, nempe 27. Iisdem divisis per 19. reliquum erit cyclus lunæ, nimirum 17. Denique si per 15. dividantur, quod superit, Indictionem ostendet, scilicet 4. Cum, facta illa divisione, nihil superest, ultimus cycli annus currit, ut patet de cyclo solis in anno Christi 1727. periodi Jul. 6440. de cyclo lunæ in anno 1728. period. Jul. 6441. & de cyclo Indictionis in anno 1737. period. Jul. 6450.

Hæc pro tabulæ I. explicatione sufficiant, in cujus 1. col. à sinistris litera E annos embolimæos; in 1. vero à dextris litera O primo *Adhar* subjecta mensis hujus, qui annis tantum embolimæis competit, absentiam indicat.

TABULA II. exhibet in I. col. cyclos per 19. primo, deinde per 13. collectos; in II. cyclos lunæ collectos; in III. cyclum solis, h. e. id quod residuum est si anni collecti in prima columna per 28. dividantur; in IV. characteres cyclorum; nempe ferias, horas, & scrupula Judaïca, in quæ enneadecaëteris Judaïca sive cyclus 19. annorum desinit; in V. excessum, quo lunaris cyclus à Juliano superatur. Neque enim, ut diximus supra pag. 429. post 19. annos exactos eadem omnino fit peræquatio motuum solis & lunæ; nam luna solem antevertit 1. hor. 27′. 32″. 41‴.

Anni Judaïci, & Cyclus Lunæ Judaïcus.	*Anni Periodi Julianæ, à quibus anni Judaïci ineunt.*	*Cyclus Solis.*	*Cyclus Lunæ Julianus.*	TISCHRI. *Fer. Hor. Scr.*	MARHHESCHVAN. *Fer. Hor. Scr.*	KISLEV. *Fer. Hor. Scr.*	TEVETH. *Fer. Hor. Scr.*	SCHEVAT. *Fer. Hor. Scr.*
I.	953.	1.	3.	Octobris vii. 2. 5. 204.	Novemb. v. 3. 17. 997.	Decembr. v. 5. 6. 710.	Januarii iii. 6. 19. 423.	Februarii ii. 1. 8. 136.
II.	954.	2.	4.	Septe. xxvi. 6. 14. 0.	Octob. xxvi. 1. 2. 793.	Nove. xxiv. 2. 15. 506.	Dece. xxiv. 4. 4. 219.	Januar. xxii. 5. 16. 1012.
E. III.	955.	3.	5.	Septem. xv. 3. 22. 876.	Octobris xv. 5. 11. 589.	Novem. xiv. 7. 0. 302.	Decem. xiii. 1. 13. 15.	Januarii xii. 3. 1. 808.
IV.	956.	4.	6.	Octobris iv. 2. 20. 385.	Novem. iii. 4. 9. 98.	Decembr. ii. 5. 21. 891.	Januarii i. 7. 10. 604.	Januar. xxx. 1. 23. 317.
V.	957.	5.	7.	Septe. xxiii. 7. 5. 181.	Octob. xxii. 1. 17. 974.	Novem. xxi. 3. 6. 687.	Decem. xx. 4. 19. 400.	Januar. xix. 6. 8. 113.
E. VI.	958.	6.	8.	Septem. xii. 4. 13. 1057.	Octobris xii. 6. 2. 770.	Novemb. x. 7. 15. 483.	Decembr. x. 2. 4. 196.	Januar. viii. 3. 16. 989.
VII.	959.	7.	9.	Octobris i. 3. 11. 566.	Octob. xxxi. 5. 0. 279.	Nove. xxix. 6. 12. 1072.	Dece. xxix. 1. 1. 785.	Jan. xxvii. 2. 14. 498.
E. VIII.	960.	8.	10.	Septemb. xx. 7. 20. 362.	Octobris xx. 2. 9. 75.	Nove. xviii. 3. 21. 868.	Dece. xviii. 5. 10. 581.	Januar. xvi. 6. 23. 294.
IX.	961.	9.	11.	Octobr. viii. 6. 17. 951.	Novem. vii. 1. 6. 664.	Decemb. vi. 2. 19. 377.	Januarii v. 4. 8. 90.	Februarii iii. 5. 20. 883.
X.	962.	10.	12.	Septe. xxviii. 4. 2. 747.	Octo. xxvii. 5. 15. 460.	Nove. xxvi. 7. 4. 173.	Dece. xxv. 1. 16. 966.	Janua. xxiv. 3. 5. 679.
E. XI.	963.	11.	13.	Septem. xvii. 1. 11. 543.	Octob. xvii. 3. 0. 256.	Novem. xv. 4. 12. 1049.	Decem. xv. 6. 1. 762.	Januar. xiii. 7. 14. 475.
XII.	964.	12.	14.	Octobris vi. 7. 9. 52.	Novemb. iv. 1. 21. 845.	Decemb. iv. 3. 10. 558.	Januarii ii. 4. 23. 271.	Februarii i. 6. 11. 1064.
XIII.	965.	13.	15.	Septe. xxiv. 4. 17. 928.	Octob. xxiv. 6. 6. 641.	Nove. xxii. 7. 19. 354.	Dece. xxii. 2. 8. 67.	Januarii xx. 3. 20. 860.
E. XIV.	966.	14.	16.	Septem. xiv. 2. 2. 724.	Octobr. xiii. 3. 15. 437.	Novem. xii. 5. 4. 150.	Decemb. xi. 6. 16. 943.	Januarii x. 1. 5. 656.
XV.	967.	15.	17.	Octobris iii. 1. 0. 233.	Novembr. i. 2. 12. 1026.	Decembris i. 4. 1. 739.	Decem. xxx. 5. 14. 452.	Janua. xxix. 7. 3. 165.
XVI.	968.	16.	18.	Septem. xxii. 5. 9. 29.	Octobr. xxi. 6. 21. 822.	Novem. xx. 1. 10. 535.	Decem. xix. 2. 23. 248.	Janua. xviii. 4. 11. 1041.
E. XVII	969.	17.	19.	Septembr. x. 2. 17. 905.	Octobris x. 4. 6. 618.	Novem. viii. 5. 19. 331.	Decem. viii. 7. 8. 44.	Januarii vi. 1. 20. 837.
XVIII.	970.	18.	1.	Septe. xxix. 1. 15. 414.	Octob. xxix. 3. 4. 127.	Nove. xxvii. 4. 16. 920.	Dece. xxvii. 6. 5. 633.	Januar. xxv. 7. 18. 346.
E. XIX.	971.	19.	2.	Septem. xix. 6. 0. 210.	Octob. xviii. 7. 12. 1003.	Nove. xvii. 2. 1. 716.	Decem. xvi. 3. 14. 429.	Januarii xv. 5. 3. 142.

ADHAR I. *embolimæus.*	ADHAR II. *vel unicus & ordinarius.*	NISAN.	IIIAR.	SIVAN.	TAMMOUZ.	ABH.	ELOUL.
Fer. Hor. Scr.	*Fer. Hor. Scr.*	*Fer. Hor. Scr.*	*Fer. Hor. Scr.*	*Fer. Hor. Scr.*	*Fer. Hor. Scr.*	*Fer. Hor. Scr.*	*Fer. Hor. Scr.*
O	Martii iii. 2. 20. 929.	Aprilis ii. 4. 9. 642.	Maii i. 5. 22. 355.	Maii xxxi. 7. 11. 68.	Junii xxix. 1. 23. 861.	Julii xxix. 3. 12. 574.	Aug. xxviii. 5. 1. 287.
O	Februar. xxi. 7. 5. 725.	Martii xxii. 1. 18. 438.	Aprilis xxi. 3. 7. 151.	Maii xx. 4. 19. 944.	Junii xix. 6. 8. 657.	Julii xviii. 7. 21. 370.	Aug. xvii. 2. 10. 83.
Februarii x. 4. 14. 521.	Martii xii. 6. 3. 234.	Aprilis x. 7. 15. 1027.	Maii x. 2. 4. 740.	Junii viii. 3. 17. 453.	Julii viii. 5. 6. 166.	Augusti vi. 6. 18. 959.	Septembr. v. 1. 7. 672.
O	Febru. xxix. 3. 12. 30.	Martii xxx. 5. 0. 823.	April. xxviii. 6. 13. 536.	Maii xxviii. 1. 2. 249.	Junii xxvi. 2. 14. 1042.	Julii xxvi. 4. 3. 755.	Aug. xxiv. 5. 16. 468.
O	Febru. xvii. 7. 20. 906.	Martii xix. 2. 9. 619.	Aprilis xvii. 3. 22. 332.	Maii xvii. 5. 11. 45.	Junii xv. 6. 23. 838.	Julii xv. 1. 12. 551.	Augusti xiv. 3. 1. 264.
Februar. vii. 5. 5. 702.	Martii viii. 6. 18. 415.	Aprilis vii. 1. 7. 128.	Maii vi. 2. 19. 921.	Junii v. 4. 8. 634.	Julii iv. 5. 21. 347.	Augusti iii. 7. 10. 60.	Septembris i. 1. 22. 853.
O	Febru. xxvi. 4. 3. 211.	Mart. xxvii. 5. 15. 1004.	Aprilis xxvi. 7. 4. 717.	Maii xxv. 1. 17. 430.	Junii xxiv. 3. 6. 143.	Julii xxiii. 4. 18. 936.	Aug. xxii. 6. 7. 649.
Februar. xv. 1. 12. 7.	Martii xvi. 3. 0. 800.	Aprilis xiv. 4. 13. 513.	Maii xiv. 6. 2. 226.	Junii xii. 7. 14. 1019.	Julii xii. 2. 3. 732.	Augusti x. 3. 16. 445.	Septemb. ix. 5. 5. 158.
O	Martii v. 7. 9. 596.	Aprilis iii. 1. 22. 309.	Maii iii. 3. 11. 22.	Junii i. 4. 23. 815.	Julii i. 6. 12. 528.	Julii xxxi. 1. 1. 241.	Aug. xxix. 2. 13. 1034.
O	Febru. xxii. 4. 18. 392.	Martii xxiv. 6. 7. 105.	Aprilis xxii. 7. 19. 898.	Maii xxii. 2. 8. 611.	Junii xx. 3. 21. 324.	Julii xx. 5. 10. 37.	Aug. xviii. 6. 22. 830.
Februar. xii. 2. 3. 188.	Martii xiii. 3. 15. 981.	Aprilis xii. 5. 4. 694.	Maii xi. 6. 17. 407.	Junii x. 1. 6. 120.	Julii ix. 2. 18. 913.	Augusti viii. 4. 7. 626.	Septemb. vi. 5. 20. 339.
O	Martii ii. 1. 0. 777.	Martii xxxi. 2. 13. 490.	Aprilis xxx. 4. 2. 203.	Maii xxix. 5. 14. 996.	Junii xxviii. 7. 3. 709.	Julii xxvii. 1. 16. 422.	Aug. xxvi. 3. 5. 135.
O	Februar. xix. 5. 9. 573.	Martii xx. 6. 22. 286.	Aprilis xix. 1. 10. 1079.	Maii xviii. 2. 23. 792.	Junii xvii. 4. 12. 505.	Julii xvii. 6. 1. 218.	Augusti xv. 7. 13. 1011.
Februar. viii. 2. 18. 369.	Martii x. 4. 7. 82.	Aprilis viii. 5. 19. 895.	Maii viii. 7. 8. 588.	Junii vi. 1. 21. 301.	Julii vi. 3. 10. 14.	Augusti iv. 4. 22. 807.	Septemb. iii. 6. 11. 520.
O	Febru. xxvii. 1. 15. 958.	Martii xxix. 3. 4. 671.	April. xxvii. 4. 17. 384.	Maii xxvii. 6. 6. 97.	Junii xxv. 7. 18. 890.	Julii xxv. 2. 7. 603.	Aug. xxiii. 3. 20. 316.
O	Febru. xvii. 6. 0. 754.	Martii xvii. 7. 13. 467.	Aprilis xvi. 2. 2. 180.	Maii xv. 3. 14. 973.	Junii xiv. 5. 3. 686.	Julii xiii. 6. 16. 399.	Augusti xii. 1. 5. 112.
Februarii v. 3. 9. 550.	Martii vi. 4. 22. 263.	Aprilis v. 6. 10. 1056.	Maii iv. 7. 23. 769.	Junii iii. 2. 12. 482.	Julii iii. 4. 1. 195.	Augusti i. 5. 13. 988.	Aug. xxxi. 7. 2. 701.
O	Febru. xxiv. 2. 7. 59.	Martii xxv. 3. 19. 852.	Aprilis xxiv. 5. 8. 565.	Maii xxiii. 6. 21. 278.	Junii xxi. 1. 9. 1071.	Julii xxi. 2. 22. 784.	Augusti xx. 4. 11. 497.
Februar. xiii. 6. 15. 935.	Martii xv. 1. 4. 648.	Aprilis xiii. 2. 17. 361.	Maii xiii. 4. 6. 74.	Junii xi. 5. 18. 867.	Julii xi. 7. 7. 580.	Augusti ix. 1. 20. 293.	Septem. viii. 3. 9. 6.

Anni cyclorum collecti.	*Cycli Lunæ collecti.*	*Cyclus Solis.*	*Character Cyclorum.* Fer.	Hor.	Scr.	*Epactæ, sive excessus Cycli Juliani.* Fer.	Hor.	Scr.
19	1	19	2	16	595	0	1	485
38	2	10	5	9	110	0	2	970
57	3	1	1	1	705	0	4	375
76	4	20	3	18	220	0	5	860
95	5	11	6	10	815	0	7	265
114	6	2	2	3	330	0	8	750
133	7	21	4	19	925	0	10	155
152	8	12	7	12	440	0	11	640
171	9	3	3	4	1035	0	13	45
190	10	22	5	21	550	0	14	530
209	11	13	1	14	65	0	15	1015
228	12	4	4	6	660	0	17	420
247	13	23	6	23	175	0	18	905
294	26	18	6	22	350	1	13	730
741	39	13	6	21	525	2	8	555
988	52	8	6	20	700	3	3	380
1235	65	3	6	19	875	3	22	205
1482	78	26	6	18	1050	4	17	30
1729	91	21	6	18	145	5	11	935
1976	104	16	6	17	320	6	6	760
2223	117	11	6	16	495	7	1	585
2470	130	6	6	15	670	7	20	410
2717	143	1	6	14	845	8	15	235
2964	156	24	6	13	1020	9	10	60
3211	169	19	6	13	115	10	4	965
3458	182	14	6	12	290	10	23	790
3705	195	9	6	11	465	11	18	615
3952	208	4	6	10	640	12	13	440
4199	221	27	6	9	815	13	8	265
4446	234	22	6	8	990	14	3	90.
4693	247	17	6	8	85	14	21	995
4940	260	12	6	7	260	15	16	820
5187	273	7	6	6	435	16	11	645
5434	286	2	6	5	610	17	6	470
5681	299	25	6	4	785	18	1	295
5928	312	20	6	3	960	18	20	120
6175	325	15	6	3	55	19	14	1025
6422	338	10	6	2	230	20	9	850
6669	351	5	6	1	405	21	4	675

Tabularum præcedentium usus.

JUdæi ab orbe condito annos vulgo computant. Ab eo tempore ad vulgarem æram Christianam annos numerant 3760. Primus hujus æræ annus incipit cum anno Periodi Julianæ 4714. quem Judæi auspicati sunt in autumno anni 4713. ejusdem periodi. Mundus autem, secundum Judæorum computationem, conditus est anno hujus Periodi 953. Porro si 953. illos annos ex 4713. detrahas, supererunt anni 3760. præteriti, & 3761. incœpti. Postremus ille numerus etiam dabitur, si ex 4713. deducas tantum 952. qui anni, secundum Judæos, in Periodo Juliana orbem conditum integri præcesserunt. Proposito igitur quovis anno Judaïco, eum ad Periodum Julianam accommodare, & quoto tempore æram Christianam antecedat, aut eam subsequatur, facile est invenire. Exemplo sit annus Judaïcus 2986. quo prima Olympias iniit. Si anno illi addas 952. annos, qui ex Judæorum calculo mundum conditum in Periodo Juliana præcesserunt, habebis annum Periodi Julianæ 3938. His annis ex 4714. detractis, superant anni 776. ante vulgarem æram Christianam elapsi.

Scire vis quoto P. Jul. anno respondeat annus Judaïcus 5486. Adde 952. habebis annum P. Jul. 6438. in cujus autumno desiit annus Judaïcus 5486. nam autumno anni 6437. ejusdem periodi incœperat. Quæris quoto è nostris respondeat idem annus Judaïcus 5486. Detrahe 4000. supererunt 1486. quibus adde 240. quo annorum numero nostra computatio Judaïcam superat, habebis annum 1726. quocum ex parte concurrit annus Judaïcus 5486. is enim cœpit ab autumno anni nostri 1725. & desiit in autumno 1726. quo incœpit Judaïcus 5487. Quod spectat ad 4000. annorum in æra Christiana detractionem, vide supra pag. 378. coll. 1. 2. Vice versa, scire vis quoto anno Judaïco respondeat annus æræ Christianæ propositus; postremo huic anno adde 4000. & detrahe 240. habebis annum Judaïcum. V. G. anno Christi 1726. adde 4000. & detrahe 240. fiet annus Judaïcus 5486. qui, ut mox diximus, incœpit ab autumno 1725. & desiit in autumno 1726.

His ad pleniorem eorum, quæ sequuntur, intelligentiam præmissis, superiorum tabularum in neomenia Tischri invenienda exponendus est usus. In exemplum annorum, qui æram Christianam præcesserunt, sumemus cum Petavio annum Judaïcum 2986. cujus neomenia Tischri sic investigatur.

I. Quærendus est in 1. columna tabulæ 2. numerus his 2986. proxime minor, isque describendus cum ejus cyclis lunæ, solis, charactere cyclorum, & epactis, sive excessu Juliano. Hic autem numerus proposito 2986. proxime minor, est 2964. cui competunt cycli lunæ integri 156. cyclus solis 24. character cyclorum feria 6. hor. 13. scrup. 1020. excessus vero Julianus, dies 9. hor. 10. scrup. 60. Quæ omnia sic exscribenda sunt:

Anni cyclorum collecti, & numerus proxime minor.	Cycli lunæ collecti.	Cyclus solis.	Character cyclorum. *Fer. Hor. Scrup.*	Excessus Julianus. *Dies. Horæ. Scrup.*
2964.	156.	24.	6. 13. 1020.	9. 10. 60.

II. Numerus ille proxime minor 2964. detrahendus est de anno proposito 2986. Eo detracto, supersunt 22. quibus numerus adhuc proxime minor in 1. columna ejusdem tabulæ 2. quærendus est. Dico: *proxime minor*; nam etiamsi numerus ipse ex utraque summa detractus in prædicta columna reperiretur, is tamen sumendus non esset, sed eo proxime minor. Numerus autem his 22. proxime minor, est 19. qui cum suis cyclis, characteribus, & excessu Juliano summæ 2964. ejusque cyclis, &c. ita subjiciendus est;

Anni cyclorum collecti, & numerus proxime minor.	Cycli lunæ collecti.	Cyclus solis.	Character cyclorum. *Fer. Hor. Scrup.*	Excessus Julianus. *Dies. Horæ. Scrup.*
2964.	156.	24.	6. 13. 1020.	9. 10. 60.
19.	1.	19.	2. 16. 595.	0. 1. 485.

III. Duo illi numeri simul addendi sunt, initio facto à scrupulis excessus Juliani. Ea si excedant 1080. quibus, secundum astronomos Judæos, constat hora, residuum duntaxat scribendum est, ac 1080. sive hora retinenda horis aliis adjungenda. Si numerus horarum ad 24. pervenerit, 24. illæ horæ, quæ diem efficiunt, addendæ sunt diebus. Si ultra 24. horas idem numerus excreverit, excessus subscribendus est, & 24. horæ servandæ sunt diebus adjiciendæ. Idem faciendum in characteribus cyclorum, in quibus si feriarum numerus septenario sit major, subjicitur tantum numerus septenarium excedens, neglecto septenario, nisi sit rotundus, h. e. nisi post eum sequatur nihil; tunc enim adscribendus est. Ita in charactere solis, numerus tantum 28. & infra subscribitur, rejecto 28. quoties major eo numerus exsurgit. Sic autem duæ illæ summæ simul conjungendæ sunt, & ex utraque altera elicienda.

Anni cyclorum collecti, &c.	Cycli lunæ collecti.	Cyclus solis.	Character cyclorum. *Fer. Hor. Scrup.*	Excessus Julianus. *Dies. Horæ. Scrup.*
2964.	156.	24.	6. 13. 1020.	9. 10. 60.
19.	1.	19.	2. 16. 595.	0. 1. 485.
Summa 2983.	157.	15.	2. 6. 535.	9. 11. 545.

In hac numerorum, sive summarum, collectione, scrupula horaria characteris cyclorum fuerunt 1080. sive 1. hora, ac præterea 535. quæ notata sunt; hora vero cum horis conjuncta est, ex quibus emersit 1. dies præter 6. horas, quas scripsimus; diem vero feriis addidimus, quæ cum essent numero 9. duæ tantum suppositæ sunt, septem aliis plane rejectis. Ita in cyclo solis, cyclus integer 28. annorum neglectus est, adscriptis duntaxat 15. annis, qui præter 28. supererant. In cyclis autem lunæ & annis cyclorum collectis summa integra subscribitur.

IV. Summa superior 2983. detrahenda est de anno proposito 2986. ut ex residuo numero utriusque discrimen cognoscatur.

Annus propositus	2986.
Summa detrahenda	2983.
Residuum	0003.

Cum in hoc exemplo discrimen illud sit 3. quærendus est ille numerus in 1. columna tabulæ 1. ac subjiciendus cum suo cyclo solis 3. & Tischri characteribus 3. 22. 876. Septemb. xv. Huic numero 3. &c. addenda est summa 2983. cum suo cyclo solis (neglectis lunæ cyclis) & cyclorum characteribus. Tum duæ illæ summæ una colligendæ sunt eodem modo, quo supra summa 2964. Denique detrahendi sunt ex 15. Septemb. 9. dies, quibus cyclus lunaris à Juliano in hoc exemplo superatur. Si dies excessus Juliani plures sint diebus mensis, ex quibus detrahendi sunt, mensis præcedens adjungendus est diebus, ex quibus deducitur excessus Julianus. Adjectionis hujus exemplum videsis infra pag. 488. col. 1. in investigatione neomeniæ Tischri anni Judaïci 5487. Sic itaque ultimæ illæ summæ ordinandæ sunt & simul conjungendæ.

Anni expansi sive Judaici.	Cyclus solis.	Characteres Tischri. *Fer. Hor. Scrup.*	
3.	3.	3. 22. 876.	Septembris xv.
Adde 2983.	15.	2. 6. 535.	Detrahe 9.
Summa 2986.	18.	6. 5. 331.	Residuum 6.

In hac summarum illarum collectione, ex scrupulis horariis nata est 1. hora cum scrupulis residuis 331. Hora illa addita 28. horis, emersit 1. dies cum 5. horis superstitibus. Eo autem die feriis adjecto, occurrit feria 6.

Anno itaque Judaïco 2986. Periodi Julianæ 3938. neomenia Tischri contigit die 6. Septembris, feria 6. hora 5. scrupulis 331. ab ineunte nocte, cyclo lunæ Judaïco 3. ut liquet ex col. 1. tabulæ 1. & ex anno Judaïco 2986. per 19. diviso; residuum enim erit 3. cyclo lunæ Juliano 5. ut ostendit col. 4. ejusdem tabulæ primæ, & annus Periodi Julianæ 3938. qui per 19. itidem divisus, reliquum habet 5. cyclo solis 18. litera Dominicali F, quæ huic cyclo in primo diagrammate sup. pag. 479. descripto respondet.

Reliquorum mensium neomeniæ facile reperientur, modo eorum characteres cum annorum collectorum characteribus componantur. Quæritur v. g. neomenia Nisan ejusdem anni Judaïci 2986. Periodi vero Julianæ 3938. Describe characteres hujus mensis, qui sunt 7. 15. 1027. April. 10. in tab. 1. è regione III. His adde characteres annorum collectorum 2. 6. 535. in summa 2983. descriptos. Has summas una collige, & excessum Julianum sic detrahe:

	Fer.	Hor.	Scrup.	
Characteres Nisan anni tertii	7.	15.	1027.	Aprilis x.
Characteres annorum collectorũ	2.	6.	535.	Detrahe 9.
Summa	2.	22.	482.	Residuum 1. April.
				31. Mart.

Itaque neomenia Nisan anni Judaïci 2986. contigit fer. 2. hor. 22. scrupul. 482. die 1. Aprilis, aut potius Martii 31. quæ erat feria 2. nam litera Dominicalis non est F ut in Tischri, sed E, quæ ultima litera cum sit è regione 30. Martii, & diem Dominicam indicet, litera F feriam 2. ostendit. Ideo in hoc mense Nisan litera Dominicalis eadem non est atque in Tischri, quod annus Judaïcus Julianis duobus respondeat. Quare cum extra Decembrem calculus excurrit, unitas addenda est cyclis solis & lunæ, ac litera Dominicalis mutanda. Ex quo fit, ut Nisan anni Judaïci 2986. conveniat anno Periodi Julianæ 6939. cyclo solis 19. cyclo lunæ Juliano 6. & litera Dominicali E.

Eadem fere methodo invenitur neomenia Tischri in annis à Christo nato elapsis. Exemplo sit annus Judaïcus 5487. Periodi Jul. 6439. qui ab autumno anni Christi 1726. incœpit, ac in autumno anni 1727. desiit.

1°. Quære in col. 1. tabulæ 2. numerum his 5487. proxime minorem. Is est 5434. quem describe cum cyclis lunæ collectis 286. cyclo solis 2. characteribus cyclorum 6. 5. 610. & excessu Juliano 17. 6. 470. Vide infra A. 2°. Numerum hunc deduc de proposito 5487. & τοῖς 53. qui supersunt, quære numerum adhuc minorem in eadem col. 1. tabulæ 2. qui est 38. hunc adjice ad summam superiorem 5434. cum suis cyclis lunæ collectis 2. cyclo solis 10. characteribus cyclorum 5. 9. 110. & excessu Juliano 0. 2. 970. Vide infra B. 3°. Geminam hanc summam una colligi-

to, initio facto à scrupulis excessus Juliani, servataque methodo præscripta supra pag. 486. col. 1. Vide infra C. 4°. Summam ex duabus præcedentibus conflatam, nempe 5472. exime ex anno proposito 5487. residuum numerum 15. quære in 1. col. 1. tabulæ, eumque exscribe una cum cyclo suo solis 15. & characteribus Tischri 1. 0. 233. Octob. iij. vide infra D. 5°. Adde huic numero 15. ejusque cyclo solis 12. & characteribus Tischri 1. 0. 233. Octob. iij. superiorem summam 5472. cum suo cyclo solis 12. & Tischri characteribus 4. 14. 720. Vide infra E. 6°. Hanc utramque summam collige incipiendo à characteribus Tischri. Vide infra F. 7°. Denique ex iij. Octobris, aut potius ex mense Septembri præcedente integro 30. dierum, & ex iij. Octobris, h. e. ex 33. detrahe 17. dies excessus Juliani. Vide in fine summarum D. E. F.

Numerus proxime minor.		Cycli lunæ collecti.	Cycli solis.	Characteres cyclorum.			Excessus Julianus.		
				Fer.	*Hor.*	*Scrup.*	*Dies.*	*Horæ.*	*Scrup.*
A.	5434.	286.	2.	6.	5.	610.	17.	6.	470.
B.	38.	2.	10.	5.	9.	110.	0.	2.	970.
C. Summa	5472.	288.	12.	4.	14.	720.	17.	9.	360.

		Cyclus solis.	Characteres Tischri.				
			Fer.	*Hor.*	*Scrup.*		
D. Anni expansi	15.	15.	1.	0.	233.	Octobris	III.
E. Adde	5472.	12.	4.	14.	720.	Detrahe	17.
F. Summa	5487.	27.	5.	14.	953.	Residuum	$\frac{16}{27}$.

Annus itaque Judaïcus 5487. incœpit fer. 5. hor. 14. scrupul. 953. die 26. Septembris anni Æræ Christianæ 1726. cyclo lunæ Judaïco 15. Juliano 17. cyclo solis 27. litera Dominicali aute Gregorianam emendationem B. post eam F. Ad detrahendum excessum Julianum, mensis September 30. dierum integer additus est 3. diebus Octobris, ex quo numero 33. detractis 17. superant 16. sive 16ª. dies Septembris, à qua ante Kalendarium à Gregorio XIII. emendatum Tischri incœpisset. Verum cum anno 1582. quo hæc emendatio publici juris facta est, & insequente sæculo 1600. detracti sint 10. dies, ut æquinoctium vernum in pristinam sedem restitueretur; eaque de causa in hoc sæculo 1700. undecim detrahendi sint, pro die 16. Septembris sumenda est 27. quæ cum in feriam sextam hoc anno incidat, & neomenia Tischri, ex superiori calculo, in feriam quintam referatur; à 26. die, quæ est feria quinta cum litera Dominicalis hujus anni sit F. mensis Tischri sumsit exordium.

Neomenia Nisan anni ejusdem invenietur, si characteribus hujus mensis 3. 4. 671. Mart. xxix. ex tab. 1. è regione xv. adjiciantur annorum collectorum characteres 4. 14. 720. hoc modo:

	Fer.	*Hor.*	*Scrup.*		
Characteres Nisan anni decimi quinti	3.	4.	671.	Mart.	xxix.
Characteres annorum collectorum	4.	14.	720.	Detrahe	17.
Summa	$\frac{7}{1}$.	19.	311.		$\frac{12}{31}$.

Itaque hoc anno neomenia Nisan incipere debebat die 12. Martii, feria 7. hor. 19. scrup. 311. Verum cum undecim dies detrahendi sint, ut supra in Tischri, pro die 12. sumenda est

da est 23. quæ est Dominica, sive fer. 1. ut liquet ex litera E Dominicæ diei in hoc anno indice, & è regione hujus diei 23. adposita. Nisi undecim dies detracti fuissent, neomenia Nisan in hanc fer. 1. sive Dominicam translata fuisset, ob horas 19. extra feriam excurrentes. Ab hoc die 23. ad novilunium Tischri 178. dies ordine retroacto numerantur, quot inter duas illas neomenias in anno communi abundante, qualis est hic, intercedunt. Itaque neomenia Nisan anni Judaïci 5487. contigit 23. Martii anni æræ Christianæ 1727. cyclo lunæ Juliano 18. solis 28. litera Dominicali ante Gregorianam emendationem A. ab ea correctione E. feria 1. hora 19. scrup. 311.

Hactenus novilunia Judaïca, eorumque characteres ac naturales computationes exhibuimus; nunc civilis illorum administratio explicanda est; non enim Judæi neomenias iis diebus ac feriis semper illigant, in quas astronomicus calculus eas contulit, sed delectu quodam utuntur.

I. Quanvis diem civilem ab initio noctis auspicentur, nihilominus tamen noviluniorum ψηφισμὺς à meridie proxime præcedente computant, nisi horarum numerus ultra ferias ad 18. & ultra pervenerit; tunc enim neomeniam in sequentem feriam (nisi ea reicula sit) traducunt; quia hora 18. ab initio noctis, à quo noviluniorum horæ ac scrupula naturaliter computanda forent, meridiem diei sequentis attingit.

II. Quædam sunt feriæ, quibus Tischri ac Nisan neomenias celebrari nefas est. Eæ sunt pro Tischri, 1. 4. ac 6. feria; quod voce technica אדו *Adou* significant; א enim valet 1. ד 4. ו 6. Unde si neomenia Tischri incidat in feriam 7. hor. 18. ó. & ultra, diffunditur in feriam 2. si in feriam 3. hor. 18. 6, & ultra, in feriam 5. comperendinabitur, &c. Translationis hujus ratio est, ne videlicet duo sabbatha, id est, festi dies, proxime sese consequantur, quorum religione à rebus necessariis, aut legitimis obeundis ritibus arceantur. Nam v. g. si neomenia Tischri feria prima contingat, 7. dies Scenopegiæ, quæ est 21. Tischri, cadet in Sabbathum, quo die ramos defringere ac gestare non licet; quod tamen Lege præcipitur. Item, si 4. feria neomenia Tischri defigeretur, festum expiationum, quod 10. die ejusdem mensis celebrari debet, in feriam 6. incideret, proindeque duo festi dies sese consequerentur, ac in biduum parandi essent cibi; quod foret incommodum. Denique si feria 6. Tischri ineat, expiationum dies in fer. 1. post Sabbathum incurret; sicque duo festa sese consequentur.

Aliam rationem afferunt nonnulli, nempe quod feria 1. 4. & 6. conjungatur luna cum sole motu medio, non vero, aut in loco vero; unde constituunt diem *fixum*, videlicet fer. 2. 3. 5. & 7. & diem *impellentem*, sive reiculam, nimirum fer. 1. 4. & 6. Ea autem translatio nequaquam à Lege præcipitur, sed est à posteriorum sæculorum Rabbinis excogitata. Unde in neomenia Tischri & Nisan anni Judaïci 2986. inquirenda eam cum Petavio negleximus.

In mense Nisan feriæ 2. 4. & 6. reiculæ sunt (quod Judæi exprimunt voce בדו *Badou;* ב enim valet 2. ד 4. & ו 6. non ob festorum consequutionem, quæ in solo Tischri cavetur; sed quia intervallum à Nisan ad Tischri anni sequentis est dierum 177. Unde si neomenia Nisan in aliquam ex his feriis 2. 4. 6. incurreret, novilunium Tischri anni insequentis in 1. aut 4. aut 6. feriam, quæ rejiciendæ sunt, incideret.

Præter horas 18. & supra, extra feriam excurrentes, de quibus supra, sunt etiam duæ aliæ causæ, cur neomenia Tischri in feria legitima minime defigatur.

Prima est, quando neomeniæ calculus anno communi in feria 3. horas 9. scrup. 203. superat. Si enim contingat feria 3. 9. 204. comperendinatio fiet in feriam 5. nam 4. est reicula. Translationis ejus causa est, quod si neomenia Tischri in anno communi statueretur in fer. 3. 9. 204. addito charactere mensium 12. sive anni communis, qui est 4. 8. 876. sequentis Tischri character exsisteret 7. 18. 0. & in feriam 2. comperendinatio fieret. Unde discrimen Tischri antecedentis feria 3. & sequentis feria 2. esset 6. quod in

anno communi nunquam accidit, alioquin dies haberet 356. Exceptionem hanc Judæi exprimunt voce גטר״ד *Garrad* ג est feria 3. ט 9. horæ רד 204. ſcrup. & ſupra.

Altera cauſa hæc eſt : quando Tiſchri poſt annum embolimæum accidit fer. 2. poſt horas 15. ſcrup. 588. transfertur in feriam 3. Nam ſi Tiſchri anni hujus communis embolimæum ſequentis fer. 2. 15. 589. defigeretur, annus embolimæus præcedens inciperet feria 3. 18. o. aut potius fer. 5. in quam fieret comperendinatio ob 18. horas excurrentes, & feriæ 4. rejectionem. Id liquet ex characteriſmo anni embolimæi ſive menſium 13. qui eſt 5. 21. 589. (ut character 12. menſium, ſive anni communis eſt 4. 8. 876. ut in prima exceptione vidimus) deducto ex characteriſmo 2. 15. 589. facta enim hac detractione, ſupereſt fer. 3. hor. 18. ſcrup. o. aut potius fer. 5. ut mox diximus. Porro à fer. 5. ad fer. 2. diſcrimen eſt 4. quod in embolimæo anno fieri nequit. Hoc Judæi vocant בט״ו תקפ״ט *Batou taqphat*, ב deſignat feriam 2. טו 15. תקפט 589. Ut autem characteriſmus anni embolimæi 5. 21. 589. deducatur ex characteriſmo propoſito 2. 15. 589. horæ 24. ſive dies integra ex duabus feriis deſumta addenda eſt horis 15. anni communis, ut ex iis detrahantur 21. horæ anni embolimæi ; & 7. feriæ, ſive hebdomada integra adjicienda eſt uni feriæ reſiduæ, ut inde ſubducantur feriæ 5. ejuſdem anni embolimæi. Porro characteriſmus anni tum communis, tum embolimæi, nihil aliud eſt quam feriæ, horæ & ſcrupula reſidua poſt annum ſive communem, ſive embolimæum per 7. ſive per hebdomadas diviſum.

Menſium aliorum neomeniæ feriis, in quas incidunt, aſſignantur, niſi horarum numerus ad 18. & ultra excreverit ; tunc enim fit in diem ſeq. comperendinatio.

Ex hac neomeniarum tranſlatione accidit,

1°. Ut anni quidam uno die redundent, alii vero deficiant. Atque univerſe quidem, annus in communem & embolimæum dividitur. Annus communis ordinarius 354. deficiens 353. abundans 355. diebus conſtat. Annus embolimæus ordinarius 384. deficiens 383. abundans 385. dies habet. Anni communis ordinarii menſes alternis pleni ſunt & cavi. In embolimæo ordinario, præter Adar, qui tricenarius inſinditur, eodem tenore menſes procedunt, h. e. alternis pleni & cavi. In defectivis tam communibus quam embolimæis, unus de tertio menſe, nempe Caſleu, dies expungitur, iſque ex pleno cavus fit : at in abundantibus, Marhheſchvan plenus fit ex cavo. Itaque à Tiſchri ad Niſan variat intervallum. In anno communi ordinario, dies ſunt 177. in defect. 176. in abundante 178. In embolimæo ordinario, 207. in defectivo 206. in abundante 208. A Niſan autem ad Tiſchri anni ſequentis perpetuo dies interſunt 177. ſive communis, ſive embolimæus ſit annus.

2°. Ut Judæi Paſcha interdum in ſecundo menſe celebrent, præſertim quando cyclus lunaris eſt 8. vel 19. & quoties feſtum illud poſt 10. diem Aprilis agitant.

3°. Ut Judæis hodiernis ſæpe conveniat cum veteribus, qui novilunium nonniſi à luna apparente computabant.

Expoſita neomeniæ Tiſchri & Niſan inveniendæ ratione, & definitis utriuſque neomeniæ feriis : jam tradendæ ſunt regulæ, quibus anni qualitas & quantitas dignoſcantur.

Anni qualitas ſic cognoſcitur. In enneadecaëteride Judaïca, tab. 1. col. 1. anni III. VI. VIII. XI. XIV. XVII. & XIX. embolimæi ſunt, reliqui communes. Cum igitur in praxi aſſumendus eſt aliquis ex his 19. annis facile cognoſcitur embolimæuſne ſit, an communis. Utrum vero ordinarius ſit, an defectivus, an abundans, ſic deprehendes. Anni propoſiti communis feriam, à qua incipit, detrahe ex feria, à qua auſpicatur annus ſequens. Si tres ſuperſint, annus propoſitus erit deficiens ; ſi 4. ordinarius ; ſi 5. abundans. Ita in anno embolimæo, ſi 5. ſuperſint, is erit deficiens, ſi 6. ordinarius, ſi 7. abundabit. Ratio eſt, quod annus communis ordinarius diviſus per 7. ſive per hebdomadas, relinquat 4. defect. 3. abundans 5. Sic annus embolimæus ordinarius tributus itidem per 7. relinquit 6. defectivus 5. abundans 7. ut liquet ex ſequenti diagrammate.

ANNUS

			Feria residua.				Feria residua.
Communis	Defectivus dierum	353.	3.	Embolimæus	Defectivus dierum	383.	5.
	Ordinarius dierum	354.	4.		Ordinarius dierum	384.	6.
	Abundans dierum	355.	5.		Abundans dierum	385.	7.

Rem exemplis aliquot ex prima enneadecaëteride Judaïca in tab. 1. desumtis illustremus. Primus annus Judaïcus communis fuit; ipsi enim non præponitur litera E annis embolimæis in prima columna hujus tabulæ præfixa. Utrum vero ordinarius fuerit, an defectivus, an abundans ut cognoscas, detrahe feriam à qua incipit, de feria à qua auspicatur annus insequens. Porro primus ille annus incœpit feria 2. hor. 5. scrup. 204. sequens vero feria 6. hor. 14. scrup. 0. aut potius feria 7. propter *Adou;* ex 7. detrahe 2. supererunt 5. Ergo primus annus Judaïcus communis fuit, abundans, dierum 355.

Annus tertius Judaïcus embolimæus (nam ipsi præponitur litera E) cœpit feria 3. hor. 22. scrup. 876. hoc est, fer. 5. nam 3. reicula est propter horas 18. & ultra præter feriam excurrentes; feria 4. est etiam reicula ob *Adou.* Annus autem 2. cœpit feria 7. Deduc 7. ex 5. aut potius ex 12. (cum enim numerus deducendus major est eo, ex quo deducendus est, minori numero addendi sunt 7. dies, sive hebdomada integra) restabunt 5. Itaque annus 2. Judaïcus communis abundans fuit dierum 355.

Annus quartus Judaïcus communis cœpit feria 2. hor. 20. scrup. 385. h. e. feria 3. ob 20. horas excurrentes. Annus vero 3. cœpit fer. 5. A 5. ad 3. discrimen est 5. Ergo annus 3. Judaïcus embolimæus defectivus fuit dierum 383. non vero ordinarius, ut scribit Petavius, l. 7. de Doct. temp. p. 671.

Annus quintus Judaïcus communis auspicatus est fer. 7. hor. 5. scrupul. 181. annus vero quartus fer. 3. Deducta feria illa 3. ex 7. discrimen est 4. Ergo annus quartus Judaïcus communis, ordinarius fuit dierum 354. Exemplis pluribus hîc ponendis supersedeo, ut aliquot post Christum natum afferam.

Annus Judaïcus communis 5487. qui cum annis nostris 1726. & 1727. concurrit, cœpit feria 5. annus vero sequens 5488. qui itidem communis respondet annis nostris 1727. & 1728. feria 3. iniit. A feria 5. ad 3. discrimen est 5. Ergo annus Judaïcus communis 5487. est abundans dierum 355.

Annus Judaïcus embolimæus 5489. qui cum annis nostris 1728. & 1729. incidet, auspicabitur fer. 7. Porro à feria 3. qua incœpit annus præcedens 5488. ad feriam 7. discrimen est 4. Annus itaque Judaïcus 5488. communis erit & ordinarius dierum 354.

Annus Judaïcus communis 5490. qui annis nostris 1729. & 1730. respondebit, incipiet fer. 7. Annus autem præcedens embolimæus 5489. ab eadem feria 7. inibit; ergo annus embolimæus 5489. abundans erit 385. dierum; cum à 7. ad 7. discrimen sit 7. sive hebdomada integra.

§. II.

Alia feriæ neomeniæ Tischri & Paschatis, necnon qualitatis & quantitatis anni Judaïci ab anno Christi 1560. & deinceps, inveniendæ ratio.

AB anno Christi 1560. & deinceps, feria neomeniæ Tischri & Paschatis, necnon anni Judaïci qualitas & quantitas facile inveniuntur ope tabulæ sequentis, cujus artificium & usus post exhibitam ipsammet tabulam paucis explicabuntur infra pag. 494.

	Cycli ab orbe condito præteriti cum currente.	*Cyclus decemnovalis,*								
		I. C.	II. C.	III. E.	IV. C.	V. C.	VI. E.	VII. C.	VIII. E.	IX. C.
I.	281.	321. VII. A. III.	322. V. O. VII	323. II. D. V.	324. VII. A. III.	325. V. O. VII.	326. II. D. V.	327. VII. A. III.	328. V. A. III.	329. V. O. VII.
II.	282.	340. II. A. V.	341. VII. A. III.	342. V. D. I.	343. III. O. V.	344. VII. A. III.	345. V. D. I.	346. III. O. V.	347. VII. A. V.	348. VII. A. III.
III.	283.	359. V. O. VII.	360. II. A. V.	361. VII. D. III.	362. V. A. I.	363. III. O. V.	364. VII. A. V.	365. VII. D. I.	366. III. O. VII.	367. II. A. V.
IV.	284.	378. VII. A. III.	379. V. O. VII.	380. II. A. VII.	381. II. D. III.	382. V. A. I.	383. III. O. VII.	384. II. A. V.	385. VII. D. III.	386. V. O. VII.
V.	285.	397. III. O. V.	398. VII. A. III.	399. V. A. III.	400. V. O. VII.	401. II. D. III.	402. V. A. III.	403. V. O. VII.	404. II. D. V.	405. VII. A. III.
VI.	286.	416. VII. D. I.	417. III. O. V.	418. VII. A. V.	419. VII. A. III.	420. V. O. VII.	421. II. D. I.	422. VII. A. III.	423. V. D. I.	424. III. O. V.
VII.	287.	435. II. A. V.	436. VII. D. I.	437. III. O. VII.	438. II. A. V.	439. VII. A. III.	440. V. D. I.	441. III. O. V.	442. VII. A. V.	443. VII. D. I.
VIII.	288.	454. V. O. VII.	455. II. A. V.	456. VII. D. III.	457. V. O. VII.	458. II. A. V.	459. VII. D. III.	460. V. A. I.	461. III. O. VII.	462. II. A. V.
IX.	289.	473. VII. A. III.	474. V. O. VII.	475. II. D. V.	476. VII. A. III.	477. V. O. VII.	478. II. A. VII.	479. II. D. III.	480. V. A. III.	481. V. O. VII.
X.	290.	492. II. A. V.	493. VII. A. III.	494. V. D. I.	495. III. O. V.	496. VII. A. III.	497. V. A. III.	498. V. O. VII.	499. II. D. V.	500. VII. A. III.
XI.	291.	511. V. O. VII.	512. II. A. V.	513. VII. A. V.	514. VII. D. I.	515. III. O. V.	516. VII. A. V.	517. VII. A. III.	518. V. D. I.	519. III. O. V.
XII.	292.	530. II. D. III.	531. V. O. VII.	532. II. A. VII.	533. II. A. V.	534. VII. D. I.	535. III. O. VII.	536. II. A. V.	537. VII. D. III.	538. V. A. I.
XIII.	293.	549. V. O. VII.	550. II. D. III.	551. V. A. III.	552. V. O. VII.	553. II. A. V.	554. VII. D. III.	555. V. A. VII.	556. III. O. III.	557. II. D. III.

sive aureus numerus.

X. C.	XI. E.	XII. C.	XIII. C.	XIV. E.	XV. C.	XVI. C.	XVII. E.	XVIII. C.	XIX. E.
330. II. D. III.	331. V. A. III.	332. V. O. VII.	333. II. A. V.	334. VII. A. V.	335. V. O. VII.	336. II. A. V.	337. VII. D. III.	338. V. A. I.	339. III. O. VII.
349. V. O. VII.	350. II. D. V.	351. VII. A. III.	352. V. O. VII.	353. II. A. VII.	354. II. D. III.	355. V. O. VII.	356. II. A. VII.	357. II. A. V.	358. VII. D. III.
368. VII. A. III.	369. V. D. I.	370. III. O. V.	371. VII. A. III.	372. V. A. III.	373. V. O. VII.	374. II. D. III.	375. V. A. III	376. V. O. VII.	377. II. D. V.
387. II. A. V.	388. VII. D. III.	389. V. A. I.	390. III. O. V.	391. VII. A. V.	392. VII. A. III.	393. V. O. VII.	394. II. D. V.	395. VII. A. III.	396. V. D. I.
406. V. O. VII.	407. II. A. VII.	408. II. D. III.	409. V. A. I.	410. III. O. VII.	411. II. A. V.	412. VII. D. I.	413. III. O. VII	414. II. A. V.	415. VII. A. V.
425. VII. A. III.	426. V. A. III.	427. V. O. VII.	428. II. D. III.	429. V. A. III.	430. V. O. VII.	431. II. A. V.	432. VII. D. III.	433. V. O. VII.	434. II. A. VII.
444. III. O. V.	445. VII. A. V.	446. VII. A. III.	447. V. O. VII.	448. II. D. V.	449. VII. A. III.	450. V. O. VII.	451. II. A. VII	452. II. D. III.	453. V. A. III.
463. VII. D. I.	464. III. O. VII.	465. II. A. V.	466. VII. A. III.	467. V. D. I.	468. III. O. V.	469. VII. A. III.	470. V. A. III.	471. V. O. VII.	472. II. D. V.
482. II. A. V.	483. VII. D. III.	484. V. O. VII.	485. II. A. V.	486. VII. D. III.	487. V. A. I.	488. III. O. V.	489. VII. A. V.	490. VII. D. I.	491. III. O. VII.
501. V. O. VII.	502. II. D. V	503. VII. A. III.	504. V. O. VII.	505. II. A. VII.	506. II. D. III.	507. V. A. I.	508. III. O. VII.	509. II. A. V.	510. VII. D. III.
520. VII. A. III.	521. V. A. III	522. V. O. VII.	523. II. D. III.	524. V. A. III.	525. V. O. VII.	526. II. A. V.	527. VII. D. III.	528. V. O. VII.	529. V. A. VII.
539. III. O. V.	540. VII. A. V.	541. VII. A. III.	542. V. O. VII.	543. II. D. V.	544. VII. A. III.	545. V. O. VII.	546. II. D. III.	547. VII. A. III.	548. V. A. III.
558. V. A. I.	559. III. O. VII.	560. II. A. V.	561. VII. D. I.	562. III. O. VII.	563. II. A. V.	564. VII. A. III.	565. V. D. I.	566. III. O. V.	567. VII. A. V.

Tabulæ præcedentis artificium & usus.

HÆc tabula incipit anno mundi, secundum Judæos, 5321. h. e. Christi 1560. & desinit anno 5567. Christi 1807. proindeque complectitur annos 246. In 1. columna sinistram versus, describuntur 13. cycli lunæ, qui incipiunt à cyclo 281. qui respondet anno Judaïco 5321. sive detractis millenariis, secundum minorem computationem, 321. Si enim 5321. per 19. distribueris, invenies in quotiente 280. cyclos lunæ ab orbe condito evolutos, & 281. decurrentem, qui in usu tabulæ sumendus est.

E regione horum 13. cyclorum notantur anni, qui suo cyclo respondent; fitque initium ab anno Judaïco 321. minoris computationis; Christi vero 1560. Anni illi in 19. columellas, secundum numerum annorum cycli decemnovalis, distributi sunt.

Infra horumce annorum quemlibet primus numerus Romanus notat feriam, qua incipit Tischri; litera majuscula anni quantitatem, utrum videlicet ordinarius sit, an defectivus, an abundans; alter denique numerus Romanus feriam Paschatis, quæ semper eadem est ac feria Nisan.

Denique literæ C & E in capite columnarum notatæ, annorum, qui ipsis subjiciuntur, qualitatem indicant; nimirum C annos communes, E vero embolimæos ostendit.

Hæc tabula in infinitum deduci potest, si, ea finita, altera ejus instar conficiatur, h. e. 1°. Si in 2. col. quæ est cyclorum, pro 281. reponatur 294. & sic deinceps 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 2°. Si initio 3. columnæ sub I. cyclo decemnovali, pro 321. ponatur 568. sub II. 569. sub III. 570. & sic in omnibus cellulis ad finem usque tabulæ; adeo ut 814. ultimam cellulam occupet. Eadem methodo concinnari potest tertia, quarta, quinta tabula, ad infinitum usque.

Hujus tabulæ usus facilis est. Propositum quemlibet æræ Judaïcæ annum ab anno Christi 1560. divide per 19. ut habeantur cycli lunæ ab orbe condito præteriti, quos dabit *quotiens*, quosque cum cyclo currente conjunctos quære in col. secunda & è regione in cyclo decemnovali annum propositum secundum minorem supputationem, i. e. detractis millenariis; & infra eum habebis feriam neomeniæ Tischri, anni quantitatem, & feriam Paschatis. Litera in capite ejusdem columnæ indicabit etiam anni qualitatem, h. e. utrum communis sit an embolimæus. Rei hujus exemplo sit annus Judaïcus 5487. qui iniit autumno anni Christi 1726. Hoc anno Judaïco 5487. diviso per 19. quotiens exhibebit 288. cyclos lunæ prætcritos, & 289um. incœptum. Cyclum hunc 289. quære in col. 2. & è regione ejus in cyclo decemnovali annum Judaïcum 5487. aut potius detractis millenariis 487. sub hoc anno invenies V. A. I. qui characteres denotant anno Judaïco 5487. qui ab autumno anni æræ Christianæ 1726. iniit, novilunium Tischri commissum fuisse feria V. annum hunc abundantem fuisse, & Pascha in feriam I. sive Dominicam incidisse. Anni hujus qualitas etiam cognoscitur litera C in capite columnæ sub aureo numero XV. posita; ea enim communem eum esse, non embolimæum, ostendit.

§. III.

Compendiaria ferias, à quibus ineunt menses Judaïci, festa & jejunia inveniendi ratio.

INVENTA feria neomeniæ Tischri in anno proposito, ferias, quibus aliorum mensium novilunia committuntur, & festa ac jejunia Hebræorum accidunt, facile inveniuntur ope sequentium tabularum, quarum altera annis communibus inservit, al-

tera embolimæis. Tabulæ illæ ſic diſpoſitæ ſunt, ut in earum fronte notentur feriæ, à quibus anni incipiunt. Ad lævam menſium neomeniæ deſcriptæ ſunt, necnon præcipui feſti dies ac jejunia; quibus in proſelide, ſive in communi angulo, ſub feria frontali, qua incipit Tiſchri anni propoſiti, numerus proprius ſive character reſpondet. Quæ cellulæ duos habent numeros, indicant biduum neomenias illas à Judæis celebrari, nempe die 30. menſis præcedentis, & 1. ſequentis. Prior numerus ultimam diem menſis antecedentis denotat, quam diem Horatius lib. 1. Serm. Satyr. 9. *triceſima Sabbatha*, h. e. feſta, appellat; poſterior vero ipſa eſt 1. menſis inſequentis dies. Vide ſupra pag. 433. c. 2. in fine. Eadem de cauſa in 14. Kalendariis ſupra deſcriptis, in capite quorumdam menſium duo dies neomeniæ aſſignantur.

Cognita igitur ex præcedentibus cum regulis, tum tabulis, anni qualitate, hoc eſt, utrum communis ſit, an embolimæus; & quantitate, i. e. utrum ordinarius ſit, an defectivus, an abundans; nota inſuper, à qua incipiat, feria; adi frontem tabulæ, & in angulo communi, ſive proſelide, neomeniæ, vel feſti ei reſpondentis feriam invenies. Annus Judaïcus 5487. v. g. vel, detractis millenariis, 487. qui ab autumno anni æræ Chriſtianæ 1726. incœpit, communis eſt, abundans, & à fer. 5. iniit, ut ex tab. præcedenti patet. Quære in tabula 1. quæ annis communibus inſervit, annum communem abundantem & incipientem à fer. 5. & in communi angulo habebis neomeniam Tiſchri incidentem in fer. 5. jejunium Godoliæ in fer. 1. ſive Dominicam; jejunium & feſtum expiationum in fer. 7. ſive in Sabbathum; feſtum Tabernaculorum in fer. 5. feſtum ramorum in fer. 4. primam neomen. Marhheſchvan in fer. 6. quæ eſt ultima dies menſis præcedentis Tiſchri, & ſecundam in fer. 7. à qua menſis Marhheſchvan revera incipit; primam neomeniam Caſleu in fer. 1. ſive Dominicam (nam hoc anno, qui abundans eſt, Marhheſchvan ex cavo fit plenus); ſecundam in fer. 2. Encænia in fer. 5. primam neomeniam Teveth in fer. 3. ſecundam in fer. 4. jejunium obſeſſionis Jeruſalem in fer. 6. neomeniam Schevat in fer. 5. primam neomeniam Adhar in fer. 6. ſecundam in fer. 7. jejunium Eſther in fer. 5. feſtum Pourim in fer. 6. neomeniam Niſan in fer. 1. Paſcha ſive 1. diem azymorum in fer. 1. primam neomeniam Iiiar in fer. 2. ſecundam in fer. 3. neomeniam Sivan in fer. 4. Pentecoſten in fer. 2. primam neomeniam Tammouz in fer. 5. ſecundam in fer. 6. jejunium Tabularum in fer. 1. neomeniam Abh in fer. 7. jejunium deſolationis Templi in fer. 1. primam neomeniam Eloul in fer. 1. ſecundam in fer. 2.

Eadem methodo hæ feriæ in anno embolimæo tabulæ 2. ſubſidio facile inveniuntur. Exemplo ſit annus Judaïcus 5489. vel, detractis millenariis, 489. qui autumno anni noſtri 1728. incipiet, & in autumno 1729. deſinet. Is annus embolimæus eſt, quippe qui anno xvij. cycli decemnovalis reſpondeat; abundans, feria 7. incipiens, & Paſcha in fer. 5. incidens, ut patet ex præcedente tabula ad numerum 489. Quære in ſecunda tabula annis embolimæis deſtinata, annum his characteriſmis notatum, invenies neomeniam Tiſchri incidentem in fer. 7. jejunium Godoliæ in fer. 2. jejunium & feſtum expiationum in fer. 2. feſtum Tabernaculorum in fer. 7. feſtum ramorum in fer. 6. primam neomeniam Marhheſchvan in fer. 1. ſecundam in fer. 2. primam neomeniam Caſleu in fer. 3. ſecundam in fer. 4. Encænia in fer. 7. primam neomeniam Teveth in fer. 5. ſecundam in fer. 6. jejunium obſeſſionis Jeruſalem in fer. 6. neomen. Schevat in fer. 7. primam neomeniam primi Adhar in fer. 1. ſecundam in fer. 2. primam neomeniam ſecundi Adhar in fer. 3. ſecundam in fer. 4. jejunium Eſther in fer. 2. feſtum Pourim in fer. 3. neomen. Niſan in fer. 5. Paſcha in fer. 5. primam neomeniam Iiiar in fer. 6. ſecundam in fer. 7. neomen. Sivan in fer. 1. Pentecoſten in fer. 6. primam neom. Tammouz in fer. 2. ſecundam in fer. 3. jejunium Tabularum in fer. 5. neomen. Abh in fer. 4. jejunium deſolat. Templi in fer. 5. primam neomen. Eloul in fer. 5. ſecundam in fer. 6.

TABULA I.

Neomeniarum, festorum, & jejuniorum in anno communi.

	Annus deficiens à fer. 2. incipiens.	*Annus abundans à fer. 2. incipiens.*	*Annus ordinarius à fer. 3. incipiens.*	*Annus ordinarius à fer. 5. incipiens.*	*Annus abundans à fer. 5. incipiens.*	*Annus deficiens à fer. 7. incipiens.*	*Annus abundans à fer. 7. incipiens.*
Neomenia Tischri.	2.	2.	3.	5.	5.	7.	7.
Jejunium Godoliæ.	4.	4.	5.	1.	1.	2.	2.
Jejunium expiationum.	4.	4.	5.	7.	7.	2.	2.
Festum Tabernaculorum.	2.	2.	3.	5.	5.	7.	7.
Festum ramorum, sive Hosanna rabba.	1.	1.	2.	4.	4.	6.	6.
Neomenia Marhheschvan.	3. 4.	3. 4	4. 5.	6. 7.	6. 7.	1. 2.	1. 2.
Neomenia Casleu.	5.	5. 6.	6.	1.	1. 2.	3.	3. 4.
Encænia.	1.	2.	2.	4.	5.	6.	7.
Neomenia Teveth.	6.	7. 1.	7. 1.	2. 3.	3. 4.	4.	5. 6.
Jejunium obsessionis Jerusalem.	1.	3.	3.	5.	6.	6.	1.
Neomenia Schevat.	7.	2.	2.	4.	5.	5.	7.
Neomenia Adhar.	1. 2.	3. 4.	3. 4.	5. 6.	6. 7.	6. 7.	1. 2.
Jejunium Esther.	5.	2.	2.	4.	5.	5.	5.
Festum Pourim seu sortium.	1.	3.	3.	5.	6.	6.	1.
Neomenia Nisan.	3.	5.	5.	7.	1.	1.	3.
Pascha sive 1. dies azymorum.	3.	5.	5.	7.	1.	1.	3.
Neomenia Iiiar.	4. 5.	6. 7.	6. 7.	1. 2.	2. 3.	2. 3.	4. 5.
Neomenia Sivan.	6.	1.	1.	3.	4.	4.	6.
Pentecoste.	7.	6.	6.	1.	2.	2.	4.
Neomenia Tammouz.	7. 1.	2. 3.	2. 3.	4. 5.	5. 6.	5. 6.	7. 1.
Jejunium Tabularum.	3.	5.	5.	1.	1.	1.	3.
Neomenia Abh.	2.	4.	4.	6.	7.	7.	2.
Jejunium desolationis Templi.	3.	5.	5.	1.	1.	1.	3.
Neomenia Eloul.	3. 4.	5. 6.	5. 6.	7. 1.	1. 2.	1. 2.	3. 4.

TABULA II.

Neomeniarum, festorum, & jejuniorum in anno embolimæo.

	Annus abundans à fer. 2. incipiens.	*Annus ordinarius à fer. 3. incipiens.*	*Annus deficiens à fer. 5. incipiens.*	*Annus abundans à fer. 5 incipiens.*	*Annus deficiens à fer. 7. incipiens.*	*Annus abundans à fer. 7. incipiens.*	*Annus deficiens à fer. 2. incipiens.*
Neomenia Tischri.	2.	3.	5.	5.	7.	7.	2.
Jejunium Godoliæ.	4.	5.	1.	1.	2.	2.	4.
Jejunium & festum expiationum.	4.	5.	7.	7.	2.	2.	4.
Festum Tabernaculorum.	2.	3.	5.	5.	7.	7.	2.
Festum ramorum.	1.	2.	4.	4.	6.	6.	1.
Neomenia Marhheschvan.	3. 4.	4. 5.	6. 7.	6. 7.	1. 2.	1. 2.	3. 4.
Neomenia Casleu.	5. 6.	6.	1.	1. 2.	3.	3. 4.	5.
Encænia.	2.	2.	4.	5.	6.	7.	1.
Neomenia Teveth.	7. 1.	7. 1.	2.	3. 4.	4.	5. 6.	6.
Jejunium obsessionis Jerusalem.	3.	3.	4.	6.	6.	6.	1.
Neomenia Schevat.	2.	2.	3.	5.	5.	7.	7.
Neomenia Adhar I.	3. 4.	3. 4.	4. 5.	6. 7.	6. 7.	1. 2.	1. 2.
Neomenia Adhar II.	5. 6.	5. 6.	6. 7.	1. 2.	1. 2.	3. 4.	3. 4.
Jejunium Esther.	4.	4.	5.	5.	5.	2.	2.
Festum Pourim seu sortium.	5.	5.	6.	1.	1.	3.	3.
Neomenia Nisan.	7.	7.	1.	3.	3.	5.	5.
Pascha seu 1. dies azymorum.	7.	7.	1.	3.	3.	5.	5.
Neomenia Iiiar.	1. 2.	1. 2.	2. 3.	4. 5.	4. 5.	6. 7.	6. 7.
Neomenia Sivan.	3.	3.	4.	6.	6.	1.	1.
Pentecoste.	1.	1.	2.	4.	4.	6.	6.
Neomenia Tammouz.	4. 5.	4. 5.	5. 6.	7. 1.	7. 1.	2. 3.	2. 3.
Jejunium Tabularum.	1.	1.	1.	3.	3.	5.	5.
Neomenia Abh.	6.	6.	7.	2.	2.	4.	4.
Jejunium desolationis Templi.	1.	1.	1.	3.	3.	5.	2.
Neomenia Eloul.	7. 1.	7. 1.	1. 2.	3. 4.	3. 4.	5. 6.	5. 6.

§. IV.

Sabbathicarum anno Judaïco 5487. lectionum exempla.

Cognita mensis nostri die, à quo incipit annus Judaïcus, facile inveniuntur, & ad mensium nostrorum dies revocantur Paraschoth & Haphtaroth ipsis respondentes, quæ in Synagogis Judæorum Sabbatho & aliis festis diebus leguntur. Annus Judaïcus, v. g. 5487. communis est, ut diximus, abundans, & à fer. 5. die 26. Septembris anni nostri 1726. incipiens. Quare inter 14. Kalendaria superius descripta, in annis simplicibus sive communibus, annum cui characteres V. A. I. conveniant. Is est primus annorum simplicium sive communium, supra pag. 456. c. 2. Cum itaque hic annus Judaïcus 5487. incœperit fer. 5. die 26. Septembris anni nostri 1726. hoc ipso die, sive feria 5. die 26. Septembris, agitatum est festum clangoris tubarum, & initium anni Judaïci civilis 5487. quod initium ab ipsis vocatur רֹאשׁ הַשָּׁנָה *caput anni.* Ea die Judæi legerunt in Paraschoth וַיֵּרָא & פִּנְחָס, uti diximus supra pag. 443. in appendice Paraschoth & Haphtaroth, quæ certis quibusdam festis per anni curriculum leguntur. Hæc appendix semper conferenda est cum lectionibus Sabbathicis, quæ fere solæ in 14. Kalendariis superius descriptis brevitatis ergo notatæ sunt.

Primo Sabb. die 3. hujus mensis Tischri, & 28. Septembris, lecta est Parascha הַאֲזִינוּ.

Secundo Sabbatho, 10. Tischri, 5. Octobris, celebratum est festum expiationis, cujus Parascham vide supra p. 443. coll. 1. 2.

Tertio Sabbatho 17. Tischri, 12. Octobris, quod incidit infra Octavam Tabernaculorum, lectum est in Parascha כִּי תִשָּׂא, &c. vide supra pag. 443. c. 2.

Quarto Sabbatho, 24. Tischri, 19. Octobris, lecta est Parascha בְּרֵאשִׁית.

Feria 6. sequenti, 30. Tischri, 25. Octobris, qua contigit prima neomenia mensis Marhheschvan, lectum est in Parascha פִּנְחָס. Vide append. sup. p. 444. c. 1.

Primo Sabbatho, & secunda neomenia mensis Marhheschvan, die 1. hujus mensis, & 26. Octobris, lecta est Parascha נֹחַ.

Secundo Sabbatho, 8. Marhheschvan, 2. Novembris, lecta est Parascha לֶךְ־לְךָ.

Tertio Sabbatho, 15. Marhheschvan, 9. Novembris, lecta est Parascha וַיֵּרָא.

Quarto Sabbatho, 22. Marhheschvan, 16. Novembris, lecta est Parascha חַיֵּי שָׂרָה.

Quinto Sabbatho, 29. Marhheschvan, 23. Novembris, lecta est Parascha תּוֹלְדֹת.

Fer. 1. sive Dominica, 30. Marhheschvan (nam hic mensis eo anno qui abundat, ex cavo fit plenus) 24. Nov. 1. neomenia Casleu. Feria 2. 25. Nov. secunda neomenia & prima dies Casleu. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabb. 6. Casleu, 30. Nov. וַיֵּצֵא.

Secundo Sabb. 13. Casleu, 7. Dec. וַיִּשְׁלַח.

Tertio Sabb. 20. Casleu, 14. Dec. וַיֵּשֶׁב.

Quarto Sabb. 27. Casleu, 21. Dec. וַיְהִי מִקֵּץ.

Feria 3. 30. Casleu, 24. Dec. prima neomenia mensis Teveth. Feria 4. 25. Dec. secunda neomenia & prima dies ejusd. mensis Teveth. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabb. 4. Teveth, 28. Dec. וַיִּגַּשׁ.

Secundo Sabb. 11. Teveth, 4. Jan. וַיְחִי.

Tertio Sabb, 18. Teveth, 11. Jan. וְאֵלֶּה שְׁמוֹת.

Quarto Sabb. 25. Teveth, 18. Jan. וָאֵרָא.

Feria 5. 23. Jan. neomenia sive prima dies Schevat. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabbatho, 3. Schevat, 25. Januarii, בֹּא אֶל־פַּרְעֹה.

Secundo Sabbatho, 10. Schevat, 1. Februarii, וַיְהִי בְּשַׁלַּח.

Tertio Sabb. 17. Schevat, 8. Feb. וַיִּשְׁמַע יִתְרוֹ.

Quarto Sabbatho, 24. Schevat, 15. Februarii, וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים.

Feria 6. 30. Schevat, 21. Febr. 1. neomen. Adhar. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabb. 22. Febr. 2. neomen. & 1. dies Adhar, Paraschoth וְיִקְחוּ־לִי תְּרוּמָה & שְׁקָלִים.

Secundo Sabbatho, 8. Adhar, 1. Martii, וְאַתָּה תְצַוֶּה & זָכוֹר.

Tertio Sabbatho, 15. Adhar, 8. Martii, כי תשא & הפסקה. De הפסקה sive intermissione parvæ sectionis, vide sup. p. 442. c. 2. 443. c. 1.

Quarto Sabbatho, 22. Adhar, 15. Martii, ויקהל & פרה.

Quinto Sabbatho, 29. Adhar, 22. Martii, אלה פקודי & החדש.

Feria 1. 23. Martii, neomenia & 1. dies Nisan. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabb. 7. Nisan, 29. Martii, ויקרא.

Secundo Sabb. 14. Nisan, 5. Aprilis, צו.

Tertio Sabbatho, 21. Nisan, 12. Aprilis, infra Octav. Paschæ. Vide supra p. 444. c. 2.

Quarto Sabbatho, 28. Nisan, 19. Aprilis, ביום השמיני.

Fer. 2. 30. Nisan, 21. Aprilis, 1. neomen. Iiiar. Fer. 3. 22. Aprilis, 2. neomen. & 1. dies Iiiar. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabbatho, 5. Iiiar, 26. Aprilis, כי תזריע & מצורע.

Secundo Sabb. 12. Iiiar, 3. Maii, קדושים & אחרי מות.

Tertio Sabb. 19. Iiiar, 10. Maii, אמר.

Quarto Sabb. 26. Iiiar, 17. Maii, בחקותי & בהר סיני.

Fer. 4. 21. Maii, neomen. & 1. dies Sivan. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabb. 4. Sivan, 24. Maii, במדבר סיני.

Secundo Sabbatho, 11. Sivan, 31. Maii, נשא את־ראש.

Tertio Sabb. 18. Sivan, 7. Junii, בהעלותך.

Quarto Sabbatho, 25. Sivan, 14. Junii, שלח לך אנשים.

Fer. 5. 30. Sivan, 19. Junii, 1. neomenia Tammouz. Fer. 6. 20. Junii, 2. neomen. & 1. dies Tammouz. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabbatho, 2. Tammouz, 21. Junii, ויקח קרח.

Secundo Sabbatho, 9. Tammouz, 28. Junii, חקת תורה.

Tertio Sabbatho, 16. Tammouz, 5. Julii, וירא בלק.

Quarto Sabb. 23. Tammouz, 12. Julii, פנחס.

Primo Sabbatho, neomen. Abh, 19. Julii, ראשי המטות & מסעי.

Secundo Sabbatho, 8. Abh, 26. Julii, אלה הדברים.

Tertio Sabbatho, 15. Abh, 2. Aug. ואתחנן.

Quarto Sabb. 22. Abh, 9. Augusti, עקב.

Quinto Sabbatho, 29. Abh, 16. Aug. ראה.

Feria 1. 30. Abh, 17. Augusti, 1. neomen. Eloul. Feria 2. 18. Aug. 2. neomen. & 1. dies Eloul. Vide supra pag. 444. c. 1.

Primo Sabb. 6. Eloul, 23. Aug. שופטים.

Secundo Sabb. 13. Eloul, 30. Aug. כי תצא.

Tertio Sabb. 20. Eloul, 6. Sept. כי תבא.

Quarto Sabbatho, 27. Eloul, 13. Septembris, Parascha אתם נצבים.

Annus Judaïcus insequens 5488. simplex sive communis & ordinarius (ejus enim symbolum est III. O. V.) incipiet feria 3, die 16. Septembris anni nostri 1727. Primo ejus Sabbatho, quod incidet in 20. Septembris nostri, legetur Parascha וילך. Vide supra pag. 464. col. 1. in fine.

Jam Scrupula Judaïca in nostra, & nostra in Judaïca convertendi tradenda est ratio.

§. V.

Scrupula horaria Judaïca in nostra, & nostra in Judaïca convertendi ratio.

JUDÆORUM astronomi, ut diximus supra pag. 478. col. 1. horam dividunt in 1080. primas partes, primam in 1080. secundas, secundam in 1080. tertias, tertiam in 1080. quartas, &c. nostri vero eam tribuunt in 60. primas, primam in 60. secundas, secundam in 60. tertias, tertiam in 60. quartas, &c. Quo facilius scrupula Judaïca ad nostra, & nostra ad Judaïca revocarentur, adornatæ sunt duæ sequentes tabulæ, quas ex parte exhibent Josephus Scaliger de emend. temp. lib. 1. p. 5. & Dionys. Petavius lib. 7. de doctrina temp. cap. 17. p. 667. tom. 1. quasque adjuti opera viri rerum illarum peritissimi D. *Desplaces*, accuratissimarum Ephemeridum apud D. *Collombat* impressarum auctoris; necnon D. *Vitet* in arte numerandi versatissimi, amplificavimus.

TABULA I.

Scrupulorum Judaicorum in nostra conversio.

Scrupula Judaica	*Scrupula nostra.*			*Scrupula Judaica*	*Scrupula nostra.*					*Scrupula Judaica*	*Scrupula nostra.*					
1ª	1ª	2ª	3ª	2ª	2ª	3ª	4ª	5ª	6ª	3ª	4ª	5ª	6ª	7ª	8ª	9ª
1	0	3	20	1	0	0	11	6	40	1	0	0	37	2	13	20
2	0	6	40	2	0	0	22	13	20	2	0	1	14	4	26	40
3	0	10	0	3	0	0	33	20	0	3	0	1	51	6	40	0
4	0	13	20	4	0	0	44	26	40	4	0	2	28	8	53	20
5	0	16	40	5	0	0	55	33	20	5	0	3	5	11	6	40
6	0	20	0	6	0	1	6	40	0	6	0	3	42	13	20	0
7	0	23	20	7	0	1	17	46	40	7	0	4	19	15	33	20
8	0	26	40	8	0	1	28	53	20	8	0	4	56	17	46	40
9	0	30	0	9	0	1	40	0	0	9	0	5	33	20	0	0
10	0	33	20	10	0	1	51	6	40	10	0	6	10	22	13	20
20	1	6	40	20	0	3	42	13	20	20	0	12	20	44	26	40
30	1	40	0	30	0	6	33	20	0	30	0	18	31	6	40	0
40	2	13	20	40	0	7	44	26	40	40	0	24	41	28	53	20
50	2	46	40	50	0	9	15	33	20	50	0	30	51	51	6	40
60	3	20	0	60	0	11	6	40	0	60	0	37	2	13	20	0
70	3	53	20	70	0	12	57	46	40	70	0	43	12	35	33	20
80	4	26	40	80	0	14	48	53	20	80	0	49	22	57	46	40
90	5	0	0	90	0	16	40	0	0	90	0	55	33	20	0	0
100	5	33	20	100	0	18	31	6	40	100	1	1	43	42	13	20
200	11	6	40	200	0	37	2	13	20	200	2	3	27	24	26	40
300	16	40	0	300	0	55	33	20	0	300	3	5	11	6	40	0
400	22	13	20	400	1	14	4	26	40	400	4	6	54	48	53	20
500	27	46	40	500	1	32	35	33	20	500	5	8	38	31	6	40
600	33	20	0	600	1	51	6	40	0	600	6	10	22	13	20	0
700	38	53	20	700	2	9	37	46	40	700	7	12	5	55	33	20
800	44	26	40	800	2	28	8	53	20	800	8	13	49	37	46	40
900	50	0	0	900	2	46	40	0	0	900	9	15	33	20	0	0
1000	55	33	20	1000	3	5	11	6	40	1000	10	17	17	2	13	20
1080	60	0	0	1080	3	20	0	0	0	1080	11	6	40	0	0	0

TABULA II.

Scrupulorum noſtrorum in Judaïca converſio.

Noſtr. Scrup.	Scrupula Judaïca.	Noſtr. Scrup.	Scrupula Judaïca.		Noſtr. Scrup.	Scrupula Judaïca.		Noſtr. Scrup.	Scrupula Judaïca		
1ª	1ª	2ª	1ª	2ª	3ª	2ª	3ª	4ª	2ª	3ª	4ª
1	18	1	0	324	1	5	432	1	0	97	216
2	36	2	0	648	2	10	864	2	0	194	432
3	54	3	0	972	3	16	216	3	0	291	648
4	72	4	1	216	4	21	648	4	0	388	864
5	90	5	1	540	5	27	0	5	0	486	0
6	108	6	1	864	6	32	432	6	0	583	216
7	126	7	2	108	7	37	864	7	0	680	432
8	144	8	2	432	8	43	216	8	0	777	648
9	162	9	2	756	9	48	648	9	0	874	864
10	180	10	3	0	10	54	0	10	0	972	0
20	360	20	6	0	20	108	0	20	1	864	0
30	540	30	9	0	30	162	0	30	2	756	0
40	720	40	12	0	40	216	0	40	3	648	0
50	900	50	15	0	50	270	0	50	4	540	0
60	1080	60	18	0	60	324	0	60	5	432	0

Præcedentium tabularum explicatio ſive ſtructura.

TABULA I. oſtendit quot & quæ ſcrupula noſtra horaria in Judaïcis contineantur. Hoc ut ſcias, dividenda tibi ſunt ſcrupula noſtra per Judaïca. Quæris v. g. quot & quæ ſcrupula noſtra complectatur una prima Judaïca. Partire 60. per 1080. cumque id fieri nequeat, quod numerus dividendus minor ſit dividente; 60. primas noſtras converte in ſecundas, multiplicando 60. per 60. Summa inde producta dabit 3600. ſecundas, quibus diviſis per 1080. quotiens erit 3. ſecundæ cum 360. ſecundis ex diviſione reſiduis, quæ ſunt etiam per 60. multiplicandæ, ut in 216000. tertias convertantur. His 216000. tertiis per 1080. diviſis, quotiens dabit 20. tertias ſine ullis ſcrupulis reſiduis. Itaque prima una Judaïca continet 3. ſecundas, & 20. tertias è noſtris.

Duarum primarum Judaïcarum poteſtatem habebis, ſi 3. ſecundas noſtras, & 20. tertias uni primæ Judaïcæ reſpondentes duplices; invenies enim 6. ſecund. & 40. tertias.

Trium primarum Judaïcarum valor innoteſcet, ſi 3. ſecundas & 20. tertias noſtras in una prima Judaïca contentas triplices, aut eaſdem 3. ſecundas noſtras & 20. tertias

ad 6. ſecundas & 40. tertias noſtras ex duabus primis Judaïcis natas adjeceris; habebis enim 10. ſecundas & 0. hoc eſt, nullas tertias; non vero 9. ſecundas & 60. tertias; nam in hac ſcrupulorum noſtrorum adjectione à minoribus incipiendum: cumque 60. tertiæ unam ſecundam efficiant; ſecunda illa ſecundis aliis eſt adjicienda. Ita in ſecundarum collectione, cum illæ ad numerum 60. pervenerint, prima ex 60. ſecundis nata ad primas referenda eſt, aut in columna primarum reponenda. Idem faciendum in quintis, ſextis, ſeptimis, &c. cum ex iis ſimul collectis numerus 60. exſurgit; neque ſcribenda illa ſcrupula, niſi aut minora ſint numero 60. aut, eo ſubducto, remanſerint minori adhuc numero.

Quatuor primarum Judaïcarum ad noſtra ſcrupula proportionem habebis, ſi ſcrupula noſtra in prima Judaïca contenta his, quæ ex tribus primis Judaïcis emerſerunt, adjicias; exſurgent enim 13. ſecundæ & 20. tertiæ, & ſic de aliis, adjectis ſemper ad ſcrupula præcedentia 3. ſecundis & 20. tertiis; relatiſque tertiis ad ſecundas, ſecundis ad primas, quoties ad numerum 60. excreverint. Idem faciendum in duabus aliis tabulæ hujus columnis. Porro cum dicimus in hac prima columna 3. ſecundas & 20. tertias ſcrupulorum noſtrorum adjiciendas eſſe ad ſcrupula nata ex primis Judaïcis, id ſolum intelligendum de numeris ad 10. incluſive; nam à 10. ad 100. fit progreſſio decupla, à 100. ad 1000. centupla.

Secundarum Judaïcarum valor eodem modo invenitur; nimirum dividendo ſecundas noſtras per ſecundas Judæorum. Horam autem dividimus in 3600. ſecundas, Judæi vero in 1166400. itidem ſecundas; cumque 3600. ſecundæ dividi nequeant per 1166400. ſecundas; ſecundæ noſtræ 3600. per 60. multiplicandæ ſunt, ut in 216000. tertias convertantur. Verum numerus ille minor adhuc eſt, quam ut dividi poſſit per 1166400. ſecundas; multiplicandus eſt itaque per 60. ut habeantur 12960000. quartæ. His 12960000. quartis noſtris per 1166400. ſecundas Judaïcas diviſis, quotiens exhibebit 11. quartas cum 129600. quartis ex diviſione reſiduis, quæ multiplicandæ ſunt per 60. ut inde quintæ 7776000. habeantur, quæ diviſæ per 1166400. ſecundas Judaïcas, dabunt in quotiente 6. quintas, ac præterea reſtabunt ex diviſione 777600. quintæ, quæ multiplicandæ ſunt per 60. ut in 46656000. ſextas convertantur, quibus diviſis per 1166400. ſecundas Judaïcas, quotiens erit 40. ſecundæ ſine ullo reſiduo. Igitur ſecunda una Judaïca complectitur è noſtris 11. quartas, 6. quintas, 40. ſextas. Aliarum ſecundarum Judaïcarum poteſtas eodem modo, quo primarum valor, invenietur.

Tertiarum Judaïcarum ad noſtras ratio eodem modo reperitur; nempe diviſis noſtris tertiis 216000. per tertias Judæorum 1259712000. quot hora Judaïca componitur. Cum autem tertiæ noſtræ, utpote numero minores, dividi nequeant per tertias Judæorum; eæ multiplicandæ ſunt per 60. ac in 12960000. quart. convertendæ; cumque numerus ille adhuc minor ſit dividente; quartæ illæ adhuc multiplicandæ ſunt per 60. ac in 777600000. quint. convertendæ. Verum numerus ille dividi etiam nequit per Judaïcum; quare adhuc multiplicandus eſt per 60. ut habeantur 46656000000. ſextæ, quæ diviſæ per tert. Jud. 1259712000. dant in quotiente 37. ſextas cum 466560000. ſextis ex diviſione reſiduis, quæ multiplicatæ per 60. efficiunt 27993600000. ſeptimas, quibus diviſis per 1259712000. tertias Jud. quotiens exhibet 2. ſeptimas, ac ſuperant ex diviſione 2799360000. ſeptimæ, quæ multiplicatæ per 60. conficiunt 167961600000. oct. quæ diviſæ per 1259712000. tertias Jud. dant in quotiente 13. octav. cum 41990400. oct. ex diviſione reſiduis, quibus multiplicatis per 60. fiunt 2519424000. nonę, quæ diviſæ per 1250712000. tertias Jud. dant in quotiente 20. nonas. Itaque una tertia Judaïca complectitur è noſtris 37. ſextas, 2. ſeptimas, 13. octavas, 20. nonas. Ceterarum tertiarum Judaïcarum poteſtas eadem methodo, qua primarum valor, invenitur.

Quartas Judaïcas ſcrupulis noſtris reſpondentes, quæ in hac tabula, ob loci anguſtiam, reponi non potuerunt, invenies, ſi

quartas nostras 12960000. per Judæorum quartas 1360488960000. diviseris. Cum autem id fieri nequeat, quartæ nostræ in septimas convertendæ sunt, eodem modo, quo mox tertiæ in quartas, quartæ in quintas, quintæ in sextas conversæ sunt. Porro septimæ nostræ sunt numero 2799360000000. quæ dividendæ sunt per quartas Judaïcas supra positas; expletisque operationibus omnibus invenies quartam unam Judaïcam respondere nostris 2. septimis, 3. octavis, 27. nonis, 24. decimis, 26. undecimis, 40. duodecimis.

TABULA II. docet quot & quæ scrupula Judaïca nostris respondeant. Hoc ut invenias, scrupula Judaïca per nostra dividenda sunt. Quæris v. g. quot & quæ scrupula Judæorum uni è primis nostris respondeant. Divide 1080. primas Judaïcas per 60. nostras, habebis in quotiente 18. primas Judaïcas, sine ullis scrupulis residuis. Aliarum primarum nostrarum valor in hac columna eodem modo invenitur, ac primarum Judaïcarum valor in prima tabulæ præcedentis columna.

Unius è secundis nostris potestatem habebis, si secundas Judaïcas 1166400. per secundas nostras 3600. diviseris; quotiens enim dabit 324. secundas Judaïcas. Aliarum secundarum nostrarum valorem cognosces, si scrupula Judaïca alia aliis ex ordine, ut in præcedenti tabula, adjicias. Id tantum discriminis intercedit, quod in hac & sequentibus 2. columnis in scrupulorum collectione ea omnia describantur, nisi ad numerum 1080. & ultra pervenerint; tunc enim quartæ ad tertias, tertiæ ad secundas, secundæ ad primas revocantur; nam 1080. quartæ unam tertiam, 1080. tertiæ unam secundam, 1080. secundæ unam primam conficiunt. Tantum igitur scribenda sunt scrupula τοῖς 1080. minora, sive ad numerum illum nequaquam pervenerint; sive, eo subducto, remanserint. Aliarum secundarum valor eadem ratione, qua primarum, invenitur.

Tertiarum nostrarum unius valorem reperies, si tertias Judaïcas 1259712000. per tertias nostras 216000. diviseris, quotiens dabit 5832. tertias Judaïcas, quæ divisæ per 1080. (quippe quæ hunc numerum excedant) dabunt in quotiente 5. secundas cum 432. tertiis superstitibus. Aliarum tertiarum potestas eadem methodo, qua primarum, deprehenditur.

Denique unius è quartis nostris ad scrupula Judaïca proportionem invenies, si quartas Judaïcas 1360488960000. per quartas nostras 12960000. diviseris; tunc enim quotiens dabit 104976. quartas Judaïcas, quibus divisis per 1080. quotiens dabit 97. quartas Judaïcas, cum 216. quartis itidem Judaïcis ex divisione residuis. Aliarum quartarum valorem eadem regula, qua primarum, investigabis.

Earumdem tabularum usus.

QUANTA facilitate scrupula horaria Judaïca in nostra, & nostra in Judaïca, superiorum tabularum ope, revocentur, unum aut alterum exemplum demonstrabit.

Annus Judaïcus 5481. ex calculo nostro iniit die 3. Octobris anni nostri 1720. feria 5. hora 8. scrup. 591. Ut scrupula illa Judaïca ad nostra revocentur, quærendus est 1°. in col. 1. tab. 1. numerus 500. cui respondent 27. primæ nostræ, 46. secundæ, & 40. tertiæ. 2°. quærendus est in eadem columna & tabula numerus 90. cujus è regione sunt 5'. 0. 0. hoc est, quinque primæ, sine aliis scrupulis. 3°. quærendus est ibidem numerus 1. qui dat 3. secundas nostras, & 20. tertias. 4°. omnia illa scrupula simul ita colligenda sunt, ut tertiæ, cum numerum 1080. efficiunt, ad secundas revocentur, nullis notatis tertiis, nisi post numerum illum subductum residuis. Eadem de causa secundæ ad primas comportandæ sunt. Sic igitur ea scrupula ordinanda sunt & una colligenda.

	27'.	46''.	40'''.
	5.	0.	0.
	0.	3.	20.
Summa	32'.	50''.	0'''.

Itaque 591. scrupu'a Judaïca nostris 32. primis, 50. secundis, 0. tertiis respondent. Rursum, si 32. prima, 50. secunda, 0. tertia illa nostra scrupula ad Judaïca revocare volueris, quære in tabula 2. in col. 1. à sinistris, numerum 30. cujus è regione invenies 540. primas Judaïcas. 2°. quære in eadem col. 1. numerum 2. cui respondent 36. primæ Judaïcæ. 3°. quære 50. in col. 2. & invenies è regione 15. primas Judaïcas. Has summas sic ordinato & colligito:

	540'.	0''.	0'''.
	36.	0.	0.
	15.	0.	0.
Summa	591'.	0'.	0'''.

Itaque 32. scrupula nostra primaria, & 50. secundaria, paria sunt *τοῖς* 591. scrupulis Judaïcis itidem primariis.

Annus Judaïcus 5487. incœpit fer. 5. hor. 14. scrup. 953. die 26. Septembris anni nostri 1726. Scire vis quot & quibus è nostris respondeant 953. illa scrupula Judaïca. Quære in 1. col. tab. 1. numerum 900. è regione ejus invenies 50. primas, 0. secundas, 0. tertias è nostris. 2°. quære in eadem col. 1. tab. 1. numerum 50. invenies 2. primas nostras, 46. secundas, 40. tertias 3°. quære ibid. 3. & invenies 0. primas, 10. secundas, 0. tertias. Has summas sic collige:

	50'.	0''.	0'''.
	2.	46.	40.
	0.	10.	0.
Summa	52'.	56''.	40'''.

Igitur 953. primæ Judaïcæ complectuntur è nostris 52. primas, 56. secundas, 40. tertias.

Ut scrupula illa nostra ad Judaïca revoces, quære 1°. in prima col. tabulæ 2. à sinistris numerum 50. cui respondent 900. primæ Judaïcæ. 2°. quære in ead. col. num. 2. cujus è regione sunt 36. primæ Judaïcæ. 3°. quære in col. 2. ejusd. tab. numerum 50. qui dat 15. primas Judaïcas. 4°. quære in eadem col. num. 6. cui respondent 1. prima Judaïca, & 864. secundæ itidem Judaïcæ. 5°. quære in 3. col. ejusd. tab. 2. num. 40. invenies 216. secundas Judaïcas ipsi respondentes. Summas has omnes sic collige:

	900'.	0''.	0'''.
	36.	0.	0.
	15.	0.	0.
	1.	864.	0.
	0.	216.	0.
Summa	953'.	0''.	0'''.

Itaque 52. primæ, 56. secundæ, 46. tertiæ nostræ respondent scrupulis Judæorum primariis 953. Cum in scrupulorum secundariorum collectione duæ summæ 864. & 216. effecerint numerum 1080. quod est scrupulum primarium Judaïcum, hoc scrupulo ad primaria adjecto, nihil fuit in summa residui.

Satis pro instituti nostri ratione de Kalendario Judaïco dissertuimus. Qui ampliorem ejus notitiam habere voluerit, legat Sebastiani Munsteri Kalendarium Hebraïcum, quod fere compilarunt plerique omnes, qui postea de eodem argumento disputarunt; Scaligerum de emendat. temp. lib. 7. Petavium de doct. temp. l. 7. c. 17. & seqq. Bartoloccium Biblioth. magnæ Rabb. tom. 2. p. 392. & seqq. &c.

Unum tamen est, quod lectorem adhuc monitum velim; nempe secundas, tertias, quartas Judaïcas, &c. eodem modo reperiri, quo supra inventæ sunt nostræ secundæ, tertiæ, quartæ, &c. mutato solo multiplicante numero. Ut enim habes secundas nostras, multiplicatis 60. primis nostris per 60. ita secundas Judaïcas habebis, si multiplicaveris 1080. primas Judaïcas per 1080. Invenies tertias Judaïcas, si secundas itidem Judaïcas per 1080. multiplicaveris. Quartæ Judaïcæ aderunt, si tertiæ Judaïcæ per 1080. multiplicentur. Et sic de quintis, sextis, &c. Hora itaque Judaica constat 1080. primis; 1166400. secundis; 1259712000. tertiis; 1360488960000. quartis, &c.

CAPUT

CAPUT VIII.

De nummis, ponderibus ac mensuris Hebraïcis, quorum in Sacra Scriptura fit mentio, eorumque cum nostris collatione.

ARTICULUS I.

De nummis ac ponderibus.

NUMMI apud Hebræos ponderum etiam munere fungebantur. Hi sunt, quorum in SS. Literis fit mentio.

In Veteri Testamento.

שֶׁקֶל *Siclus*, sæpissime; qui etiam per כֶּסֶף *argentum* exprimitur, quoties vox illa כֶּסֶף pro nummo, non pro argento, usurpatur, ut Gen. 20. v. 16. &c.

מַחֲצִית vel בֶּקַע *dimidium*, Sicli videlicet, Gen. 24. v. 22. Exod. 30. vv. 13. 15. c. 38. v. 26.

שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל *tertia pars Sicli*, Nehem. 10. v. 32. al. 33.

רֶבַע שֶׁקֶל *quarta pars Sicli*, 1. Reg. 9. v. 8.

גֵּרָה *Gera*, vel אֲגוֹרָה *Agora*, idem, Exod. 30. v. 13. 1. Reg. 2. v. 36.

אֲדַרְכֹּן *Adarkon* & דַּרְכְּמוֹן *Darkemon*, idem, Esd. 2. v. 69. & c. 8. v. 27.

מָנֶה *Mina*, aut *Mna*, Ezech. 45. v. 12.

קְשִׂיטָה *Qesita*, Gen. 33. v. 19. Jos. 24. v. 32. Job. 42. v. 11.

כִּכָּר *talentum*, Exod. 25. v. 3. c. 37. v. 24. & alibi sæpissime.

In Novo Testamento.

Ἀργύρειον *Argentum*, Matth. 26. v. 15. ubi idem est ac כֶּסֶף *argenteus*, vel *Siclus*. Verum Act. 19. v. 19. ubi de nummis Græcis sermo est, drachmam Atticam valet, h. e. quartam partem Sicli.

Δραχμὴ *Drachma*, Luc. 15. vv. 8. & 9.

Δίδραχμον *Didrachmum*, Matth. 17. v. 24.

Στατὴρ *Stater*, Matth. 17. v. 27.

Δηνάριον *Denarius*, Matth. 18. v. 28. &c.

Hi omnes nummi fere aurei sunt vel argentei. Qui sequuntur, ærei sunt & externi.

Ἀσσάριον *Assarius*, Matth. 10. v. 29.

Κοδράντης *Quadrans*, Matth. 5. v. 26. &c.

Λεπτὸν *Minutum*, Luc. 21. v. 2. &c.

Jam singuli illi nummi expendendi sunt, & cum nostris componendi. Cum autem plerorumque aliorum pretium ac pondus ex Siclo æstimetur, ab eo initium faciemus.

§. I.

De Sicli nomine, valore, & forma.

SICLUS dicitur Hebraïce שֶׁקֶל, à שָׁקַל *appendit*, quod priscis temporibus appenderetur, non numeraretur argentum. Sicli autem pondus semiuncia (Romana) fuit, id est, drachmarum Atticarum quatuor, ut prodiderunt Josephus lib. 3. Antiquitatum, cap. 9. pag. 88. edit. Genev. 1611. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας, *Siclus Hebræorum nummus, quatuor drachmas Atticas complectitur.* S. Hieronym. comment. in cap. 4. Ezech. tom. 3. novæ edit. col. 722. *Siclus autem, id est,*

ſtater, habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo Latinam unciam faciunt. Et comment. in cap. 17. Matth. tom. 4. ejuſd. edit. col. 81. *Stater dicitur, qui duo habet didrachma.* Cum itaque drachmæ octo, ſecundum Hieronymum, unciam Latinam conſtituant, Siclus autem quatuor drachmas haberet, ejuſdem cum ſemiuncia Romana ponderis eum fuiſſe neceſſe eſt. Vide etiam Heſychium in voce Σίκλος, ubi eum appellat τετράδραχμον, Ἀττικὸν νόμισμα, *tetradrachmum, nummum Atticum.* Lxx. quidem non raro שֶׁקֶל interpretantur δίδραχμον, ut Gen. 23. v. 15. &c. ſed reſpiciunt ad drachmam Alexandriæ, ubi Sacros Libros Græce convertebant; quæ drachma Alexandrina Atticæ dupla fuit; ſicuti talentum Alexandrinum 12000. drachmas Atticas continebat, teſte Varrone, lib. 4. de ling. Lat. Atticum vero 6000.

Quidam duplicem Siclum agnoſcunt, ſacrum & civilem, quod *Sicli Sanctuarii* interdum mentio fiat in Scripturis. Siclum ſacrum ſemiunciam, vel 4. drachmas Atticas, civilem vero quartam unciæ partem, ſive duas drachmas Atticas valuiſſe opinantur. Sed hæc diſtinctio conficta eſt; nam Siclum quemlibet Lxx. interpretantur δίδραχμον, numquam τετράδραχμον; quam utique vocem ad Sicli ſacri poteſtatem exprimendam uſurpaſſent.

Siclus itaque Sanctuarii dicitur, quia in Sanctuario ponderum ac menſurarum exemplaria aſſervabantur; hoc enim ad Sacerdotum officium pertinebat, 1. Paral. 23. v. 29. Mos idem apud Ethnicos & Chriſtianos invaluerat, ut patet ex inſcriptione Congii, qui à Veſpaſiano in Capitolio dedicatus eſt, ut ibi normæ eſſe loco, & ex Juſtiniani Novella 128. Attamen dimidius Siclus, quem Tabernaculo & Templo quotannis penſitabant Judæi viginti & ſupra annos nati, 2. Paral. 24. vv. 6. 9. & poſt everſum Templum, Capitolio Romano, ex edicto Veſpaſiani, ut ſcribit Joſeph. de bello Jud. l. 7. c. 26. p. 933. edit. Gen. 1611. is, inquam, dimidius Siclus imperatus Exod. 30. vv. 12. 13. vocabatur etiam Siclus publicus & regius, 2. Reg. 14. v. 26. ubi pro *ducentis Siclis* בְּאֶבֶן הַמֶּלֶךְ *ponderis regii*, Lxx. *centum Siclos*, nempe integros, tranſtulerunt. De hoc Siclo loquitur S. Epiphanius, lib. de ponderibus, tom. 2. p. 183. edit. Pariſ. 1622. cum ait: *Siclus eſt quarta pars unciæ.* Hunc etiam reſpexit Joſephus lib. 13. antiq. c. 5. p. 432. edit. ſupra laudatæ, ubi pro 5000. Siclis, quos Demetrius Judæis remiſit, 1. Mach. 10. v. 42. poſuit 10000. drachmas, Atticas videlicet.

Cum itaque Siclus proprie dictus ejuſdem ponderis fuerit ac ſemiuncia Romana vetus, nunc expendendum quale fuerit Sicli argentei, ratione habita monetæ noſtræ, pretium. Hoc ut accurate fiat, prius conferenda uncia Romana vetus cum noſtra; neque enim idem eſt utriuſque pondus. Id liquet ex obſervationibus doctiſſimorum virorum *Gaſſendi* & *Peireſc.* Hi enim Congii Veſpaſiani, de quo ſupra, qui decem libras Romanas veteres continebat, Roma è palatio Farneſiano, ubi tunc temporis aſſervabatur, accuratum ad ſe exemplar cum tranſmittendum curaſſent, hunc Congium aquæ putei plenum librarum Francicarum uncias III. $\frac{3}{4}$. continere ſeu pendere deprehenderunt. Hinc uncias noſtras III. $\frac{3}{4}$. Romanis 120. (tot enim complectebantur 10. libræ Romanæ) reſpondere intellexerunt. Uncia itaque Romana minor eſt noſtra 1. d. 18. gran. $\frac{78}{149}$ gran.

Cognita unciæ Romanæ veteris ad noſtram proportione, jam inveſtigandum quanti valeat uncia noſtra argentea. Quo tempore hæc typis mandantur, bes (*Marc*) argenti noſtri ſignati valet 48. ₶ proindeque ejus uncia valet 6. ₶. Cum autem uncia Romana vetus minor ſit noſtra i. d. 18. gran. & $\frac{78}{149}$ gran. valebit 5. ₶ 11. ſ 9. d., cumque Siclus ſemiunciæ Romanæ, ut ſupra probavimus, reſpondeat; pretium ejus erit 2. ₶ 15. ſ 10. $\frac{1}{2}$ d. Dimidius Siclus valebit 1. ₶ 7. ſ 11. $\frac{1}{2}$ d. tertia pars Sicli 18. ſ 7. $\frac{1}{2}$ d. Denique ejuſdem quarta pars 13. ſ 11. $\frac{5}{8}$ d.

Antequam ad alios Hebræorum nummos veniamus, non ab re fuerit de veterum genuinorumque Siclorum figuris & inſcriptionibus pauca diſſerere.

Figuræ, quæ in iis conspiciuntur, sunt modo palma, modo nux pinea, interdum spicæ, quandoque manipulus, pampinus, botrus, flos, ramus amygdalinus, vas, quod alii volunt esse *Gomor*, quo manna asservabatur, alii vas aliquod Templi ministerio destinatum, &c. quæ omnia symbola erant Judææ; nunquam vero in iis cernitur hominis aut animalis imago.

Quod pertinet ad inscriptiones; illæ characteribus Samaritanis, iisque veteribus, utpote antiquis linguæ S. elementis, exaratæ sunt. In his sæpius legitur nomen *Simonis* Machabæi, quo imperante, & cujus gratia cusi sunt plerique illi nummi. Quandoque etiam legitur *annus primus, secundus*, &c. *redemtionis Israël*, vel *liberationis Sion* aut *Jerusalem*, vel quid simile. Primus autem annus redemtionis Israël concurrit cum anno 170. Græcorum, 1. Mach. 13. v. 41. & primus annus liberationis Sion aut Jerusalem, respondet anno 171. eorumdem Græcorum, ibid. v. 51. proindeque redemtio Israël contigit annis 143. ante vulgarem æram Christianam, & liberatio Sionis vel Jerusalem, 142. ante prædictam æram. Nam primus annus Græcorum incidit in annum Periodi Julianæ 4402. à cujus verno tempore Græcorum annos computare incipit scriptor libri primi Machabæorum, dum secundi author eos auspicatur ab autumno insequente, à quo etiam Judæi *æræ contractuum* initium repetunt. Vide Annales Usserii, pag. 245. edit. Paris. 1673. Pro, *annus primus, secundus*, &c. *redemtionis Israël*, vel *liberationis Sion* aut *Jerusalem*, legendum *anno primo, secundo*, &c. *ob redemtionem Israël*, vel *liberationem Sion* aut *Jerusalem* existimat doctissimus P. *Soucietus* S. J. in sua de nummis Hebraïcis diatriba, quam vide.

Sunt nummi, in quibus non exprimitur quidem *Simonis* nomen; sed legitur: *ob liberationem Israël*, aut *redemtionem Jerusalem* vel *Sionis*. Denique inveniuntur, in quibus nulla fit mentio *Simonis* & liberationis Israël aut redemtionis Sion, vel Jerusalem; sed in superiori parte vasis in eorum antica signati conspicitur A. א, qua litera epocha designatur, videlicet annus *primus*; non vero Sicli integritas, ut nonnullis placet: cum eadem litera in Sicli partibus, puta in dimidiis Siclis, non raro inveniatur. Id etiam constat ex aliis Siclis, in quibus prædicto vasi imminent ב ש, ב ש, quibus proculdubio significatur *annus secundus*, vel *anno secundo*, quæ voces nonnunquam integræ scribuntur. Circa illud vas legitur *Siclus Israëlis*. In altera facie cernitur lilium, aliis ramus amygdalinus, aliis virga Aaronis efflorescens, cum hac inscriptione: *Jerusalem sancta*. Vide nummorum tabulam infra positam. Ceterum, mirum videri non debet numismata Simonis ætate cusa, literis Samaritanis, quæ tunc temporis exoleverant, & paucis erant notæ, esse inscripta; ea enim ad veterum normam, uti recte observat eruditissimus *Soucietus* in diatriba mox laudata, pagg. 41. 42. fabricata sunt. Frustra igitur ex hac inscriptione, *Jerusalem sancta*, & Samariticis characteribus, quibus exprimitur, colligunt eruditi non pauci hos nummos cusos fuisse à Judæis ante defectionem, aut saltem captivitatem decem tribuum, quo tempore Israëlis nomen & Samaritana elementa Judæis omnibus erant communia, non vero à Samaritanis, qui nunquam urbe Jerusalem potiti sunt, quique illam cane pejus & angue oderant; nam Simonis nomen, quod in iis legitur, recentiorem eorum ætatem arguit.

Nummi literis Hebræis hodiernis inscripti, & in quorum nonnullis videre est caput vel Abrahami, vel Moysi, vel Davidis, vel Salomonis, &c. cum eorum nominibus, tanquam spurii ab eruditis rejiciuntur, ut & illi in quorum antica cernitur caput Servatoris nostri cum nomine ישו *Jesus*, & in postica hæc aut similis inscriptio: *Messias rex venit in pace*, *Deus homo factus est*, &c. Postrema illa numismata vel à Christianis, vel à Judæis ipsis, ut Christianos pecunia emungerent, cusa sunt.


Hic genuini aliquot nummi Heb. exhibendi sunt. Sed ut eorum inscriptiones facilius legantur, his Alphabethum vetus Samaritan. seu potius Hebraïcum, ex numismatis erutum, una cum novo seu Biblico præmittendum.


ALPHABETHUM SAMARITANUM


vetus ac novum


CHARACTERES Antiqui.	CHARACTERES Novi.	CHARACTERES Antiqui.	CHARACTERES Novi.

GENUINI ALIQUOT NUMMI *SAMARITANI SIVE HEBRAICI.*








IIII.
X.
V.
XI.
VI.
XII.
VII.
XIII.
VIII.
XIIII.
IX.
XV.

NOTÆ

In nummos præcedentes.

I.

PRimus nummus Siclus est argenteus à Morino p. 205. Exercit. in Pent. Samar. Villalpando in App. pag. 380. num. 2. Kirchero in Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 1. p. 91. Wasero in tom. 8. Critic. Lond. p. 929. exhibitus. In ejus antica cernitur vas, quod aliis est urna, in qua manna quondam asservabatur; aliis vas aliquod Templi ministerio destinatum. Superiori hujus vasis parti imminent duæ literæ [Samaritan], ש ב, quæ compendium sunt pro [Samaritan], שְׁנַת שְׁתַּיִם *anno secundo* liberationis Israël, aut redemtionis Jerusalem, vel Sion, ut ex aliis quibusdam nummis infra describendis conjicere licet; vel regis aut principis, quo imperante cusus est hic nummus. Decepti sunt Willalpandus, Kircherus, Morinus, &c. qui pro [Samaritan] ב, legerunt [Samaritan] ד, ac *Siclum Davidis* interpretati sunt: ita ut ש ipsis fuerit שֶׁקֶל *Siclus*, ד vero *Davidis*; constat enim ex secundæ literæ figura eam esse [Samaritan] ב, non [Samaritan] ד. Circa vas istud legitur [Samaritan], שֶׁקֶל יִשְׂרָאֵל *Siclus Israëlis*. In postica, sive in altera parte, cernitur lilium, vel, secundum alios, virga Aaronis efflorescens. Circa hunc florem legitur [Samaritan], יְרוּשָׁלַיִם הַקְּדֹשָׁה vel, [Samaritan] יְרוּשָׁלַיְמָה קְדֹשָׁה *Jerusalem sancta*. Mendose, ut videtur, apud Morinum geminatur [Samaritan] in secunda voce, quod apud Villalpandum & Kirch. simplex scribitur.

II.

Secundus nummus à Morino pag. 206. Villalpando pag. 380. num. 1. Kirchero p. 88. Wasero p. 929. delineatus, idem est ac primus; nisi quod vasi immineat sola litera [Samaritan] א, qua annus primus notatur, & in altera parte scribatur [Samaritan], יְרוּשָׁלַם קְדֹשָׁה *Jerusalem sancta*, sine [Samaritan] (י) post ל in prima voce, & sine [Samaritan] ה in fine ejusdem, vel initio secundæ.

III.

Tertius nummus Siclus æreus est à Kirchero pag. 101. & à Joanne *Bouteroüe* in curiosis monetarum Francic. disquisitionibus, pag. 20. exhibitus. In prima ejus facie conspicitur ædificium, quod eidem Joanni *Bouteroüe* sepulchrum est à Simone Machabæo parentibus ac fratribus suis in civitate Modin ædificatum. Vide 1. Mach. 13. v. 27. Joseph. antiq. l. 13. c. 11. A latere partim dextro, partim sinistro hujus ædificii, legitur [Samaritan], שִׁמְעוֹן *Simon*. Kircher. in cujus nummo duæ tantum literæ [Samaritan], שׁם exstabant, his, compendaria scriptione, [Samaritan], שְׁלֹמֹה מֶלֶךְ *Salomonem regem* designatum credidit. In altera facie cernitur manipulus religatus cum arbuscula, aliis botro, aut pampino, à sinistro latere. Circa manipulum legitur [Samaritan], לְחֵרוּת יְרוּשָׁלֵם *ob liberationem Jerusalem*. In nummo Buteruano est [Samaritan] loco [Samaritan] in voce [Samaritan], idque sculptoris, ut videtur, oscitantia; nam in Kircheriano est [Samaritan] non [Samaritan]. Idem Kircherus in hoc nummo, ut & in aliis infra commemorandis, male interpretatus est vocem לְחֵרוּת *ad scripturam*; venit enim ab חָרַר, unde חֹרִים *nobiles, liberi*; non ab חרת חָרַת *exaravit, exsculpsit*, &c.

IV.

Quartus nummus Siclus itidem æreus est. Eum exhibent J. *Bouteroüe*, p. 23. & Kirch. p. 100. In antica ejus palma est cum suo fructu, & nomine [Samaritan], שִׁמְעוֹן *Simeon* vel *Simon* partim à dextro, partim à sinistro latere trunci arboris scripto. Kircherus pro [Samaritan] perperam legit [Samaritan], שְׁמוּאֵל *Samuel*. In postica est pampinus circa quem legitur [Samaritan].... יְרוּשָׁלֵם.... *Jerusalem*, deficiente in nummo Buteruano voce [Samaritan] לְחֵרוּת *ob liberationem*, cujus duæ ultimæ literæ [Samaritan].... ות.... leguntur in Kircheriano.

V.

Quintus nummus drachma argentea eſt, ſive Sicli quarta pars à J. *Bouteroüe*, pag. 21. & à Kirch. pag. 101. exhibita. In prima ejus facie conſpicitur botrus circa quem legere eſt [Samaritan] שׁמעון *Simon;* ſed in nummo Buteruano eraſæ ſunt literæ [Samaritan], מע, quæ exſtant in Kircheriano; verum illæ, uti & duæ ſequentes, male à doctiſſimo Jeſuita lectæ ſunt; non enim *S[a]nuel*, ut putat Kircherus, ſed *Simeon* ibi legitur. In altera facie cernitur lyra, quam ambit inſcriptio [Samaritan] לְחֵרוּת יְרוּשָׁלַם, *ob liberationem Jeruſalem.* Apud J. *Bouteroüe* deeſt [Samaritan] (י), quod apud Kircherum exprimitur. Vide 1. Mach. c. 13. v. 51. ubi Simeon & alii Judæi intraſſe dicuntur in arcem Sionis *cum laude, & ramis palmarum, & cinyris*, &c.

VI.

Sextus nummus à Kirchero pag. 102. exhibitus habet in prima facie lauream, in qua cernitur ramus palmæ. Orbicularis inſcriptio hæc eſt: [Samaritan], שִׁמְעוֹן נְשִׂיא יִשְׂרָאֵל, *Simon princeps Iſraëlis.* Altera vero facies lyram, ut putat Kircherus, exhibet, quam ambiunt hæc verba: [Samaritan] שְׁנַת אַחַת לִגְאֻלַּת יִשְׂרָאֵל, *anno primo ob redemtionem Iſrael.* Sic voces illæ legendæ ſunt, ut recte monet doctiſſimus *Soucietus*, pag. 16. ſuæ diatribæ, cum eas peſſime legerit Kircherus תָּשִׁירוּ לִצְבָאוֹת אֱלֹהֵינוּ *Cantate* (Domino) *exercituum, Deo noſtro.* Ceterum in hoc nummo plerique characteres ab aliorum nummorũ characteribus non parum diſcrepant; quod aut vitio ſculptoris accidit, aut monetarii. Hinc in Alphabetho ſupra poſito elementi ejuſdem figuræ non raro ſunt diverſæ.

VII.

Septimus nummus à Joanne *Bouteroüe* p. 22. prolatus, Sicli argentei eſt quarta pars. In ejus antica conſpicitur botrus, circa quem leguntur tres ultimę literę nominis [Samaritan] שִׁמְעוֹן *Simon.* In poſtica vero conſpiciuntur duæ columnæ in monte Sion poſitæ, ad quas, ut eidem Joanni *Bouteroüe* videtur, appenſæ erant tabulæ æreæ, quibus Simon Sacerdos magnus, dux, & princeps I[u]ſraëlis eſt renuntiatus. Vide 1. Mach. I[3]. v. 26. & ſeqq. Circa illas columnas in orbem legitur [Samaritan], לְחֵרוּת יְרוּשָׁלַם, *ob liberationem Jeruſalem.* [Samaritan] (י) prima litera ſecundæ vocis deſideratur, idque vitio, ut videtur, ſculptoris, aut monetarii.

VIII.

Octavus nummus ab eodem Joanne *Bouteroüe* exhibitus pag. 18. quarta itidem pars Sicli eſt, ſed ærei. In altera ejus parte cernitur vas cum inſcriptione [Samaritan], שְׁנַת שְׁתַּיִם *anno ſecundo;* in altera vero pampinus, quem ambiunt duæ voces mutilæ [Samaritan] .... [Samaritan] .... pro [Samaritan] לחרת ציון *ob liberationem Sionis*, cum (ו) loco (ו) in לחרת pro לְחֵרוּת. Pro altera voce ציון Joann. *Bouteroüe* male legit יוב *Job;* nam præterquam quod ea vox in nullis aliis nummis Samaritanis, ut ego quidem arbitror, conſpicitur; ab eo obſervatum non eſt א in ea deficere, à qua tamen litera incipit nomen איוב *Job.* Præterea pro צ vi videtur poſuiſſe [Samaritan] (י), quod eum in errorem induxit.

IX.

Nonus nummus æreus affertur à doctiſſ. Ezech. Spanhemio, diſſert. 2. de præſtantia & uſu numiſm. p. 67. edit. Lond. 1706. In prima facie cernitur vas circa quod legitur [Samaritan] שנת ש—ם pro [Samaritan] שְׁנַת שְׁתַּיִם *anno ſecundo.* In ſecunda eſt pampinus, & circa eum [Samaritan] חרת pro לְחֵרוּת *ob liberationem* Sionis, vel Jeruſalem, aut Iſraëlis.

X.

Decimus nummus Siclus æreus eſt à Joanne *Bouteroüe* exhibitus p. 23. In ejus antica eſt palma cum nomine [Samaritan] שִׁמְעוֹן *Simon*, cujus poſteriores duæ literæ [Samaritan] ון deſiderantur. In poſtica pampinus, & circa eum [Samaritan], שב לחר... ישאל, quod mendoſum & contractum eſt pro [Samaritan] שְׁנַת שְׁתַּיִם לְחֵרוּת יִשְׂרָאֵל *anno ſecundo ob liberationem Iſraëlis.*

XI.

XI.

Undecimus nummus à doctiss. Spanhemio supra num. IX. laudato ibidem exhibitus, idem est atque nonus, nisi quod in antica vox integra שְׁתַּיִם scribatur, deficiat autem prima שְׁנַת; in postica vero צִיּוֹן legatur, & omittatur prima vox לְחֵרוּת *ob liberationem*, vel לִגְאֻלַּת *ob redemtionem*.

XII.

Duodecimus nummus ab eodem Spanhemio ibidem exhibetur, & τοῖς IX. ac XI. quod ad figuras attinet, similis est. In prima facie legitur... שְׁנַת שְׁתּ... pro שְׁנַת שְׁתַּיִם *anno secundo*. In altera legitur tantum ....יּוֹן.... pro צִיּוֹן, & desideratur vox præcedens לְחֵרוּת, aut לִגְאֻלַּת *ob liberationem*, vel *redemtionem Sion*.

XIII.

Decimus tertius nummus à Villalpando pagin. 381. Kirchero pagin. 94. & Joanne *Bouteroüe* pagin. 19. allatus, pars est Sicli ærei quarta, in cujus antica cernitur vas circa quod legitur לִגְאֻלַּת צִיּוֹן *ob redemtionem Sion*. Perperam legerunt Villalpandus & Kircherus, qui interpretantur *redemtus es jejunio*, quasi scriptum esset נִגְאַלְתָּ צוֹם. Male etiam vocem secundam legit Joannes *Bouterouë*, qui eam reddidit *Job*; non enim scribitur אִיּוֹב, sed צִיּוֹן *Sion*. In postica est manipulus erectus inter duos botros, vel dactylos, cum inscriptione שְׁנַת אַרְבַּע *anno quarto*. Male etiam voces illæ lectæ sunt à Villalpando & Kirchero, qui eas interpretantur *Samuel propheta*, quia legerunt שְׁמוּאֵל, נָבִיא.

XIV.

Decimus quartus nummus à Joanne *Bouteroüe* pag. 18. exhibitus, dimidius Siclus æreus est, in cujus prima facie conspiciuntur duo manipuli erecti, quos inter cernitur botrus, vel, secundum alios, pampinus, cum inscriptione חֲצִי.... שְׁנַת אַרְבַּע *dimidius .... anno quarto*. Deest secunda vox integra שֶׁקֶל *Siclus*. In altera facie cernitur palma inter duas turres, vel, ut aliis placet, duos modios frumento plenos, circa quos & palmam legitur: לִגְאֻלַּת צִיּוֹן *ob redemtionem Sionis*.

XV.

Decimus quintus nummus à Villalpando pag. 381. Kirchero pag. 95. & Joanne *Bouteroüe* pag. 20. allatus, quarta pars Sicli ærei est, in cujus antica cernitur laurea torque margaritarum superius clausa, intra quam legitur שִׁמְעוֹן *Simon*; sed tres ultimæ literæ, quæ infra duas priores scribuntur, vitio monetarii deformatæ videntur. Villalpandus & Kircherus legunt שֶׁמֶן עֵת *unctionis tempus*, putatque Villalpandus hunc nummum cusum fuisse tertio Josiæ anno, quod ab exitu ex Ægypto, primoque egressionis hujus anno, quo præcepit Dominus Moysi ut oleum, quo Sacerdotes, &c. ungerentur, consecraret, ad tertium Josiæ annum 860. anni effluxerint, quem numerum efficiunt literæ Hebraïcæ שֶׁמֶן עֵת numerice sumtæ. Kircherus, relicta eruditorum judicio Villalpandi conjectura, hoc numisma cusum putat tempore Salomonis, quo tota Palæstina in summo felicitatis statu degebat; quodque Rabbini, ob rerum omnium abundantiam, *unctionis tempus* appellant. Vide Qimhhi in Psal. 4. v. 8. Verum à doctissimo *Souciceto* nummus hic, ut & superiorum plerique, ad Simeonis tempora melius refertur, in eoque esse principis hujus nomen exaratum vero est similius. In postica videtur laguncula antiqua, sive guttus, cum ramo palmæ, & inscriptione לְחֵרוּת יְרוּשָׁלַיִם *ob liberationem Jerusalem*.

Hæc pro Siclo sufficiant; ad alios Hebræorum nummos veniamus.

§. II.

De aliis Hebræorum nummis.

גֵּרָה *Gera*, vel אֲגוֹרָה *Agora.*

GERA sic dicitur à גָּרַר *secuit*, quod sit segmentum Sicli, cujus est pars vigesima, ut legitur Exod. 30. v. 13. Levit. 27. v. 25. Ezech. 45. v. 12. proindeque drachmæ Atticæ pars quinta, cum Siclus ex 4. drachmis Atticis constet. Lxx. minus accurate *Gera* interpretantur ὄβολον *obolum*; obolus enim drachmæ Atticæ partem sextam, non quintam, constituit.

AGORA idem est ac *Gera*; vox enim utraque ab eadem radice derivatur, eadem voce ὄβολος à Lxx. redditur, & est ejusdem valoris, nempe 2.ſ 9. $\frac{11}{40}$ d.

אֲדַרְכֹּן *Adarkon* & דַּרְכְּמוֹן *Darkemon.*

ADARKON & DARKEMON idem videtur esse nummus, isque aureus & Persicus. Adarkon mentio fit 1. Paral. 29. v. 7. Esd. 8. v. 27. Darkemon vero, Esd. 2. v. 69. Nehem. 7. vv. 70. 71. 72. Adarkon Lxx. Vatic. interpretantur χευσοῦν *aureum*, ὁδὸν *viam* (à דֶּרֶךְ *via*) S. Hieron. *solidum*: Darkemon autem, Lxx. Vat. μνᾶν *minam*, χρυσίον *aurum*, χευσοῦν *aureum*, χευσοῦν νόμισμα *aureum nummum*, S. Hieronim. *drachmam*. Lxx. edit. Compl. cum mſ. Alex. & Adarkon, & Darkemon transferunt δραχμὴν *drachmam*, Alexandrinam videlicet, quæ Atticæ dupla fuit. Sane Græca vox δραχμὴ videtur fluxisse à דַּרְכְּמוֹן. Porro drachma Alexandrina aurea valebat 20.℔ 19.ſ $\frac{1}{4}$ d.

Sunt quibus Adarkon & Darkemon videantur esse *Daricus*, qui nummus aureus sub Dario Hystaspis filio cusus est; quique fortasse regis hujus imagine signatus erat. Eo imperante nummos aureos optimos fabricatos fuisse scribit Herodotus in Melpomene, cap. 166. p. 278. edit. Francofurt. 1608. Daricorum meminit Plutarchus in Artaxerxe, t. 1. p. 1013. & 1019. edit. Francof. 1599. Neque hanc sententiam infirmat, quod nummus iste memoretur in 1. lib. Paralip. tempore Davidis; Esdras enim, qui libri hujus auctor existimatur, potuit veteri illi nummo recentioris nomen imponere, quod uterque ejusdem esset valoris ac pretii.

מָנֶה *Mane*, *Mina*, *Mna.*

MINA vel MNA Hebraïca 60. Siclos complectebatur, Ezech. 45. v. 12. ac proinde valebat 167.℔ 12.ſ 6.d.

קְשִׂיטָה *Qesita.*

QESITÆ mentio fit Gen. 33. v. 19. Jos. 24. v. 32. & Job. 42. v. 11. ex quorum locorum circumstantiis nummus iste Chaldæorum aut Arabum proprius videtur fuisse, & agni imagine signatus; unde קְשִׂיטָה dictus est, sicuti *pecunia* à *pecude*. Lxx. his in locis ἀμνῶν, ἀμνάδα, S. Hier. *agnam*, *ovem*, interpretantur. De Qesitæ pretio non convenit inter eruditos; aliis enim est obolus; quod vero simile non est, alioquin ager, quem emit Jacob à filiis Hemor centum קְשִׂיטָה *agnis*, Gen. 33. v. 19. Jos. 24. v. 32. *pretio argenti*, Act. 7. v. 16. ei tantum 13.℔ 19.ſ 4 $\frac{1}{2}$ d. stetisset; & amici Jobi, qui ipsi *Qesitam unam* singuli dederunt, munus, quod eorum munificentiæ, & pristinæ Jobi dignitati minime respondisset, obtulissent.

Bochart. Hieroz. part. 1. l. 2. c. 43. existimat vocem קְשִׂיטָה deduci posse ex קֹשֶׁט *veritas*, mutato שׁ in שׂ, eoque indicari *veram ac sinceram monetam*; & per metonymiam, *nummum optimum*; ut כֶּסֶף & *argentum* & *argenteum siclum* significat.

D. *Le Pelletier* Rothomagensis, qui *Qesitæ* pretium circiter 12.℔ 10.ſ definit, opinatur nummum fuisse aureum, Assyriorum proprium, ex una parte sagittarii, ex altera agni imagine signatum; קֶשֶׁת enim *arcum*, & קְשִׂיטָה *agnum*, aut *agnam* significat.

כִּכָּר *Talentum.*

TALENTUM Hebraïcum ter mille ſiclos continebat, ut liquet ex cap. 38. Exodi vv. 25. 26. 27. & 28. in quibus, ſecundum veritatem Hebraïcam, dimidius ſiclus à ſexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta, qui annum vigeſimum exceſſerant, viritim oblatus, confecit centum talenta, & mille ſeptingentos ſeptuaginta quinque ſiclos. Talentum igitur ter mille ſiclos complectebatur; nam 600000. dimidii ſicli conficiunt 300000. ſiclos, qui ſi dividantur per 100. qui numerus eſt talentorum ex 600000. dimidiis ſiclis confectorum, ſumma inde producta ſive quotiens erit 3000. Ergo talentum 3000. ſiclis conſtabat. Reliqui autem 3550. dimidii ſicli efficiunt 1775. ſiclos integros. Cum igitur talentum 3000. ſiclos contineret, valebat 8381.lt 5.ſ Talentum Hebraïcum duo Attica valebat. Porro Talentum, & Mina ſive Mna, nummi non erant, ſed nummorum ſummæ. Hi ſunt nummi in veteri Teſtamento memorati; in novo autem inveniuntur:

Ἀργύριον Argentum, Argenteus (nummus).

A'PΓY'PION, cum nummum ſignificat Judaïcum, ut Matth. 26. v. 15. idem eſt quod כֶּסֶף, h. e. *argenteus*, ſupple *ſiclus*. Unde quod Matthæus loco mox laudato *τριάκοντα ἀργύρια triginta argenteos* dixerat, id recte Euſeb. lib. 4. Demonſt. Evangel. tranſcripſit *τριάκοντα στατῆρας triginta ſtateres*; ſtater enim & ſiclus idem ſunt. Ἀργύριον itaque valebat 2.lt 15.ſ 10. $\frac{1}{2}$ d.

At cum Ἀργύριον pro nummo Græco ſumitur, ut Act. 19. v. 19. drachmam Atticam, ſeu quartam partem ſicli, aut denarium Romanum valet; unde Vulg. in loco Actuum laudato, *ἀργυρίου μυριάδας πέντε*, interpretatur *denariorum quinquaginta millium*. Iſtud igitur ἀργύριον valebat 13.ſ 11. $\frac{5}{8}$ d.

Δραχμὴ Drachma.

DRACHMA (Attica videlicet), de qua Luc. 15. v. 8. & 9. quadrantem ſicli, aut denarium Romanum deſignat, ac proinde valet 13.ſ 11. $\frac{5}{8}$ d. *Δίδραχμον* itaque, de quo Matth. 17. v. 23. al. 24. ſignificat dimidium ſiclum, quem ex præcepto divino, Exod. 30. v. 13. viri ſinguli annos 20. & ſupra nati Templo quotannis pendebant, valetque 1.lt 7.ſ 11. $\frac{1}{4}$ d. Drachma Hebraïca ſive Alexandrina duas Atticas valebat.

Στατὴρ Stater.

STATER Græco nomine ſiclum Hebraïcum ſtateri Attico pondere omnino æqualem denotat; nam duo didrachma, ſeu 4. drachmas Atticas continebat, quandoquidem pro Chriſti & Petri tributo ſolutus eſt, Matth. 17. v. 26. al. 27. Valebat igitur 2.lt 15.ſ 10. $\frac{1}{2}$ d.

Δηνάριον Denarius.

DENARIUS, cujus mentio fit Matth. 18. v. 28. &c. nummus erat Romanus, ut liquet Matth. 22. v. 19. Cæſaris enim imaginem oſtendebat. Quartam partem ſicli, ſeu drachmam Atticam ponderabat, valebatque 13.ſ 11. $\frac{5}{8}$ d.

Ἀσσάριον Aſſarius, ſive Aſſis.

ASSARIUS nummus erat æreus, cujus mentio fit Matth. 10. v. 29. Pretium ejus, ſecundum eruditos quoſdam, erat 1.ſ 4 $\frac{41611}{135680}$ d. Aliis aſſarius pars eſt aſſis dimidia, à quorum ſententia non longe recedunt Talmudiſtæ in tract. *Gittin*, qui aſſarium partem 96. ſicli definiunt; proindeque, ex illorum mente, valebat 6. $\frac{63}{64}$ d.

Κοδράντης Quadrans.

QUADRANS, nummus æreus, erat quarta pars aſſarii, ſive aſſis; proindeque valebat 4. $\frac{41611}{542720}$ d. Ejus mentio fit Matth. 5. v. 26. Marc. 12. v. 42.

Λεπτὸν Minutum.

MINUTUM, nummus æreus, dimidium erat quadrantis, ut conſtat Marc. 12. v. 42. *Cum veniſſet autem vidua una pauper, miſit* (in gazophylacium) *λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, duo minuta, quod eſt quadrans.* Minutum itaque valebat 2. $\frac{41611}{1085440}$ d.

Hi ſunt nummi aurei, argentei, & ærei, quorum in Sacris Literis fit mentio. Jam eorum nonnulli ſecum invicem conferendi ſunt, ut uno oculorum intuitu & eorum pretium, & quot minores in majoribus contineantur, perſpicere liceat. Deinde in favorem eorum, qui in arte numerandi mediocriter verſati ſunt, præcipuorum nummorum, cum argenteorum, tum aureorum, certo numero collectorum, valor indicandus ratione habita monetæ noſtræ Gallicæ, cujus beſſis argentei undecim denariorum titulo, 48.₶ aurei vero ad duos & viginti gradus (vulgo *Carats*) excocti, 720.₶ edicto regio, cum hæc typis mandantur, definitum eſt pretium.

TABULA I.

Præcipui nummi Hebraïci & Romani quidam ſecum invicem collati.

Nummorum illorum, ſecundum monetam noſtram æſtimatio.	As Romanus ſive Aſſarius.	גֵּרָה ſive Obolus Hebraïcus.	Denarius Romanus, ſive Drachma Attica.	Drachma Hebraïca.	שֶׁקֶל Siclus ſive Stater.	מָנֶה Mina Hebraïca.	כִּכָּר Talentum Hebraïcũ.
1.ſ 4. $\frac{41611}{135680}$ ϑ	1.						
2.ſ 9. $\frac{21}{40}$ ϑ	2.	1.					
13.ſ 11. $\frac{5}{8}$ ϑ	10.	5.	1.				
1.₶ 7.ſ 11. $\frac{1}{4}$ ϑ	20.	10.	2.	1.			
2.₶ 15.ſ 10. $\frac{1}{2}$ ϑ	40.	20.	4.	2.	1.		
167.₶ 12.ſ 6.ϑ	2400.	1200.	240.	120.	60.	1.	
8381.₶ 5.ſ	120000.	60000.	12000.	6000.	3000.	50.	1.

In hac tabula omittuntur *Qeſita* & *Adarkon*, quod de illorum valore inter eruditos non conveniat. In ea etiam prætermittuntur *Denarius*, *Quadrans*, & *Minutum*, ob exiguum eorum pretium.

Tabulæ hujus ſtructura & uſus facilis eſt. Nam 1°. ſingulorum nummorum in ea contentorum valor in prima ad ſiniſtram columna æſtimatur; adeo ut As Romanus ſive Aſſarius valeat 1.ſ 4. $\frac{41611}{135680}$ ϑ. Gera ſive obolus Hebraïcus, 2.ſ 9. $\frac{21}{40}$ ϑ Denarius Romanus, ſive Drachma Attica, 13.ſ 11. $\frac{5}{8}$ ϑ Drachma Hebraïca, 1.₶ 7.ſ 11. $\frac{1}{4}$ ϑ &c. 2°. minores nummi è regione majorum ſic collocantur, ut quot ex illis in his contineantur, ſtatim appareat. Sic Gera continet 2. Aſſes Romanos; Denarius Romanus 5. Geras, ſive obolos Hebraïcos, 10. Aſſes; Drachma Hebraïca, 2. denarios Romanos, ſive 2. drachmas Atticas, 10. Geras, 20. Aſſes, &c.

TABULA II.

Siclorum valor ad monetam nostram Gallicam, cujus bes argenteus 48. tt aureus 720. tt edicto regio 1726. definitus est, æstimatus.

SICLI

Argentei.	tt	ſ	d		Aurei.	tt	ſ	d	
1	2	15	10	½	1	41	18	1	½
2	5	11	9		2	83	16	3	
3	8	7	7	½	3	125	14	4	½
4	11	3	6		4	167	12	6	
5	13	19	4	½	5	209	10	7	½
6	16	15	3		6	251	8	8	
7	19	11	1	½	7	293	6	10	½
8	22	7			8	335	5		
9	25	2	10	½	9	377	3	1	½
10	27	18	9		10	419	1	3	
20	55	17	6		20	838	2	6	
30	83	16	3		30	1257	3	9	
40	111	15			40	1676	5		
50	139	13	9		50	2095	6	3	
60	167	12	6		60	2514	7	6	
70	195	11	3		70	2933	8	9	
80	223	10			80	3352	10		
90	251	8	9		90	3771	11	3	
100	279	7	6		100	4190	12	6	
200	558	15			200	8381	5		
300	838	2	6		300	12571	17	6	
400	1117	10			400	16762	10		
500	1396	17	6		500	20953	2	6	
600	1676	5			600	25143	5		
700	1955	12	6		700	29334	7	6	
800	2234				800	33525			
900	2514	7	6		900	36715	12	6	
1000	2793	15			1000	41906	5		

TABULA III.

Drachmarum Hebraïcarum valor ad monetam nostram Gallicam, cujus bes argenteus 48.tt aureus 720.tt edicto regio 1726. definitus est, æstimatus.

DRACHMÆ HEBRAICÆ

Argenteæ.	tt	ſ	d		Aureæ.	tt	ſ	d	
1	1	7	11	¼	1	20	19	0	¾
2	2	15	10	½	2	41	18	1	½
3	4	3	9	¾	3	62	17	2	¼
4	5	11	9		4	83	16	3	
5	6	19	8	¼	5	104	15	3	¾
6	8	7	7	½	6	125	14	4	½
7	9	15	6	¾	7	146	13	5	¼
8	11	3	6		8	167	12	6	
9	12	11	5	¼	9	188	11	6	¾
10	13	19	4	½	10	209	10	7	½
20	27	18	9		20	419	1	3	
30	41	18	1	½	30	628	11	10	½
40	55	17	6		40	838	2	6	
50	69	16	10	½	50	1047	13	1	½
60	83	16	3		60	1257	3	9	
70	97	15	7	½	70	1466	14	4	½
80	111	15			80	1676	5		
90	125	14	4	½	90	1885	15	7	½
100	139	13	9		100	2095	6	3	
200	279	7	6		200	4190	12	6	
300	419	1	3		300	6285	18	9	
400	558	15			400	8381	5		
500	698	8	9		500	10476	11	3	
600	838	2	6		600	12571	17	6	
700	977	16	3		700	14667	3	9	
800	1117	10			800	16762	10		
900	1257	3	9		900	18857	16	3	
1000	1396	17	6		1000	20953	2	6	

TABULA IV.

Drachmarum Atticarum valor ad monetam nostram Gallicam, cujus bes argenteus 48.lb aureus 720.lb edicto regio 1726. definitus est, æstimatus.

DRACHMÆ ATTICÆ

Argenteæ.	lb	s	d		Aureæ.	lb	s	d	
1	0	13	11	5/8	1	10	9	6	3/8
2	1	7	11	2/8	2	20	19	0	6/8
3	2	1	10	7/8	3	31	8	7	1/8
4	2	15	10	4/8	4	41	18	1	4/8
5	3	9	10	1/8	5	52	7	7	7/8
6	4	3	9	6/8	6	62	17	2	2/8
7	4	17	9	3/8	7	73	6	8	5/8
8	5	11	9		8	83	16	3	
9	6	5	8	5/8	9	94	5	9	3/8
10	6	19	8	2/8	10	104	17	3	6/8
20	13	19	4	4/8	20	209	10	7	4/8
30	20	19	0	6/8	30	314	5	11	2/8
40	27	18	9		40	419	1	3	
50	34	18	5	2/8	50	523	16	6	6/8
60	41	18	1	4/8	60	628	11	10	4/8
70	48	17	9	6/8	70	733	7	2	2/8
80	55	17	6		80	838	2	6	
90	62	17	2	2/8	90	942	17	9	6/8
100	69	16	10	4/8	100	1047	13	1	4/8
200	139	13	9		200	2095	6	3	
300	209	10	7	4/8	300	3142	19	4	4/8
400	279	7	6		400	4190	12	6	
500	349	4	4	4/8	500	5238	5	7	4/8
600	419	1	3		600	6285	18	9	
700	488	18	1	4/8	700	7333	11	10	4/8
800	558	15			800	8381	5		
900	628	11	10	4/8	900	9428	18	1	4/8
1000	698	8	9		1000	10476	11	3	

TABULA V.

Minarum valor ad monetam nostram Gallicam, cujus bes argenteus 48. lt *aureus 720.* lt *edicto regio 1726. definitus est, æstimatus.*

MINÆ

Argenteæ.	lt	s	d	Aureæ.	lt	s	d
1	167	12	6	1	2514	7	6
2	335	5		2	5028	15	
3	502	17	6	3	7543	2	6
4	670	10		4	10057	10	
5	838	2	6	5	12571	17	6
6	1005	15		6	15086	5	
7	1173	7	6	7	17600	12	6
8	1341			8	20115		
9	1508	12	6	9	22629	7	6
10	1676	5		10	25143	15	
20	3352	10		20	50287	10	
30	5028	15		30	75431	5	
40	6705			40	100575		
50	8381	5		50	125718	15	
60	10057	10		60	150862	10	
70	11733	15		70	176006	5	
80	13410			80	201150		
90	15086	5		90	226293	15	
100	16762	10		100	251437	10	
200	33525			200	502875		
300	50287	10		300	754312	10	
400	67050			400	1005750		
500	83812	10		500	1257187	10	
600	100575			600	1508625		
700	117337	10		700	1760062	10	
800	134100			800	2011500		
900	150862	10		900	2262937	10	
1000	167625			1000	2514375		

TABULA VI.

Talentorum valor ad monetam nostram Gallicam, cujus bes argenteus 48. ₶ *aureus 720.* ₶ *edicto regio 1726. definitus est, æstimatus.*

TALENTA

Argentea.	₶	ſ	Aurea.	₶	ſ
1	8381	5	1	125718	15
2	16762	10	2	251437	10
3	25143	15	3	377156	5
4	33525		4	502875	
5	41906	5	5	628593	15
6	50287	10	6	754312	5
7	58668	15	7	880031	5
8	67050		8	1005750	
9	75431	5	9	1131468	15
10	83812	10	10	1257187	10
20	167625		20	2514375	
30	251437	10	30	3771562	10
40	335250		40	5028750	
50	419062	10	50	6285937	10
60	502875		60	7543125	
70	586687	10	70	8800312	10
80	670500		80	10057500	
90	754312	10	90	11314687	10
100	838125		100	12571875	
200	1676250		200	25143750	
300	2514375		300	37715625	
400	3352500		400	50287500	
500	4190625		500	62859375	
600	5028750		600	75431250	
700	5866875		700	88003125	
800	6705000		800	100575000	
900	7543125		900	113146875	
1000	8381250		1000	125718750	

NOTÆ

In II. Tabulam, sive ejus praxis.

CUM summa aliqua ex variis summis componitur, summæ illæ seorsim & per partes ex præcedentibus tabulis exscribendæ sunt, & aliæ aliis subjiciendæ. V. G. pretium eorum, *qui amplius fuerant, & quos redemerant à Levitis, pro primogenitis filiorum Israël* (Num. 3. v. 50.) fuit 1365. *Siclorum* (argenteorum) *juxta pondus Sanctuarii.* Ut summa illa ad monetam nostram exigatur, 1°. quærendi sunt in Siclis argenteis 1000. Sicli, 2°. 300. Sicli, 3°. 60. Sicli, 4°. denique 5. Sicli. Hæ omnes summæ sic ordinandæ sunt, ac simul colligendæ:

1000. Sicli,	2793.	15.	0.
300........	838.	2.	6.
60........	167.	12.	6.
5........	13.	19.	4 ½.
Summa	3813.	9.	4 ½.

Itaque 1365. Sicli argentei tanti valebant, quanti monetæ nostræ 3813. 9. 4 ½.

Aurum pro Sanctuarii operibus oblatum fuit 29. Talentorum aureorum, & 730. Siclorum itidem aureorum, Exod. 38. v. 24. Ut summam illam ad monetam nostram hodiernam revoces, quære 1°. in Talentis aureis 20. Talenta aurea, 2°. 9. Talenta aurea, 3°. in Siclis aureis 700. Siclos aureos, 4°. 30. Siclos aureos. Has summas sic collige.

20. Tal. aur.	2514375.	0.	0.
9........	1131468.	15.	0.
700. Sicl. aur.	29334.	7.	6.
30........	1257.	3.	9.
Summa	3676435.	6.	3.

Igitur 29. talenta aurea, & 730. Sicli aurei respondent monetæ nostræ 3676435. 6. 3.

Ceterum monere opus non est in hac nummorum Hebræorum æstimatione, aurum & argentum Hebraïcum à nobis poni ejusdem plane tituli fuisse, atque nostrum; si enim plus minusve sinceritatis habuerit; pluris etiam minorisve, proportione servata, æstimabitur.

ARTICULUS II.

De Mensuris Hebraïcis.

MENSURÆ duplicis sunt generis, aliæ continuorum, quibus longitudo, latitudo, & altitudo corporum, sive intervalla mensurantur, quæque mensuræ *longæ* sive *extensæ* vocantur: aliæ discretorum, ad quas revocantur aridorum & liquidorum mensuræ, quasque *cavas* appellant. De utrisque in duobus sequent. §. ex mente eruditorum, præsertimque doctorum virorum, qui Bibliorum apud Antonium *Vitray* Paris. anno Christi 1662. impressorum editionem curarunt, pauca differemus.

§. I.

Mensura continuorum.

CONTINUORUM mensuræ apud Hebræos sunt:

אצבע etsbá *Digitus*, transversus videlicet; ita ut quatuor grana tritici vel hordei sibi invicem cohærentia spatium ejus expleant. Quanvis mensura illa neque in Veteri,

neque in Novo Testamento reperiatur; ea tamen omittenda non fuit, quod sit aliarum mensurarum principium, quæ idcirco ejus filiæ appellantur.

טֹפַח *Tóphahh*, vel טֶפַח *Téphahh*, palmus minor, qui quatuor digitos conjunctos sive sibi cohærentes continet. Erat palmus Romanus.

זֶרֶת Zéreth, *palmus major*, Græcorum σπιθαμὴ, tribus palmis minoribus, seu 12. digitis constat.

אַמָּה Ammá *Cubitus* vulgaris & Romanus est sesquipes, seu 6. palmi minores, aut 24. digiti. Scripturæ vero cubitus vulgarem palmo minori superat, secundum Villalpandum aliosque eruditos; proindeque constat 28. digitis.

קָנֶה Qané *Canna*, *calamus*, *arundo*, complectitur 6. cubitos Hebraïcos vulgares, sive 144. digitos.

Hæ mensuræ secum invicem & cum leüca nostra Gallica in sequenti tabula conferendæ sunt, ut quot majores in minoribus contineantur, primo oculorum intuitu perspiciatur. Cum ob chartæ angustiam mensuræ cujuslibet potestas è regione ejus exprimi non potuerit, ut supra in nummorum collatione factum est, eam infra quamlibet indicavimus; aut potius eam denuo indicandam curavimus.

TABULA

Hebraas continuorum mensuras secum invicem, & cum leüca communi Gallica collatas exhibens.

אֶצְבַּע Etsbá *Digitus*, seu spatium, quod 4. grana tritici vel hordei sibi invicem cohærentia constituunt.	טֹפַח *Tóphahh* seu טֶפַח *Téphahh*, palmus minor, seu Romanus, 4. digitos sibi invicem conjunctos complectens.	זֶרֶת *Zéreth*, palmus major, sive extensus, digitis duodenis constans.	אַמָּה Ammá *Cubitus* Hebraïcus, 28. digitos continens, ac palmo majori, duplo & tertia parte major, *Ezech.* 43. ṽ. 13.	קָנֶה *Qané*, seu *Canna*, *Calamus*, *Arundo*, 144. digitos complectens.	Leüca communis Gallica, seu horæ unius iter, complectens 3000. passus geometricos, quorum unusquisque constat 80. digitis.
1.					
4.	1.				
12.	3.	1.			
28.	7.	2. $\frac{1}{3}$	1.		
144.	36.	12.	5. & 1. palm. min.	1.	
240000.	60000.	20000.	8571. & 3. palm. min.	1666. cum 24. palmis minoribus.	1.

APPENDIX

Ad præcedentem tabulam.

IN tabula præcedenti, præter leüicam Gallicam, ſolæ menſuræ Hebræorum poſitæ ſunt, quarum fere certa eſt quantitas. Hæ ut facilius adhuc intelligantur, non ab re fuerit alias quaſdam Hebræorum, Græcorum, ac Romanorum menſuras attexere, earumque valorem ex eruditorum ſententia æſtimare.

PES Romanus conſtat quatuor palmis minoribus, ſeu digitis.

CUBITUS Romanus, Græcus, &, ſecundum plurimos, vulgaris Hebraicus, eſt ſeſquipes, ſive ſex palmi minores, aut duo majores, ſeu 24. digiti.

GRESSUS ſive PASSUS ſimplex Romanus componitur ex duobus pedibus cum dimidio, ſive 10. palmis minoribus, aut 40. digitis.

GRESSUS ſive PASSUS Romanus compoſitus conſtat 5. pedibus, ſive duobus greſſibus ſimplicibus, aut 20. palmis minoribus, ſive 80. digitis.

PASSUS Græcus compoſitus conſtat 6. pedibus, ſive 24. palmis minoribus, aut 96. digitis.

STADIUM Græcum conſtat 100. paſſibus Græcis compoſitis, ſive 600. pedibus, ſive 400. cubitis Romanis vel Græcis, ſive 2400. palmis minoribus, ſive denique 9600. digitis. Leüca Gallica 25. hujus generis ſtadia continet.

STADIUM Romanum conſtat paſſibus Romanis compoſitis 125. pedibus 625. digitis 10000. Proinde leüca Gallica 24. ſtadia Romana complectitur.

כִּבְרָה KIVRA, al. KIBRA, ſecundum Judæos, mille cubitos vulgares continet.

ITER SABBATHI, ſecundum eoſdem Judæos, eſt duplex כִּבְרָה, ſive 2000. cubiti vulgares.

MILLIARE Italicum conſtat 8. ſtadiis Romanis, ſive 1000. paſſibus compoſitis, ſive 5000. pedibus.

LEUCA denique Gallica, horæ unius iter, complectitur 3. milliaria Italica, 5. itinera ſabbathi, 10. *Kivras*, 24. ſtadia Romana, 25. Græca, 1666. calamos cum 6. pedibus, 2500. paſſus Græcos compoſitos, 3000. paſſus Romanos compoſitos ſive geometricos, 6000. paſſus Romanos ſimplices, 8571. cubitos Hebraïcos ſacros ſive majores, cum tribus palmis minoribus, 10000. cubitos Romanos ſive Hebraïcos vulgares, 15000. pedes Romanos, 20000. palmos majores, 60000. palmos minores, 240000. digitos.

D. *Le Pelletier* Rothomagenſis, vir eruditiſſimus, mihique, dum viveret, amiciſſimus, menſuras Hebræorum extenſas cum noſtris pollicibus ac menſuris, in ſcripto ad R. P. Calmetum à ſe miſſo, ſic comparat.

Digitus Hebraïcus continet $\frac{76}{89}$ pollicis.

Tophahh ſive palmus, 3. pollices, & $\frac{17}{49}$ poll.

Zereth ſive ſemicubitus, 10. pollices & $\frac{22}{89}$ poll.

Cubitus Hebraïcus, 20. pollices, & $\frac{44}{89}$ h. e. fere 20. pollices cum dimidio.

Qanna ſive calamus, 6. cubitos Hebraïcos; cubitus autem Hebraïcus ſeſquipedem cum duobus pollicibus & fere dimidio complectitur. Pes Gallicus, 12. pollices, pollex 12. lineas habet. Orgyia (Gallice *toiſe*) conſtat 6. pedibus; leüca vero 2000. orgyis.

Iter Sabbathi erat 2000. cubitorum Hebraïcorum, ſeu 569. orgyiarum cum 1. pede, 8. pollicibus, & $\frac{68}{89}$ poll.

Stadium Hebraïcum conſtat 400. cubitis Hebraïcis, proindeque 683. pedibus, cum 1. pollice, & $\frac{67}{89}$ poll. Aliæ menſuræ, ſeu locorum intervalla, ſecundum doctiſſimum illum virum, incerta ſunt.

Hæc pro menſuris longis ſive extenſis ſufficiant; jam ad cavas, quarum in ſacris Literis fit mentio, veniamus; eaſque cum noſtris conferamus.

§. II.

Mensura discretorum.

DISCRETA vel *arida* sunt, vel *liquida*, aut *humida*. Hæ sunt aridorum mensuræ, quæ apud Hebræos memorantur.

קַב *Qábh*, *Cab*, *Cabus*, erat sexta pars τȣ̃ *Seá*, sive *Sati*; pars 18. τȣ̃ Ephá.

עֹמֶר *O'mer*, *Gómer*, *Gomór*, sive *Assaron*, erat decima pars τȣ̃ Ephá.

סְאָה *Seá*, vel *Satum*, erat Bathi seu Ephá tertia pars.

אֵיפָה *Ephá*, *Ephi*, erat decima pars τȣ̃ Hhómer, & 8. Congios Romanos capiebat.

לֶתֶךְ *Léthech* mediam partem τȣ̃ Hhómer continebat.

חֹמֶר *Hhómer*, *Chómer*, sive כּוֹר *Korus*, *Corus*, major apud Hebræos aridorum mensura, 10. Epha seu Bathos continebat. Mensuræ hujus & præcedentium capacitas facile cuivis innotescet ex tabula sequenti, in qua mensuræ illæ inter se, & cum libris tum Gallicis, tum Romanis antiquis, necnon cum mensuris Parisiensibus componuntur.

TABULA I.

Aridorum mensuræ, cum libris Romanis antiquis, Gallicis, & mensuris Parisiensibus compositæ.

Mensuræ aridorum collatæ cum: Antiquo pondere Romano, cujus libra 12. uncias continebat.	Pondere communi Franciæ, cujus libra 16. constat unciis.	Mensuris Parisiensibus.	קַב *Qabus*, cibi quotidiani mensura.	עֹמֶר *O'mer*, seu *Assaron*, decima pars τȣ̃ Ephá.	סְאָה *Seá*, Satum, modius Romanus, tertia pars τȣ̃ Ephá.	אֵיפָה *Ephá* decima pars τȣ̃ Hhómer.	לֶתֶךְ *Léthekh* media pars τȣ̃ Hhómer.	חֹמֶר *Hhómer*, *Coron*, *Corus*.
4. libræ, 5. unciæ $\frac{1}{3}$.	3. libræ, 1. uncia $\frac{2}{3}$.	2. litrons, 2. pouceons $\frac{1}{2}$.	1.					
8. libræ.	5. libræ, 9. unciæ $\frac{2}{5}$.	3. litrons $\frac{1}{2}$. 1. posson, 2. pouceons $\frac{1}{10}$.	1. $\frac{4}{5}$.	1.				
26. libræ, & 8. unciæ.	18. libræ, 10. unciæ.	12. lit. 1. demi-setier $\frac{1}{4}$.	6.	3. $\frac{1}{3}$.	1.			
80. libræ.	55. libræ, 14. unciæ.	2. boisseaux, 5. litrons $\frac{1}{4}$.	18.	10.	3.	1.		
400. libræ.	279. libræ, 6. unciæ.	1. mine, 5. boisseaux, 10. litrons $\frac{1}{4}$.	90.	50.	15.	5.	1.	
800. libræ.	558. libræ, 12. unciæ.	1. demisetier, 1. mine, 5. boisseaux. 4. litrons $\frac{1}{2}$.	180.	100.	30.	10.	2.	1.

Liquidorum menſuræ, quarum in Sacra Scriptura fit mentio, ſunt:

לֹג *Lóg*, quarta pars τῦ Qab.

קַב *Qabus*, ſexta pars τῦ Seá; decima octava τῦ Ephá, chœnix Græcorum.

הין *Hin*, idem atque O'mer; ſexta pars Bathi.

סאה *Seá*, Satum, tertia pars Bathi.

בַּת *Bathus*, idem atque Ephá, decima pars τῦ Hhomer, Metreta.

חֹמֶר *Hhómer*, *Coron*, *Corus*, decem Bathos continebat.

Porro ex his menſuris, *Log*, *Hin*, & *Bathus*, ſolis liquidis dimentiendis inſerviebant; tres vero aliæ liquidis & aridis.

TABULA II.

Liquidorum menſuræ cum libris Romanis antiquis, Gallicis, & menſuris Pariſienſibus compoſitæ.

Menſuræ liquidorum collatæ cum: Antiquo pondere Romano.	Pondere communi Franciæ.	Menſuris Pariſienſibus.	לֹג *Lóg*, quarta pars Qabi.	קַב *Qab*, ſexta pars τῦ Seá, 18. τῦ Ephá.	הין *Hin*, idem atque Omer, ſexta pars Bathi.	סאה *Seá*, *Satum*, tertia pars Bathi.	בַּת *Bath*, idem atque Ephá. 10. pars τῦ Hhómer.	חֹמֶר *Hhómer* *Corus*, *Coron.* 10. Bathos continebat.
1. libra, 1. uncia $\frac{3}{4}$	12. unciæ $\frac{5}{11}$	1. demiſetier, 1. poſſon $\frac{5}{48}$	1.					
4. libræ, 5. unciæ $\frac{1}{3}$	3. libræ, 1. uncia $\frac{2}{3}$	3. chopines, 2. pouceons $\frac{1}{2}$	4.	1.				
13. libræ, 4. unciæ.	9. libræ, 5. unciæ.	4. pintes, 1. chopine $\frac{5}{16}$	12.	3.	1.			
26. libræ, 8. unciæ.	18. libræ, 10. unciæ.	9. pintes, 1. demiſetier $\frac{1}{4}$	24.	6.	2.	1.		
80. libræ.	55. libræ, 14. unciæ.	27. pintes, 3. demiſetiers $\frac{3}{4}$	72.	18.	6.	3.	1.	
800. libræ.	558. libræ, 12. unciæ.	279. pintes, 1. demiſetier, 1. poſſon.	720.	180.	60.	30.	10.	1.

NOTÆ

In duas præcedentes tabulas.

IN menſurarum Hebraïcarum cum Pariſienſibus collatione, harum voces vernaculas retinuimus, quod lingua Latina, quæ ipſis omnibus reſpondeant, vocabula nequaquam ſuppeditet. Potuiſſem equidem circumloquutione uti; at per exiguæ

cellularum spatia id non licuisset.

Mensura dicta *Posson* ab alia, quam vocant *Pouceon*, accurate distinguenda est; *Posson* enim mensura est 6. unciarum seu pollicum cubicorum; *Pouceon* vero unico tantum pollice cubico constat; ita ut 1. Posson, 6. Pouceons complectatur. D. *Le Pelletier* Rothomagensis, quem supra pag. 524. col. 2. laudavimus, mensuras discretorum, cum aridorum, tum liquidorum, cum unciis seu pollicibus cubicis, & mensuris Parisiensibus ita componit.

Aridorum mensuræ.

קַב *Qabh*, *Qabus*, vel *Cabus*, erat sexta pars τῦ Seá, sive Sati; pars octava τῦ Ephá; proindeque capiebat uncias seu pollices cubicos 79. & $\frac{406377.}{704969.}$ poll. cub. seu 1. *Pinte*, 1. *Chopine*, 1. *Posson*, 1. *Pouceon*, & $\frac{406377.}{704969.}$

רֹבַע sive לֹג, quarta pars Qabi, continebat 19. pollices cubicos, & $\frac{652821.}{704969.}$; seu 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, 1. *Pouceon*, & $\frac{652821.}{704969.}$

עֹמֶר *O'mer*, *Gómer*, *Gomór*; (ע enim per g interdum exprimunt interpretes), *Assaron*, erat decima pars τῦ Ephá, proindeque continebat 143. pollices cubicos, & $\frac{1647517.}{3524845.}$, seu 3. *Pintes*, *moins* $\frac{1877328.}{5524845.}$

סְאָה *Seá*, *Satum*, pars tertia τῦ Ephá seu Bathi, capiebat 478. poll. cub. seu 9. *Pintes*, 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, & quatuor pollices cub. cum $\frac{158386.}{704969.}$ Tria Sata, de quibus Gen. 18. v. 6. eadem sunt atque Ephá.

אֵיפָה *Ephá* complectebatur 1434. poll. cubicos, & $\frac{475158.}{704969.}$ proindeque 29. *Pintes*, 1. *Chopine*, 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, & $\frac{475158.}{704969.}$

לֶתֶךְ *Léthekh*, media pars τῦ *Hhómer*, continebat 7170. poll. cub. & $\frac{155360.}{704969.}$ h. e. 149. *Pintes*, 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, & $\frac{155360.}{704969.}$

חֹמֶר *Hhómer*, seu Corus, complectebatur 10. Ephá, seu 14340. poll. cub. & $\frac{310720}{704969}$ seu 298. *Pintes*, 1. *Chopine*, 1. *Demisettier*, & $\frac{310720.}{704969.}$

Liquidorum mensuræ.

לֹג *Lóg*, quarta pars Qabi, continebat 19. pollices cub. & $\frac{652821.}{704969.}$ seu 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, 1. *Pouceon*, & $\frac{652821.}{704969.}$ poll. cubicos.

הִין *Hin*, sexta pars Bathi seu Ephá, capiebat 239. poll. cub. & $\frac{79193.}{704969.}$ vel 4. *Pintes*, 1. *Chopine*, 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, 15. poll. cub. cum $\frac{79193.}{704969.}$

Dimidia pars τῦ *Hin* capiebat 119. poll. cubicos, & $\frac{302081.}{704969.}$ seu 2. *Pintes*, 1. *Demisettier*, 1. *Posson*, & 5. poll. cub. $\frac{302081.}{704969.}$

Tertia pars τῦ *Hin* eadem erat ac Qabus. Vide supra in aridis.

Quarta pars τῦ *Hin* capiebat 59. pollices cubic. & $\frac{548535.}{704969.}$

Sexta pars τῦ *Hin* erat 39. poll. cub. & $\frac{600673.}{704969.}$ vel continebat 1. *Chopine*, 1. *Demisettier*, 3. poll. cub. & $\frac{600673.}{704969.}$

בַּת *Bath*, *Bathus*, idem atque Epha. Vide supra in aridis. *Metreta* eadem etiam erat ac Bathus seu Epha.

Sic D. *Le Pelletier* mensuras Hebraïcas cum Parisiensibus, & unciis seu pollicibus cubicis contendit. Ut autem isthæc collatio melius adhuc intelligatur, hæc notanda sunt.

Pes cubicus continet 1728. pollices itidem cubicos, seu 36. *pintes*.

La Chopine, 24. pollices cubicos.

Le Demisettier, 12. pollices cubicos.

Le Posson, moitié du Demisettier, 6. pollices cubicos.

Le Pouceon sixiéme partie du Posson, 1. pollices cubicos.

Mensurarum Hebraïcarum cum nostris collationem à doctissimo illo viro institutam hîc retulimus, quod is rerum illarum esset peritissimus, eoque de argumento librum conscripserit, quem Reipublicæ literariæ, magno ejus detrimento, fata inviderunt. Faxit Deus, ut hi, quorum in manus sagacissimi hujus scriptoris opera nondum edita devenere, ea publici juris aliquando faciant. Ceterum cum in superioribus tabulis mensuræ Hebraïcæ liquidorum cum antiquo pondere Romano, & communi Gallico conferuntur, vinum aut aquam, quæ ejusdem fere sunt ponderis, volumus appendi; his enim mensuris liquore alio, aut etiam metallo, refertis, aliud erit pondus, quamvis eadem remaneat vasorum capacitas & ambitus.

CAPUT IX.

De תְּפִלִּין Tephillín, *seu Phylacteriis*, מְזוּזָה Mezouzá, *&* טַלִּית Talléth *cum majori, tum minori.*

CUM Matth. 23. v. 5. mentio fiat *Phylacteriorum;* ex Deut. 6. v. 9. cap. 11. v. 20. *Mezouzam* eruant Judæi; & *Tsitsith*, fimbria τοῦ *Talleth*, à Deo imperetur Num. 15. v. 38. Deut. 22. v. 12. non ab re fuerit eorum gratia, qui Judæos, aut eorum ædes, vel Synagogas nunquam frequentarunt, ea Phylacteria, Mezouzam, & Talleth, cum ejus fimbria, paucis hîc describere.

ARTICULUS I.

De Tephillin, seu Phylacteriis.

TEPHILLIN *precatoria*, sic dicta sunt à voce פלל in Hithpaël *deprecatus est;* quod ea inter precandum Judæi capiti & brachio sinistro applicent. In Novo Testamento φυλακτήρια vocantur, quia Scripturæ quædam pericopæ in iis φυλάττονται *asservantur.* De his loquitur Christus Matth. 23. v. 5. πλατύνουσι γὰρ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, *dilatant enim Phylacteria sua.*

Tephillin originem deducunt Judæi ex Deut. 6. v. 6. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.....* Vers. 8. *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.* Vide etiam cap. 11. v. 18. Exod. 13. vv. 9. 16. *Hoc Pharisæi male interpretantes*, inquit S. Hieron. comm. in Matth. 23. v. 5. tom. 4. nov. edit. part. 1. col. 108. *Scribebant in membranis Decalogum Moysi, id est, decem verba Legis, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur.* Hîc Hieronymum aut sua fefellit memoria, aut, quod est fortasse verosimilius, contigit ab ejus ætate in pericopis Scripturæ τοῖς Tephillin includendis mutatio; Judæi enim hodierni Decalogum in his non includunt; sed alias Scripturæ partes, quas infra commemorabimus.

Duplicis generis sunt Tephillin, seu Phylacteria; alia quæ capiti, alia quæ brachio sinistro alligantur. Amborum structuram ita describit Maimonides, Sect. de Tephillin, cap. 3. halacha 2. *Quomodo conficiunt Phylacteria capitis? Accipiunt lignum quadrum, cujus longitudo æqualis est latitudini, & altitudo prope eadem.... Deinde tres in eo effodiunt foveas sive incisuras, ut quatuor ei ligno sint capita, secundum hanc figuram* (vide in tab. 1. fig. A.) *Tum accipiunt pellem, eamque aquis macerant, ligno imponunt, & in singulas illius incisuras eam introducunt, & flaccidam reddunt, ut undequaque macerata sit, donec fecerint figuram literæ* Schin *tribus capitibus instructæ à dextra induentis Phylacteria, & quatuor ab induentis sinistra.* Vide figuras B. C. Alii tamen, ut doctissimus Buxtorfius Synag. Jud. c. 9. p. 175. ש quadrifidum ad dexteram induentis; trifidum vero ad sinistram collocant; atque ita Phylacteria quædam delineantur in tom. 1. Mischnæ Surenhusianæ, pag. 9. Verum hîc sequimur Maimonidem, qui sic pergit halacha 3. *Et relinquunt pellem donec exaruerit; deinde pellem è mustricola lignea extrahit* (opifex), *eamque quatuor ædiculis vacuis ornatam comperit. Quo facto, singulis ædiculis singulas*

singulas Legis sectiones (quas infra indicabimus) *indit, & postea partem aliquam de corio inferiori, eamque consuit à quatuor lateribus; & de corio inferiori spatium aliquod* (relinquit), *in quod lorum ingrediatur, quasi in laqueolum* מַעְבֹּרֶת *dictum.* Vide ibid. figuras D. D.

Descripta Phylacteriorum capitis structura, transit idem Maimonides halacha 4. ad manus seu brachii phylacteriorum constructionem. *Quomodo manus Phylacteria parantur? Accipiunt lignum quadrum, cujus longitudo latitudini æqualis est, altitudo fere æquipollens digito, vel paulo magis minusve.* (Vide ibid. fig. E.) *Et obvolvunt illud in pelle macerata; pellemque relinquunt in mustricola lignea, donec exaruerit. Deinde pellem extrahit* (opifex), *& quatuor legis sectiones immittit in concavum illud spatium, & reducit marginem infra pellis particulam, consuitque ad quatuor latera, relicto tamen spatio, quod pro lori laqueolo est.* Vide ibid. fig. F. F.

Ostensa tum capitis, tum brachii Phylacteriorum constructione externa, quatuor pericoparum Legis, quæ in illis includuntur, ordinem sic instituit is Rabbinus, halacha 5. *Quomodo ordinant sectiones in Phylacteriis capitis? Immittit* (fabricator) *sectionem ultimam, quæ est:* וְהָיָה אִם־שָׁמֹעַ תִּשְׁמְעוּ וגו׳ Et erit, si audiendo audieritis, &c. (Deut. 11. v. 13. ad 21. inclusive) *in ædiculam primam, quæ est à dextra induentis. Et* שְׁמַע יִשְׂרָאֵל audi Israël, &c. (Deut. 6. v. 4. ad v. 9. inclusive.) *in ædiculam ei proximam. Et eam, quæ incipit:* וְהָיָה כִּי־יְבִאֲךָ Et erit, cum introduxerit, &c. (Exod. 13. v. 11. ad 16. inclusive) *in ædiculam tertiam huic proximam. Denique illam, quæ est:* קַדֶּשׁ־לִי כָל־בְּכוֹר Sanctifica mihi omne primogenitum, &c. (Exod. 13. v. 1. ad v. 10. inclusive) *in ædiculam quartam, quæ est ab induentis sinistra.... uti hæc ostendit figura:*

קדש לי כל בכור	והיה כי יבאך	שמע ישראל	והיה אם שמע

Sequitur ordo sectionum earumdem, quæ Phylacteriis manus inseruntur, & de quibus idem Maimonides halacha 6. *Manus Phylacteria scribunt in quatuor tabulis unius membranæ oblongæ, instar Legis voluminis, eo, quo Legis sectiones disponuntur ordine, uti constat ex hac figura:*

והיה אם שמע	שמע ישראל	והיה כי יבאך	קדש לי כל בכור

Sectiones illæ à principio ad finem convolutæ in ædiculas Phylacteriorum immittuntur, & tegumento pelliceo, addito pilo pecoris, vel animalis puri, & pilo è cauda vitulina, colligantur. Tum Phylacteria hisce Legalibus membranis impleta consuunt nervis è calce pecoris vel animalis puri petitis, ita ut ad latus quodlibet tres sint suturæ, in totum duodecim. Si tamen decem aut quatuordecim sint futuræ, nihilominus irritum non fit totum negotium.

Ad lora, quibus Phylacteria capiti & brachio alligantur, quod attinet, sic paranda sunt, secundum eundem Maimonidem halacha 12. *Quomodo,* inquit, *construunt lora? Accipiunt lorum coriaceum, cujus latitudo sit ut longitudo grani hordeacei. Si vero latius fuerit lorum, nihilominus legitimum est. Ceterum longitudo lori capitis hujusmodi sit, ut caput cingat, & nodus ex eo ligetur, atque duæ illius extremitates ab utraque parte dependeant usque ad umbilicum, aut paulo superius. Manus vero lori ea sit longitudo, qua brachium cingat, & ligatura exinde fiat, lorumque semel propendeat super digitum medium; & ex illo digitum circumconvolvat tribus involucris, & deinceps colligat.* Lora autem sic parata *introducit* (opifex) *in laqueolos suos,* scribit idem Maimonides halacha 13. *succingitque secundum capitis mensuram; ligans ligaturam quadratam instar figuræ literæ* ד.... *Pari modo in loro manus ligat ligaturam in modum literæ* (י). (ut ש, quod in Phylacteriorum latere exprimitur, una cum his literis ד & (י) nomen Dei שַׁדַּי efficiat) *dummodo lo-*


rum manus ascendat & descendat in ligatura, ut dilatari constringique possit, quando qui illud circum manum ligare voluerit. Ligaturæ illæ sive nodi variant secundum Germanorum & Hispanorum Judæorum consuetudines. Nodos Phylacteriorum capitis & brachii, secundum Germanos, vide in tab. I. fig. G. pro Phylacteriis capitis, fig. H. pro Phylacteriis brachii. Judæorum autem Hispanorum nodos in Phylact. capitis, vide ibid. fig. I. in Phylact. brachii, fig. K. Externa autem lororum istorum species debet esse nigra, ex traditione, ut volunt, Mosis è monte Sinaï; at interior viridis aut alba esse potest, nunquam rubra.

Porro Phylacteria sic disposita ita in capite induuntur, secundum eundem Maimonidem, cap. 4. halacha 1. *Applicant ea vertici, sive termino pilorum, qui est è regione faciei; estque locus, quo cerebrum infantium vacillat, & cranium non statim occluditur. Praeterea requiritur, ut in media capitis parte collocentur, & sint inter oculos, & ligatura in altitudine cervicis, ubi cranium desinit.* Vide infra tab. III. fig. A. Ratio autem Phylacteriorum manus induendorum ea est, ut scribit idem Maimonides, halacha 2. *Phylacteria manus sinistræ applicantur calamo brachii, ubi caro intumescit, inter humeri & brachii juncturam; ut, si axilla cum costis jungatur, Phylacteria sint è regione cordis, ut observetur illud* Deut. 6. v. 6. Et erunt verba illa super cor tuum. Vide ibid. fig. C. Phylacteria illa, secundum eundem Rabbinum, halacha 10. induenda sunt interdiu, non noctu; neque etiam applicanda sunt Sabbatho, aut quovis alio die festo; quod Sabbathum & dies festus per se signa sint, proindeque alio signo hisce diebus opus non sit.

Inter Phylacteria induenda Judæi incipiunt à Phylacteriis brachii sive manus, quod primo loco à Deo præcipiantur Deut. 6. v. 8. deinde capitis Phylacteria induunt. Cum Phylacteria manus applicant, sic precantur: *Benedictus Tu, Domine, Deus noster, totius mundi Domine, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & ut Phylacteria indueremus, præcepisti.* Ad Phylacteria vero capitis: *Benedictus Tu, Domine, Deus noster*, &c. *qui dedisti nobis praeceptum Tephillin.* His induti Judæi omnibus hominibus terrori se esse arbitrantur, quippe qui Dei nomine שַׁדַּי, de quo supra, protecti sint. Id eruunt ex Deut. 28. v. 10. *Videbuntque omnes terrarum populi, quod* שֵׁם יְהוָה נִקְרָא *nomen Domini invocatum* vel *lectum sit super te, & timebunt te.* Hinc Phylacteria capitis palam & in nuda fronte geri debent, ut ab omnibus conspiciantur, dum occultantur Phylacteria brachii, quod scriptum sit: וְהָיָה לְךָ לְאוֹת עַל־יָדְךָ *& erunt tibi* (non aliis) *signum in manu tua.* Quomodo ea brachio applicentur, vide in tab. III. fig. C.

Antequam hoc argumentum missum faciamus, monendum *Schin*, quod in Phylacteriis capitis ad sinistram induentis cernitur, esse quadriceps, & interne geminum (י) habere, quo, inquiunt nonnulli, exhibetur scriptura, qua Decalogus in Tabulis perforatis à Deo descriptus est; ita ut duplex illud (י) fuerit in aëre, non sine miraculo, suspensum. Fabulantur enim has Tabulas ea ratione à Deo scriptas fuisse, ut excavatæ fuerint ex utraque parte, & aër literas omnes ו permearit; adeo ut non nisi extrema earum latera in Tabulis apparuerint. Quod pertinet ad alterum *Schin* triceps, & ad dexteram induentis prominens, illud characterem, quo Lex à Mose scripta est, repræsentat. Præterea geminum illud Schin cum numerice valeat 600. repræsentat nomen Dei מַצְפַּץ quod per Alphabethum Qabbalisticum *Athbasch* idem est ac יְהוָה, vide supra pag. 396. c. 2. quodque geminatum eundem numerum 600. efficit.

Hæc de Phylacteriis, quæ Pharisæi, ut aliis sanctiores viderentur, ceterorum Judæorum Phylacteriis ampliora gestabant, ut ipsis olim exprobravit Christus loco supra laudato, pag. 528. col. 1. Jam describendæ sunt eorum figuræ in sequenti Tabella, in qua etiam Mezouza & Talleth minus, quæ in duabus aliis contineri non potuerunt, delineantur.



L. *Mezouza* M. *Talleth minus*. N N. *Tsitsith*.

ARTICULUS II.

De Mezouza.

MEZOUZA, seu MEZUZA, sic dicta est, quod domus מְזוּזוֹת vel מזוזות *postibus* affigatur. Sunt duæ Legis pericopæ in membrana descriptæ, & in calamo inclusæ, qui calamus posti januæ ad ingredientis dexteram sito affigitur, vel in eum intromittitur. Mezouzæ conficiendæ præceptum eruunt ex Deut. 6. v. 9. *Scribesque ea* (verba Legis) *in postibus domus tuæ, & in portis tuis.* Hinc non solum portæ domus exteriori, sed singulorum etiam conclavium, quæ inhabitantur, & usibus honestis inserviunt, affigunt Mezouzam. Sic autem illam conficiunt Judæi. Scribunt in uno folio, & in una columna membranæ, duas Legis pericopas, nimirum שְׁמַע יִשְׂרָאֵל *Audi Israël*, &c. Deut. 6. v. 4. ad v. 9. inclusive; & וְהָיָה אִם־שָׁמֹעַ תִּשְׁמְעוּ *Et erit, si audiendo audieritis*, &c. Deut. 11. v. 13. ad v. 21. inclusive. Inter utramque pericopam spatium aliquod relinquendum. Membranam à fine linearum ad earumdem initium convolvunt, ut, ea aperta, linearum initium statim in oculos legentis incurrat. Membranæ illi sic convolutæ inscribunt nomen Dei שַׁדַּי in aversa parte, quæ respondet primæ voci secundæ pericopæ וְהָיָה, vel in spatio inter utramque pericopam relicto. Deinde membranam sic nomine Dei שַׁדַּי exterius inscriptam in calamum ligneum, junceum, aut alia quavis materia constantem immittunt, qui posti dextro ingressus domus, h. e. ad ingredientis dexteram collocato, ope clavorum infigitur, vel in fossulam ad id in ipso poste excavatam foris inducitur. Ille autem calamus è regione nominis שַׁדַּי, ut & ipsum intuenti pateat, perforari debet. Vide in tab. præcedenti fig. I.

Ideo autem nomen istud Mezouzæ inscribunt, quod gentes, ut aiunt, ædium suarum prosperitatem ab astris pendere existiment, ipsi vero à Deo, à quo omne bonum proficiscitur, quique vim astrorum frangit, eam exspectent. Unde Job. 22. v. 17. *Quid autem facit* שַׁדַּי *illis?* Respondetur v. 18. *Ipse implet domos eorum bono.* Aiunt præterea: Rex terrenus est intra palatium suum, & ministri ejus custodiam agunt foris; Israëlitæ autem dormiunt in lectis suis, & Deus custodit ipsos foris; vi scilicet Mezouzæ, cui nomen ejus inscribitur. Hinc Judæus quilibet pius ac religiosus quoties domum suam ingreditur, aut ea egreditur, Mezouzam hanc tangit ac dicit: *Dominus custodiat egressum & ingressum meum, à nunc & usque in sæculum.*

Huc etiam referunt illud Jobi 22. v. 25. וְהָיָה שַׁדַּי בְּצָרֶיךָ *& erit* שַׁדַּי *munitiones tuæ*, à בָּצַר *munivit*; Vulg. *contra hostes tuos*, ex בְּ *in*, *contra*, & צָר *hostis.* LXX. sensum utrumque exprimunt hoc modo: ἔσται οὖν σου ὁ παντοκράτωρ βοηθὸς ἀπὸ ἐχθρῶν, *erit igitur omnipotens protector tuus ab inimicis.* Judæi autem vocem בְּצָרֶיךָ sic allegorice explicant: *Ne legas*, inquiunt, בְּצָרֶיךָ *munitiones tuæ*, sed בְּצִירְךָ *in cardine*, vel *in poste tuo.* Expositionum hujuscemodi allegoricarum Judæis familiarium alia exempla vide in tom. I. pag. 18. col. 1. tom. II. pagg. xxxiv. xxxv. Denique tanta est Judæorum in Mezouza fiducia, ut qui hoc præceptum diligenter observaverit, ejus liberorumque ipsius dies prolongatum iri existiment, secundum illud; *ut multiplicentur dies vestri, & dies filiorum vestrorum*, &c. Deut. 11. v. 21.

Quodvis autem domicilium *Mezouzam* non habet; nam ut ea instruatur, decem sunt conditiones, quarum si vel una desit, liberum est à Mezouza. 1°. Debet esse in eo spatium 4. cubitorum in quadrum, aut amplius. 2°. Debent ei esse duo postes. 3°. Debet ei esse superliminare. 4°. Necesse

est ut sit ei tabulatum. 5°. Ut sint ei fores. 6°. Ut porta decem palmos alta sit, aut plures. 7°. Ut domus profana sit; nam Synagogæ liberæ sunt à Mezouza. 8°. Ut factum sit in habitationem hominis. 9°. Ut sit in habitationem honestam. 10°. Ut sit habitatio fixa. Has conditiones affert Maimonides in Hilcoth Mezouzæ, cap. 6. halacha 1. & seqq.

Porro Legis sectiones sive in Mezouza, sive in Tephillin, sine punctis vocalibus scribuntur, ut & volumina Legis, quæ in Synagogis Judæorum asservantur. Imo in utrisque literæ quædam unico, quædam triplici, quædam etiam quadruplici apice coronantur. Quænam sint illæ literæ, curiosorum gratia, quibus membranas Judæorum manu exaratas inspicere non licet, proposito specimine, paucis hîc declarare ab instituto nostro non erit alienum.

Literæ שעטנזגץ quoties in Lege occurrunt, tribus apicibus signantur; literæ vero בדיקח unico duntaxat coronantur apiculo. Carent vulgo ceteræ. Præterea Maimonides hæc de literis, quæ in quatuor Phylacteriorum pericopis occurrunt, in specie notat. In pericopa prima, litera ultima vocis מזוזות instruenda est quatuor apiculis. Vide inf. tab. II. lin. ult. In secunda pericopa quinque sunt literæ ח, quæ quatuor apiculis notandæ sunt. Earum prima est ח vocis ונתנה. Secunda initialis vocis חטפת. Tertia ejusdem vocis ultima litera ח. Quarta litera ח vocis ומחר. Quinta est litera ח vocis ודעת. In tertia pericopa quinque itidem occurrunt literæ, quæ tribus apiculis signandæ sunt. Prima ק vocis ובקומך, secunda ק vocis וקשרתם, tertia & quarta duplex ט vocis לטוטפת, quinta פ penultima ejusdem vocis litera. Pericopa quarta quinque comprehendit literas, nimirum פ vocis פתאום, quæ litera triplici apice coronatur; & ח ejusdem vocis, quæ unico tantum. Sed duplex ט, & unicum ח vocis לטוטפת quatuor gaudent apiculis.

In duabus Mezouzæ pericopis servatur regula circa literas שעטנזגץ & בדיקח superius tradita.

Differunt autem parumper inter se Germanorum & Lusitanorum Judæorum apices, qui in Legis mss. inveniuntur; ubi enim Lusitani supra literam habent tres apices tribus punctis superius in modum coronulæ instructos; ibi Germani tres tantum pingunt apices sine punctis; quod discrimen observatur in sequenti specimine, ubi prima Phylacteriorum pericopa secundum Germanos; prima Mezouzæ, secundum Lusitanos describitur.

Porro hi apiculi Judæis vocantur תגין *corollæ*, זיונים *spicula*, קוצים *spinæ*, &c. quod sunt instar spiculorum aut aculeorum, quibus veluti armantur literæ. Eorum mentionem facit Christus, Matth. 5. v. 18. *Iota unum, aut μία κεραία, unus apex, non præteribit à Lege, donec omnia fiant*; quod perperam de punctis vocalibus intelligunt nonnulli. Horum quoque mentio fit in Talmude, tract. Menahhoth, cap. 3. fol. 29. ubi legitur: *Cum Moses ascendit in sublime* (h. e. in montem Sinaï). *invenit Deum benedictum sedentem*, וקושר כתרים לאותיות *& nectentem corollas literis*, h. e. istos apiculos capiti literarum appingentem. Commentum Rabbinorum, qui omnes fere suas consuetudines traditionesque ad montem Sinaï referunt. Paulo inferius: *Septem sunt literæ, quæ tribus notantur spiculis.* Hæ sunt, quas supra notavimus. Præter eas & בדיקח, de quibus etiam supra, in pluribus Synagogarum exemplaribus א & פ uno spiculo, ח duplici, & ך finale triplici coronantur. Denique pro locorum & exemplarium varietate diversus est apicum illorum numerus. Forma etiam quarumdam literarum nonnihil differt ab excusis. Sed hæc minutiora sunt, quam ut in iis diutius immoremur. Restat igitur, ut literarum illarum spiculis aut corollis instructarum specimen curiosis oculis subjiciamus in sequenti Tabula; in qua, ut diximus, prima Phylacteriorum pericopa exhibetur cum Judæorum Germanorum spiculis; prima vero pericopa Mezouzę cum Lusitanorum corollis.

PERICOPA I. PHYLACTERIORUM

Secundum Judæorum Germanorum apices exarata.

Exod. 13. *a v.* 1. *ad v.* 10. *inclusive.*

וידבר יהוה אל משה לאמר קדש לי כל בכר פטר כל
רחם בבני ישראל באדם ובבהמה לי הוא ויאמר משה
אל העם זכור את היום הזה אשר יצאתם ממצרים מבית
עבדים כי בחזק יד הוציא יהוה אתכם מזה ולא יאכל חמץ
היום אתם יצאים בחדש האביב והיה כי יביאך יהוה אל
ארץ הכנעני והחתי והאמרי והחוי והיבוסי אשר נשבע
לאבתיך לתת לך ארץ זבת חלב ודבש ועבדת את העבדה
הזאת בחדש הזה שבעת ימים תאכל מצת וביום השביעי
חג ליהוה מצות יאכל את שבעת הימים ולא יראה לך
חמץ ולא יראה לך שאר בכל גבלך והגדת לבנך ביום
ההוא לאמר בעבור זה עשה יהוה לי בצאתי ממצרים
והיה לך לאות על ידך ולזכרון בין עיניך למען תהיה תורת
יהוה בפיך כי ביד חזקה הוצאך יהוה ממצרים ושמרת את
החקה הזאת למועדה מימים ימימה

PERICOPA I. MEZOUZÆ.

Secundum Judæorum Lusitanorum apices descripta.

Deut. 6. *a v.* 4. *ad v.* 9. *inclusive.*

שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד ואהבת את יהוה
אלהיך בכל לבבך ובכל נפשך ובכל מאדך והיו הדברים
האלה אשר אנכי מצוך היום על לבבך ושננתם לבניך
ודברת בם בשבתך בביתך ובלכתך בדרך ובשכבך ובקומך
וקשרתם לאות על ידך והיו לטטפת בין עיניך וכתבתם
על מזזות ביתך ובשעריך

ARTICULUS III.

De Talleth.

TALLETH, sive, ut Judæi Germani pronuntiant, TALLES, ita vocatur à טלל *texit, obtexit.* Duplicis est generis, majus & minus.

Talleth majus pannus est albus instar mappæ quadratæ aut oblongæ, quo Judæi tempore precum caput & collum domi vel in Synagoga circumvolvunt. Vide tab. III. fig. B. B.

Talleth minus constat duabus particulis quadrangulis laneis, bombycinis, vel sericeis albis, quæ desuper duabus vittis alligantur, ut capitis intromittendi relinquatur spatium. Ambæ illæ particulæ ad utrumque latus apertæ sunt, & à fronte & à tergo, pectore & humeris dependent, instar Tunicarum, quibus Diaconi & Subdiaconi in Ecclesia Catholica utuntur. Vide in tab. I. fig. M. Ea vestis videtur esse antiquum Judæorum indumentum, sed contractum. Qui inter eos pietate ac sanctitate aliis antecellere volunt, hoc Talleth cum ceteris vestibus surgentes quotidie induunt, & sub toga circumferunt

A quatuor utriusque Talleth angulis inferioribus pendet fimbria dicta ציצית *Tsitsith*, vel, secundum Judæos Germanos, *Tsitsis*, octo filis albis & laneis constans, & interdum quatuor, interdum octo, interdum digitos duodenos lata. Vide in Tab. I. fig. N. N. Pharisæi, qui majorem, quam alii, pietatem affectabant, fimbrias illas augebant. Quamobrem eos redarguit Christus Matth. 23. v. 5..... *dilatant enim Phylacteria sua, & magnificant* seu *amplificant τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν*, *fimbrias vestimentorum suorum.*

Fimbriæ autem illæ, seu peniculamenta, constant, ut diximus, octo filis laneis, quæ sic ad quatuor angulos annectuntur. Fila sumuntur quatuor, quæ per foramen transmissa & duplicata faciunt octo. Eorum septem æqualia sunt; octavum vero longius, ut sufficiat circumvolvendis reliquis, & quinque nodis firmis nectendis, & tamen residuum cum aliis septem æqualis sit longitudinis. Quinque illi nodi tertiam duntaxat filorum partem occupant. Hæ fimbriæ, sicut & vestis, deberent esse coloris hyacinthini; sed quia illum hodie commode habere nequeunt, albo communiter utuntur, qui puritatis & innocentiæ symbolum est.

Præceptum autem de ציצית conficienda exstat Deut. 15. v. 38. *Loquere filiis Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi* ציצית LXX. *κράσπεδα*, Vulg. *fimbrias per angulos vestimentorum suorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Vers. 39. *Et videbitis eas, & recordabimini omnium præceptorum Domini, & facietis ea*, &c. Vide etiam Deut. 22. v. 12. Rabbini prava sua interpretatione hæc verba corrumpentes scribunt eum, qui præceptum *Tsitsith* diligenter custodierit, eodem loco habendum esse, ac si totam Legem custodisset; quod ex Qabbala sic eruunt. Singulæ fimbriæ quinque nodis constant, qui Pentateucho comparantur. Additis octo filis, ex quibus fimbria quælibet componitur, exsurgit numerus 13. Literæ autem vocis ציצית numerice sumtæ 600. conficiunt. Quibus omnibus in summam collectis, fiunt 613. qui numerus est omnium præceptorum Dei in tota Lege contentorum.

Ut autem quæ supra de Tephillin sive Phylacteriis, hic de Talleth, & pag. 470. c. 2. de libro Legis diximus, facilius intelligantur; Judæum Tephillin capitis & majori Talleth indutum, ac librum Legis apertum populo ostendentem delineandum curavimus in Tab. sequenti, in qua etiam brachium Phylacteriis revinctum, & liber Legis convolutus, & palliolo suo contectus repræsentantur.



A. *Judæus Tephillin capitis indutus, et scripturam legis populo ostendens.*
BB. *Talleth majus cum ejus fimbria.* C. *Brachium sinistrum cum Tephillin.*
D. *Liber legis apertus.* E. *Idem convolutus.* F. *Idem convolutus, & palliolo tectus.*
G. *Stylus argenteus, quo locus Scripturæ legendus ostenditur.*

CAPUT X.

Analysis Grammatica Cantici Moysi: Cantemus (*Heb.* Cantabo) Domino, &c. *Exod. xv. à versu 1. ad 19. inclusum.*

CUM experientia constet maximam ex ejuscemodi exercitationibus utilitatem à tyronibus percipi, nostram hac in parte nulli alteri concedere voluimus Grammaticam. Aliorum itaque tam præclarum, tamque utile institutum imitati, Canticum Moysi, Exod. xv. quod à nullo grammaticorum, quos vidimus, sic expositum est, selegimus, in quo regularum hîc illîc traditarum partem haud minimam periclitaremur. Ut autem in Scriptura Samaritana & Rabbinica facile expediteque legenda sese exerceant candidati, Canticum illud Samariticis & Rabbinicis literis curavimus excudendum. Prima itaque columna illud exhibet totidem literis Samariticis descriptum, quot Hebraïcis; *Samaritani* enim, inquit S. Hieronymus præfat. in lib. Reg. tom. 1. nov. edit. col. 317. *Pentateuchum Mosis totidem literis scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes.* Res hodie aliter se habet; is enim Pentateuchus à Judaïco non parum discrepat: quod argumento est illum plane eundem non esse atque eum, quem S. Hieronymus præ manibus habuit. Has varietates in columna Samaritana astericis indicatas in analysi subjicienda observabimus. Secunda columna idem Canticum Hebræis characteribus hodiernis, tertia Rabbinicis descriptum repræsentat; quarta ejus est versio Græca, quæ LXX. interpretum nomine circumfertur; quinta exhibet versionem de Hebræo κατὰ λέξιν expressam; in sexta denique columna reponitur Vulgata translatio.

Tyronibus, antequam legant hanc analysin, auctores sumus ut capitis XVII. articulum III. qui de mutationis punctorum fundamentis agit, in primo volumine, pag. 413. & seqq. diligenter evolvant; ibi enim cur puncta illa mutentur rationes, quas in prædicta analysi longius fuisset ad singulas voces repetere, tenore uno expositas invenient.

Denique in hac analysi lectionis regulas prætermisimus, quod illæ satis superque explicatæ sint in tom. I. cap. IV. art. VI. p. 41. & seqq. Ibi itaque voces Hebraïcas Latinis characteribus tantum descripsimus, in quibus ב raphatum sive Daghesch destitutum repræsentatur τῷ *b* aspirato, sive *bh*, ut ejus prolatio distinguatur à pronuntiatione literæ ו, quæ per *v* consonans exprimitur.

Versio Vulgata Latina.	*Versio de Hebræo ad literam expressa.*	*Versio Lxx. interpretum.*
VERSUS I.	VERSUS I.	VERSUS I.
Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est: equum & ascensorem projecit in mare.	*Cantabo Domino; quia magnificando magnificatus est: equum & ascensorem ejus projecit in mare.*	Ἄσωμεν τῷ Κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται· ἵππον καὶ ἀναβάτην ἔρριψεν εἰς θάλασσαν.
II.	II.	II.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.	*Fortitudo mea & laus Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & tabernaculum faciam ei; Deus patris mei, & exaltabo eum.*	Βοηθὸς καὶ σκεπαστὴς ἐγένετό μοι εἰς σωτηρίαν. οὗτός μου θεὸς, καὶ δοξάσω αὐτόν· θεὸς τοῦ πατρός μου, καὶ ὑψώσω αὐτόν.
III.	III.	III.
Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.	*Dominus vir belli, Dominus nomen ejus.*	Κύριος συντρίβων πολέμους, κύριος ὄνομα αὐτῷ.
IV.	IV.	IV.
Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus submersi sunt in mari rubro.	*Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare: & electio principum ejus submersi sunt in mari Souph.*	Ἅρματα Φαραὼ, καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ ἔρριψεν εἰς θάλασσαν, ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας· κατεποντίσθησαν ἐν ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ.
V.	V.	V.
Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.	*Abyssi operient eos: descenderunt in profunda quasi lapis.*	Πόντῳ ἐκάλυψεν αὐτούς· κατέδυσαν εἰς βυθὸν ὡσεὶ λίθος.
VI.	VI.	VI.
Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum.	*Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, confringet inimicum.*	Ἡ δεξιά σου κύριε, δεδόξασται, ἐν ἰσχύϊ· ἡ δεξιά σου χεὶρ, κύριε, ἔθραυσεν ἐχθρούς.
VII.	VII.	VII.
Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.	*Et in multitudine excellentiæ tuæ dirues consurgentes in te: mittes iram tuam* (quæ) *devorabit eos sicut stipulam.*	Καὶ τῷ πλήθει τῆς δόξης σου συνέτριψας τοὺς ὑπεναντίους. ἀπέστειλας τὴν ὀργήν σου· κατέφαγεν αὐτοὺς ὡς καλάμην.

Characteres rotundi, sive Rabbinici.	*Novi characteres Hebræi, sive Chaldaïci.*	*Antiqui charact. Hebræi, sive Samaritani.*
VERSUS I.	VERSUS I.	VERSUS I.
אשירה ליהוה כי גאה גאה סוס ורכבו רמה בים:	אָשִׁירָה לַיהֹוָה כִּי־גָאֹה גָּאָה סוּס וְרֹכְבוֹ רָמָה בַיָּם׃	[illegible]
II.	II.	II.
עזי וזמרת יה ויהי לי לישועה זה אלי ואנוהו אלהי אבי וארממנהו:	עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ וַיְהִי־לִי לִישׁוּעָה זֶה אֵלִי וְאַנְוֵהוּ אֱלֹהֵי אָבִי וַאֲרֹמְמֶנְהוּ׃	[illegible]
III.	III.	III.
יהוה איש מלחמה יהוה שמו:	יְהֹוָה אִישׁ מִלְחָמָה יְהֹוָה שְׁמוֹ׃	[illegible]
IV.	IV.	IV.
מרכבת פרעה וחילו ירה בים ומבחר שלישיו טבעו בים סוף:	מַרְכְּבֹת פַּרְעֹה וְחֵילוֹ יָרָה בַיָּם וּמִבְחַר שָׁלִשָׁיו טֻבְּעוּ בְיַם־סוּף׃	[illegible]
V.	V.	V.
תהמת יכסימו ירדו במצולת כמו אבן:	תְּהֹמֹת יְכַסְיֻמוּ יָרְדוּ בִמְצוֹלֹת כְּמוֹ־אָבֶן׃	[illegible]
VI.	VI.	VI.
ימינך יהוה נאדרי בכח ימינך יהוה תרעץ אויב:	יְמִינְךָ יְהֹוָה נֶאְדָּרִי בַּכֹּחַ יְמִינְךָ יְהֹוָה תִּרְעַץ אוֹיֵב׃	[illegible]
VII.	VII.	VII.
וברב גאונך תהרס קמיך תשלח חרנך יאכלמו כקש:	וּבְרֹב גְּאוֹנְךָ תַּהֲרֹס קָמֶיךָ תְּשַׁלַּח חֲרֹנְךָ יֹאכְלֵמוֹ כַּקַּשׁ׃	[illegible]

Versio Vulgata Latina.	*Versio de Hebræo ad literam expressa.*	*Versio LXX. interpretum.*
VIII. *Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.*	VIII. *Et in spiritu irarum tuarum coacervatæ sunt aquæ, steterunt sicut acervus fluenta: coagulatæ sunt abyssi in corde maris.*	VIII. Καὶ διὰ πνεύματος τοῦ θυμοῦ σου διέστη τὸ ὕδωρ· ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα· ἐπάγη τὰ κύματα ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης.
IX. *Dixit inimicus: persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*	IX. *Dixit inimicus: persequar, comprehendam, dividam spolium, implebitur eis anima mea; evaginabo gladium meum, possessione expellet,* vel *pauperes efficiet eos manus mea.*	IX. Εἶπεν ὁ ἐχθρὸς, διώξας καταλήψομαι, μεριῶ σκῦλα, ἐμπλήσω ψυχήν μου, ἀνελῶ τῇ μαχαίρᾳ μου, κυριεύσει ἡ χείρ μου.
X. *Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*	X. *Flavisti in spiritu tuo, operuit eos mare: absorpti sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*	X. Ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου· ἐκάλυψεν αὐτοὺς θάλασσα· ἔδυσαν ὡσεὶ μόλιβος ἐν ὕδατι σφοδρῷ.
XI. *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*	XI. *Quis sicut Tu in Diis, Domine, quis sicut Tu magnificus in sanctitate: terribilis laudibus, faciens mirabile?*	XI. Τίς ὅμοιός σοι ἐν θεοῖς, κύριε; τίς ὅμοιός σοι; δεδοξασμένος ἐν ἁγίοις, θαυμαστὸς ἐν δόξαις, ποιῶν τέρατα.
XII. *Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra.*	XII. *Extendisti dexteram tuam, deglutiet eos terra.*	XII. Ἐξέτεινας τὴν δεξιάν σου· κατέπιεν αὐτοὺς γῆ.
XIII. *Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.*	XIII. *Duxisti in misericordia tua populum hunc (quem) redemisti, duxisti in fortitudine tua ad habitaculum sanctitatis tuæ.*	XIII. Ὡδήγησας τῇ δικαιοσύνῃ σου τὸν λαόν σου τοῦτον, ὃν ἐλυτρώσω· παρεκάλεσας τῇ ἰσχύϊ σου εἰς κατάλυμα ἅγιόν σου.

Characteres rotundi, sive Rabbinici.	*Novi characteres Hebræi, sive Chaldaïci.*	*Antiqui charact. Hebræi, sive Samaritani.*
VIII.	VIII.	VIII.
וברוח אפיך נערמו מים נצבו כמו נד נוזלים קפאו תהמת בלב ים :	וּבְרוּחַ אַפֶּיךָ נֶעֶרְמוּ־מַיִם נִצְּבוּ כְמוֹ־נֵד נֹזְלִים קָפְאוּ תְהֹמֹת בְּלֶב־יָם ׃	ࠅࠁࠓࠅࠇ ࠀࠐࠉࠊ ࠍࠏࠓࠌࠅ ࠌࠉࠌ ࠍࠑࠁࠅ ࠊࠌࠅ ࠍࠃ ࠍࠆࠋࠉࠌ ࠒࠐࠀࠅ ࠕࠄࠌࠕ ࠁࠋࠁ ࠉࠌ :
IX.	IX.	IX.
אמר אויב ארדף אשיג אחלק שלל תמלאמו נפשי אריק חרבי תורישמו ידי :	אָמַר אוֹיֵב אֶרְדֹּף אַשִּׂיג אֲחַלֵּק שָׁלָל תִּמְלָאֵמוֹ נַפְשִׁי אָרִיק חַרְבִּי תּוֹרִישֵׁמוֹ יָדִי ׃	ࠀࠌࠓ ࠀࠅࠉࠁ ࠀࠓࠃࠐ ࠀࠔࠉࠂ ࠀࠇࠋࠒ ࠔࠋࠋ ࠕࠌࠋࠀࠌࠅ ࠍࠐࠔࠉ ࠀࠓࠉࠒ ࠇࠓࠁࠉ ࠕࠅࠓࠉࠔࠌࠅ ࠉࠃࠉ :
X.	X.	X.
נשפת ברוחך כסמו ים צללו כעופרת במים אדירים :	נָשַׁפְתָּ בְרוּחֲךָ כִּסָּמוֹ יָם צָלֲלוּ כַּעוֹפֶרֶת בְּמַיִם אַדִּירִים ׃	ࠍࠔࠐࠕ ࠁࠓࠅࠇࠊ ࠊࠎࠌࠅ ࠉࠌ ࠑࠋࠋࠅ ࠊࠏࠅࠐࠓࠕ ࠁࠌࠉࠌ ࠀࠃࠉࠓࠉࠌ :
XI.	XI.	XI.
מי כמכה באלים יהוה מי כמכה נאדר בקדש נורא תהלת עשה פלא :	מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה מִי כָּמֹכָה נֶאְדָּר בַּקֹּדֶשׁ נוֹרָא תְהִלֹּת עֹשֵׂה־פֶלֶא ׃	ࠌࠉ ࠊࠌࠅࠊࠄ ࠁࠀࠋࠉࠌ ࠉࠄࠅࠄ ࠌࠉ ࠊࠌࠅࠊࠄ ࠍࠀࠃࠓ ࠁࠒࠃࠔ ࠍࠅࠓࠀ ࠕࠄࠋࠕ ࠏࠔࠄ ࠐࠋࠀ :
XII.	XII.	XII.
נטית ימינך תבלעמו ארץ :	נָטִיתָ יְמִינְךָ תִּבְלָעֵמוֹ אָרֶץ ׃	ࠍࠈࠉࠕ ࠉࠌࠉࠍࠊ ࠕࠁࠋࠏࠌࠅ ࠀࠓࠑ :
XIII.	XIII.	XIII.
נחית בחסדך עם זו גאלת נהלת בעזך אל נוה קדשך :	נָחִיתָ בְחַסְדְּךָ עַם־זוּ גָּאָלְתָּ נֵהַלְתָּ בְעָזְּךָ אֶל־נְוֵה קָדְשֶׁךָ ׃	ࠍࠇࠉࠕ ࠁࠇࠎࠃࠊ ࠏࠌ ࠆࠅ ࠂࠀࠋࠕ ࠍࠄࠋࠕ ࠁࠏࠆࠊ ࠀࠋ ࠍࠅࠄ ࠒࠃࠔࠊ :

Versio Vulgata Latina.	*Versio de Hebræo ad literam expressa.*	*Versio Lxx. interpretum.*
XIV.	XIV.	XIV.
Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.	*Audierunt populi, contremiscent: dolor apprehendit habitatores Palæstinæ.*	Ἤκουσαν ἔθνη, καὶ ὠργίσθησαν· ὠδῖνες ἔλαβον κατοικοῦντας Φυλιστιείμ.
XV.	XV.	XV.
Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.	*Tunc territi sunt principes Edom, robustos Moab apprehendet eos tremor: dissoluti sunt omnes habitatores Chenaan.*	Τότε ἔσπευσαν ἡγεμόνες Ἐδώμ; καὶ ἄρχοντες Μωαβιτῶν· ἔλαβεν αὐτοὺς τρόμος· ἐτάκησαν πάντες οἱ κατοικοῦντες Χαναάν.
XVI.	XVI.	XVI.
Irruat super eos formido & pavor; in magnitudine brachii tui fiant immobiles quasi lapis: donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.	*Cadet super eos terror & pavor; in magnitudine brachii tui tacebunt sicut lapis: donec transiret populus, Domine, donec transiret populus iste* (quem) *possedisti.*	Ἐπιπέσοι ἐπ' αὐτοὺς τρόμος καὶ φόβος· μεγέθει βραχίονός σου ἀπολιθωθήτωσαν, ἕως παρέλθῃ ὁ λαός σου, κύριε· ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ λαός σου οὗτος, ὃν ἐκτήσω.
XVII.	XVII.	XVII.
Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.	*Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ,* (in) *loco habitationis tuæ* (quem) *operatus es, Domine:* (in) *sanctuario, Domine,* (quod) *firmaverunt manus tuæ.*	Εἰσαγαγὼν καταφύτευσον αὐτοὺς εἰς ὄρος κληρονομίας σου, εἰς ἕτοιμον κατοικητήριόν σου, ὃ κατηρτίσω, κύριε, ἁγίασμα, κύριε, ὃ ἡτοίμασαν αἱ χεῖρές σου.
XVIII.	XVIII.	XVIII.
Dominus regnabit in æternum & ultra.	*Dominus regnabit in sæculum & perpetuum.*	Κύριος βασιλεύων τὸν αἰῶνα, καὶ ἐπ' αἰῶνα, καὶ ἔτι.
XIX.	XIX.	XIX.
Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris: filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.	*Quia ingressus est equus Pharaonis cum curru suo, & equitibus suis in mare, & redire fecit Dominus super eos aquas maris: & filii Israël ambulaverunt per siccum in medio maris.*	Ὅτι εἰσῆλθεν ἵππος Φαραὼ σὺν ἅρμασι καὶ ἀναβάταις εἰς θάλασσαν, καὶ ἐπήγαγεν ἐπ' αὐτοὺς κύριος τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης. οἱ δὲ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐπορεύθησαν διὰ ξηρᾶς ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης.

Characteres rotundi, sive Rabbinici.	*Novi characteres Hebræi, sive Chaldaïci.*	*Antiqui charact. Hebræi, sive Samaritani.*
XIV. שמעו עמים ירגזון חיל אחז ישבי פלשת׃	XIV. שָׁמְעוּ עַמִּים יִרְגָּזוּן חִיל אָחַז יֹשְׁבֵי פְּלָשֶׁת׃	XIV. ࠔࠌࠏࠅ ࠏࠌࠉࠌ ࠉࠓࠂࠆࠅࠍ ࠇࠉࠋ ࠀࠇࠆ ࠉࠔࠁࠉ ࠐࠋࠔࠕ׃
XV. אז נבהלו אלופי אדום אילי מואב יאחזמו רעד נמגו כל ישבי כנען׃	XV. אָז נִבְהֲלוּ אַלּוּפֵי אֱדוֹם אֵילֵי מוֹאָב יֹאחֲזֵמוֹ רָעַד נָמֹגוּ כֹּל יֹשְׁבֵי כְנָעַן׃	XV. ࠀࠆ ࠍࠁࠄࠋࠅ ࠀࠋࠅࠐࠉ ࠀࠃࠅࠌ ࠀࠉࠋࠉ ࠌࠅࠀࠁ ࠉࠀࠇࠆࠌࠅ ࠓࠏࠃ ࠍࠌࠂࠅ ࠊࠋ ࠉࠔࠁࠉ ࠊࠍࠏࠍ׃
XVI. תפל עליהם אימתה ופחד בגדל זרועך ידמו כאבן עד יעבר עמך יהוה עד יעבר עם זו קנית׃	XVI. תִּפֹּל עֲלֵיהֶם אֵימָתָה וָפַחַד בִּגְדֹל זְרוֹעֲךָ יִדְּמוּ כָּאָבֶן עַד־ יַעֲבֹר עַמְּךָ יְהוָה עַד־יַעֲבֹר עַם־ זוּ קָנִיתָ׃	XVI. ࠕࠐࠋ ࠏࠋࠉࠄࠌ ࠀࠉࠌࠕࠄ ࠅࠐࠇࠃ ࠁࠂࠃࠋ ࠆࠓࠅࠏࠊ ࠉࠃࠌࠅ ࠊࠀࠁࠍ ࠏࠃ ࠉࠏࠁࠓ ࠏࠌࠊ ࠉࠄࠅࠄ ࠏࠃ ࠉࠏࠁࠓ ࠏࠌ ࠆࠅ ࠒࠍࠉࠕ׃
XVII. תבאמו ותטעמו בהר נחלתך מכון לשבתך פעלת יהוה מקדש אדני כוננו ידיך׃	XVII. תְּבִאֵמוֹ וְתִטָּעֵמוֹ בְּהַר נַחֲלָתְךָ מָכוֹן לְשִׁבְתְּךָ פָּעַלְתָּ יְהוָה מִקְּדָשׁ אֲדֹנָי כּוֹנְנוּ יָדֶיךָ׃	XVII. ࠕࠁࠀࠌࠅ ࠅࠕࠈࠏࠌࠅ ࠁࠄࠓ ࠍࠇࠋࠕࠊ ࠌࠊࠅࠍ ࠋࠔࠁࠕࠊ ࠐࠏࠋࠕ ࠉࠄࠅࠄ ࠌࠒࠃࠔ ࠀࠃࠍࠉ ࠊࠅࠍࠍࠅ ࠉࠃࠉࠊ׃
XVIII. יהוה ימלך לעלם ועד׃	XVIII. יְהוָה יִמְלֹךְ לְעֹלָם וָעֶד׃	XVIII. ࠉࠄࠅࠄ ࠉࠌࠋࠊ ࠋࠏࠋࠌ ࠅࠏࠃ׃
XIX. כי בא סוס פרעה ברכבו ובפרשיו בים וישב יהוה עלהם את מי הים ובני ישראל הלכו ביבשה בתוך הים׃	XIX. כִּי בָא סוּס פַּרְעֹה בְּרִכְבּוֹ וּבְפָרָשָׁיו בַּיָּם וַיָּשֶׁב יְהוָה עֲלֵהֶם אֶת־מֵי הַיָּם וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל הָלְכוּ בַיַּבָּשָׁה בְּתוֹךְ הַיָּם׃	XIX. ࠊࠉ ࠁࠀ ࠎࠅࠎ ࠐࠓࠏࠄ ࠁࠓࠊࠁࠅ ࠅࠁࠐࠓࠔࠉࠅ ࠁࠉࠌ ࠅࠉࠔࠁ ࠉࠄࠅࠄ ࠏࠋࠉࠄࠌ ࠀࠕ ࠌࠉ ࠄࠉࠌ ࠅࠁࠍࠉ ࠉࠔࠓࠀࠋ ࠄࠋࠊࠅ ࠁࠉࠁࠔࠄ ࠁࠕࠅࠊ ࠄࠉࠌ׃

VERSUS I.

1. אָשִׁירָה aſchira *cantabo.*] 1. perſ. ſing. comm. fut. hiph. verbi radicalis & quieſc. Aiin Vav שִׁיר *cantare*, cum ה paragogico, tom. 1. pag. 260. col. 2. Accentus Mahpách miniſter 1. loco ſequentis Paſchtá, tom. 2. pag. 314. Penultimam occupat, quia vox deſinit in ה paragogicum, nec præcedit immediate (׃), *ibid.* pag. 308. col. 1. Poſt אָשִׁירָה ſupplendum eſt nomen שִׁיר *canticum*, *ibid.* pag. 6. artic. V. col. 1. Lxx. vertunt: ᾄσωμεν *cantemus*. Sic etiam in plurali interpretantur Chald. Syrus, Arabs, & S. Hier. qui pro אָשִׁירָה legerunt נָשִׁירָה. Vel hæc retulerunt ad Moyſen & filios Iſraël, qui in hoc Exodi loco Canticum iſtud una ceciniſſe dicuntur. Quod pertinet ad Lxx. hi forte antiquitus interpretati erant ᾄσω μὲν *cantabo*, adeo ut μὲν redundet, quod fit interdum; & ex duplici illa voce, quam librariorum oſcitantia conjunxit, nata eſt unica ᾄσωμεν *cantemus*. Hîc mendoſus eſt textus Samaritanus in Polyglott. Pariſ. & Lond. ubi legitur ࠀࠔࠉࠓࠄ pro ࠀࠔࠉࠓࠄ, nempe cum ࠄ pro ࠄ.

2. לַיהוָה ládhonaí *Domino.*] Vox compoſita ex לְ dandi caſus articulo, tom. 1. pagg. 67. 68. & proprio Dei nomine יְהוָה *Adhonái, Dominus*, non *Jehová*; quia nomen iſtud legitur per vocales alterius Dei nominis אֲדֹנָי *Dominus*, cujus (ֲ), quod ſubjicitur τῷ א, quia gutturale eſt, fit ſimplex (ְ) ſub (י) τοῦ יְהוָה, quod iſtud (י) non ſit gutturalis litera. Cum itaque יְהוָה pronuntietur אֲדֹנָי *Adhonái*, ob rationes ſupra pag. 410. col. 2. 411. col. 1. poſitas, ל, pro nativa ſua motione (ְ), afficitur (ַ) ob ſequens (ֲ), tom. 1. p. 70. col. 1. quaſi ſcriptum eſſet לַאֲדֹנָי, unde, facta contractione, vel, ut aliis placet, ſublato (ֲ), לַאדֹנָי; hinc לַיהוָה, *ibid.* col. 2. Vox illa cum accentu duplici notatur, 1°. accentu euphonico Méthegh in antepenultima ſyllaba, quod ea ſit tertia ante accentum tonicum, neque deſinat in (׃) aut in Dagheſch expreſſum, tom. 2. pag. 318. coll. 1. & 2. 2°. accentu tonico Paſchtá honorario ſequentis Zaqéph qatón in גָּאָה, *ibid.* pag. 313. Ultimæ vocis literæ inſidet, quia *poſtpoſitivus* eſt, *ibid.* pag. 310. col. 2. Hîc ſubdiſtinguit, tom. 1. pag. 19. Rad. τοῦ יְהוָה eſt הָיָה *fuit*; unde יְהוָה ſecundum literas conſonantes eſt ὁ ὢν *exiſtens*, ſive *qui eſt*, ut ſe ipſe vocat Exod. 3. v. 14. Ipſi præponitur (י) nominum propriorum fere ab initio formativum, tom. 1. pag. 386. in cap. xv. & pag. 388. col. 1. in fine. Secundum alios, (י) iſtud in aliis nominibus propriis deſumitur ex hoc ipſo nomine יְהוָה.

3. כִּי־ kí, *quia, enim*, &c.] Particula ſive conjunctio cauſalis & radicalis, tom. 1. pag. 384. col. 2. num. V. Licet jungatur voci ſequenti per Maqqáph, nihilominus tamen cum accentu euphonico Méthegh notatur, tom. 2. pagg. 320. 321. Dagheſch lene imprimitur τῷ כ, quia eſt initio dictionis, & vox præcedens non deſinit in literam quieſcentem cum accentu miniſtro, tom. 1. pag. 27. in fine, p. 28. initio, & pag. 30. in Append. coll. 1. & 2.

4. גָּאֹה ghaó *magnificando.*] Infinitivus qál verbi radicalis & quieſcentis Lámedh Hé, גָּאָה *magnificatus eſt*, tom. 1. pag. 286. col. 1. ג aſpiratur quanvis initio dictionis; quia vox præcedens deſinit in literam quieſcentem, nempe (י), nec accentu regio aut Peſiq inſignitur, *ibid.* pag. 30. in Append. col. 2. & pag. 31. col. 1. Hhólem defectivum eſt ob א & ה viciniam, *ibid.* p. 16. col. 2. Accentus Mounáhh miniſter ſequentis regis Zaqéph qatón, tom. 2. pag. 313. Accentus ille ſubſcribitur τῷ א, quanvis pertineat ad hhólem; nam cum accentus referuntur ad hhólem ſive plenum, ſive deficiens, & ad ו, ſemper ſubſcribuntur literæ vocales iſtas præcedenti; quod hîc ſemel monuiſſe ſufficiat. Vide tom. 1. p. 38. in fine, & 39. initio. Cum infinitivus, ut eo loci, præponitur aut poſtponitur tempori finito, is vulgo per gerundium in *do* transfertur, notatque emphaſin, tom. 1. pag. 536. Can. VI. Hinc *magnificando magnificatus eſt*, idem eſt ac

valde

valde magnificatus est. Unde LXX. ἐνδόξως δεδόξασται, *gloriose glorificatus est.* S. Hieron. *gloriose magnificatus est.* Hic quoque mendosus est Samaritanus, qui pro גאה habet רזגו.

5. גָּאֹה gaá *magnificatus est.*] 3. perf. sing. masc. præter. qál verbi rad. & quiesc. Lám. Hé גָּאָה, tom. 1. pag. 284. col. 1. ג afficitur daghésch leni, etsi vox præcedens desinat in literam quiescentem, nempe ה, nec accentu regio afficiatur, aut post eam sequatur Pesíq; quia vox illa nominatim excipitur, *ibid.* pag. 31. col. 1. Accentus Zaqéph qatón regius, qui ibi incisum, sive punctum cum virgula efficit, tom. 1. pag. 19.

6. סוּס soús *equum.*] Nomen radicale, tom. 1. pag. 49. col. 1. Accentus Mérechá minister regis sequentis Tiphhhá, tom. 2. pag. 314.

7. וְרֹכְבוֹ veróchebhó *& ascensorem ejus.*] Vox composita ex conjunctione ו cum nativa sua motione (:), tom. 1. pag. 384. in Append. col. 1. & ex participio bénoní qál verbi perfecti & radic. רָכַב *insedit equo*, &c. Unde bénoní רֹכֵב *insidens, ascensor*, &c. participia enim cum activa, tum passiva, sæpe in nomina degenerant, *ibid.* pag. 146. col. 2. & 554. Can. 1. Cum affixis remanet hhólem penultimæ; at (..) ultimæ mutatur in (:) ut in nominibus; unde cum affixo tertiæ perf. sing. masc. ו, *ibid.* p. 80. col. 1. fit וְרֹכְבוֹ *& ascensorem ejus*, *ibid.* p. 93. §. V. pag. 113. §. VIII. 324. §. II. & 347. col. 1. Hhólem deficiens ob ר, cui proximum est, *ibid.* p. 16. col. 1. Ex duobus accentibus, prior euphonicus est, nempe Méthegh, quo afficitur magna motio, quæ tonico destituitur, & quam sequitur (:), tom. 2. pag. 319. col. 1. num. II. Posterior tonicus est, nimirum Tiphhhá honorarius Siloúq regis in ultima versus dictione sequentis, *ibid.* p. 313. Nomen istud & præcedens סוס *equus*, in singulari numero loco pluralis, ad collectam multitudinem exprimendam, collocantur, tom. 1. pag. 476. §. VII. Can. I.

8. רָמָה ramá *projecit.*] 3. perf. sing. masc. præt. qál verbi radic. & quiesc. Lám. Hé, רָמָה, tom. 1. pag. 284. col. 1. Accentus Mérechá minister Siloúq sequentis, tom. 2. pag. 313.

9. בַיָּם: bhaiiám *in mare.*] Vox composita ex præpositione בְּ *in*, & יָם *mare.* Motio genuina שְׁוָא ב est (:), tom. 1. pag. 379. in Append. col. 2. at eo loci exclusit ה articulum, assumta ejus motione; hinc בַּיָּם est pro בְּהַיָּם, *ibid.* pag. 380. col. 1. ב istud aspiratur, quia vox præcedens desinit in literam quiescentem, nec afficitur accentu regio aut Pesíq, tom. 1. p. 30. in Append. coll. 1. 2. Daghésch in (י) venit ex isto ה articulo, quod sequenti literæ, modo non sit gutturalis aut ר, daghésch forte imprimit, *ibid.* pag. 69. in Append. col. 1. Accentus Siloúq regius, qui versum, sæpe etiam & sensum claudit, tom. 1. pag. 19. in fine, tom. 2. pag. 323. col. 1. initio, & pag. 325. §. I. col. 1. Rad. inusit. יםם, unde יָם, cum (..) loco (-) quasi à יום, *ibid.* pag. 90. col. 2.

VERSUS II.

1. עָזִּי ozzi *fortitudo mea.*] Ex עֹז *fortitudo*, & (י) affixo 1. perf. sing. comm. quod affixum in causa est cur hhólem substantivi עֹז mutetur in (- hhatoúph), tom. 1. p. 96. §. VII. p. 106. paulo post initium, & p. 117. §. XXI. Daghésch imprimitur זין ז ad compensandam secundam radicalem ejectam, *ibid.* p. 96. §. VII. & p. 117. §. XXI. עֹז enim venit ab עָזַז *fortis fuit;* unde ex qál עֹז ut עֹל, tom. 1. pag. 393. col. 2. in fine. Accentus Mahpách minister primo loco sequentis Paschtá, tom. 2. p. 314. paulo post med.

2. וְזִמְרָת vezimráth *& laus.*] Ex copula וְ *&*, ac substantivo sing. femin. זִמְרָת *laus*, quod anomalum est, pro זִמְרָה; mutato videlicet ה in ת. Aut potius librariorum incuria, cui ansam dedit (י) sequens, excidit (י) affixum primæ pers. sing. sic: וְזִמְרָתִי *& laus mea*, quod affixum exprimunt Paraphrastes Chaldæus & S. Hieron. quorum ille transtulit וְתוּשְׁבַּחְתִּי, hic *& laus mea.* Confer quæ diximus in tom. 1. p. 125. col. 1.

Samaritanus tamen affixum non habet. Lxx. Syrus, & Arabs, sine affixo etiam interpretati sunt. Accentus Paschta honorarius sequentis Zaqéph qatón, tom. 2. pp. 313. 314. Ultimæ literæ insidet, quia *postpositivus* est, *ibid.* pag. 310. col. 2. Radix זָמַר *præcidit, amputavit*, & in piél זִמֵּר *psallere, canticis laudare*, &c. Unde ex qál זִמְרָה formæ אַבְחָה, tom. 1. pag. 388. c. 2.

3. יָהּ Iah *Dominus.*] Unum ex Divinis nominibus factum ex יְהוָה per contractionem, tom. 1. pag. 431. col. 1. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc distinguit, *ibid.* p. 19.

4. וַיְהִי־ vaiehi- *& factus est.*] 3. perf. sing. masc. fut. qál verbi radic. & quiesc. Lám. Hé, הָיָה *fuit, factus est.* Fit per apocopen tertiæ radic. ה cum motione præcedente (ֶ), & reliquorum punctorum metathesin, pro וַיִּהְיֶה, tom. 1. pag. 288. col. 1. Futurum illud mutatum est in præteritum vi conjunctionis ו cum (ַ) ipsi præpositæ, *ibid.* p. 611. Can. I. col. 1. Post ו istud (ַ) affectum sequitur daghésch forte in characteristica futuri ad complendam syllabam; at ejicitur ex (י) τῶ וַיְהִי־ ob (ְ) ipsi suppositum, *ibid.* & p. 29. col. 1. in fine. Deest accentus tonicus ob Maqqáph, tom. 2. p. 320. artic. III. Adest tantum euphonicus Méthegh tum ad compensandum daghésch ejectum, tum ob (ְ), quod literæ daghésch non notatæ post (ַ) supponitur, *ibid.* p. 319. col. 2. num. V.

5. לִי li *mihi.*] Dativus sing. pronominis 1. personæ comm. factus ex ל dativi artic. & (ִי) affixo primæ personæ sing. comm. tom. 1. pag. 80. col. 1. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Athnáhh, tom. 2. pag. 313. Hîc non distinguit.

6. לִישׁוּעָה lischouá *in salutem*, sive *salus*; verbum enim הָיָה *fuit*, loco posterioris nominativi eleganter regit nomen cum præpositione ל, tom. 1. pag. 539. col. 1. & 2. initio.] Vox illa composita est ex præpositione ל *in*, & nomine subst. sing. femin. יְשׁוּעָה *salus.* Motio genuina τῶ ל est (ְ), quod altero concurrente mutatur in hhiriq qatón, tom. 1. pag. 70. col. 1. unde vox illa sic punctari deberet: לִיְשׁוּעָה. At cum vox, cui præponitur istud ל, incipit ab (י) affecto (ְ), tollitur illud (ְ), & ex hhiriq qatón τῶ ל & (י) sequenti fit hhiriq gadhól, sic לִישׁוּעָה, *ibidem.* Prior accentus euphonicus est Méthegh, ibique ponitur, quia tertia illa syllaba ante accentum tonicum non desinit neque in (ְ), neque in daghésch expressum, tom. 2. pag. 318. Art. II. num. I. Posterior accentus, qui & tonicus, est Athnáhh, qui ibi κῶλον efficit, ac duobus punctis respondet, tom. 1. pag. 19. Radix ישע, in hiph. הוֹשִׁיעַ *salvavit*; unde ex qál יְשׁוּעָה *salus*, tom. 1. pag. 389. col. 1.

7. זֶה Zé *iste.*] Pronomen demonstrativum sing. masc. tom. 1. pag. 73. §. II. col. 1. Cum pronomina illa nominibus præponuntur, verbum substantivum *Sum* includunt, *ibid.* pag. 501. col. 2. initio. Unde hîc vertendum: *iste est*, &c. Accentus Mahpách minister sequentis Paschtá, vide sup. vocem 1.

8. אֵלִי eli *Deus meus.*] Ex אֵל *Deus*, quod unum est ex Divinis nominibus, ac proprie *Deum fortem* significat, & ex affix. 1. perf. sing. comm. (ִי). Vide supra vocem 1. Remanet (ֵ) cum affixo, ad compensandum (י) deperditum; istud enim nomen venit à radice inusitata איל, tom. 1. p. 94. col. 1. in fine. Accentus Paschtá honorarius sequentis Zaqéph qatón, ibique incisum facit, tom. 1. pag. 19. & 313.

9. וְאַנְוֵהוּ veanvéhou *& vel ideo tabernaculum faciam ei; ad verbum, & habitare faciam eum.*] Prima perf. sing. comm. fut. hiph. verbi radic. & defectivi Pé נ ac quiescentis Lám. Hé נָוָה *habitavit*, in hiph. *habitare fecit*; unde in fut. ejusd. conjugat. cum copula וְ præfixa, הוּ tertiæ perf. sing. masc. affixo, & in forma perfect. וְאַנְוֵהוּ *& habitare faciam eum*, tom. 1. pag. 368. col. 2. In his verbis quiesc. Lám. Hé perit ה cum motione præced. in affixorum conjunctione, *ibid.* pag. 336. circa finem. Accentus Zaqéph qatón, qui ibi pausam facit, *ibid.* pag. 19. Penultimam afficit ob affix. הוּ, tom. 2. pag. 307. col. 2. num. III. Vocem hanc Lxx. interpretantur καὶ δοξάσω αὐτὸν,

S. Hieron. *& glorificabo eum ;* Syrus , *& laudabo eum ,* ex lingua Arabica , in qua verbum istud *laudare* etiam significat; quam potestatem in Hebraïca , ut verosimile est , quondam etiam obtinuit. Huc accedit R. Salomon , qui interpretatur : *enarrabo pulchritudinem & laudem ejus.* Chald. primam interpretationem sequitur : *& ædificabo ei sanctuarium.* Interpretationem ו per *ideo , itaque ,* &c. Vide in tom. 1. pag. 613. c. 1. num. IX.

10. אֱלֹהֵי elohé *Deus.*] Plurale construct. ab absoluto אֱלֹהִים , cujus ם cum puncto hhiriq abjicitur in regimine plurali , & in locum ejus substituitur (ֵ) , tom. 1. pag. 85. num. III. Ad verbum : *Dii ;* sed nomina dominii & excellentiæ sunt vulgo pluralia, quod pertinet ad eorum formam ; singularia vero , quod spectat ad sensum , *ibid.* pag. 477. Can. III. Hhólem deficiens est ob ה quod proxime sequitur , *ibid.* pag. 16. col. 2. initio. Accentus Mérechá minister ת֖ Tiphhhá sequentis , tom. 2. pag. 314. Rad. אֱלֹהַּ *Deus.* Unum est ex Divinis nominibus , quod , secundum Judæos , proprie *Deum judicem* significat. Sunt qui אֱלֹהַּ deducant ex אלה Arabibus *coluit , adoravit.*

11. אָבִי avi *patris mei.*] Ex אָב *pater* , nom. subst. sing. masc. & (ִי) affixo 1. pers. sing. comm. Nomen istud אָב in singulari numero adsciscit (י) cum affixis , tom. 1. pag. 91. col. 1. in fine , col. 2. initio , & pag. 118. col. 1. Tamen cum (י) affixo 1. pers. istud (י) aut non adsciscitur , aut simul affixi munere fungitur , ut (י) in aliis nominibus pluralibus , *ibid.* p. 85. circa finem. Accentus Tiphhhá honorarius Siloúq sequentis , tom. 2. pag. 313. Rad. אָבָה *voluit* , unde ex qál , tom. 1. pag. 398. col. 1. form. 7. אָב *pater* , sic dictus ob animi sui erga filios propensionem.

12. וַאֲרֹמְמֶנְהוּ ׃ váarómeménhou *& vel ideo exaltabo eum* , i. excelsum prædicabo ; verba enim , quæ *agere* significant , non tam actum , quam notificationem ejus interdum denotant , tom. 1. pag. 525. Can. XV.] Prima persona sing. comm. fut. poél verbi radic. & quiesc. Aiin Vav רוּם *altum esse* , in poél *extollere* , cum ו copula , aut particula illativa, ut supra num. 9. נ epenthetico , & affixo tertiæ pers. sing. masc. הוּ , tom. 1. pag. 337. num. III. & 367. col. 2. post medium. Vox simplex est אֲרֹמֵם formæ אֲקוֹמֵם , *ibid.* pag. 255. col. 2. Præposito ו cum (ַ) loco (ְ) ob (ֲ) sequens sub א , *ibid.* pag. 384. in Append. col. 1. num. I. וַאֲרֹמֵם . Mutato (ֵ) in (ְ) ob affixum , *ibid.* pag. 334. & 335. in fine , & inserto נ cum (ְ) motione nativa hujuscemodi נ epenthetici , quod נ requirit (ֶ) cum accentu tonico ante se , h. e. sub ultima litera rad. וַאֲרֹמְמֶנְהוּ , *ibid.* pag. 337. num. III. Hhólem deficiens est ob ר ipsi proximum , *ibidem* , pag. 16. col. 1. num. 4. Tres sunt in hac voce accentus , quorum duo primi euphonici sunt , tertius tonicus. Primus accentus euphonicus ponitur post (ַ) ת֖ ו ob (ֲ) sequens , tom. 2. pag. 319. col. 1. num. IV. Secundus subjicitur ת֖ ר ob magnam motionem hhólem accentu tonico destitutam ante (ְ) , *ibid.* num. II. Tertius denique accentus , isque tonicus , est Siloúq versum claudens. Vide v. 1. num. 9.

VERSUS III.

1. יְהוָה Adhonái *Dominus.*] Vide vers. 1. num. 2. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia voce regis Athnáhh. Hic non distinguit. Genuina & antiqua sacri hujus nominis pronuntiatio videtur fuisse IAO. Vide supra pag. 411. coll. 1. 2.

2. אִישׁ ísch *vir.*] Nomen substantivum sing. masculinum & radicale sive primitivum , tom. 1. p. 49. col. 1. Accentus Mounáhh minister sequentis Athnáhh, t. 2. p. 313.

3. מִלְחָמָה milhhamá *belli.*] Nomen substantivum sing. femin. & heemanticum , nempe auctum מ ab initio & ה in fine , tom. 1. pag. 392. col. 2. form. 3. Accentus Athnáhh , qui hîc κῶλον facit , seu duobus punctis respondet. Rad. לָחַם *pugnare* , unde ex hiphil , vel , secundum alios , ex qál , מִלְחָמָה *bellum* , tom. 1. pag. 391. S. III.

col. 2. Porro *vir belli*, idiotismus est pro, *vir bellicosus*, *ibid.* pag. 462. col. 1. num. II. & pag. 487. col. 1. Samaritanus habet, ⁂ *potens in bello*, quod fortasse *viri* epitheton Deo minus convenire visum fuerit ei, qui Pentateuchum illum interpolavit. Lxx. συντρίβων πολέμους *conterens bella*; forte pro אִישׁ *vir* legerunt אֵשׁ *ignis*, ita ut (י) τῶ אִישׁ spectaverint ut nudam vocalem. Porro *ignis bellorum*, idem fere est quod *conterens* sive *consumens bella*. Deut. 4. v. 24. c. 9. v. 3. &c. Deus dicitur *ignis consumens*. S. Hieronymus, *quasi vir pugnator*. Supplevit particulam similitudinis, quæ sæpe in Scriptura desideratur, tom. 1. pag. 579. can. V. & p. 595. col. 1. num. V. circa initium. Chald. *victor certaminum*. Sic autem dicitur Deus, quod sit præliorum arbiter, & quem vult victorem efficiat. Vide tom. 2. pag. 87. col. 2.

4. יְהוָה Adhonai *Dominus*.] Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Siloúq. Vide supra v. I. num. 7. v. II. num. 11. & p. 313.

5. שְׁמוֹ ׃ schemó *nomen ejus*.] Ex שֵׁם nomine substantivo sing. masc. ac radicali, & ex ו affixo tertiæ pers. sing. masc. quod affixum mutavit (ֵ) in (ְ), tom. 1. p. 94. col. 2. 117. c. 2. in fine. Accentus Siloúq.

VERSUS IV.

1. מַרְכְּבֹת markebhóth *currus*.] Substantivum plur. femin. construct. à sing. inusit. מַרְכֶּבֶת, aut ab usitato מֶרְכָּבָה, plur. absol. מַרְכָּבוֹת, const. מַרְכְּבֹת, converso (ָ) penult. in (ְ), tom. 1. pag. 88. col. 2. num. IV. & pag. 111. §. III. & mutato (ֶ) τῶ מ in (ַ), quod fit sæpissime ob euphoniam, *ibid.* p. 57. initio, מַרְכְּבֹת. Hhólem deficiens est ob statum constructum, p. 16. col. 1. num. 2. Accentus Mérechá minister sequentis regis Tevir, tom. 2. pag. 314.

2. פַּרְעֹה *Paro*, Lxx. Φαραὼ, Vulg. *Pharaonis*.] Nomen Ægypti regibus commune, tom. 1. pag. 449. Can. VII. col. 1. initio. Nomen istud, secundum Joseph. lib. 8. antiq. c. 2. pag. 269. edit. Gen. 1611. Ægyptiis βασιλέα σημαίνει *regem significat*. Arabibus etiam فرع, unde פַּרְעֹה, *superiorem esse*, *summum tenere* significat. Accentus Tevir, qui hîc subdistinguit.

3. וְחֵילוֹ vehheló *& exercitum ejus*.] Ex conjunctione ו cum nativa sua motione (ְ), חַיִל nomine subst. sing. masc. & radicali, *exercitus*, & (ו) affixo 3. pers. sing. masc. quo accedente, hhiriq qatón τῶ (י), & (ַ) τῶ ח contracta sunt in (ֵ) sub eodem ח, tom. 1. pag. 101. §. X. & pag. 116. §. XVI. Pro וְחֵילוֹ in sing. Samaritanus habet in plur. ⁂ *& exercitus ejus*. Accentus Tiphhhá honorarius τῶ Athnáhh in tertia post voce sequentis, tom. 2. pag. 313.

4. יָרָה iará *dejecit*, *projecit*.] 3. pers. sing. masc. præt. qál verbi radicalis & quiescentis Pé (י) & Lám. hé יָרָה, tom. 1. pag. 284. col. 1. Accentus Mounáhh minister sequentis regis Athnahh, tom. 2. p. 313.

5. בַיָּם bhaiiám *in mare*.] Vide vers. 1. num. 9. Accentus Athnáhh, qui duobus punctis respondet.

6. וּמִבְחַר oumibhhhár *& electio*.] Vox composita ex conjunctione וּ, quæ fit ו ob labialem sequentem, tom. 1. pag. 385. col. 1. num. III. & ex nomine substantivo singulari masc. & heemantico מִבְחָר, unde in constructione sive regimine singulari מִבְחַר, *ibid.* p. 89. §. III. Accentus Mérechá minister sequentis regis Tiphhhá, tom. 2. p. 314. Rad. בָּחַר *elegit*, unde ex hiphil, vel, secundum alios, ex qál מִבְחָר *electio*, *electum*, tom. 1. pag. 392. col. 1. form. 7.

7. שָׁלִשָׁיו schálischáv *principum ejus*.] Plurale masc. cum יו affixo tertiæ pers. plur. masc. à sing. שָׁלִישׁ *princeps*, *dux*, *tribunus*, &c. Plur. absol. שָׁלִישִׁים, construct. שָׁלִישֵׁי, cum affixis שָׁלִישָׁיו, &c. servato ubique (ָ) penultimæ, ut nomen istud distinguatur à שְׁלִישִׁים *tertii*, *tertiani*, tom. 1. pag. 88. col. 1. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce Siloúq. Samaritanus non habet (י) notam pluralis numeri, sic enim in eo legitur: ⁂. Istud (י) index plural. numeri sæpe excidit, tom. 1. pag. 128. num. IV. col. 1. Rad. שָׁלַשׁ

tres. Lxx. שָׁלִשָׁיו interpretantur *τριστάτας* *tristatas.* Vide in tom. 1. Hexapl. nostri D. Bernardi *de Montfaucon*, pag. 72. Origenis notam, in qua illi *tristata* erant vel qui cum tribus pugnare possent; vel in acie post antesignanum, & secundum ab eo in tertio ordine stabant; vel qui currus bellicos habebant ita magnos, ut tres capere possent, aurigam videlicet, & duos pugnatores; vel qui trigis vehebantur; vel denique qui tertii erant à rege, qualis fuit David apud Saülem. In hac voce juncta cum præcedenti est hypallage, nimirum *electio principum*, pro, *principes electionis*, quod ultimum substantivum ponitur pro adjectivo *electi*; unde S. Hieron. neglecta figura, interpretatur: *electi principes ejus.* Vide pro hypallage, tom. 1. p. 497. §. XIII. in Monocan. & pag. 551. Can. IV. pro substantivo autem posito loco adjectivi, *ibid.* pag. 462. col. 1. num. II.

8. טֻבְּעוּ tubbeóu *submersi sunt.*] 3. pers. plur. comm. præt. puál verbi perfecti & radic. טָבַע *submersus est*, ut סֻפַּר, tom. 1. pag. 180. col. 1. Accentus Mérechá minister sequentis regis Siloúq. Quanvis tertia illa pers. pluralis, ad sensum quod attinet, pertineat ad singulare nomen *electio*, in constructione tamen refertur ad nomen posterius plurale שָׁלִשָׁיו, tom. 1. pag. 551. Can. IV.

9. בְיַם־ bheiam- *in mari.*] Ex בְ *in* fine dagh. ob vocem præcedentem desinentem in literam quiescentem, & accentu regio aut Pesiq destitutam, vide v. 1. num. 9. & ex יָם unde in const. יַם, tom. 1. pag. 90. col. 2. Deest accentus tonicus ob Maqqáph, tom. 2. pag. 320. art. III. imo & euphonicus, quem tamen non excludit Maqqáph.

10. סוּף׃ Soúph.] Aliis est nomen proprium, aliis appellativum, sive commune, significans *algam, juncum*; unde mare istud, qui est sinus Arabicus, nomen suum traxit: nempe quod plurima alga sit vel in ejus litore, vel etiam in ejus profundo, quod erat *campus germinans*, Sapient. 19. v. 7. quando divisis aquis per illud transierunt Israëlitæ. Lxx. interpretantur ἐν ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, S. Hieron. *in mari rubro*, quod sic dictum volunt ab אֱדוֹם *Edom* sive Esavo, cujus regio ad litora usque maris hujus pertinebat. אָדֹם autem *rubrum* significat. Accentus Siloúq.

VERSUS V.

1. תְּהֹמֹת tehómóth *abyssi.*] Nomen substantivum plur. absolutum à singul. תְּהוֹם comm. *abyssus*, quod nomen in plur. formam pluralium femininorum habet, tom. 1. pag. 55. num. VI. col. 4. Hhólem utrumque deficiens est, prius ob ה ipsi contiguum, *ibid.* p. 16. col. 1. & 2. initio; posterius sine causa aut regula. In Samaritano Hhólem utrumque plenum est, [Samaritan]. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Athnáhh. Hic non distinguit.

2. יְכַסְיֻמוּ iechasciúmou *operient eos.*] Tertia persona plur. masc. fut. piél verbi radic. & quiescentis Lam. Hé כִּסָּה *operuit*, cum affixo poëtico מו aut potius מוּ pro ם, tom. 1. pag. 297. col. 1. & 2. 337. initio, & 370. col. 2. Daghésch excluditur ex ס ob (:) ei suppositum, *ibid.* pag. 29. col. 1. in fine. Tertia radicalis ה, quæ excludenda erat ob crementum vocale, *ibid.* pag. 281. paulo ante medium, mutata est in (י), ut sæpe fit in pers. horum verb. desinentibus in ה, *ibid.* pag. 285. col. 1. 287. col. 2. 290. col. 2. 291. col. 2. 297. col. 1. &c. Istud (י) afficitur (ֽ) euphonico loco ה, p. 297. initio. Denique מו, quod mendosum videtur pro מוּ, jungitur ad purum; quia vox, cui affigitur, desinit in vocalem, *ibid.* pag. 323. coll. 1. 2. Tertia illa persona secundum analogiam esset יְכַסּוּם. Samaritanus non habet (י), in quod mutatum est ה; sic enim in eo legitur: [Samaritan] iechassúmo. Accentus Athnáhh duobus punctis respondens. Penultimam afficit ob affixum מו aut potius מוּ, tom. 2. pag. 307. col. 2. num. III. Futurum istud, uti & sequentia, per præteritum verti debet; est enim enallage futuri pro præterito, tom. 1. p. 546. can. IV.

col. 1. Hinc recte S. Hieron. *operuerunt eos.*

3. יָרְדוּ iaredhóu *descenderunt.*] 3. pers. plur. comm. præt. qál verbi radic. & quiescentis Pé Iódh, sed in hoc tempore perfecti, יָרַד *descendit*, unde יָרְדוּ ut מָסְרוּ, tom. 1. pag. 163. col. 1. Ex duobus accentibus, prior euphonicus est Méthegh ibique positus ob magnam motionem (ּ) accentu tonico destitutam, quam sequitur (ּ), tom. 2. pag. 319. col. 1. num. II. Posterior, qui Mérechá, tonicus est, & minister sequentis regis Tiphhhá, *ibid.* p. 314.

4. בִּמְצוֹלֹת bhimtsóloth *in profunda.*] Vox composita 1°. ex præpositione בְּ *in*, cujus motio vulgaris (ְ) mutatur in (ִ) ob aliud (ְ) sequens, tom. 1. pag. 379. in Append. col. 2. ב istud aspiratur ob vocem præcedentem desinentem in literam quiescentem, sine accentu regio aut Pesiq, vide v. 1. num. 9. 2°. ex nomine substantivo heemantico plural. femin. absoluto מְצוֹלֹת, à singulari inusitato מְצוֹלָה formæ מְאוֹרָה, *ibid.* pag. 396. col. 2. Vel plurale istud ponitur pro singulari per enallagen numeri; unde Lxx. verterunt εἰς βυθὸν, S. Hieron. *in profundum.* Vel eo numero plurali denotatur emphasis, q. d. *in profundissima*, vide *ibid.* pag. 476. can. II. Ex duplici hhólem prius plenum est, posterius deficiens. E contrario, in Samaritano prius deficiens est, posterius plenum במצלות. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Siloúq. Radix צול inusitata, unde ex hiph. מְצוֹלָה formæ, ut diximus, מְאוֹרָה, tom. 1. p. 396. col. 2. circa medium.

5. כְּמוֹ־ kemo- *sicut.*] Particula similitudinis כְּ cum particula expletiva מוֹ, tom. 1. pag. 376. col. 2. Quanvis sequatur Maqqáph, nihilominus hhólem non mutatur in (ָ hhatoúph) ob literam quiescentem ו, quæ sequitur, tom. 2. pag. 321. col. 1. circa finem.

6. אָבֶן׃ ábhen *lapis.*] Substantivum sing. comm. sed sæpius fem. tom. 1. pag. 51. num. IV. col. 1. Constat sex punctis, h. e. dupli-ci (ֶ), אֶבֶן. Hîc prius (ֶ) mutatur in (ָ) ob accentum majorem pausantem Siloúq, tom. 2. pag. 311. col. 1. Is accentus penultimam afficit, quia nomen istud definit in (ֶ) cum litera sonante in fine, *ibid.* p. 306. col. 2. Radix אבן inusit. unde ex qál אָבַן formæ אָרַץ, tom. 1. p. 383. col. 2. forma 18.

VERSUS VI.

1. יְמִינְךָ ieminechá *dextera tua.*] Ex יָמִין subst. sing. fem. *dextera*, & ךָ affixo 2. pers. sing. masc. quod junctum cum nomine sing. extra pausam habet prævium (ְ), quo movetur ultima litera nominis cui affigitur, tom. 1. p. 83. in schemate. Accedente hoc affixo, (ָ) penultimæ יָמִין mutatum est in (ְ), *ibid.* pag. 87. §. II. Prior accentus euphonicus est Méthegh, ob magnam motionem accentu tonico destitutam, & (ְ) sequens, tom. 2. p. 319. col. 1. num. II. Posterior tonicus est, nempe Mounáhh, minister sequentis regis Zaqéph qatón, *ibid.* p. 313. Hîc *dextera* ponitur pro potentia, tom. 2. pag. 70. c. 1.

2. יְהוָה Adhonái *Domine.*] Accentus Zaqéph qatón, qui hîc subdistinguit.

3. נֶאְדָּרִי nedari *magnificata est.*] Adjectivum participiale, singulare, femin. cum apocopa τῆ ת Chaldæis familiari, vide infra Gramm. Chald. Art. II. §. I. pro נֶאְדֶּרֶת, tom. 1. p. 171. col. 1. in medio. Sic nomen istud per femin. interpretantur Lxx. δεδόξασται (δεξιά σε), S. Hieron. *glorificata est* (*dextera tua*). In Samaritano א & ד, mendo, ut videtur, typographico trajiciuntur, sic : נדארי pro נאדרי. Aliis נֶאְדָּרִי est bénoni singul. masc. niphál ejusdem verbi cum (י) paragogico, aut potius antiqua vocali *e*, quæ subintelligitur sub ר, utpote litera sonante, eaque in fine, tom. 1. p. 171. col. 1. in medio; unde vertunt : *dextera tua, Domine, magnificus* (es) *in virtute*, &c. In hac voce נ afficitur (ֶ) ob sequens (ֱ), *ibid.* pag. 34. col. 1. in medio. Istud (ֱ) reductum est ad simplex (ְ) euphonicum, remanente (ֶ) sub litera נ, *ibid.* col. 2. circa finem, & pag. 35. col. 1. initio. Itaque נֶאְדָּרִי est pro נֶאֱדָּרִי. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Athnáhh.

4. בַּכֹּחַ baccóahh *in virtute.*] Ex præpositione בְּ *in*, & nomine substantivo singul. masc. & radic. כֹּחַ *virtus.* Præpositio בְּ exclusit ה articulum, assumta ejus motione, ita ut בַּכֹּחַ sit pro בְּהַכֹּחַ, tom. 1. pag. 380. col. 1. paulo post medium. Hhólem deficiens est ob ח ipsi contiguum, *ibid.* p. 16. col. 1. num. 4. Accentus Athnáhh, qui ibi duobus punctis respondet.

5. יְמִינְךָ ieminechá *dextera tua.*] Vide num. 1. Accentus Mérechá minister seq. regis Tiphhhá.

6. יְהוָה Adhonái *Domine.*] Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in fine versus Siloúq.

7. תִּרְעַץ tiráts *confringet*, h. e. *confregit*, vide v. V. num. 2.] Tertia persona singul. femin. fut. qál verbi perfecti & radic. רָעַץ *confregit*, ex forma (-), ut תִּמְסֹר, tom. 1. pag. 167. col. 1. in fine. Accentus Mérechá minister sequentis regis Siloúq.

8. אוֹיֵב׃ oiébh *inimicum.*] Substantivum singulare mascul. deductum ex qál verbi rad. & perfecti, aut saltem more perfectorum flexi, אָיַב *inimicus fuit*, tom. 1. p. 387. col. 2. form. 14. Potest etiam esse bénoni qál ejusdem verbi; participia enim sæpe nominum officio funguntur, vide vers. 1. num. 7. Singularis numerus hîc etiam explicari potest per pluralem, vide *ibid.* Hinc LXX. ἐχθροὺς *inimicos* interpretantur. Accentus Siloúq.

VERSUS VII.

1. וּבְרֹב oubheróbh *& in multitudine.*] Ex ו copulativo facto וּ ob (:) & labialem sequentem, vide v. IV. num. 6. & nomine subst. singul. masc. constructo רֹב *multitudo.* Hhólem deficiens ob ר contiguum, pag. 16. col. 1. num. 4. Non mutatur in regimine, *ibid.* p. 96. §. VII. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá. Rad. רָבַב *multum esse*; unde ex qál רֹב formæ עֹל, tom. 1. pag. 393. col. 2. in fine.

2. גְּאוֹנְךָ geónechá *magnificentiæ*, vel *celsitudinis*, aut *excellentiæ tuæ.*] Vox composita ex nom. subst. sing. masc. heemantico גָּאוֹן *celsitudo*, & ex affixo secundæ pers. sing. masc. ךָ, quod mutavit (-) penult. in (:), tom. 1. pag. 87. §. II. Hhólem ultimæ remanet, quia nomen istud non venit ex verbo secundam radicalem geminante, *ibid.* pag. 96. §. VII. Prior accentus, qui euphonicus est, hîc locum habet ob magnam motionem accentu tonico destitutam, & (·) sequens, tom. 2. pag. 319. col. 1. num. II. Posterior accentus, isque tonicus, est Tiphhhá honorarius Athnáhh in tertia post voce sequentis, *ibid.* p. 313. Pro singul. גְּאוֹנְךָ Samaritanus habet in plurali, & cum hhólem deficiente, [Samaritan] *celsitudinum tuarum.* Vel ות istud ibi abundat, estque tantum vocalis *e* ante affixum, quæ vocalis nunc exprimitur per (·), vide tom. 1. pag. 128. num. IV. col. 2. initio. Rad. גָּאָה *altum*, *excelsum esse*, &c. unde ex qál, גָּאוֹן, tom. 1. pag. 399. col. 1.

3. תַּהֲרֹס taharós, *dirues*, h. e. *diruisti*, vide v. V. num. 2. Unde LXX. συνέτριψας *contrivisti*, S. Hieron. *deposuisti.*] Est 2. pers. singul. masc. fut. qál verbi perfect. & rad. הָרַס *diruit.* Sine dilatatione שְׁוָא (:) sub prima rad. esset תַּהְרֹס ut תִּמְסֹר, tom. 1. pag. 167. col. 2. Verum cum ibi dilatandum sit (:), utpote quod non sit sub tertia rad. gutturali in secunda & prima pers. præterit. neque alibi post accentum tonicum, *ibid.* pag. 34. col. 1. in fin. & 2. init. illud, secundum analogiam, dilatari deberet in (-:), quia præcedit (·), & facta dilatatione (·) poni loco hujus (·), sic תֶּהֱרֹס, *ibid.* col. 1. At cum literæ gutturales ament plurimum vocalem *a*, qua facilius proferantur; pro (-:) hîc dilatatio fit per (-:), unde ת afficitur (-), *ibid.* pag. 156. §. I. Hhólem deficiens, tum ob viciniam שְׁוָא ר, *ibid.* pag. 16. num. 4. tum quia infinit. imperat. & futur. qál sæpius desinunt in hhólem deficiens, *ibid.* pag. 16. col. 1. num. 2. & pag. 137. in QAL. Accentus euphonicus Méthegh ob (-) & (-:) sequens, tom. 2. pag. 319. col. 1. num. IV. Accentus tonicus Mounáhh minister sequentis regis Athnáhh.

4. קָמֶיךָ qamécha *consurgentes in te.*] Bé-

noni plur. masc. qál verbi radic. & quiesc. Aiin Vav קום *surgere, insurgere, consurgere*, &c. cum affixo 2. perf. mascul. ךָ. Bénoni istud sing. est קָם cujus (ָ) manet immutatum ad secundam radicalem (ו) ejectam compensandam, tom. 1. p. 90. col. 2. paulo ante medium. Ibi est contractio קָמֶיךָ *consurgentes tuos*, pro קָמִים עָלֶיךָ *consurgentes in te*, ibid. pag. 350. col. 2. in medio, & pag. 372. col. 1. in Mantissa II. Accentus tonicus Athnáhh, qui duobus punctis æquivalet. Penultimam occupat ob affixum ךָ, quod non habet (ְ) ante se, tom. 2. p. 307. col. 1.

5. תְּשַׁלַּח teschalláhh *mittes*, id est, *misisti*; hinc LXX. ἀπέστειλας, S. Hieron. *misisti*. Vide v. V. num. 2.] Secunda perf. sing. masc. fut. piél verbi perfecti & rad. שָׁלַח *misit, immisit*, &c. tom. 1. pag. 178. col. 1. in medio. Futurum istud desinit in (ַ) loco (ֵ) ob ultimam radicalem gutturalem, *ibid.* pag. 138. in Append. piél col. 2. & pag. 174. col. 1. initio. Accentus Paschtá honorarius sequentis Zaqéph qatón, tom. 2. pag. 313. Ultimæ literæ insidet, quia postpositivus est, *ibid.* pag. 310. col. 2. num. 2.

6. חֲרֹנְךָ hharónechá *iram tuam.*] Ex nomine substant. sing. masc. heemantico חָרוֹן *ardens ira, æstus iræ*, & affix. 2. perf. sing. masc. ךָ, quod mutavit (ָ) nominis חָרוֹן in (ֲ) loco (ְ) simplicis, ob gutturalem ח cui subjicitur, tom. 1. p. 87. §. II. Hhólem ultimæ remanet, quod nomen istud non sit deductum ex verbo defect. Aiin, *ibid.* pag. 96. §. VII. Ex duobus accentibus prior, qui est Mounáhh, hîc munere fungitur & ministri tonici Zaqéph qatón, tom. 2. pag. 313. & accentus euphonici Méthegh, *ibid.* pag. 319. col. 2. paulo ante finem. Ibi autem requiritur Méthegh ob magnam motionem accentu tonico destitutam, & (ְ) sequens, *ibid.* col. 1. num. II. Accentus tonicus Zaqéph qatón, qui ibi aut non distinguit, aut levissimam distinctionem efficit. Rad. חָרָה *exarsit ira*, unde ex qál חָרוֹן *ardens ira*, tom. 1. pag. 399. col. 1. In Samar. hhólem plenum est ⵔⵔⵔ.

7. יֹאכְלֵמוֹ iócheléмо (quæ) *devorabit*, h. e. *devoravit eos*; ibi enim futurum est pro præterito. Vide v. V. num. 2. Unde LXX. κατέφαγεν αὐτοὺς, S. Hieron. *devoravit eos*. Pronomen relativum אֲשֶׁר vel שֶׁ *qua*, hîc subintelligitur, ut sæpe fit, tom. 1. p. 512. can. II. col. 1. initio. S. Hieron. recte illud supplevit. Ms. Alexandrinus supplevit ἣ, &] Vox ista יֹאכְלֵמוֹ est 3. perf. sing. masc. fut. qál verbi radicalis & quiesc. Pé Aléph אָכַל *comedit, devoravit*, cum מוֹ affixo poëtico 3. perf. plural. mascul. quod prævium habet (ֵ), quia non jungitur præterito, *ibid.* p. 337. initio. Porro verborum quiesc. Pé א, cum imperfecta sunt, futurum qál desinit in (ֵ), vel in (ַ), quæ utraque motio cum affixis mutatur in (ְ), & ejusdem temporis characteristicæ afficiuntur hhólem deficiente ob viciniam א, & immutabili ad compensandum istud א quiescens, tom. 1. pag. 219. §. I. & p. 361. col. 2. paulo ante medium. Accentus euphonicus Méthegh ob magnam motionem accentu tonico destitutam, quam sequitur (ְ), tom. 2. pag. 319. col. 1. num. II. Accentus tonicus Tiphhhá honorarius sequentis Silouq. Hic non distinguit.

8. כַּקַּשׁ caqqásch *sicut stipulam.*] Ex adverbio similitudinis כְּ *sicut*, quod exclusit ה articulum assumta ejus motione; hinc כַּקַּשׁ pro כְּהַקַּשׁ, tom. 1. pag. 376. col. 2. initio; & ex nomine substant. singul. masc. קַשׁ *stipula*, à radice קָשַׁשׁ *stipulas collegit*; unde ex qál קַשׁ formæ בַּר, *ibid.* pag. 393. col. 2. in fine. Accentus Silouq, qui parvam motionem hîc non mutavit in magnam, ut fieri solet, tom. 2. pag. 311. col. 1.

VERSUS VIII.

1. וּבְרוּחַ oubherouahh *& in spiritu*, sive *vento.*] Vox composita ex copula ו facta וּ ob sequentem labialem, vide v. IV. num. 6. & ex nomine substantivo sing. communi רוּחַ *spiritus*, tom. 1. pag. 51. num. IV. col. 4. Accentus Mahpách minister sequentis regis Paschtá, tom. 2. p. 314. Rad. רוּחַ *respiravit*, quod verbum more perfectorum flectitur;

flectitur; sed ratione literarum est quiescens Aiin Váv; unde ex qál רוּחַ formæ נוּחַ, tom. 1. p. 395. col. 2. in fine.

2. אַפֶּיךָ appécha *furorum* sive *irarum tuarum*, h. e. quem (ventum) in ira tua maxima (pluralis enim emphasin aliquando importat, tom. 1. pag. 476. can. II.) adversus Ægyptios ad mare dividendum excitasti, &c. Confer cap. 14. v. 21. ubi *flante vento vehementi & urente tota nocte abstulisse*, h. e. *dividisse mare* dicitur Deus.] Porro vox אַפֶּיךָ componitur ex duali masc. אַפַּיִם, cujus sing. est אַף *ira*, secundum alios, *nasus*; & ex affixo 2. pers. sing. masc. ךָ. Accentus Paschtá honorarius sequentis regis Zaqéph qatón, tom. 2. pag. 314. Geminatur, ut alter tonum, qui in ea voce est in penultima ob affixum ךָ, quod non habet (:) ante se, *ibid.* pag. 307. col. 2. num. III. alter sedem indicet, quæ est supra ultimam dictionis literam; is enim accentus è numero postpositivorum est, *ibid.* pag. 310. col. 2. num. 2. Radix אָנַף iratus est, unde אַף *ira*, sublato נ, quod in duali absoluto & cum omnibus affixis compensatur per Daghésch forte in litera sequenti פ, sic: אַפַּיִם, אַפֶּיךָ, &c. Vide Lexicon. Qui אַף *nasum* primario significare volunt, hîc agnoscunt metaphoram ab iratis hominibus sumtam, tom. 2. pag. 72. col. 2.

3. נֶעֶרְמוּ־ néermou- *coacervatæ sunt.*] 3. pers. plural. comm. præterit. niphál verbi rad. & perfecti עָרַם *calliditate usus est*, & antiquitus etiam *coacervavit*, ut liquet ex dialecto Syriaca, & ex conjugatione niphál, in qua id significati obtinet. Sine dilatatione (:) esset נֶעְרְמוּ. At eo dilatato in (ֱ), quia præcedit (ֶ), & posito (ֶ) loco hujus (ֶ), tom. 1. pag. 34. col. 1. fit נֶעֱרְמוּ. Verum, quia sequitur duplex schevá, quorum alterum mobile est, utpote compositum; alterum etiam mobile, quatenus post socium, quod lectionis Hebraïcæ analogiæ adversatur: ut vitetur hic concursus, (ֱ) reducitur ad simplex (ֶ), sic: נֶעֶרְמוּ, *ibid.* col. 2. Quanvis autem (ֱ), quod inter se & (ֶ) præcedens exigebat accentum euphonicum Méthegh, tom. 2. pag. 319. col. 1. num. IV. quanvis, inquam, istud (ֱ) reductum sit ad simplex (ֶ); nihilominus tamen remanet accentus euphonicus, *ibid.* Hîc autem Mounáhh munere τῦ Méthegh fungitur ob Zaqéph qatón sequens, cui etiam ministrat, sed non ut tonicus; eo enim privatur illa vox ob Maqqáph, *ibid.* col. 2. circa finem.

4. מַיִם maím *aquæ.*] Nomen substantivum duale masculinum sine singulari & plurali, tom. 1. pag. 53. col. 2. Accentus Zaqéph qatón, qui ibi distinguit. Penultimam occupat, quia vox desinit in literam sonantem præcedente (י) cum hhiriq infra scripto, & antepenult. litera notatur cum (ָ) aut (ַ) ob pausam, tom. 2. pag. 307. col. 1. num. II.

5. נִצְּבוּ nitstsebhóu *steterunt.*] 3. pers. plural. comm. præt. niphál verbi radic. & defect. Pé (י) יָצַב *stetit*, aut *statuit*, tom. 1. pag. 202. in niphál, col. 2. Verbum istud, cum 6. aliis, sequitur analogiam verborum defectivorum Pé נ, tom. 1. pag. 196. in Append. proindeque excidit ejus (י) saltem ubicunque notandum esset cum (:) muto, *ibid.* pag. 197. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá, tom. 2. p. 314.

6. כְּמוֹ־ chemo- *sicut.*] Adverbium similitudinis cum particula expletiva מוֹ, tom. 1. pag. 376. col. 2. Aspiratur כ, quia vox præcedens desinit in literam quiescentem, nempe ו, nec fulcitur accentu regio aut Pesiq, *ibid.* p. 30. in Append. coll. 1. & 2. & p. 31. col. 1. Deest accentus tonicus ob Maqqáph, tom. 2. pag. 320. in art. III. neque hhólem mutatur in (ָ hhatóuph) ob istud Maqqáph, quia post illud sequitur litera quiescens, nempe ו, ad quam compensandam remanet hhólem, *ibid.* pag. 321. col. 1. num. 7.

7. נֵד nédh *acervus, cumulus.*] Nomen substantivum sing. masc. à verbo radic. & quiesc. Aiin váv נוּד *moveri*, unde ex qál, נֵד formæ אֵל, tom. 1. p. 395. col. 1. in fine, quod *acervus* motu & agitatione comportetur. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis regis Athnáhh.

8. נֹזְלִים Nózelím *fluenta.*] Substantivum

plurale masc. & participiale à sing. inusit. נֹזֵל, & à verbo radic. ac defectivo Pé נ נָזַל *fluxit.* Hhólem deficiens est sine causa. Accentus euphonicus Méthegh ob magnam motionem accentu tonico carentem & (:) sequens, tom. 2. pag. 319. num. II. Accentus tonicus Athnáhh duobus punctis respondens.

9. קָפְאוּ qapheóu *coagulatæ sunt.*] 3. pers. plural. comm. præter. qál verbi radic. & quiesc. Lám. Aleph קָפָא, *concrescere, coagulari*, tom. 1. pag. 270. col. 2. Accentus euphonicus Méthegh ob magnam motionem accentu tonico destitutam & (ִ), quod sequitur, tom. 2. pag. 319. num. II. Accentus tonicus Mérechá minister sequentis regis Tiphhhá. Samaritanus habet קָפוּ צבק ex forma quiesc. Lám. Hé, tom. 1. pag. 270. col. 2.

10. תְּהֹמֹת thehomóth *abyssi.*] Substant. plurale comm. à sing. תְּהוֹם, & à rad. inusit. תהם. Aspiratur ת, quia vox præcedens desinit in literam quiesc. nempe ו, nec fulcitur accentu regio aut Pesiq, tom. 1. pag. 30. in Append. coll. 1. & 2. & p. 31. col. 1. Utrumque hhólem deficiens est; prius quidem ob ת proximum, tom. 1. pag. 16. col. 1. num. 4. posterius vero propter sequentem præpositionem בְּ, quæ interdum efficit ut vox præcedens statum regiminis induat, *ibid.* p. 124. col. 1. initio. Pluralia autem feminina constructa sæpe desinunt in hhólem deficiens, *ibid.* pag. 16. col. 1. num. 2. In Samaritano vox illa plene utrobique scribitur, sic: [illegible]. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Siloúq.

11. בְּלֶב־ belebh- *in corde.*] Ex præpositione בְּ *in*, & nomine subst. sing. comm. לֵב *cor*, à rad. לבב inusit. in qál, sed in niph. *cordatum esse.* Aliis rad. est לָבַב, unde per contractionem לֵב, cujus (ֵ) hic mutatur in (ֶ) ob Maqqaph, quod sequitur vox monosyllaba, tom. 2. pag. 321. col. 1. num. 5. *Cor* ibi pro medio ponitur, tom. 2. pag. 161. col. 2. in fine; & *medium* ibi quoque redundat, tom. 1. pag. 493. col. 1. num. VI. & col. 2. circa finem. Itaque *in corde maris*, hîc est pro *in mari.* Deest accentus tonicus ob Maqqáph.

12. יָם׃ iám *maris.*] Vide v. 1. num. 9. Accentus Siloúq.

VERSUS IX.

1. אָמַר amár *dixit.*] 3. pers. sing. masc. præt. qál verbi radic. & quiesc. Pé Aleph, ut פָּקַד, tom. 1. pag. 162. col. 1. Accentus Mérechá minister sequentis Tevír, tom. 2. pag. 314.

2. אוֹיֵב oiébh *inimicus.*] Vide v. VI. num. 8. Accentus Tevír, qui ibi subdistinguit.

3. אֶרְדֹּף erdóph *persequar.*] 1. pers. sing. comm. fut. qál verbi perfecti & rad. רָדַף *persequutus est.* Hhólem deficiens est, quod sæpe fit in hoc futuro, tom. 1. p. 16. col. 1. num. 3. & pag. 137. in QAL. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá.

4. אַשִּׂיג asśigh *comprehendam.*] 1. pers. sing. comm. fut. hiphíl verbi radicalis & defectivi Pé Noún נשג inusit. in qál, tom. 1. p. 205. in Append. col. 2. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce regis Athnáhh.

4. אֲחַלֵּק ahhalléq *dividam.*] 1. pers. sing. comm. fut. piél verbi perfecti & radic. חָלַק *divisit*, ut אֲפַקֵּד, tom. 1. pag. 178. col. 1. Accentus Mounáhh minister regis sequentis Athnáhh.

5. שָׁלָל schalál *spolium* vel in plurali *spolia.*] Nomen substantivum sing. masc. imperfectum & simplex ex qál verbi rad. & defect. Aïn שָׁלַל *spoliavit*, tom. 1. p. 49. col. 2. & pag. 393. col. 2. in fine. Accentus Athnáhh duobus punctis respondens.

6. תִּמְלָאֵמוֹ timlaémo *implebitur eis.*] Tertia pers. singul. femin. fut. qál verbi radic. & quiesc. Lámedh Aleph מָלֵא *plenus fuit*, cum מוֹ affixo poëtico 3. pers. plural. masculinæ, tom. 1. pag. 337. initio, & p. 364. col. 2. In hoc fut. remanet (ָ) ultim. cum affix. *ibid.* p. 336. in medio. Ibi contractio est pro תִּמְלָא מֵהֶם *implebitur ex eis, ibid.* p. 364. c. 2. Accentus Mounáhh minister seq.

Zaqéph qatón. Occupat penultimam ob affixum poëticum מו, tom. 2. p. 307. col. 2. num. III. Samaritanus expressit per ‎ࠉ (י) vocalem *e*, quam Massorethæ expresserunt per (ַ), sic: ࠕࠌࠋࠀࠉࠌࠅ.

7. נַפְשִׁי naphschi *anima mea.*] Nomen subst. commune & radic. נֶפֶשׁ *anima*, cum affixo 1. pers. sing. comm. quod mutavit duplex (ֶ) in duplex (ְ), quorum prius ob concursum mutatur in (ַ) loco (ְ); quia nomen istud è numero exceptorum est, tom. 1. pag. 97. §. VIII. & pag. 98. in eodem §. & Append. col. 1. paulo post medium. Accentus Zaqéph qatón, qui ibi subdistinguit.

8. אָרִיק ariq *evaginabo.*] Prima pers. sing. comm. fut. hiphil verbi radic. & quiesc. Aiin Iódh ריק in hiph. הֵרִיק *evacuavit*, & de gladio, *evaginavit*, tom. 1. p. 260. col. 2. initio. Accentus Mounáhh minister sequentis Zaqéph qatón.

9. חַרְבִּי hharbí *gladium meum.*] Nomen subst. sing. femin. חֶרֶב *gladius*, cum affixo 1. pers. sing. comm. quo adjuncto duplex (ֶ) mutatur in duplex (ְ), quorum prius ob concursum transit in (ַ) pro (ְ); quia prima radic. gutturalis est, tom. 1. pag. 98. col. 1. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc subdistinguit.

10. תּוֹרִישֵׁמוֹ tórischémo *possessione expellet*, vel *pauperes efficiet eos.*] 3. pers. sing. femin. fut. hiphil verbi radic. & quiesc. Pé Iódh יָרַשׁ *possedit*, in hiphil הוֹרִישׁ per antiphrasin, de qua tom. 2. pag. 61. col. 1. initio, *possessione expulit, perdidit*, &c. cum מו affixo poëtico 3. pers. plur. mascul. tom. 1. p. 364. col. 2. paulo post initium. Affixum istud prævium habet (ֵ), quia non jungitur præterito, tom. 1. p. 337. initio. Accentus euphonicus Méthegh in prima syllaba, quia tertia est ante accentum tonicum, tom. 2. p. 318. in art. II. num. I. Accentus tonicus Tiphhhá honorarius sequentis Silóuq. Collocatur in penult. ob affix. poëticum מו, vide supra num. 6.

11. : יָדִי iadhí *manus mea.*] Nomen subst. singul. comm. & radicale יָד *manus*, cum affixo 1. pers. sing. comm. In hoc nomine remanet (ָ) cum omnibus affixis absolutis, tom. 1. p. 91. col. 1. Accentus tonicus Silóuq. In toto hoc versu est ἀσύνδετον, h. e. conjunctionis copulativæ omissio, qua ellipsi hostium victoriam sibi pollicentium confidentia innuitur, tom. 1. p. 615. can. IV.

VERSUS X.

1. נָשַׁפְתָּ naschápta *flavisti.*] 2. pers. sing. masc. præt. qál verbi radic. & defectivi Pé Noún נָשַׁף *flavit*, ut מָסַרְתָּ, tom. 1. pag. 162. col. 2. initio. Pro נָשַׁפְתָּ Samaritanus habet ࠍࠔࠁࠕ נָשַׁבְתָּ à נָשַׁב idem significante. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá. Penultimam afficit ob incrementum תָּ, tom. 2. p. 307. c. 2. num. IV.

2. בְרוּחֲךָ bherouhhachá *in spiritu* vel *vento tuo.*] Vox composita 1°. ex præpositione בְּ, quæ ibi aspiratur, quod vox præcedens נָשַׁפְתָּ desinat in literam quiescentem, sine accentu regio aut Pesiq; nam post ת subintelligitur ה, tom. 1. pag. 27. col. 2. 2°. ex nomine substant. sing. comm. רוּחַ *spiritus*, quod vide in v. VIII. num. 1. 3°. ex ךָ affixo 2. pers. sing. masc. quod affixum junctum cum substantivo singulari apportat secum (ְ), quod hîc dilatatur in (ֲ) ob gutturalem cui subjicitur, tom. 1. pag. 34. col. 1. Accentus euphonicus Méthegh ob (ֲ) sequens, quod non habet ante se (ְ) simplex, tom. 2. p. 319. col. 1. num. IV. Accentus tonicus Tiphhhá, honorarius sequentis in tertia post voce Athnáhh. Hîc subdistinguit.

3. כִּסָּמוֹ kissámo *operuit eos.*] 3. pers. sing. masc. præt. qál verbi radic. & quiesc. Lámedh Hé כָּסָה *texit*, cum מו affixo poëtico 3. pers. plur. masc. tom. 1. pag. 340. col. 2. Hoc affixum prævium habet (ָ), quia jungitur præterito, *ibid.* p. 337. initio. Accentus Mounáhh minister sequentis Athnáhh. Penultimam occupat ob affixum poëticum מו, vide v. IX. num. 6.

4. יָם iám *mare.*] Accentus Athnáhh duobus punctis respondens.

5. צָלְלוּ tsálalóu *absorpti sunt*, sive *profun-*

dum petierunt.] 3. perſ. plur. comm. præter. qál verbi radic. & defectivi Aïn, ſed in forma perfecta, צָלַל *profundum petiit;* ea enim verba non raro analogiam perfectorum ſequuntur, tom. 1. p. 209. §. II. Prius ל afficitur (-) pro (:), quanvis non ſit litera gutturalis, quia ſequitur proxime aliud ל, tom. 1. p. 35. col. 1. Accentus euphonicus inter (-) & (-), vide ſup. num. 2. Accentus tonicus Paſchtá honorarius Zaqéph qatón ſequentis, tom. 2. pag. 313. Inſidet ultimæ literæ, quia poſtpoſitivus eſt, *ibid.* p. 310. col. 2. Hìc non diſtinguit.

6. כַּעוֹפֶרֶת cáophéreth *ſicut plumbum.*] Vox compoſita ex adverbio ſimilitudinis כְּ *ſicut*, & ſubſtantivo ſing. feminino ob ת ſervile, tom. 1. pag. 50. in fine, עוֹפֶרֶת *plumbum.* Adverbium כְּ *ſicut* hìc excluſit ה articulum, cujus motionem aſſumſit; unde כַּעוֹפֶרֶת eſt pro כְּהָעוֹפֶרֶת, *ibid.* p. 376. col. 2. initio. Articulus ה affici deberet (-) loco (-) ad compenſandum daghéſch, quod ע imprimi non potuit; verum dagh. iſtud ex hac litera interdum excidit ſine compenſatione, *ibid.* pag. 69. col. 2. in Append. Hinc (-) iſtud ſuſtentatur accentu euphonico Méthegh, tom. 2. pag. 318. num. I. Accentus tonicus Zaqéph qatón, qui hìc non diſtinguit. Radix עָפָר *pulvis*, unde עוֹפֶרֶת *plumbum*, quod ejus ſubſtantia partim pulverea ſit & terreſtris.

7. בַּמַּיִם bemáiim *in aquis.*] Ex præpoſit. בְּ *in*, & מַיִם *aqua*, quod nomen vide in v. VIII. num. 4. Accentus Tiphhhá honorarius ſequentis Siloúq.

8. אַדִּירִים׃ addirím *vehementibus.*] Adjectivum plur. maſcul. & abſol. à ſingulari אַדִּיר deducto ex piél verbi quieſcent. Pé Aleph in qál inuſitati, ſed in hiphíl הֶאְדִּיר *magnificavit, magnificum, fortem, vehementem reddidit*, tom. 1. pag. 390. col. 1. forma 3. Accentus Siloúq.

VERSUS XI.

1. מִי־ mí- *quis.*] Pronomen interrogativum perſonæ, tom. 1. p. 75. §. IV. Deeſt accentus tonicus ob Maqqáph, tom. 2. p. 320. art. III. ſed appingitur euphonicus Méthegh, quem non excludit Maqqáph, *ibid.* p. 321. col. 2.

2. כָמֹכָה chamócha *ſicut tu.*] Ex adverbio ſimilitudinis כְּ *ſicut*, particula expletiva מוֹ, & ךָ affixo 2. perſ. ſing. maſc. poſt quod affixum exprimitur ה ſubintellectum; nulla enim vox Hebraïca deſinit in magnam motionem, quam non ſequatur litera quieſcens expreſſa vel ſubintellecta. Poſt (-) autem ſubintelligitur ה, tom. 1. pag. 27. col. 2. & p. 81. col. 1. Aſpiratur כ, quia vox præcedens deſinit in literam quieſcentem, nempe (י), nec fulcitur accentu regio aut Peſiq, *ibid.* pag. 30. in Append. col. 1. & 2. & p. 31. col. 1. Adverbium iſtud junctum cum ſua particula expletiva מוֹ, afficitur (-) loco (:) cum affixis abſolutis, ob accentus tonici viciniam, qui cum his affixis penultimam ſemper occupat, *ibid.* p. 377. col. 1. initio, & col. 2. paulo poſt medium. Accentus Mahpách miniſter ſequentis Paſchtá, tom. 2. pag. 314. Penultimam afficit, ob affixum ךָ aut כָה, quod non habet prævium (:), *ibid.* p. 307. col. 2. E regione ה notatur Peſiq, quod literis בגד כפת ſequentibus inſtar accentus regii daghéſch imprimit, tom. 1. p. 20. in fine. Hhólem in כָּמֹכָה deficiens eſt ſine cauſa. Plenum eſt in Samaritano, in quo vice verſa ה non exprimitur in fine, כָמוֹךָ [Samaritan].

3. בָּאֵלִם báelim, S. Hieron. *in fortibus*, Lxx. ἐν θεοῖς *in Diis* vel *inter Deos;* בְּ enim ſignificat etiam *inter*, tom. 1. p. 591. col. 1. num. I.] Vox illa compoſita eſt ex præpoſitione בְּ *in*, *inter*, &c. & plurali abſol. maſc. אֵלִם *Dii*, à ſing. אֵל, quod vide in v. II. num. 8. Remanet (-) ad compenſandum (י) ſubintellectum, tom. 1. pag. 60. §. IV. col. 2. initio. In hoc plurali deficit (י) terminationis; ſive quod in hujuſcemodi nominibus pluralibus id quandoque accidat, *ibid.* p. 54. col. 1. ſive quia (י) alterum præcedit ex analogia; nam אֵלִים & ſine (י), ut hìc, אֵלִם eſt pro אֵילִים aut אֵילִם, *ibid.* pag. 416. §. IV. col. 1. Iſtud (י)

subintellectum exprimitur in hoc nomine plur. constructo, Ezech. 17. v. 13. אֵילֵי הָאָרֶץ *fortes* sive *Dii terræ.* Samaritanus habet ultimum (י), באלים. Imprimitur dagh. lene כ ob Pesiq antecedens, vide num. præced. & tom. 1. p. 31. col. 1. initio. Idem ב afficitur (ָ) loco (ְ), quia exclusit ה articulum assumta ejus motione, quæ hic est (ָ) loco (ַ) ad compensandum dagh. forte ex א ejectum, *ibid.* p. 69. in Append. col. 1. initio. Istud (ָ) adjunctum habet accentum euphonicum Méthegh, quia est in tertia syllaba ante accentum tonicum, tom. 2. pag. 318. artic. II. num. I. Accentus tonicus Paschtá honorarius sequentis Zaqéph qatón. Hic subdistinguit.

5. מִי mi *quis.*] Vide supra num. 1. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá.

6. כָּמֹכָה camócha *sicut tu.*] Vide supra num. 2. Imprimitur daghésch lene כ, licet vox præcedens desinat in literam quiescentem sine accentu regio, aut Pesiq, quia vox illa nominatim excipitur, tom. 1. pag. 31. col. 1. paulo ante medium. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce Athnáhh. Hic non distinguit. Ibi quoque Samaritanus habet hhólem plenum, sed ה in fine non habet, כָּמוֹךְ כמוך.

7. נֶאְדָּר nedár *magnificus.*] Bénoní niph. sing. masc. verbi rad. & quiesc. Pé Aleph אדר in qál inusitati, vide v. VI. num. 3. א afficitur (ְ) simplici pro (ֱ); ex analogia enim esset נֶאֱדָר, ut נִמְסָר, tom. 1. pag. 171. col. 1. Deinde dilatato (ְ) in (ֱ) ob (ֶ) præcedens, & posito (ֶ) loco hujus hhiriq, נֶאְדָר; tum reducto (ֱ) ad simplex (ְ) euphonicum, & relicto (ֶ) sub נ, נֶאְדָּר, cum daghésch leni in ד post (ְ) quiesc. tom. 1. pag. 34. coll. 1. & 2. & p. 35. col. 1. Hîc Samaritanus habet נדרי, cum (י) in fine, ut supra v. VI. num. 3. in Hebræo; at desideratur א inter נ & ד, vel librariorum incuria, vel quia א istud ut vocalis, non ut radicalis litera, à Pentateuchi hujus exscriptore spectatum est, proindeque neglectum; quod ab amanuensibus non raro factum arbitratur Richardus Simon Hist. critic. Vet. Test. l. 1. c. 31. p. 172. col. 2. edit. Roterod. 1685. Accentus Mounahh minister sequentis Athnáhh.

8. בַּקֹּדֶשׁ baqqódesch *in sanctitate.*] Ex præposit. בְּ *in*, quæ extrusit ה articulum, assumpta ejus motione, & nomine subst. singul. masc. קֹדֶשׁ *sanctitas;* unde בַּקֹּדֶשׁ est pro בְּהַקֹּדֶשׁ, tom. 1. p. 380. col. 1. Hhólem deficiens est in hac nominum forma, *ibid.* pag. 16. col. 1. num. 1. Rad. קָדַשׁ *sanctum esse;* unde ex qál, קֹדֶשׁ *sanctitas*, *ibid.* pag. 387. col. 2. form. 16. Accentus Athnahh duobus punctis æquivalens.

9. נוֹרָא norá *terribilis*, aut *reverendus.*] Bénoní sing. masc. niphal verbi radic. & quiesc. Pé Iódh ac Lám. Aleph יָרֵא *timuit, reveritus est*, tom. 1. p. 274. col. 1. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá. Samaritanus habet נוראה cum ה in fine, quod est mendum graphicum; vel istud ה pertinet ad vocem sequentem, sic: התהלת; vel est paragogicum, proindeque non impedit quominus participium istud sit masculinum, tom. 1. p. 50. in fine.

10. תְהִלֹּת thehillóth *laudibus.*] Plurale absol. fem. à sing. תְּהִלָּה *laus.* Aspiratur ת, quia vox præcedens desinit in literam quiescentem א, sine accentu regio aut Pesiq, tom. 1. pag. 30. in Append. coll. 1. & 2. & p. 31. col. 1. Hhólem deficiens est sine causa, & ex sola euphonia. Accentus Tiphhhá hîc subdistinguens. Rad. הָלַל in piél הִלֵּל *laudavit*, unde תְּהִלָּה, tom. 1. pag. 394. col. 2. ל afficitur daghésch forti ad compensandum alterum ל ejectum, pro תְּהִלְלָה, *ibid.* p. 28. lin. 22. Porro *terribilis* vel *reverendus laudibus*, is est, quem laudibus nostris terribilem prædicamus, quippe qui Pharaonem & exercitum ejus in mari interfecerit; vel quem laudibus nostris veneramur; aut quem laudare veremur, cum omni laudum genere superior sit, nec unquam satis, & qua par est, laudari queat. S. Hieron. *terribilis atque laudabilis.* Vocem תְּהִלֹּת in sensu adjectivi, sive, ut loquuntur, abstractum pro concreto ac-

cepit, quod in Hebræo frequens est, tom. 1. p. 460. can. II.

11. עֹשֵׂה־ óse-*faciens*, aut potius *factor*.] Bénoni singul. mascul. qál verbi radic. & quiesc. Lám. Hé עָשָׂה *fecit*. Litera ע afficitur (ֶ) loco (ֵ), quia participium istud naturam ac formam nominis constructi induit, tom. 1. pag. 285. col. 1. paulo ante finem. Hhólem deficiens est ob ע ipsi contiguum, *ibid*. pag. 16. col. 1. num. 4. Maqqaph non mutavit (ֵ) in (ֶ), quia sequitur litera quiesc. ה, tom. 2. pag. 321. c. 1. in fine. Idem Maqqáph in causa est cur vox illa privetur accentu tonico, *ibid*. p. 320. art. III. §. I. Gaudet tantum euphonico, eoque in penultima collocato, quia vox illa disyllaba est, ac præterea sequitur altera itidem disyllaba penacuta, *ibid*. pag. 321. col. 2.

12. פֶלֶא׃ phéle *mirabile*, h. e. *mirabilia*; ibi enim singulare est pro plurali, tom. 1. pag. 476. §. VII. can. I.] Adjectivum sing. masculinum deductum ex qal verbi radic. & quiesc. Pé Aleph פלא in niphál נִפְלָא *mirabile fuit*, tom. 1. pag. 397. col. 1. form. 7. Aspiratur פ, quia vox præcedens desinit in literam quiescentem, nimirum ה, nec fulcitur accentu regio aut Pesiq, vide supra num. 2. Accentus Siloúq, isque in penultima, quia vox illa afficitur duplici (ֶ), tom. 2. p. 306. col. 2. num. I. Pro פֶּלֶא Samaritanus habet ࠐࠋࠀࠄ פלאה cum ה in fine, quasi פִּלְאָה formæ קְרָאָה *occursus*. Ceterum, sive masculinum genus, ut in Hebræo, sive femininum, ut in Samaritano, hîc neutrum genus, quo carent Hebræi, exprimit, tom. 1. pag. 50. initio, & pag. 474. §. VI. can. I.

Versus XII.

1. נָטִיתָ natíthá *extendisti*.] 2. pers. sing. masc. præt. qál verbi radic. & defect. Pé Noún, ac quiescentis Lám. Hé נָטָה *extendit*, tom. 1. pag. 284. col. 2. initio. Accentus Paschtá, qui hîc geminatur ut alter indicet tonum, qui est in penultima ob incrementum תָ, tom. 2. pag. 307. col. 2. num. IV. alter sedem hujus accentus, quæ sedes est supra ultimam dictionis literam; is enim accentus postpositivus est, *ibid*. pag. 310. col. 2. num. 2.

2. יְמִינְךָ iemínechá *dexteram tuam*.] Vide v. VI. num. 1. Prior accentus est Mounáhh, qui ibi munere fungitur & euphonici Méthegh ob magnam motionem accentu tonico destitutam, quam sequitur (ְ), tom. 2. pag. 319. col. 1. num. II. & ministri sequentis regis Zaqéph qatón, cui in eadem voce ministrat propter loci angustiam, *ibid*. pag. 313. in medio, & 319. col. 2. paulo ante finem. Accentus Zaqéph qatón, qui ibi subdistinguit.

3. תִּבְלָעֵמוֹ tibhlaémo *deglutiet*, h. e. *deglutivit eos*; nam futurum istud, uti & præcedentia, pro præterito usurpatur.] 3. pers. sing. femin. fut. qál ex forma (ַ) ob ultimam rad. gutturalem, verbi radic. & perfecti בָּלַע *deglutivit*, cum מוֹ affixo poëtico 3. pers. plur. masc. tom. 1. pag. 363. col. 2. paulo post medium. In fut. qal forma (ַ) cum affix. mutatur in (ָ), *ibid*. p. 327. Affixum istud poëticum prævium habet (ֵ), quia non jungitur præterito, *ibid*. pag. 337. initio. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Siloúq.

4. אָרֶץ׃ árets *terra*, h. e. *cœnum* sive *profundum maris*, cujus loco hîc *terra* ponitur.] Nomen substant. sing. commune sex punctorum, hoc est constans duplici (ֶ), quorum prius ob accentum majorem pausantem Siloúq mutatur in (ָ), tom. 2. pag. 311. col. 1. paulo ante medium. Hîc accentus Siloúq penultimam occupat, quia vox desinit in (ֶ) cum litera sonante in fine, *ibid*. pag. 306. artic. I. §. I. col. 2. num. I. Pro אָרֶץ Samaritanus hîc habet ࠄࠀࠓࠑ הָאָרֶץ cum ה articulo præfixo. Ea autem sic intelligenda sunt, quod pars Ægyptiorum in profundo maris absorpta fuerit, pars in litus ejecta; nam c. 14. v. 31. legitur: *Et viderunt* (Israëlitæ) *Ægyptios mortuos super litus maris*. Sunt tamen, qui hæc verba: *super litus*, ad Israëlitas stantes in litore, non ad Ægyptiorū cadavera, referant.

VERSUS XIII.

1. נָחִיתָ nahhitha *duxisti*, h. e. *duces.*] 2. perf. singul. masc. præt. qál verbi radic. & defect. Pé Noún, ac quiesc. Lám. Hé, נחה *duxit*, tom. 1. pag. 284. col. 2. initio. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá. Penultimam occupat ob incrementum תָ, tom. 2. p. 307. col. 2. num. IV. Hoc præteritum, ut & sequentia, pro futuro, more prophetarum, quibus futura æque certa sunt ac præterita, ponitur, tom. 1. pag. 544. col. 2. & tom. 2. p. 22. §. IV.

2. בְחַסְדְּךָ bhehhasdechá *in misericordia tua.*] Ex præposit. בְּ *in*, nomine substant. sing. masc. & rad. חֶסֶד *misericordia*, & affix. 2. perf. sing. masc. quod mutavit duplex (ֶ) in חֶסֶד in duplex (ַ), quorum prius ob concursum mutatum est in (-) pro (ַ), ob primam literam radic. gutturalem, tom. 1. p. 98. col. 1. Aspiratur ב ob vocem præcedentem, quæ desinit in literam quiescentem, neque fulcitur accentu regio aut Pesiq, tom. 1. p. 30. in Append. coll. 1. & 2. & p. 31. col. 1. Ea autem litera quiescens in נָחִיתָ est ה, *ibid.* p. 27. col. 2. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce Athnáhh. Hîc non distinguit.

3. עַם־ am *populum.*] Nomen substant. sing. comm. sed sæpius masc. tom. 1. p. 51. num. III. col. 3. Radix עָמַם Hebræis *texit, operuit*, &c. Arabibus *communis fuit*, &c. unde ex qál עַם formæ בַּר, *ibid.* p. 393. col. 2. in fine. Desideratur accentus tonicus ob Maqqáph. Deest quoque euphonicus, licet eum non excludat illa virgula.

4. זוּ zóu *istum.*] Pronomen demonstrativum sing. comm. tom. 1. p. 73. §. II. Accentus Mounáhh minister sequentis Athnáhh. Samaritanus pro זוּ commun. habet ࠆࠄ זֶה masc. Post istud pronomen demonstrativum subintelligitur relativum אֲשֶׁר *qui, quæ, quod*, illudque expresserunt Lxx. Chald. Syrus, Arabs & S. Hieron. Aliis pronomen istud demonstrativum supplet vices relativi, sive loco ejus ponitur, tom. 1. p. 507. can. III.

5. גָּאָלְתָּ gaálta *redemisti.*] 2. perf. singul. mascul. præter. qál verbi perfecti & radic. גאל *redemit*, tom. 1. pag. 162. col. 2. paulo ante fin. Imprimitur daghésch lene ג, quanvis dictio præcedens desinat in literam quiescentem, nempe ו, neque afficiatur accentu regio aut Pesiq, quia vox illa excipitur, *ibid.* pag. 31. col. 1. circa medium. Secunda litera radicalis א notatur cum (ָ) loco (-) ob accentum majorem Athnáhh, qui (-) mutavit in (ָ), tom. 2. p. 311. col. 1. circa initium. Accentus Athnáhh, qui ibi duobus punctis æquipollet.

6. נֵהַלְתָּ nehálta *duxisti*, h. e. *duces.*] 2. perf. singul. masc. præt. piél verbi radic. & defectivi Pé Noún נהל inusit. in qál, in piél נִהֵל *duxit*, cum (ֵ) sub נ loco (ִ) ad compensandum daghésch ejectum, tom. 1. pag. 175. col. 1. initio. Accentus Mérechá minister sequentis Tiphhhá. Pro נֵהַלְתָּ Samaritanus habet ࠍࠇࠋࠕ נָחַלְתָּ, aut in qál נָחַלְתָּ *possedisti*, cum ח pro ה, quod mendum graphicum videtur; in Samarit. enim ut in Hebræo, hæ literæ affines sunt. Lxx. Chald. Syrus, Arabs, & S. Hieron. interpretantur *duxisti*, aut quid simile.

7. בְעָזְּךָ bheozzechá *in fortitudine tua.*] Vox composita 1°. ex præpositione בְּ, quæ hîc aspiratur ob dictionem præcedentem desinentem in literam quiescentem, nempe ה subintellectum, nec fultam accentu regio aut Pesiq, vide supra num. 1. 2°. ex nomine subst. sing. masc. עֹז *robur, fortitudo*, & ךָ affixo 2. perf. sing. masc. quod in causa est cur hhólem mutetur in (ָ hhatoúph) sequente daghésch ad compensandam secundam radicalem ejectam; עֹז enim venit à verbo defect. Aiin עָזַז, tom. 1. pag. 96. §. VII. Accentus Tiphhhá, qui hîc non distinguit.

8. אֶל־ el- *ad.*] Præpositio motum ad locum significans, tom. 1. pag. 379. col. 1. Caret accentu tonico ob Maqqáph, quod mutavit (ֵ) in (ֶ); nam genuina motio hujus præpositionis est (ֵ), sic: אֵל, *ibid.* p. 382. in Append. col. 2.

9. נְוֵה nevê *habitaculum.*] Nomen subst. sing. masc. constructum, ab absoluto נָוֶה, cujus (ֶ) penultimæ ob regimen mutatur in (ְ), tom. 1. pag. 87. §. II. & *ibid.* col. 2. circa finem. Ultimæ vero (ֶ) ob idem regimen mutatur in (ֵ), quia sequitur ה, *ibid.* pag. 99. col. 1. Accentus Mérechá minister sequentis Siloúq. Radix נָוָה *habitavit*, *inhabitavit;* unde ex qál נָוָה form. גָּלָה, tom. 1. pag. 398. col. 1. form. 1.

10. קָדְשֶׁךָ qodschécha *sanctitatis tuæ.*] Ex nomine subst. singul. masc. קֹדֶשׁ *sanctitas*, quod vide supra in v. XI. num. 8. & ךָ affixo 2. pers. sing. masc. quo accedente hhólem penultimæ mutatum est in (ָ hhatoúph) & (ֶ) ultimæ in (ְ), tom. 1. p. 95. §. VI. & pag. 113. col. 3. §. IX. Accentus Siloúq, qui ab ultima ad penultimam transiit, & (ְ), quod secum apportat affixum ךָ, mutavit in (ֶ); nam (ְ) sive simplex sive compositum non potest ferre ullum accentum, ob ejus nimiam in prolatione celeritatem, tom. 2. pag. 311. col. 1. in fine, & col. 2. initio. Porro *habitaculum sanctitatis tuæ*, idem est ac *habitaculum sanctum tuum*, ut optime interpretati sunt Lxx. & S. Hieronymus; ex duobus enim substantivis, quorum alterum altero regitur, posterius adjectivi munere sæpe fungitur, tom. 1. pag. 461. can. III. pag. 462. col. 1. num. II. & pag. 463. col. 1. paulo post medium, & 2. initio. Hic autem Moses intelligit terram Chanaan, in qua Deo extruendum erat tabernaculum, h. e. Templum, in quo, tanquam in tabernaculo, habitaret.

VERSUS XIV.

1. שָׁמְעוּ schámeóu *audierunt*, h. e. *audient.*] Tertia pers. plur. comm. præt. qál verbi perfecti & radicalis שָׁמַע *audivit*, ut פָּקְדוּ, tom. 1. pag. 163. col. 1. Accentus euphonicus Méthegh inter magnam motionem (ָ) accentu tonico destitutam, & (ְ) sequens, tom. 2. pag. 319. col. 1. num. II. Accentus Mérechá minister sequentis regis Tiphhhá. Lxx. Samaritanus, Chald. Syrus, & Arabs hic interpretantur *audierunt*. Sic etiam habent Aug. serm. 363. tom. 5. nov. edit. col. 1440. E. msſ. S. Michaëlis (vulgo *S. Mihel*) in Lotharingia, noster San-Germanensis, num. 15. optimæ notæ, Corbeiensis num. 756. Breviarium Mozarabicum, Psalterium Sorbonicum, &c. Solus Hieronymus, *ascenderunt;* quod mendum librariorum suspicor.

2. עַמִּים ammím *populi.*] Substantivum plural. absol. à sing. עַם *populus*, quod vide in v. XIII. num. 3. Imprimitur daghésch forte τῷ מ ad compensandam secundam radicalem ejectam; hoc enim nomen venit ab עָמַם, vide *ibid.* & tom. 1. pag. 65. in Append. col. 2. paulo post medium. Accentus Tiphhha honorarius sequentis Athnáhh.

3. יִרְגָּזוּן iirgazoún *contremiscent.*] 3. pers. plural. masc. fut. qál ex forma (ַ) verbi perfecti & radic. רָגַז *contremiscere*, cum ן paragogico, & in pausa, pro יִרְגְּזוּ, tom. 1. pag. 168. col. 2. Accentus Athnahh major ac pausans ascendens ab ultima ad penultimam reduxit motionem primariæ vocis, quæ est יִרְגַּז, quam motionem (ַ) mutavit in (ָ), tom. 2. pag. 311. col. 2. in fine, & p. 312. col. 1. Deinde idem accentus à penultima ad ultimam descendit retractus à ן paragogico, remanente in penultima punctorum mutatione, quam induxerat, *ibid.* col. 2. ante §. III. Samaritanus non habet istud ן parag. sic enim in eo legitur ויִרְגְּזוּ [Samaritan] cum conjunctione ו, quæ hic in Hebræo deficit, ut & alibi interdum, tom. 1. pag. 614. col. 2. & quam expresserunt Lxx. & S. Hieronymus.

4. חִיל hhil *dolor.*] Nomen subst. sing. mascul. deductum ex qál verbi radic. & quiesc. Aiin vav חוּל *doluit*, unde mutato ו in (ִ) ob maximam literarum illarum secum invicem affinitatem, חִיל, tom. 1. pag. 395. in §. IV. col. 2. Is singularis numerus pro plurali ponitur; unde Lxx. ὠδῖνες, S. Hieron. *dolores.* Accentus Mounáhh minister sequentis Zaqéph qatón.

5. אָחַז ahház *apprehendit*, h. e. *apprehendet.*]

det.] 3. pers. singul. masc. præt. qál verbi radicalis & quiesc. Pé Aleph, sed in hoc præterito perfecti, ut סָפַר, tom. I. pag. 162. col. 1. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc non distinguit.

6. יֹשְׁבֵי ióschebhé *habitatores.*] Bénoní plur. masc. qál verbi radic. & quiescentis Pé Iódh, sed in hoc participio perfecti, יָשַׁב *sedit*, *habitavit*, à singul. יֹשֵׁב *habitans*, plur. absol. יֹשְׁבִים *habitantes*, & participio formam nominis induente, *habitatores*, plur. const. יֹשְׁבֵי. Vide v. II. num. 10. Hhólem deficiens est sine causa. Ejus munere fungitur punctum dextro cornu שׁ ש imminens, quod punctum *Schin* etiam constituit, tom. I. pag. 15. initio. Accentus euphonicus Méthegh sub (ׂ) ob magnam motionem hhólem accentu tonico destitutam, & (ְ) sequens, tom. 2. p. 319. col. 1. num. II. Accentus tonicus Tiphhha honorarius sequentis Athnáhh.

7. פְּלָשֶׁת׃ Peláscheth *Palæstinæ.*] Nomen proprium regionis terræ Chanaan, quæ sic dicta est, secundum doctiss. *Clericum*, quod eam occupatum venerint Africani, qui, cum non essent de Chanaanis prosapia, dicti sunt *Palæstini*, h. e. extranei; & eorum regio *Palæstina*. Hinc LXX. *Palæstinos* vulgo appellant ἀλλοφύλυς *alienigenas.* Radix פלש Æthiopibus significat *migrare*, *peregrinari*, *è loco in locum transire*, &c. & in versione Samaritana, Gen. 14. v. 6. פלשה [Samaritan] *peregrinationem* significat, vide Castelli Lexicon heptaglotton. Accentus Siloúq, qui penult. occupat, quia vox desinit in literam sonantem præcedente (ָ), tom. 2. pag. 306. col. 2. Idem accentus, utpote major distinguens, mutavit (ֶ) penult. in (ָ), *ibid.* p. 311. col. 1. nam extra pausam est פְּלֶשֶׁת. Ea regio sita erat ad occidentem Judææ, & urbes ejus præcipuæ Gath, Ascalon, Azotus, Gaza & Accaron.

VERSUS XV.

1. אָז áz *tunc.*] Adverbium temporis, tom. I. pag. 374. col. 1. in fine. Accentus Mahpách minister primo loco sequentis Paschtá, tom. 2. pag. 314.

2. נִבְהֲלוּ nibhhalóu *territi sunt*, seu *conturbati sunt*, h. e. *terrebuntur*, *conturbabuntur.*] 3. pers. plur. commun. præteriti niphál verbi perfecti & radic. בהל inusit. in qál, in niphál נִבְהַל *terreri*, *conturbari*, tom. I. p. 170. col. 2. post medium. Pro (ְ) simplici mobili post socium subjicitur (ֲ) τῷ ה secundæ literæ gutturali, *ibid.* & pag. 34. col. 1. & p. 156. artic. X. §. I. Accentus Paschtá honorarius sequentis in tertia post voce Zaqéph qatón, tom. 2. p. 313. Ultimæ literæ imminet, quia postpositivus est, *ibid.* p. 310. col. 2. num. 2. Hîc non distinguit.

3. אַלּוּפֵי allouphé *principes* sive *duces.*] Nomen subst. plural. masc. constructum, à sing. אַלּוּף *doctor*, *dux*, *principes*, &c. Plur. absol. אַלּוּפִים *duces*, const. אַלּוּפֵי *idem.* Vide vers. II. num. 10. Accentus Mounáhh minister sequentis Zaqéph qatón. Rad. אָלַף *didicit*, in piél אִלֵּף *docuit*, unde אַלּוּף *dux*, tom. I. p. 390. in §. II. col. 2. form. 5. quia duces ac principes subditorum suorum quasi doctores, eos, ut in officio suo permaneant, docere debent. Vel principes sic dicuntur, quod eosdem subditos secum invicem consociare & in amicitia retinere debeant; Arabibus enim, & olim etiam Hebræis, ut verosimile est, verbum istud *consociare* significat. Accentus Mounáhh minister sequentis Zaqéph qatón.

4. אֱדוֹם *Edhom.*] Cognomen Esavi, qui sic dictus est, quod pro edulio *rufo* (אָדֹם enim *rufum* significat) primogenita sua vendiderit, Gen. 25. v. 30. Ab eo dicti sunt *Edumæi* sive *Idumæi*, & regio, quam posteri ejus incoluerunt, *Idumæa.* Hîc autem *Edhom* ponitur pro Idumæis, per metonymiam causæ, qua parentes & majores pro filiis ac posteris eorum accipiuntur, tom. 2. p. 34. col. 2. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc subdistinguit.

5. אֵילֵי elé *fortes*, *robustos.*] Nomen subst. plur. masc. const. à sing. אֵל *fortis*, *robustus*, &c. Remanet (ֵ) ad compensandum (י) quiescens; radix enim est איל inusit. In plurali autem const. אֵילֵי prius (י) modo

scribitur, ut eo loci, modo negligitur, ut Ezech. 32. v. 21. At etiamsi omittatur, nihilominus subintelligitur; unde remanet (֫), tom. 1. p. 60. §. IV. col. 2. & p. 94. col. 1. circa finem. Accentus Mounahh minister sequentis Zaqéph qatón.

6. מוֹאָב *Moábh.*] Nomen proprium filii Lot, quem ex filia sua majore suscepit, Gen. 19. v. 36. unde vocatur מוֹאָב, q. d. *à patre* & filia genitus, ex מ *a*, *ab*, *de*, & אָב *pater*. Secundum accuratam grammatices analogiam esset מֵאָב cum (ֵ) antiqua vocali *e*, pro מֵאָב. Verum in etymologiis sæpius negligitur isthæc analogia. Porro *Moabh*, ut supra *Edhom*, hîc ponitur pro ejus posteris, id est, Moabitis. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc nihil aut parum distinguit.

7. יֹאחֲזֵמוֹ ióhhazémo *apprehendet eos.*] 3. pers. sing. masc. fut. qál verbi radicalis & quiesc. Pé Aleph אָחַז *apprehendit*, cum מוֹ affixo poëtico 3. pers. plural. masc. tom. 1. p. 361. col. 2. Pro (ְ) simplici mobili post motionem magnam non fultam accentu tonico, subjicitur (ֲ) ח, quia litera gutturalis est, tom. 1. pag. 34. col. 1. & pag. 156. art. X. §. I. Quod pertinet ad reliquam vocem, vide ei similem, excepta gutturali litera, in vers. VII. num. 7. Hîc affixum pleonasticum est, tom. 1. pag. 513. §. IV. can. II. & pag. 514. in eod. can. coll. 1. & 2. quare à Lxx. & S. Hieronymo neglectum est. Vel antecedentes voces, *fortes Moab*, absolute ponuntur, adeo ut vim integri membri in sententia absolvant, sic: *ad fortes Moab quod attinet;* tuncque non redundat affixum, *ibid.* p. 479. §. VIII. can. I. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Athnahh.

8. רָעַד ráadh *tremor.*] Nomen substant. sing. masc. cum duplici (ַ) ob secundam literam radicalem gutturalem, pro duplici (ֶ), tom. 1. pag. 57. in Append. col. 1. Accentus Athnahh, qui duobus punctis hîc respondet. Penultimam afficit, quia vox desinit in (ַ) pro (ֶ), cum litera sonante fine, tom. 2. pag. 306. col. 2. in fine. Idem accentus quatenus major ac pausans mutavit (ַ) penultimæ in (ָ), nam extra pausam est רַעַד, *ibid.* pag. 311. col. 1. in medio. Rad. רָעַד *tremuit;* unde ex qál, רַעַד formæ בַּעַר, tom. 1. p. 387. col. 2. in fine.

9. נָמֹגוּ namóghou *dissoluti sunt, liquefacti sunt*, metaphora ab aqua desumta, tom. 2. p. 133. c. 2. Lxx. ἐτάκησαν *tabuerunt*, S. Hieron. *obriguerunt;* h. e. dissolventur, &c.] 3. pers. plural. commun. præteriti niphál verbi radic. & quiesc. Aïn Vav מוּג *liquescere, dissolvi*, ut נָקוֹמוּ, tom. 1. p. 247. col. 2. in præterito. Characteristica נ afficitur (ָ) loco (ִ), *ibid.* p. 243. num. III. idque ad complendam syllabam, *ibid.* p. 414. col. 1. Hhólem deficiens est, quia in syllaba proxime sequenti est alterum ו, *ibid.* pag. 16. col. 2. num. 5. Accentus Zaqéph gadhól qui ministris caret; ideoque ex regum minimorum numero est, & hîc primam sententiæ dictionem occupat, tom. 2. pag. 312. §. III. col. 1. Penultimam afficit, quia vox illa verbalis desinit in ו non præcedente (ִ), *ibid.* pag. 307. col. 2. num. V.

10. כֹּל cól *omnes.*] Adjectivum utriusque generis & numeri, tom. 1. p. 52. col. 2. in fine. Hhólem deficiens, quale est in plerisque nominibus ex verbis defectivis Aïn derivatis, ob daghésch forte tertiæ radicali impressum ad compensandam secundam radicalem ejectam, quoties nomina illa vel moventur è singulari numero in dualem aut pluralem, vel junguntur cum affixis; nam rarissime & improprie istud Daghésch venit post motiones magnas, quæ cum sua consonante syllabã efficiunt, *ibid.* pag. 29. c. 1. 2. Hinc in hujuscemodi nominibus Hhólem istud mutatur aut in (ֻ), aut in (ָ hhatoúph); quæ mutatio facilior est cum hhólem est deficiens, quam cum plenum est; vix enim magnæ motiones cum literis quiescentibus compositæ mutantur, unde וֹ immutabile est. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia voce Siloúq. Rad. כָּלַל *totaliter & universaliter aliquid complecti & absolvere.*

11. יֹשְׁבֵי ióschevé *habitantes* vel *habitatores.*] Vide sup. vers. XIV. num. 6. Accentus tonicus Mérechá minister seq. Siloúq.

12. ׃ כְּנָעַן *Chenáan*, Lxx. Χαναὰν, S. Hieronymus *Chanaan*, quia antiquitus (ִ) initiale legebatur ut sequens vocalis, tom. 1. pag. 37. col. 1. in fine.] Nomen proprium filii Cham, qui & ipse pro posteris ejus, ut supra *Edhom* & *Moabh*, ponitur. Aspiratur כ ob vocem præcedentem terminatam in literam quiescentem nempe (י), & destitutam accentu regio vel Pesiq, tom. 1. pag. 30. in Append. coll. 1. & 2. & pag. 31. col. 1. Accentus Siloúq in penultima, quia vox desinit in (ַ) loco (ֶ) cum litera sonante in fine, tom. 2. p. 306. col. 2. in fine. Idem mutavit (ַ) penultimæ in (ָ), *ibid.* p. 311. col. 1. in medio; nam extra pausam est כְּנַעַן cum duplici (ַ) pro duplici (ֶ) ob penultimam literam ע, tom. 1. pag. 57. in Append. col. 1. Porro כְּנַעַן *humiliatum* significat; venit enim à verbo כנע in hiphil הִכְנִיעַ *depressit, humiliavit.* Vide Gen. 9. v. 25. ubi Chanaan à Noacho avo suo maledicitur, & servus servorum, h. e. infimum mancipium, fratribus suis constituitur.

VERSUS XVI.

1. תִּפֹּל tippól *cadet.*] 3. perf. sing. femin. fut. qál ex forma hhólem verbi radic. & defectivi Pé Noún נָפַל *cecidit*, tom. 1. pag. 201. col. 1. in fine. Excidit prima radic. in hoc fut. compensaturque per daghésch forte in secunda, *ibid.* p. 197. initio. Hhólem deficiens, quale esse solet in hujusce conjugationis futuro, *ibid.* pag. 16. col. 1. num. 3. & pag. 137. in QAL. Accentus Qadmá minister secundo loco sequentis in tertia voce Paschtá, tom. 2. pag. 314.

2. עֲלֵיהֶם alehém *super eos.*] Ex præposit. עַל, unde in forma nomin. pluralium masc. construct. עֲלֵי *super;* & ex הֶם affixo tertiæ perf. plur. masc. tom. 1. pag. 380. art. II. & pag. 382. col. 1. initio. Accentus Mahpách minister primo loco sequentis Paschtá, tom. 2. p. 314. Rad. עָלָה *ascendit.*

3. אֵימָתָה emathá *terror maximus.*] Nomen subst. sing. femin. אֵימָה, & cum duplici terminatione femin. quæ auxesim importat, אֵימָתָה *terror maximus*, tom. 1. p. 50. in fine. Accentus Paschtá, isque geminatus, 1°. ut alter tonum indicet, quare occupat penultimam, quæ sedes est accentus tonici in hujus formæ nominibus, tom. 2. pag. 308. col. 1. num. VI. 2°. ut alter hujusce accentus sedem, nimirum supra ultimam dictionis literam, quia postpositivus est, ostendat, *ibid.* p. 310. col. 2. num. 2. Rad. אים Hebræis inusit. Chaldæis in paél *terruit, terrorem incussit.* Hic Samaritanus pro אֵימָתָה habet [Samaritan] חֵימָה cum ח initio loco א, quod mendum graphicum esse videtur, & sine ה paragogico in fine; aut, ut aliis placet, sine duplici terminatione feminina.

4. וָפַחַד vaphàhhadh *& tremor* sive *pavor.*] Ex conjunctione ו, quæ hîc afficitur (ָ) loco (ְ), neque fit וּ ob labialem פ, quia duo nomina, quorum posterius dissyllabum est penacutum, conjungit, tom. 1. pag. 385. col. 2. num. V. & ex nomine subst. sing. masc. פַּחַד *tremor*, cum duplici (ַ) loco duplicis (ֶ) ob secundam radicalem ח, vide vers. præced. num. 8. Accentus Zaqéph qatón, qui ibi incisum facit, & penultimam occupat, *ibid.* Radix פָּחַד *tremuit, expavit*, &c. unde ex qál פַּחַד form. פַּעַל, tom. 1. p. 387. col. 2. in fine.

5. בִּגְדֹל bighdhól *in magnitudine.*] Ex בְּ *in*, & subst. sing. masc. const. גְּדֹל *magnitudo*, ex qál verbi radic. & perfecti גָּדַל *magnum esse*, tom. 1. p. 388. form. 22. Prius (ְ) sub ב mutatur in (ִ) ob aliud (ְ) sequens, tom. 1. p. 35. col. 1. ante notas. Aspiratur ד quanvis post (ִ) quiescens, quia sejuncta præpositione (ְ) istud initiale est nempe גְּדֹל, *ibid.* pag. 31. num. 2. Hhólem deficiens est sine causa. Idem plenum est in Samaritano, ubi insuper præmittitur conjunctio [Samaritan] וּבִגְדוֹל *& in magnitudine.* Hhólem istud remanet in regimine, tom. 1. p. 96. §. VII. idque ad compensandam literam quiescentem subintellectam in Hebræo, nempe ו; nam magna motio, quæ vel daghésch ejectum, vel literam quiescentem aut excidentem compensat,

vix est mutationi obnoxia, *ibid.* pag. 415. col. 2. in fine ante §. III. Accentus Merechá minister sequentis Tiphhha.

6. זְרֹעֲךָ zeróachá *brachii tui.*] Substant. sing. commune, sed sæpius fem. זְרוֹעַ *brachium*, tom. 1. pag. 51. num. IV. col. 2. cum affixo 2. pers. sing. masc. Cur hhólem non mutetur, vide in voce præced. Pro (ְ) simplici mobili sub ע subjicitur (ֲ), quia litera gutturalis est, quæ (ְ) simplex mobile respuit, *ibid.* p. 34. col. 1. Prior accentus euphonicus Méthegh sub ז, ob schevá sequens compositum, cui immediate non præit (ְ) simplex, tom. 2. pag. 319. col. 1. num. IV. Posterior tonicus Tiphhha honorarius sequentis in tertia post voce Athnáhh. Radix זָרַע *seminavit*, unde ex qál זְרוֹעַ *brachium*, formæ גְּבֹהַּ, tom. 1. pag. 388. form. 22. Sic autem brachium à *seminando* dictum volunt, quod sit seminationis & ventilationis instrumentum. Melius fortasse hoc nomen ad verbum istud refertur ob easdem radicales literas; quæ ratio in pluribus aliis nominibus obtinet. Ceterum hîc *brachium* metaphorice Deo tributum *potentiam* ejus significat, tom. 2. p. 69. col. 1. circa medium.

7. יִדְּמוּ iiddemóu *tacebunt.*] 3. pers. plur. masc. fut. niphál verbi radic. & defectivi Aïn דָּמַם *siluit, conticuit*, pro יִדַּמּוּ. Patháhh primæ radicalis mutatum est in (ְ) accelerandæ pronuntiationis gratia, ejectum est ex tertia daghésch forte, quod illi ad secundam exsulantem sarciendam impressum fuerat; quia post (ְ) nunquam sequitur dagh. hujuscemodi, tom. 1. p. 29. c. 2. denique, secundum exemplaria quædam, extrusum est etiam dagh. ex ד ob (ְ) ei suppositum, *ibid.* pag. 222. col. 1. Aliis est futurum qal ejusdem verbi, sed ex forma Chaldaïca, vide *ibid.* pag. 409. col. 1. Accentus Mounáhh minister sequentis Athnáhh. Pro יִדְּמוּ Samaritanus habet ࠉࠃࠌࠅ ידמאו ex דָּמָה *similis fuit, quievit, cessavit*, & ex forma quiescent. Lám. Aleph; nam duæ illæ verborum species formas suas non raro invicem permutant, tom. 1. pag. 281.

8. כָּאָבֶן caábhen *sicut lapis.*] Vox composita 1°. ex adverbio similitudinis כְּ *sicut*, quod extrusit ה articulum assumta ejus motione, quæ hîc est (ָ) loco (ַ) ob daghésch, quod recipi non potuit in א, utpote litera gutturali; unde כָּאֶבֶן est pro כְּהָאֶבֶן, tom. 1. pag. 376. col. 2. initio. 2°. ex nomine subst. sing. communi, sed sæpius fem. (tom. 1. pag. 51. num. IV. col. 1.) אֶבֶן *lapis*, vide vers. V. num. 6. Daghésch lene imprimitur τῷ ב, licet vox præcedens desinat in literam quiesc. neque fulciatur accentu regio aut Pesíq; quia vox illa speciatim excipitur, *ibid.* p. 31. c. 1. Accentus Athnáhh, qui hîc duobus punctis æquipollet, & prius (ַ) mutavit in (ָ), *ibid.* p. 311. c. 1.

9. עַד־ adh- *donec.*] Adverbium temporis, tom. 1. p. 374. col. 1. Caret omni accentu ob Maqqaph. Rad. עָדָה *ornavit*, & Chaldaïce *transiit*, unde עַד *donec*, quod transitum ad locum vel tempus includit.

10. יַעֲבֹר iáabhór *transeat.*] 3. pers. singul. mascul. fut. qál verbi perfecti & radic. עָבַר *transiit*, tom. 1. p. 167. col. 1. in medio. Sine dilatatione esset יִעְבֹר ut יִפְקֹד; sed dilatato (ְ) τῷ ע in (ֲ) loco (ֱ), quod postularet (ֶ) præcedens, tom. 1. pag. 34. col. 1. & posito altero (ַ) sub (י) loco (ִ), factum est יַעֲבֹר, *ibid.* Ibi autem (ְ) dilatatur in (ֲ), quia gutturales, ac præsertim ע, amant vocalem *a*, qua facilius proferantur, *ibid.* pag. 156. §. I. Hhólem deficiens est, quale esse solet in hoc futuro, *ibid.* p. 16. col. 1. num. 3. & p. 137. in Qal. Accentus euphonicus Méthegh ante (ֲ) quod non habet ante se (ְ) simplex, tom. 2. pag. 319. col. 1. num. IV. Accentus Mahpách minister sequentis Paschtá, *ibid.* pag. 314.

11. עַמְּךָ ammechá *populus tuus.*] Ex nom. subst. sing. comm. sed sæpius masc. עַם *populus*, quod vide in v. XIII. num. 3. & ךָ, affixo secundæ pers. sing. masc. Imprimitur daghésch τῷ מ ad compensandam secundam radic. ejectam; radix enim est עָמַם *ibid.* Remanet (ַ) ut fieri solet in nominibus ex verbis defectivis Aïn derivatis, tom. 1. pag. 101. §. X. in fine. Accentus Paschtá honorarius sequentis Zaqéph qatón, Hîc subdistinguit.

12. יְהוָה Adhonái *Domine.*] Vide vers. I. num. 2. Accentus Zaqéph qatón hîc subdistinguens.

13. עַד־יַעֲבֹר] Vide supra num. 9. & 10. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce Siloúq.

14. עַם־זוּ] Vide v. XIII. num. 3. & 4. Accentus Mérechá minister sequentis Siloúq. Samaritanus pro זו habet זה ... , ut supra v. XIII. num. 4.

15. קָנִיתָ׃ qanítha *possedisti*, vel *possides.*] 2. pers. sing. masc. præt. qal verbi radicalis & quiesc. Lámedh Hé, ut גָּלִיתָ, tom. 1. pag. 284. col. 1. in fine. Accentus Siloúq.

VERSUS XVII.

1. תְּבִאֵמוֹ tebhiémo *introduces eos.*] 2. pers. sing. masc. fut. hiphil verbi rad. & quiesc. Aiin Váv, & Lám. Aleph בּוֹא *venire*, cum מוֹ affixo poëtico 3. pers. plur. masc. tom. 1. pag. 366. col. 2. initio. Itaque ex בּוֹא *venire*, fit in præt. hiphil הֵבִיא *venire fecit*, *adduxit*, *introduxit*; in fut. יָבִיא *introducet*, & in 2. pers. sing. masc. תָּבִיא *introduces*; & cum affixo מוֹ, תְּבִאֵמוֹ *introduces eos*, ubi affixum plurale est, quanvis referatur ad עַם *populus*, sing. quia nomen istud collectivum est, *ibid.* pag. 510. col. 1. init. num. II. Cum affixo (‥) characteristicæ mutatur in (:), tum ob accentum plus una syllaba ab eo remotum, tum ad pronuntiationem accelerandam, *ibid.* pag. 335. in fine, & 336. paulo ante medium. Deficit (י) ut sæpe in hiphil, *ibid.* p. 138. in Append. hiph. col. 2. in fine, & pag. 416. §. IV. col. 2. num. 3. Illud expressum habet Samarit. ... Vide *ibid.* p. 264. verbum istud בּוֹא flexum in conjugationibus in Scriptura usitatis. Accentus Reviá, qui hîc non distinguit. Caret ministris, quia primam versus dictionem afficit, tom. 2. p. 312. §. III. col. 1.

2. וְתִטָּעֵמוֹ vethittaëmó *& plantabis eos.*] 2. pers. singul. masc. fut. qál verbi radic. & defect. Pé Noún ex forma (-) נָטַע *plantavit*, cum מוֹ affixo poëtico 3. pers. plural. masc. tom. 1. pag. 365. col. 2. ante medium. Verbum istud נָטַע habet in fut. qál תִּטַּע *plantabis*, ejecta prima radic. eaque per daghésch forte in secunda compensata; quia ex analogia (:) mutum supponendum esset primæ isti radic. *ibid.* p. 197. §. I. initio. Pathahh terminationis mutatur in (‥) ob affixum, *ibid.* p. 326. §. V. Affixum poëticum מוֹ prævium habet (‥), quia non jungitur præterito, *ibid.* p. 337. initio. Accentus Paschtá geminatus, quorum alter penultimam occupat, ubi est tonus hujus vocis ob affixum מוֹ, tom. 2. pag. 307. col. 2. num. III. alter supra ultimam dictionis literam collocatur, quia is accentus postpositivus est, *ibid.* p. 310. col. 2. num. 2. Honorarius est sequentis in tertia post voce Zaqéph qatón.

3. בְּהַר behár *in monte.*] Ex præpositione בְּ *in*, & nom. subst. sing. masc. הַר, & in regimine, ut eo loci, הַר *mons*, tom. 1. pag. 90. col. 2. circa finem. Rad. הרר inusit. Accentus Mounáhh minister sequentis Zaqéph qatón.

4. נַחֲלָתְךָ náhhaláthechá *hæreditatis* vel *possessionis tuæ.*] Ex nom. subst. sing. fem. & heemantico נַחֲלָה *possessio*, *hæreditas*, cujus (‥) remanet in sing. cum affix. absol. & ה mutatur in ת, tom. 1. p. 89. §. III. & ex ךָ affixo 2. pers. singul. masc. Accentus euphonicus Méthegh inter (-) & (-) sequens, tom. 2. p. 319. col. 1. num. IV. Alter accentus euphonicus Méthegh inter (‥) & (:), *ibid.* num. II. Accentus tonicus Zaqéph qatón, qui hîc subdistinguit. Rad. נָחַל *possedit*, *hæreditavit*, unde ex qál, נַחֲלָה formæ נַעֲרָה, tom. 1. p. 388. col. 2. num. III. form. 3.

5. מָכוֹן machón (in) *loco firmo.*] Nomen substant. sing. mascul. heemanticum, constructum, & deductum ex hiphil verbi radic. & quiesc. Aiin Váv כּוּן *aptare*, *firmare*, *disponere*, &c. tom. 1. pag. 396. col. 2. paulo post initium. Remanet (‥) penultimæ, licet in regimine; vel quia nomen istud adjungendum est exceptis, *ibid.* p. 87. col. 1. vel quia vox sequens spectatur potius ut infinitivus, quam ut nomen. Hhólem remanet pariter in regimine sing. *ibid.*

pag. 96. §. VII. Accentus Dargá minister primo loco sequentis Tevír, tom. 2. p. 314. Hîc repetenda ex membro præcedenti præpositio בְּ *in*, tom. 1. pag. 593. col. 1. paulo ante medium.

6. לְשִׁבְתְּךָ leschibhtechá *habitationis tuæ*, ad verbum *ad habitandum te.*] Est enim infinitivus qal verbi radicalis & quiesc. Pé Iódh, sed in hoc infinitivo defectivi, יָשַׁב *sedit*, *habitavit*; unde infinitivus qal cum duplici (ֶ) & ת in fine, שֶׁבֶת, tom. 1. p. 234. col. 1. Hoc infinitivo naturam nominis induente, ut sæpe fit, *ibid.* pag. 541. col. 1. num. V. præposito ל gignendi casus quandoque articulo, *ibid.* pag. 67. in artic. IV. & adjuncto ךָ affixo 2. pers. singul. masc. factum est לְשִׁבְתְּךָ, mutatis duobus (ֶ) in duo (ְ), quorum prius ob concursum mutandum erat in (ִ) loco (ְ), ob ultimam literam ת, *ibid.* pag. 98. col. 1. verum excipiuntur infinitivi hujus formæ quiesc. Pé Iódh, *ibid.* in fine, & col. 2. initio. Accentus Tevír, qui hîc non distinguit.

7. פָּעַלְתָּ paálta (quem locum) *operatus es.*] 2. pers. sing. masc. præterit. qal verbi radic. & perfecti פָּעַל *facere*, *operari*, ut פָּקַדְתָּ, tom. 1. pag. 162. col. 2. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis Athnáhh. Hîc subdistinguit. Ante hoc verbum ellipsis est relativi אֲשֶׁר *qui*, *quæ*, *quod*, quod expressere Lxx. ὃ κατηρτίσω *quod* (habitaculum) *perfecisti*. S. Hieron. *quod operatus es*, tom. 1. p. 512. can. II. col. 1. initio.

8. יְהוָה Adhonái *Domine.*] Vide vers. 1. num. 2. Accentus Athnáhh hîc duobus punctis respondens.

9. מִקְּדָשׁ miqqedhásch (in) *sanctuario.*] Nomen subst. sing. masc. heemanticum, & deductum ex hiphil verbi radicalis & perfect. קָדַשׁ *sanctus fuit*, formæ מִשְׁפָּט, tom. 1. pag. 392. col. 1. paulo post medium. Dagh. anomalum imprimitur in ק, *ibid.* p. 29. col. 2. in medio. Accentus Zaqéph gadhól, qui caret ministris, tom. 2. p. 312. §. III. col. 1. in fine, & pag. 315. itidem in fine; quare primam sententiæ vocem occupat, *ibid.* Hîc quoque repetitur præpos. בְּ *in* ex voce 3. quam vide, ut & vocem 5.

10. אֲדֹנָי Adhonái *Domine.*] Unum ex Divinis nominibus significans proprie *Deum omnium sustentatorem ac Dominum*; venit enim à rad. inusit. אדן, unde אֶדֶן *basis*, *fulcrum*, *stylobates*, & אָדוֹן *Dominus*, omnium basis ac fundamentum. Aliis אֲדֹנָי nomen plurale est in forma nominum Syrorum masc. plur. constructorum, quæ desinunt in (ַי) & in pausa (ָי), tom. 1. pag. 54. col. 1. in fine, col. 2. initio, & pag. 412. col. 2. num. IV. In hoc nomine forma pausans usurpatur, nempe אֲדֹנָי cum (ָ), ut distinguatur ab אֲדֹנַי cum affixo & extra pausam, *domini mei*. Aliis etiam plurale est, sed cum affixo primæ personæ, ac in pausa, q. d. *Dominus meus*. Ideo autem nomen istud in forma pausante semper venit, inquiunt, ut distinguatur ab אֲדֹנִי de hominibus dicto; nam cum hoc nomen Deo tribuitur aut angelis, semper est cum (ָ), sic: אֲדֹנָי, & singulariter de Deo accipitur; nomina enim Dominii & excellentiæ, licet terminatione pluralia, significatione singularia sunt, tom. 1. p. 477. can. III. Samaritanus hîc habet יהוה תהצצ. Itaque אֲדֹנָי plurale vel in forma constructa nominum Syrorum plural. masc. vel in forma nominum Hebræorum plur. cum affixo 1. pers. venit à sing. אָדוֹן, cujus (ָ) vel ob motionem singularis numeri in pluralem, vel ob affixum, mutatur in (ְ), illudque dilatatum in (ֲ) ob א, cui subjicitur, tom. 1. pag. 58. §. 1. & p. 87. §. II. Remanet hhólem, *ibid.* pag. 61. §. VI. & pag. 96. §. VII. Deficiens est ob (י) sequens, *ibid.* pag. 16. col. 2. num. 5. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce Silúq.

11. כּוֹנְנוּ cónenóu (quod) *firmaverunt.*] 3. pers. plur. comm. præteriti poél verbi radicalis & quiesc. Aiin Vav כּוּן *parare*, *disponere*, *aptare*, *firmare*, &c. tom. 1. pag. 254. in poél, col. 2. in fine. Hîc ellipsis est relativi אֲשֶׁר vel שֶׁ *qui*, *quæ*, *quod*, ut supra num. 7. Pronomen istud expresserunt Lxx. ὃ ἡτοίμασαν, *quod paraverunt*, & S. Hieron. *quod firmaverunt*. Accentus Méthegh inter magnam motionem accentu tonico destitutam, & (ְ) sequens, tom. 2. p. 319. num.

II. Accentus tonicus Mérechá minister sequentis Siloúq.

12. : יָדֶיךָ iadhécha *manus tuæ.*] Dualis numerus substantivi singul. comm. sed sæpius femin. ac radicalis יָד *manus*, tom. I. pag. 51. num. IV. col. 2. In duali absol. יָדַיִם cum affix. absol. יָדֶיךָ *manus tuæ*, servato (ֶ), quod ubique remanet in hoc nomine, præterquam in sing. const. ubi mutatur in (ַ); & ibidem cum affix. regim. quibuscum (ַ) istud convertitur in (ָ) euphonicum; in duali autem constructo & cum affixis constructis, (ָ) istud mutatur in (ְ), *ibid.* pag. 91. col. 1. initio. Sunt qui nomen istud derivent ex יָדָה *jecit, projecit,* quod manus sit projectionis instrumentum. At sive ex eo derivetur, sive sit radix; formam nominum ex his verbis deductorum imitatur. In Samaritano [Samaritan] desideratur (י) index pluralis numeri; idque vel librariorum indiligentia, vel quia interdum etiam in Heb. deficit, *ibid.* p. 128. num. IV. col. 1. Hic etiam potest esse partitio sive distributio, *firmaverunt manus tuæ*, h. e. utraque manus tua, *ibid.* p. 550. can. III. Accentus Siloúq.

VERSUS XVIII.

1. יְהוָה Adhonái *Dominus.*] Accentus Mérechá minister sequentis regis Tiphhha.

2. יִמְלֹךְ iimlóch *regnabit.*] 3. pers. sing. masc. fut. qál verbi radic. & perfecti מָלַךְ *regnavit*, ut יִסְפֹּר, tom. I. pag. 167. col. I. Hhólem deficiens est, ut fit plerumque in hoc fut. *ibid.* pag. 16. col. 1. num. 2. & p. 137. in QAL. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in fine versus Siloúq.

3. לְעֹלָם leolám *in sæculum.*] Vox composita 1°. ex ל cum nativa sua motione (ְ), tom. I. pag. 67. artic. IV. in fine, & p. 70. col. 1. initio, ubi articuli munere fungitur. Hic autem præpositionem agit, significatque *in*, de tempore, *ibid.* pag. 595. §. III. col. 1. in fine, & 2. initio. 2°. ex nomine subst. sing. masc. עֹלָם *sæculum, tempus indefinitum & absconditum;* venit enim ab עלם inusit. in qál, in niphál vero נֶעְלַם *absconditus fuit.* Nomen istud cum sequenti עַד junctum *æternitatem* significat. Hhólem hic deficiens est ob viciniam ע, tom. I. pag. 16. col. 1. num. 4. Accentus Mérechá minister sequentis Siloúq. Samaritanus habet [Samaritan] עלם sine præpositione ל, quæ in Hebræo sæpe etiam desideratur, *ibid.* pag. 597. col. 2. num. XVI.

4. : וָעֶד vaédh *& æternitatem.*] Ex copula ו, quæ ibi afficitur (ָ) loco (ְ), tum quia duo nomina conjungit, quorum posterius est monosyllabum; tum quia posterius istud nomen accentu regio, nempe Siloúq, insignitur, tom. I. pag. 385. col. 2. num. V. & ex nomine substant. sing. masc. עַד *æternitas, sæculum*, à rad. עָדָה *ornavit*, & Chaldaïce *transiit*, quod tempus, cujus pars est sæculum, cito transeat. Samaritanus hic habet [Samaritan] ועוד *& adhuc*, quia ejus exscriptor legebat in Hebræo וְעֹד, quomodo etiam legerunt LXX. qui interpretantur ἐπ' καὶ ἔτι *& adhuc*. Chald. hanc & vocem præcedentem sic transtulit, לְעָלַם וּלְעָלְמֵי עָלְמַיָּא *in sæculum, & in sæcula sæculorum.* Syrus, *in sæculum sæculorum.* S. Hieron. *in æternum & ultra*, haud scio an etiam legerit וְעֹד pro וָעֶד.

VERSUS XIX.

1. כִּי ki *quia.*] Vide vers. I. num. 3. Accentus Mounáhh minister tertio loco sequentis in quarta post voce Gérésch, tom. 2. pag. 315.

2. בָא bhá *venit, ingressus est.*] 3. pers. sing. masc. præt. qál verbi radic. & quiesc. Aiin Vav ac Lám. Aleph בּוֹא *venire, ingredi*, &c. tom. I. pag. 265. col. 1. initio. Aspiratur ב, ob vocem præcedentem desinentem in literam quiescentem sine accentu regio aut Pesiq, *ibid.* p. 30. col. 1. in fine, & pag. 31. col. 1. initio. Accentus Télíschá qetanná minister secundo loco sequentis in tertia post voce Gérésch, tom. 2. pag. 315. Ultimæ literæ insidet, quia postpositivus est, *ibid.* pag. 310. col. 2. num. 2.

3. סוּס sous *equus*.] Vide verſ. 1. num. 6. Accentus Qadmá miniſter primo loco ſequentis Géreſch, tom. 2. p. 315. Hîc ſingulare eſt pro plurali, nempe *equus* pro *equi*.

4. פַּרְעֹה Paró *Pharaonis*.] Vide verſ. IV. num. 2. Accentus Geréſch, qui hîc non diſtinguit.

5. בְּרִכְבּוֹ berichbó *cum curru ſuo*.] Ex præpoſitione בְּ *cum*, tom. 1. pag. 592. col. 1. num. VIII. & nomine ſubſtantivo ſingul. maſc. רֶכֶב *currus*, cum ו affixo 3. perſ. ſing. maſc. quo adjuncto duplex (ֶ) mutatum eſt in duplex (ְ), *ibid*. pag. 97. in fine, & pag. 98. initio. Duplicis hujus (ְ) prius ob concurſum tranſiit in (ִ) loco (ֵ), quod hic ſupponendum eſſet רֵ, utpote dagheſch recipiendi incapaci, *ibid*. pag. 98. col. 1. At nomen iſtud excipitur, *ibid*. col. 2. Hoc ſingulare pro plurali eſt; unde Lxx. σὺν ἅρμασι, S. Hieron. *cum curribus*. Vide ſupra סוּס. Rad. רָכַב *inſedit curru vel equo*; unde ex qál רֹכֵב ut מֹלֵךְ, *ibid*. p. 387. col. 2. form. 18. Accentus Mahpách miniſter ſequentis Paſchtá.

6. וּבְפָרָשָׁיו oubhepháraſcháv *& equitibus ejus*.] Vox compoſita 1°. ex conjunctione ו facta וּ tum ob labialem ſequentem בּ, tum ob (ְ) ipſi ſuppoſitum, tom. 1. pag. 385. col. 1. num. III. 2°. ex præpoſitione בְּ *cum*, vide vocem præced. 3°. ex nomine ſubſt. plur. maſc. cum יו affix. 3. perſ. plur. maſc. פָּרָשָׁיו *equitibus ejus*, à ſing. פָּרָשׁ *eques*, cum (ָ) in penult. loco (ַ) & dagheſch in ſecunda radic. nam iſtud nomen derivatur ex piël verbi radic. & perfecti פָּרַשׁ Hebræis *exponere*, &c. Syris in Aphel *pungere*, unde פָּרָשׁ *eques*, formæ חָרָשׁ, tom. 1. p. 390. §. II. col. 1. form. 1. quod calcaribus, quæ Rabbinis פְּרִישִׁים dicuntur, equum pungat. Porro magna motio, quæ ad dagheſch excidens compenſandum, vel literam quieſc. farciendam adhibetur, vix mutatur, *ibid*. p. 58. col. 1. num. I. & pag. 88. col. 1. num. II. Accentus Paſchtá honorarius ſequentis Zaqéph qatón. Ultimæ literæ imminet, quipequi ſit poſtpoſitivus, tom. 2. pag. 310. c. 2. num. 2. Hic non diſtinguit.

7. בַּיָּם baiiám *in mare*.] Vide ſupra v. I. num. 9. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc diſtinguit.

8. וַיָּשֶׁב vaiiáſchebh *& redire fecit, & reduxit*.] 3. perſ. ſing. maſc. fut. hiphil verbi radic. & quieſc. Aiin Váv שׁוּב *reverti*, in hiph. הֵשִׁיב *reverti fecit*, *reduxit*, cum ו copulativo ſimul & converſivo futuri in præteritum; quare afficitur (ַ), & יוּד (י) ſequenti dagheſch forte imprimitur, tom. 1. pag. 384. col. 2. in fine, & pag. 611. can. I. Accentus, qui hîc eſt Dargá miniſter ſequentis Tevír, tom. 2. p. 314. aſcendit ab ultima ad penultimam; adſunt enim quatuor conditiones ad id requiſitæ, & ob illam trajectionem (ִ) ultimæ converſum eſt in (ֶ), *ibid*. p. 309. coll. 1. & 2. in fine, pag. 310. col. 1. & tom. 1. p. 259. col. 2. in fine, & pag. 260. col. 1. initio.

9. יְהֹוָה Adhonái *Dominus*.] Accentus Tevír, qui hîc non diſtinguit.

10. עֲלֵהֶם alehém *ſuper eos*.] Ex præpoſitione עַל *ſuper*, quæ cum affixis regiminis, quale eſt הֶם, imitatur formam nominum plural. maſc. conſtructorum; cum aliis vero affixis, eorumdem nominum abſolutorum cum affixis formam induit, tom. 1. p. 382. col. 1. 383. c. 2. & ex affixo 3. perſ. plur. maſc. Hîc deficit (י) pro עֲלֵיהֶם, ut אֱלֵהֶם pro אֱלֵיהֶם, *ibid*. pag. 128. §. IV. col. 1. in fine. In Samaritano (י) iſtud exprimitur, [Samaritan]. Accentus Tiphhha honorarius ſequentis in tertia poſt voce Athnahh.

11. אֶת־ eth-] Articulus accuſandi caſus cum (ֶ) loco (ֵ) ob ſequens Maqqaph, quod etiam in cauſa eſt cur articulus iſte deſtituatur accentu tonico, imo & euphonico, tom. 1. pag. 67. in fine, 68. initio, 70. in medio, tom. 2. pag. 321. col. 1.

12. מֵי mé *aquas*.] Nomen ſubſt. duale maſc. & conſtruct. ab abſol. מַיִם *aquæ*. Nomen iſtud, quod radicale eſt, duali tantum numero gaudet, tom. 1. pag. 53. col. 2. In regimine & cum affixis, (ַ) & (ִ) convertuntur in (ֵ) remanente (י) otioſo, *ibid*. pag. 101. §. X. & p. 102. col. 1. Accentus Mounahh miniſter ſequentis Athnahh.

13. הַיָּם haiiám *maris*.] Ex articulo inſtructo nativa ſua motione (ַ) cum da-

ghéſ-

ghésch forti in litera sequente, tom. I. pag. 67. paulo ante finem, & pag. 69. in medio; & ex nom. substant. sing. masc. יָם, quod vide in v. I. num. I. Accentus Athnáhh, qui hîc duobus punctis æquipollet.

14. וּבְנֵי oubhené *filii autem.*] Ex conjunctione adversativa ו, quæ facta est וּ tam ob labialem sequentem ב, quam ob (:) ipsi suppositum, tom. I. p. 385. col. I. num. III. & nomine plur. constructo בְּנֵי *filii*, à sing. absol. בֵּן *filius*, cujus plurale absol. בָּנִים, quasi à בָּנֶה, & const. בְּנֵי, tom. I. pag. 60. §. IV. col. 2. pag. 94. col. 2. & p. 119. col. I. initio. Rad. בָּנָה *ædificavit*; unde ex qál, *ibid.* pag. 398. col. I. form. 8. בֵּן *filius*, quod sit paternæ familiæ ædificium, hoc est, quod paterna familia, sive domus, per eum ædificetur, ac in sequentia tempora propagetur. Accentus Dargá minister sequentis Tevir.

15. יִשְׂרָאֵל Iisraél *Israël.*] Alterum Jacobi nomen ab angelo Dei personam sustinente, Gen. 32. v. 28. aut potius à Deo ipso, *ibid.* c. 35. v. 10. ipsi impositum, quod in lucta, de qua cap. 32. v. 24. al. 25. & seqq. cum Deo *principem*, vel, secundum LXX. & S. Hieronymum, *fortem* se gessisset, à שָׂרָה *principem se gerere*, *ibid.* v. 28. al. 29. Itaque nomen istud componitur 1°. ex (י) desumto ex nomine יְהֹוָה, quod (י) nominibus propriis sæpe præponitur, tom. I. pag. 386. in medio, & p. 388. col. I. in fine. 2°. ex שָׂרָה *principem se gerere.* 3°. ex אֵל *Deus.* Vide tom. I. pag. 446. coll. I. 2. Accentus Tevir, qui hîc non distinguit. Porro *filii Israël*, idiotismus est, quo vox *filius* sæpe abundat, pro: *Israëlitæ*, tom. I. pag. 492. §. X. col. 2. in fine, & pag. 493. col. I. initio.

16. הָלְכוּ hálechóu *ambulaverunt.*] 3. pers. plur. comm. præt. qal verbi radic. & perfecti הָלַךְ *ivit, ambulavit*, &c. ut מָסְרוּ, tom. I. p. 163. col. I. Accentus euphonicus Méthégh inter (ָ) & (:) sequens, tom. 2. pag. 319. col. I. num. II. Accentus tonicus Mérechá minister sequentis Tiphhhá.

17. בַיַּבָּשָׁה bhaiiabbaschá *per siccum* vel *aridam.*] Vox composita 1°. ex præpositione inseparabili בְּ, *in*, & hîc *per*, tom. I. pag. 592. col. I. num. VII. Aspiratur ב, quia vox præcedens desinit in literam quiesc. ו, neque fulcitur accentu regio aut Pesiq, *ibid.* pag. 30. col. I. in fine, & p. 31. col. I. initio. Ea præpositio exclusit ה art. assumta ejus motione; unde בַיַּבָּשָׁה est pro בְּהַיַּבָּשָׁה, *ibid.* p. 380. col. I. 2°. ex nomine substant. sing. femin. יַבָּשָׁה *siccum*, *arida*, à rad. יָבֵשׁ *aruit*; unde ex piél יַבָּשָׁה, *ibid.* pag. 391. col. I. circa initium. Accentus Tiphhhá honorarius sequentis in tertia post voce Siloúq. Hîc non distinguit.

18. בְּתוֹךְ bethóch *in medio.*] Ex præpositione inseparabili בְּ *in* cum nativa sua motione (:), & nomine substant. sing. masc. radic. & constructo תּוֹךְ, cujus absol. est תָּוֶךְ, quod in regimine & cum omnibus affixis mutat (ָ) & (ֶ) in וֹ, uti & alia ejusdem formæ nomina, tom. I. pag. 88. col. 2. in fine, p. 89. col. I. initio, & p. 115. §. XV. in fine. Accentus Mérechá minister sequentis Siloúq. Porro vox illa בְּתוֹךְ *in medio*, hîc, ut & sæpe alibi, videtur abundare; sufficeret enim *in mari*, pro *in medio maris.* Vide tom. I. pag. 493. col. I. num. VI. in fine, & ibid. col. 2.

19. הַיָּם׃ haiiam *maris.*] Ex articulo ה cum vulgari sua motione (ַ) & daghésch forti in litera seq. tom. I. pag. 67. circa finem, & 69. in medio; & ex nomine subst. sing. masc. יָם *mare*, quod vide in vers. I. num. 9. Accentus Siloúq.

Hæc pro Cantici hujus analysi grammatica sufficiant, cujus instar similes in alias Scripturæ partes adornare poterunt linguæ S. studiosi, qui eam accurate discere, in eaque proficere voluerint. Restat, ut Grammaticæ Chaldaïcæ compendium ad intelligendas S. Scripturæ partes hoc idiomate scriptas adornatum hîc coronidis loco exhibeamus. Ea tamen epitome ad Scripturam Chaldaicam ita restricta non est, ut, ea duce, Paraphrases Chaldaïcæ, saltem Onqelosi & Jonathanis, utcumque etiam nequeant intelligi. Qui majorem linguę hujus notitiam habere voluerit, legat clariss. Buxtorfii Gramm. Chald. supra laudatam.

CAPUT XI.

Grammaticæ Chaldaïcæ compendium.

CUM partes aliquot SS. voluminum Chaldæo idiomate scriptæ sint; hæ, ut à Scripturæ sacræ amatoribus æque perfecte ac reliquæ Hebraïca lingua compositæ intelligerentur, Grammaticæ Chaldaïcæ compendium hîc operæ pretium duximus attexere. Hæ autem partes Chaldaice scriptæ, sunt: versus II. capitis 10. Jeremiæ. Caput 2. Danielis à v. 4. ad finem usque capitis. Ejusdem capita 3. 4. 5. 6. 7. integra. Caput 4. Esdræ à v. 8. ad finem. Caput 5. integrum. Caput 6. ad v. 19. & caput 7. à v. 12. ad 27. Cur ex his partibus nonnullæ Chaldæo sermone scriptæ sint, facile intelligitur; sunt enim vel sermones ad Chaldæos idololatras in ore Judæorum positi, ut vers. II. cap. 10. Jerem. vel diplomata & epistolæ regum Assyriorum ad subditos suos, & subditorum ad eos literæ, ea, qua scriptæ sunt, dialecto ab Esdra commemoratæ. At cur primum Danielis caput cum tribus prioribus secundi versiculis, quo res narrantur mere Chaldaïcæ, Hebraïce conceptum sit; & contra, septimum ejusdem Danielis caput, in quo de rebus Chaldæorum proprie non agitur, Chaldæo sermone sit exaratum, non ita facile est divinare. Doctissimus Huetius pag. 227. Demonst. Evang. edit. Paris. 1679. opinatur librum integrum Chaldaïce primum fuisse exaratum à Daniele ipso, deinde à Judæis reducibus Hebraïce redditum; atque inde contigisse, ut in variis Judæorum exsiliis, male multatis & detruncatis exemplaribus, librarii, qui ad hoc opus describendum accesserunt, quæ in Hebraïco exemplari deerant, ea ex Chaldaïco supplevisse. Derelicta eruditorum judicio doctissimi hujus viri conjectura, venio ad Compendium Chaldaïcum.

ARTICULUS I.

De Literis, Vocalibus, Daghésch, Mappíq, & Accentibus.

LITERÆ Chaldaïcæ eædem sunt numero, figura, & potestate, ac literæ Hebrææ hodiernæ, quæ, ut diximus in grammatica Hebraïca, tom. I. pagg. 4. 5. Chaldaïcæ sunt.

Literæ ejusdem organi sæpius invicem permutantur. Quatuor literæ אהוי quiescentes quoque sunt sicuti in Hebræo idiomate; ac pro ה plerumque usurpatur א. Attamen pro א finali, adhibetur ה quoties aliud א immediate præcedit, ut תְּלִיתָאָה *tertius*, pro תְּלִיתָאָא. Excipitur דִּתְאָא *herba*. Alias etiam, ex frequenti harum literarum permutatione, ה scribitur pro א finali, ut: לְהִתְקְטָלָה *ad occidendum*, pro לְהִתְקְטָלָא.

Vocales pariter cum Hebræis communes habent Chaldæi; sed magna motio loco parvæ sæpius adhibetur; quia antiquæ vocales, quæ utramque designabant, in textu, ut plurimum, relictæ sunt. Quare post motionem magnam sæpe quiescit Schevá, ut בִּישְׂרָה pro בִּשְׂרָה *caro*, עֲבִידְתָּא pro עֲבִדְתָּא *opus*. E contrario, parva motio sæpe ponitur pro magna. Quantitas igitur motionum non semper ex earum figura æstimanda est, sed ex ipsa linguæ analogia & indole.

Duplex quoque daghésch agnoscit lin-

gua Chaldaïca, *lene* & *forte*. Utrumque iisdem muniis ibi fungitur atque in lingua Hebraïca. Sed dagh. forte ex litera cum Schevá notata sæpius excidit. Sæpe etiam non compensatur per motionem magnam loco parvæ ante gutturales & ר ejus recipiendi incapaces. Ejus loco sæpe usurpatur litera נ cum Schevá, ut: מַנְדְּעָא pro מַדְּעָא, aut sine daghésch, מַדְעָא *scientia*, הַנְפֵּק pro הַפֵּק *eduxit*, מִנְדָּה pro מִדָּה *tributum*, &c.

Mappiq & accentus Chaldæis & Hebræis communes sunt, uti & Pathàhh furtivum, quod tamen sub ה in fine præcedente (-) locum non habet, ut סִפְרַהּ non סִפְרָהּ *liber ejus*. Accentus etiam majores apud Chaldæos non mutant parvas motiones in magnas, neque ab ultima ad penultimam ascendunt.

Denique in lingua Chaldaïca plurimæ sunt voces ex Hebræa desumtæ, commutatis tantum literis ejusdem organi, classis, similis figuræ, & sibilantibus cum lingualibus. Vide exempla in gramm. Heb. tom. I. pag. 13. & infra in notis ad verba quiesc. Pé (י). Imo, voces non paucæ sunt putæputæ Hebraïcæ, ut מֶלֶךְ *rex*, &c. Denique in Daniele & Esdra dialectus Chaldaïca longe propius ad Hebræum idioma accedit, quam in prioribus Paraphrastis, qui & ipsi purius adhuc loquuntur, quam posteriores, qui cum Daniele & Esdra collati, barbari judicantur.

ARTICULUS II.

De Nomine.

QUINQUE sunt in Chaldæorum nominibus consideranda. I. Eorum Genus, & masculinorum in feminina conversio. II. Emphasis. III. Numerus. IV. Casus. V. Regimen, sive status constructus, quæ in §. seqq. expenduntur.

§. I.

Nominum Chaldæorum Genus, & masculinorum in feminina conversio.

CHALDÆA Nomina, ut & Hebræa, duplex tantum genus agnoscunt, masculinum & femininum. Neutrum eodem modo exprimitur apud Chaldæos, quo apud Hebræos. Genus dignoscitur vel significatione, vel fine seu terminatione. Significatione masculina sunt aut feminina eadem nomina, quæ apud Hebræos. Vide Gramm. Heb. tom. I. p. 50. Terminatione masculina sunt, quæ femininorum terminationem non habent. Nomina autem terminatione feminina sunt, quæ desinunt,

I. In ־ָה, quæ est terminatio in Daniele & Esdra haud infrequens, ut: חֲבוּלָה *perditio*, &c. Excipiuntur adjectiva masculina emphatica, ut: זַכָּאָה *purus*, &c. Gentilitia & Patronymica, ut: כְּנַעֲנָאָה *Chananæus*, &c. Numeralia, ut: קַדְמָאָה *primus*, &c.

II. In ־ָא, ut: גְּבוּרָא *potentia*, &c. quæ terminatio recidit etiam cum forma masculina emphatica. Vide §. seq.

III. In תָא (modo ת non sit radicale), ut: מַלְכְּתָא *regina*, &c. Si ת radicale sit, masculina sunt, ut: חַדְתָּא emphat. à forma simplici חֲדַת *novus*. Vide §. seq.

IV. In וּת, ות, ־ִית, ut: בְּלוֹת *vectigal*, מַלְכוּת *regnum*, שְׁרשִׁית *exsilium*. Sæpe etiam ת per apocopen resecatur, ut: מַלְכוּ, בְּלוֹ, שְׁרשִׁי. Nomina aliter desinentia masculina sunt, nisi excipiantur, quod docebit usus; vel nisi sensu & natura feminina sint, ut diximus supra.

Masculina in femininum genus sic moventur.

Substantivis formæ simplicis adjicitur

terminatio feminina תָא, ut: גְּבַר *vir*, גְּבַרְתָּא *mulier*, &c. Unicum est, quod venit à forma emphatica, nimirum מַלְכְּתָא *regina*, à מַלְכָּא *rex*.

Adjectivis subjicitur terminatio אָ vel תָא, ut: חַכִּים *sapiens*, mascul. חַכִּימָא vel חַכִּימְתָא *sapiens*, femin. &c. Quod pertinet ad literarum & motionum quarumdam in hac conversione mutationem, ea est:

Adjectiva desinentia in (י) quiescens, mutant illud in (י) mobile, præcedente (ְ) simplici vel composito, pro natura literæ cui subjicitur, idque præsertim ob auctum syllabarum numerum, ut: יָאֵי *pulcher*, יָאְיָא *pulchra*; צְדִי *vastus*, צְדִיָא *vasta*, &c. Interdum adhibetur forma Hebraïca, ut: מוֹאֲבִיָּה *Moabitis*, à מוֹאָבִי mascul. *Moabita*.

Quæ exeunt in (י) mobile sive in (יַ), mutant (ַ) in (ָ), & (י) in א, cui terminatio feminina תָ adjicitur, non vero אָ, ne duo א concurrant, ut: יְהוּדַי *Judæus*, יְהוּדָאָה *Judæa*, &c.

Finita in (ֵ) sequente litera sonante, illud mutant in (ְ), ut: טְפֵשׁ *stultus*, טִפְשָׁא *stulta*, &c. At sequente quiescente litera, remanet (ֵ) ad eam compensandam, ut: זְעֵיר *parvus*, זְעֵירָא *parva*, &c.

Adjectiva eodem modo comparantur apud Chaldæos & Hebræos. Superlativus gradus eadem etiam ratione ab utrisque exprimitur. Vide Grammat. Heb. tom. I. pag. 469. can. III. IV.

§. II.

Nominum Chaldæorum Emphasis.

Nomina Chaldaïca ה præfixum, sive articulum, aut emphaticum, vulgo non habent, ut Hebraïca; sed in fine his attexitur, aut potius א, quod est Chaldæorum & Syrorum peculiare; quodque ibi eodem munere fungitur, quo ה nominibus Hebræis præpositum. Porro א istud emphaticum singularibus, dualibus, & pluralibus cum masculinis, tum femininis adjicitur, & quarumdam literarum motionumque, ut supra masculini in femininum genus conversio, mutationem inducit. Itaque

Forma emphatica communis singularium masculinorum est אָ, ut: תַּקִּיף emphat. תַּקִּיפָא *fortis*, &c. eaque forma solo sensu & constructione à feminina, de qua in §. præcedenti, distinguitur.

In nominibus desinentibus in יַ, Patháhh mutatur in (ָ), & (י) in א, cui adjicitur ה pro forma emphatica, loco א, ne duo א sese proxime consequantur, ut: עִלָּי aut עִלָּאִי, emphat. עִלָּאָה *excelsus*; תְּלִיתַי emphath. תְּלִיתָאָה *tertius*, רְבִיעַי emphath. רְבִיעָאָה *quartus*, ut legendum docent Massorethæ Dan. 2. vv. 39. 40. pro תְּלִיתָיָא, רְבִיעָיָא, ut fert קְרִי כת seu textus lectio. Hæc forma non differt etiam à feminina, nisi sensu. Vide §. præcedentem.

Finita in (ֵ) mutant illud in (ְ), ut: טְפֵשׁ emphat. טִפְשָׁא *stultus*, quæ forma cum feminina pariter confunditur. Vide §. præcedentem.

Desinentia in (ַ) illud convertunt in (ְ); & si aliud præcesserit, præcedens illud mutatur in (ָ), quandoque in (ֶ), & interdum in (ַ), cum præsertim prima aut secunda litera radicalis est gutturalis, ut: זְמַן, emphat. זִמְנָא *tempus*; עֲדַר, emphat. עֶדְרָא *grex*, חֲקַל, emphat. חַקְלָא *ager*, כְּהַן, emphat. כַּהֲנָא *Sacerdos*, &c. Formam hanc ultimam non pauca nomina imitatur, quanvis prima aut secunda eorum radicalis gutturalis non sit, ut: מְלַךְ, emphat. מַלְכָּא *rex*, כְּסַף, emphat. כַּסְפָּא *argentum*, &c. Quæ nomina præter (ַ) in fine, habent hhólem in penultima, vel retinent istud hhólem, vel illud mutant in ו, aut in (ֻ), aut in (ֳ hhatouph), mutato quoque (ַ) in (ְ), ut: כּוֹכַב, emphat. כּוֹכְבָא *stella*; חוֹרַשׁ, emphat. חוּרְשָׁא *sylva*; כּוֹתַל, emphat. כּוּתְלָא, כָּתְלָא, & כֻּתְלָא *paries*, &c.

Nomina formæ בְּכִי, h. e. quorum penultima afficitur (ְ) sive simplici, sive com-

posito, & ultima notatur cum hhiriq puro, id est, quod nulla sequitur litera; puncta transponunt, (ׄ) ex quiescente fit mobile, & prima litera, si gutturalis fuerit, afficitur (-) loco (·), ut: בְּכִי, emphat. בִּכְיָא *fletus*, עֲנִי, emphat. עַנְיָא *afflictio*, &c.

Substantiva formæ בַּיִת, h. e. quorum ultima litera sonat, penultima est (ׄ) cum (·) infra scripto, & antepenultima afficitur (-), mutant (·) in (:) mobile; aut illud & (-) contrahunt in (·), ut: בַּיִת emphat. בַּיְתָא vel בֵּיתָא *domus*, &c.

In monosyllabis, quæ ex verbis secundam radicalem geminantibus non derivantur, (-) mutatur in (:), ut: דָּם, emphat. דְּמָא *sanguis*, &c. At cum nomina illa ex verbis secundam radicalem duplicantibus orta sunt, vel remanet (-), vel mutatur in (·) sequente utrobique Daghésch forti ad secundam radicalem excidentem compensandam, ut: עַם, emphat. עַמָּא *populus*; פַּת emphat. פִּתָּא *buccella*, &c. Secundum easdem originationis leges (·) mutatur vel in (:), vel in (·), sequente post (·) dagh. forti; hhólem vero convertitur in (ֻ) sequente pariter daghésch forti, præsertim in nominibus ex verbis duplicantibus ortis, ut: שֻׁם, emphat. שְׁמָא *nomen*; נֵס, emphat. נִסָּא *miraculum*, &c. (Si sequatur litera otiosa, remanet (·) ad eam compensandam, ut: כֵּיף, emphat. כֵּיפָא *petra*, &c.) גּוֹב, emphat. גֻּבָּא *fovea*, &c. Quod pertinet ad ו, vel remanet, vel mutatur in (ֻ) sequente daghésch forti per legem æquivalentiæ, ut פּוּם, emphat. פּוּמָא vel פֻּמָּא *os, oris*, &c. Reliquæ nominum formæ nihil mutant in singulari.

Pluralia & dualia masculina desinunt in יָּא, quæ terminatio ponitur loco singularis emphaticæ א, ut: סִפְרִין emphat. סִפְרַיָּא *libri*, à sing. simpl. סְפַר, emphat. סִפְרָא *liber*; כָּהֲנִין, emphat. כָּהֲנַיָּא *Sacerdotes*, à sing. simpl. & inusit. כְּהֵן, emphat. כָּהֲנָא *Sacerdos*; מַלְכִין, emphat. מַלְכַיָּא *reges*, à singul. simpl. מֶלֶךְ, emphat. מַלְכָּא *rex*; מַיִן dual. emphat. מַיָּא *aquæ*, sic שְׁמַיָּא *cœli*, à simplici inusitato שְׁמַיִן; nam istud nomen caret singulari, plurali, imo & duali simplici. Nomina, quorum singularia desinunt in י, pro forma plur. emphatica habent יָא, ut: יְהוּדָיֵא *Judæi*, לֵוָיֵא *Levitæ*; קַדְמָיֵא *priores*, &c. quæ terminatio apud Danielem & Esdram in his nominibus perpetua est.

Forma emphatica femininorum singularium desinentium in ת, וּת, ית, fit assumto א, ut: מַלְכוּת, emphat. מַלְכוּתָא *regnum*; בְּלוֹ, emphat. בְּלוֹתָא *vectigal*, שְׁרֹשִׁית, emphat. שְׁרֹשִׁיתָא *exsilium*. Sic quando terminantur in radicalem sonantem, ut: נוּר, emphat. נוּרָא *ignis*, &c. At cum desinunt in א, aut ה, mutant (·) in (·), & א aut ה in ת, cui adjicitur forma emphatica א, ut: גְּבוּרָא, emphat. גְּבוּרְתָא *potentia*, נְבוּאָה, emphat. נְבוּאָתָא *prophetia*, &c. Cum forma ה venit à nomine masculino desinente in י, resumitur (ׄ), cui subjicitur (:), ut: קַדְמַי *primus*, קַדְמָאָה, emphat. קַדְמֵיתָא *prima*; רְבִיעַי *quartus*, רְבִיעָאָה, emphat. רְבִיעֵיתָא *quarta*, &c.

Pluralia feminina mutant ן in תָא, ut: בְּתוּלָן, emphat. בְּתוּלָתָא *virgines*, &c.

Dualia feminina eandem formam emphaticam habent, ac masculina, ut: רַגְלַיָּא *duo pedes*, &c.

§. III.

Nominum Chaldæorum numerus.

NOMINA Chaldaïca, haud secus ac Hebraïca, triplici gaudent numero, singulari, duali (qui rarissimus est), & plurali.

Singularis numerus apud Chaldæos, ut apud Hebræos, varias formas complectitur, quæ in Grammaticis Chald. legi possunt, maxime in doctiss. Buxtorfii Gramm. Chald. l. 1. cap. 33.

Pluralis numerus masculinus simplex desinit in ין, fitque à singulari emphat. mutata terminatione emphatica א in ין,

ut: מֶלֶךְ *rex*, emphat. מַלְכָּא, plural. simpl. מַלְכִין, & semel ex forma aut terminatione Hebraïca, מַלְכִים *reges*. Sic דְּכַר *aries*, emphat. דִּכְרָא, plur. דִּכְרִין *arietes*; אִמַּר *agnus*, emphat. אִמְּרָא, plur. אִמְּרִין *agni*; סְפַר *liber*, emphat. סִפְרָא, plural. סִפְרִין *libri*; עָלַם *seculum*, emphat. עָלְמָא, plur. עָלְמִין *secula*, in Daniele; nam in Targum scribitur cum (-) sub ע, sic: עַלְמָא, עַלְמִין, quasi ab עֲלַם.

Pluralis numerus femininus simplex desinit in ן, formaturque à singulari simplici, mutando א vel ה in ן, ut: מִנְחָא vel מִנְחָה *sacrificium*, plural. מִנְחָן *sacrificia*, חֵיוָא *bestia*, plur. חֵיוָן *bestiæ*, &c. Quæ nomina feminina veniunt à masculinis desinentibus in י, in hoc plurali nonnunquam resumunt (י), ut: יְהוּדָאָה *Judæa* mulier (à יְהוּדִי *Judæus*) plur. יְהוּדָיָן *Judææ*, &c.

Terminatio וּת, & ות, mutatur in וָן præcedente (ֻ), מַלְכוּת *regnum*, plur. מַלְכְוָן *regna*; רִבּוֹת *myrias*, plur. רִבְוָן *myriades*, &c. Terminatio ית mutatur in יָן cum (ִ) similiter prævio, ut: זַרְעִית *familia*, plural. זַרְעָיָן *familiæ*; פַּרְעִית *grex*, plur. פַּרְעָיָן *greges*, &c. ubi pro (ִ) simplici est (-) ob gutturalem. Denique nomina feminina, quorum terminatio singularis est masculina, pluralem formant ab eodem singulari emphatico, ut: אֶצְבַּע *digitus*, emphat. אֶצְבְּעָא, plural. אֶצְבְּעָן *digiti*, &c.

Dualis numerus tam masculinorum quam femininorum nominum desinit in יִן, fitque à sing. emphatico, mutato א in יִן, ut: יַד *manus*, emphat. יְדָא, dual. יְדַיִן *ambæ manus*; קֶרֶן *cornu*, emphat. קַרְנָא, dual. קַרְנַיִן *duo cornua*, &c. Excipiuntur תְּרֵין *duo*, & תַּרְתֵּין *duæ*, quæ (ֵ) & (-) prævium contrahunt in (-), ut apud Heb. שְׁנַיִם pro שְׁנַיִם *duo*. Denique pluralis numerus pro duali, qui, ut supra diximus, rarissimus est, sæpissime usurpatur: ut: גַּפִּין pro גַּפַּיִן *alæ*, עַיְנִין pro עַיְנַיִן *oculi*, &c.

Nomina quædam masculina in plurali numero sumunt terminationem femininorum, ut: אַב *pater*, plur. אֲבָהָן *patres*, servata anomalœs tertia radicali ה; venit enim à אבה *voluit*; פֶּחָה *dux*, *princeps*, plur. פַּחֲוָן *principes*; אַרְיֵא *leo*, plural. אַרְיָוָן *leones*, &c. mutata tertia radicali in ו. Vice versa, quædam feminina more masculinorum terminantur, ut: רוּחַ *spiritus*, plur. רוּחִין *spiritus*; מִלָּה aut מִלָּא *dictio*, plural. מִלִּין *dictiones*; חִטָּא *triticum*, plur. חִטִּין & חִנְטִין *tritica*, &c. Denique masculina quædam forma utraque gaudent, ut: קָל, emphat. קָלָא *vox*, plur. קָלִין & קָלָן *voces*, &c. Sic feminina quædam, ut: נַפְשָׁא *anima*, plur. נַפְשִׁין & נַפְשָׁן *animæ*, &c.

§. IV.

Nominum Chaldæorum casus.

Ut apud Hebræos, sic apud Chaldæos, nominum casus ex sola fere Syntaxi & structura sermonis distinguuntur. Attamen Chaldæis Genitivi nota sæpissime est דְּ nomini præfixum, & in eandem cum illo vocem coalescens, vel דִּי separatum, ut: דְּדָוִד, vel דִּי־דָוִד *Davidis*. Dativus exprimitur per לְ, ut: לְדָוִד *Davidi*. Si prima litera nominis, cui duo illi articuli præfiguntur, notata sit cum (ְ) simplici, eorum (ְ) transit in (ִ) ob concursum; si eadem litera Schevá composito afficiatur; articuli illi moventur per vocalem huic Schevá composito respondentem, secundum Hebraïcæ linguæ analogiam, ut: דִּמְלַךְ *regis*, לִמְלַךְ *regi*, דֶּאֱלָהָא *Dei*, לֶאֱלָהָא *Deo*, &c. Accusativus indicatur per יָת, & sequente Maqqaph יַת־, ab Hebræo אֵת, mutato א in (י), ut: יַת־דָּוִד *Davidem*. Is articulus post verba passiva nominativum indicat, ut apud Hebræos. Sæpe etiam casum hunc exprimit לְ. Vocandi casus articulo destituitur, cujus vices supplet emphasis, de qua supra. Denique ablativi nota est מ vel מִן, ut apud Hebræos, sic: מִדָּוִד, vel מִן־דָּוִד *à Davide*, &c. Si prima litera nominis, cui præfigitur מ, gutturalis sit, vel ר, tunc מ afficitur (ֵ).

§. V.

Nominum Chaldæorum regimen, sive status constructus.

IN regimine singulari nominum Chaldæorum, tum masculinorum, tum femininorum, usurpatur forma simplex, non vero emphatica, nisi intercedat articulus דְ vel דִּי, ante quem forma emphatica eleganter adhibetur, ut: הֵיכְלָא דִי־מַלְכָּא *palatium regis.*

Nomina masculina in regimine singulari formam suam simplicem immutatam vulgo retinent, ut: אֱלָהּ שְׁמַיָּא *Deus cœli*, סָפַר דָּתָא *scriba Legis*, &c. Interdum tamen (..) ultimæ mutatur in (-), ut: כְּתַב סְפַר *scriptura libri.* Nomina formæ בַּיִת mutant (-) & (·) in (..), ut: בֵּית אֱלָהָא *domus Dei*, &c. In duali & plur. constructo, יִן & יִן mutantur in י, ut: קַדִּישֵׁי עֶלְיוֹנִין *sancti Dei altissimi*, רִגְלֵי כָהֲנַיָּא vel רַגְלֵי *pedes Sacerdotum*, &c. In eodem plurali, sequente articulo דְ vel דִי, usurpatur etiam forma emphatica, ut: אֻשַּׁיָּא דִי־בֵית אֱלָהָא *fundamenta domus Dei*, &c.

Nomina feminina in singulari constructo mutant א vel ה formæ absolutæ in ת, ut: מִלַּת מַלְכָּא *verbum regis*, à מִלָּא vel מִלָּה, &c. Terminationes in ת remanent integræ, ut: מַלְכוּת אֲנָשָׁא *regnum hominum*, &c. Hic quoque eleganter usurpatur forma emphatica sequente דְ vel דִי, ut: נִשְׁמְתָא דְחַיֵּי *halitus vitæ*, Gen. 2. v. 7. ubi דְחַיֵּי const. est pro absoluto דְחַיִּין. In plurali numero tollitur א ex forma emphatica, ut: אֶצְבְּעָת רַגְלַיָּא *digiti pedum*, ab emphat. אֶצְבְּעָתָא; יוֹמַת עָלְמָא *dies sæculi*, ab emphat. יוֹמָתָא, &c. Quod pertinet ad nominum illorum dualem numerum, is masculinorum eundem numerum imitatur. Denique in hac lingua, ut interdum in Hebraica, status constructus pro absoluto in nominibus masculinis sæpissime usurpatur, maxime in Paraphrasibus Chaldaicis, cujus anomaliæ exemplum mox attulimus in Targum Onqelosi Gen. 2. v. 7. Jam exhibendum est Paradigma nominum Chaldæorum cum eorum forma simplici, emphatica, constructa, & casuum articulis, in סְפַר *liber*, & חָכְמָא *sapientia.*

PARADIGMA

Nominum Chaldæorum cum forma simplici, emphatica, constructa, & casuum articulis.

Nomen masculinum.

Singul. { Absol. / Const. } סְפַר *Liber.*

FORMA

	Emphatica.		Absoluta.
Nomin.	סִפְרָא	*Liber.*	סְפַר
Genit.	דְּסִפְרָא	*Libri.*	דִּסְפַר
Dativ.	לְסִפְרָא	*Libro.*	לִסְפַר
Accus.	יַת־סִפְרָא	*Librum.*	יַת־סְפַר
Vocat.	סִפְרָא	*O liber.*	סְפַר
Ablat.	מִסִּפְרָא	*A libro.*	מִסְּפַר

Nomen femininum.

Singul. { Absol. חָכְמָא / Const. חָכְמַת } *Sapientia.*

FORMA

	Emphatica.		Absoluta.
Nomin.	חָכְמְתָא	*Sapientia.*	חָכְמָא
Genit.	דְּחָכְמְתָא	*Sapientiæ.*	דְּחָכְמָא
Dativ.	לְחָכְמְתָא	*Sapientiæ.*	לְחָכְמָא
Accus.	יַת־חָכְמְתָא	*Sapientiam.*	יַת־חָכְמָא
Vocat.	חָכְמְתָא	*O sapientia.*	חָכְמָא
Ablat.	מֵחָכְמְתָא	*A Sapientia.*	מֵחָכְמָא

Nomen masculinum.				Nomen femininum.			
Plural.	Absol. ספרין	Const. ספרי	*Libri.*	Plural.	Absol. חכמן	Const. חכמת	*Sapientiæ.*

FORMA

	Emphatica.		Absoluta.		Emphatica.		Absoluta.
Nomin.	ספריא	*Libri.*	ספרין	Nomin.	חכמתא	*Sapientiæ.*	חכמן
Genit.	דספריא	*Librorum.*	דספרין	Genit.	דחכמתא	*Sapientiarum.*	דחכמן
Dativ.	לספריא	*Libris.*	לספרין	Dativ.	לחכמתא	*Sapientiis.*	לחכמן
Accus.	ית־ספריא	*Libros.*	ית־ספרין	Accus.	ית־חכמתא	*Sapientias.*	ית־חכמן
Vocat.	ספריא	*O libri.*	ספרין	Vocat.	חכמתא	*O sapientiæ.*	חכמן
Ablat.	מספריא	*A libris.*	מספרין	Ablat.	מחכמתא	*A sapientiis.*	מחכמן

Dualis absolutus est ספרין, emphaticus ספריא, constructus ספרי *duo libri*, ut in plur. quod pertinet ad emphasin & regimen.

Nomina hujus formæ, imo alia fere omnia nomina Chaldaica, duali numero carent, cujus loco usurpatur pluralis.

ARTICULUS III.

De Pronomine.

Ex pronominibus, alia sunt *separata*, alia *conjuncta*. Ex separatis, alia sunt *primitiva*, alia *demonstrativa*, alia *relativa*, alia denique *interrogativa*.

§. I.

Pronomina primitiva.

Pronomina primitiva tria sunt pro tribus personis, quarum prima tam singularis, quam pluralis, & secunda singularis, communis sunt generis.

II. Persona

	Feminina.	Communis.	Masculina.
Singul.		*Tu* את , אנת	
Plural.	*Vos* אתן , אנתין		*Vos* אתון , אנתון

I. Persona

	Communis.
Singul.	*Ego* אנה , אנא
Plural.	*Nos* נחנא , אנחנא , אנן

III. Persona.

	Feminina.	Masculina.
Singul.	*Illa* איהי , היא	*Ille* אנא , איהוא , הוא
Plural.	*Illæ* אנין , הנין	*Illi* המון , אנון , הנון

NOTÆ.

NOTÆ.

Pro חוא *ipse*, in posterioribus Paraphrastis interdum est חִי. Pro אִיהוּ idem, Talmudici dicunt etiam אִינְהוּ & per aphæresin נִיהוּ. Pro אִנּוּן *ipsi*, in Talmude etiam legitur נִנְהוּ pro נִנְהוּן, & אִנְהוּ pro אִנְהוּן. Pro אִיהִי *ipsa*, Talmudici etiam dicunt נִיהִי, נִיהָא, & אִיהָא. Denique pro חִנִּין, אִנִּין *ipsæ*, Talmudici dicunt אִינִּין, נִינְהִי, אִנְהִי.

§. II.

Pronomina demonstrativa.

	Feminina.	Communia.	Masculina.
Singul.	*Hæc, Ista,* דָּךְ, דְּנָה, דְּנָא, דָּא	*Iste, Ista,* דִּכֵן.	*Hic, iste,* דֵּיךְ, דֵּין
Plural.	*Hæ, Istæ,* דִּכֵן	*Isti, Istæ,* אִלֵּין, אִילּוּ	*Hi, Isti,* אִלֵּיךְ, אֵל

NOTÆ.

Pronomina demonstrativa feminina דָּא, דְּנָא, aut דְּנָה sæpissime etiam masculina sunt; unde communia censeri possunt. Ex דֵּין *hic, iste*, fit pronomen compositum אֵידֵין *quisnam?* Sic ex דָּא fit אֵידָא *quænam?* Pro דֵּיךְ *hic, iste*, Talmudistæ dicunt הָכִי vel הַכִּי. Iidem aliis etiam modis pronomina illa exprimunt. Vide D. Buxt. Gram. p. 37.

§. III.

Pronomina relativa & interrogativa.

PRONOMEN relativum unicum est Chaldæis, nempe דִּי separatum, vel דְּ conjunctum, *Qui, quæ, quod*, pro omnibus generibus, numeris, & casibus. Est etiam Genitivi articulus, ut vidimus supra.

Pronomen interrogativum apud Chaldæos duplex est, alterum personæ interrogativum, מַן *Quis? quæ?* pro omnibus generibus, numeris & personis; alterum interrogativum rei, מָה, מָא, *Quid? quod?* Sequente relativo דִּי, pronomen illud מָא, aut מָה, exponitur *illud, id quod.*

§. IV.

Pronomina conjuncta.

PRONOMINA conjuncta ea sunt, quæ cum aliis vocibus conjunguntur, idque vel à principio, & *præfixa* vocantur; vel à fine, & *suffixa* vel *affixa* appellantur.

Præfixa duo sunt, ה & דְּ. Prius, nempe ה, ex הוא Hebræo desumitur, & majoris emphasis gratia quibusdam tertiæ personæ pronominibus præfigitur, ut: הַהוּ *ille ipse*, &c. Posterius, nimirum דְּ, est pro separato דִּי, *qui, quæ, quod*, ut in §. præcedenti vidimus. Inter duo nomina fit articulus genitivi casus. Vide ibid.

Affixa ex pronominibus primitivis oriuntur modo in sequenti diagrammate descripto, in quo secunda persona singularis אַתְּ licet communis, dat tamen affixa masculina & feminina.

Pronominum affixorum ex primitivis origo.

Numer.		I. Persona. Communis.	II. Persona. Masculina.	II. Persona. Feminina.	III. Persona. Masculina.	III. Persona. Feminina.
Singul.		אֲנָא *Ego.*	אַתְּ *Tu*	אַתְּ	הוּא *Ille,*	*Illa* הִיא
		dat	dat	dat	dat	dat
		־ִי , י	־ָךְ , ־ְךְ	־ַךְ , ־ִי , ־ְךְ	־ִי , ־ֵהּ , ־וֹהִי , ה	־ָא , ־ָהּ , ה
Plural.		אֲנַן *Nos.*	אַתּוּן *Vos*	אַתֵּן	הִמּוֹן *Illi,*	*Illæ* הִנִּין
		dat	dat	dat	dat	dat
		־ָא , ־ַן , ו	־כוֹן	־כֵן	־הוֹן ־וֹן	־ֵן , ־ִין , ־ַן , ־ֵן

NOTÆ

In præcedens & sequens Schema.

Litera נ affixis secundæ & tertiæ personæ præmissa, epenthetica est; & hujuscemodi affixa fere solis verbis competunt.

Affixum masculinum ־ֵהּ olim semper habebat prævium (י), sic: ־ֵיהּ, ad discrimen feminini ־ַהּ; eaque forma in Bibliis Venetis etiamnum conspicitur.

Pro affixis כוֹן, הוֹן, in Esdra & posterioribus Paraphrastis etiam est כוֹם, הוֹם; unde לְהוֹם *illis*, לְכוֹם *vobis*.

Pronominibus secundæ & tertiæ personæ in ן finitis accidit sæpe apocopa hujus ן, ut: הִמּוֹ pro הִמּוֹן *eos*, Esd. cap. 4. v. 10. & 7. v. 17.

Denique pronomina affixa, cum delectu tamen, ubi plura sunt ex eodem primitivo nata, cum articulis conjuncta pronominum primitivorum casus obliquos formant, ut apud Hebræos. Vide Grammaticam Hebraicam, tom. 1. pag. 80.

SCHEMA

Pronominum primitivorum cum obliquis eorum casibus.

Singularis numerus.

	I. Persona. Communis.		II. Persona. Femin.		II. Persona. Mascul.	III. Persona. Feminina.		III. Persona. Masculina.
Nomin.	*Ego.*	אֲנָא	Com. *Tu*	אַתְּ vel	אַנְתְּ	הִיא	*Illa.* *Ille.*	הוּא
Genitiv.	*Mei.*	***־ִי	***־ִךְ	*Tui.*	***־ָךְ	***־ַהּ	*Illius.*	***־ֵהּ
Dativ.	*Mibi.*	לִי	לִךְ	*Tibi.*	לָךְ	לַהּ	*Illi.*	לֵהּ
Accusat.	*Me.*	יָתִי	יָתִךְ	*Te.*	יָתָךְ	יָתַהּ	*Illam. Illum.*	יָתֵהּ
Ablativ.	*A me.*	מִנִּי	מִנִּךְ	*A te.*	מִנָּךְ	מִנַּהּ	*Ab illa. Ab illo.*	מִנֵּהּ

SCHEMA

Pronominum primitivorum cum obliquis eorum casibus.

Pluralis numerus.

	I. Persona. Communis.		II. Persona. Femin.		Mascul.	III. Persona. Feminina.		Masculina.
Nomin.	*Nos.*	אֲנַן	אַתֵּן	*Vos.*	אַתּוּן	אִינִּין , הִנִּין	*Illæ. Illi.*	הִנּוּן , אִינּוּן , הִמּוּן
Genitiv.	*Nostrûm.*	*** נָ , ן	***כֵן	*Vestrûm.*	***כוֹן	*** הֵן	*Illarum. Illorum.*	*** הוֹן
Dativ.	*Nobis.*	לָנָא , לַן	לְכֵן	*Vobis.*	לְכוֹן , לְכוֹם	לְהֵן	*Illis.*	לְהוֹן , לְהוֹם
Accusat.	*Nos.*	יָתָנָא , יָתַן	יָתְכֵן	*Vos.*	יָתְכוֹן	יָתְהֵן	*Illas. Illos.*	יָתְהוֹן
Ablativ.	*A nobis.*	מִנָּנָא , מִנַּן	מִנְּכֵן	*A vobis.*	מִנְּכוֹן	מִנְּהֵן	*Ab illis.*	מִנְּהוֹן

§. V.

Pronomina possessiva.

PRONOMINA possessiva Chaldæorum exprimuntur vel per affixa juncta pronomini relativo דִּי *qui, quæ, quod*, vel per eadem affixa juncta cum nominibus, ut apud Hebræos. Prior modus is est: סִפְרָא דִּילִי *liber meus*, דְּסִפְרָא דִּילִי *libri mei*, לְסִפְרָא דִּילִי *libro meo*, יַת־סִפְרָא דִּילִי *librum meum*, &c. סִפְרָא דִּילָנָא *liber noster*, דְּסִפְרָא דִּילָנָא *libri nostri*, לְסִפְרָא דִּילָנָא *libro nostro*, &c. Sic in plur. סִפְרַיָּא דִּילִי *libri mei*, דְּסִפְרַיָּא דִּילִי *librorum meorum*, לְסִפְרַיָּא דִּילִי *libris meis*, סִפְרַיָּא דִּילָנָא *libri nostri*, דְּסִפְרַיָּא דִּילָנָא *librorum nostrorum*, לְסִפְרַיָּא דִּילָנָא *libris nostris*, &c.

Ita in secunda persona, סִפְרָא דִּילָךְ *liber tuus*, masc. סִפְרָא דִּילֵךְ *liber tuus*, femin. סִפְרָא דִּילְכוֹן *liber vester*, mascul. סִפְרָא דִּילְכֵן *liber vester*, fem. סִפְרַיָּא דִּילָךְ *libri tui*, masc. סִפְרַיָּא דִּילֵךְ *libri tui*, fem. סִפְרַיָּא דִּילְכוֹן *libri vestri*, masc. סִפְרַיָּא דִּילְכֵן *libri vestri*, fem.

Sic in tertia persona, סִפְרָא דִּילֵהּ *liber ejus*, mascul. סִפְרָא דִּילַהּ *liber ejus*, femin. סִפְרָא דִּילְהוֹן *liber eorum*, סִפְרָא דִּילְהֵן *liber earum*, סִפְרַיָּא דִּילֵהּ *libri ejus*, masc. סִפְרַיָּא דִּילַהּ *libri ejus*, femin. סִפְרַיָּא דִּילְהוֹן *libri eorum*, סִפְרַיָּא דִּילְהֵן *libri earum*, &c. usurpatis nominibus integre declinatis, ut sup. pagg. 575. 576. & junctis dativis pronominum cum relativo דִּי; in hac enim compositione, סִפְרָא דִּילִי v. g. significat: *liber, qui mibi est*, quod idem est ac *liber meus*. Pro dativo plurali primæ personæ דִּילָנָא *noster*, &c. dicitur etiam דִּילַן per apocopen τοῦ א.

Posterior modus, isque frequentior, est cum pronomina illa possessiva exprimuntur per affixa cum nominibus conjuncta; circa quam compositionem quædam observanda sunt.

I. Non omnia affixa nominibus conveniunt; ab iis enim excluduntur נִי , נָךְ , נֵהּ , נוּן , נֵהּ , נֵין , נִין , נַן.

II. Ex affixis reliquis, alia singulari numero tantum conveniunt, ut: ִי, h. e. (י) præcedente hhiriq qatón, ֵהּ, ַהּ; alia plurali tantum, ut: ַי, וֹהִי, הָא; reliqua utrique numero communia sunt, cui agglutinantur vel ad purum, ut וֹהִי; vel interpositis quibusdam punctis vocalibus, quæ ex descripto in pagina sequenti schemate patebunt. In eo diagrammate voces *masculina, feminina, communia, sing. plur.* ad affixa referuntur.

SCHEMA

Pronominum affixorum, quæ nominibus conveniunt, cum prævii eorum motionibus.

Affixa cum singularia, tum pluralia, cum nomine singulari composita.

	Feminina. Plural.	Feminina. Singul.	Communia. Plural.	Communia. Singul.	Masculina. Plural.	Masculina. Singul.
III. Persona.	־הֵן	־הּ			־הוֹן	־הּ
II. Persona.	־כֵן	־ךְ			־כוֹן	־ךְ
I. Persona.			־נָא	־י		

Affixa cum singularia, tum pluralia, cum nomine plurali conjuncta.

	Feminina. Plural.	Feminina. Singul.	Communia. Plural.	Communia. Singul.	Masculina. Plural.	Masculina. Singul.
III. Persona.	־יהֵן	־יהָא			־יהוֹן	־והִי, ad purum.
II. Persona.	־יכֵן	־יךְ			־יכוֹן	־יךְ
I. Persona.			־ינָא	־י		

Pro ־ךְ invenitur etiam ־ךְ & ־כִי. Pro ־יךְ ponitur quoque ־יכִי & pro ־ינָא affixo primæ perf. plural. ־ן.

III. Omnia illa affixa distinguuntur in affixa absoluta, & in affixa regiminis. הוֹן, הֵן, כוֹן, כֵן affixa sunt regiminis, & formæ constructæ affiguntur. Reliqua sunt absoluta.

IV. Modus affixionis alius est in masculinis, alius in femininis nominibus.

Masculina recipiunt affixa in forma emphatica detracto א, & etiam (-) in plurali, in quo remanere deberet (י) index plur. numeri, sic: סֵפֶר, emphat. סִפְרָא, affix. סִפְרִי *liber meus*, סִפְרַיָּנָא *libri nostri*; at (י) istud sæpius omittitur. Vide inf. p. 582. c. 2.

Eadem ratio est in aliis nominum formis mutabilibus, ut:

מֶלֶךְ, Chald. מְלַךְ, emphat. מַלְכָּא, affix. מַלְכִּי *rex meus*. Plur. emphat. מַלְכַיָּא, affix. מַלְכוֹתִי *reges ejus*. Sic כָּהֲנוֹהִי *Sacerdotes ejus*, &c.

דָּהָב, דְּהַב, emphat. דַּהֲבָא, affix. דַּהֲבִי *aurum meum*, &c.

עֵדֶר, עֲדַר, emphat. עֶדְרָא, affix. עֶדְרִי *grex meus*, &c.

כּוֹתֶל, emphat. כּוֹתְלָא vel כָּתְלָא, affix. כָּתְלִי vel כּוֹתְלִי *paries meus*, &c.

מִסְפֵּד, emphat. מִסְפְּדָא, affix. מִסְפְּדִי *planctus meus*, &c.

Præter has nominum formas mutabiles, affixa simpliciter formæ absolutæ adjungi possunt, ut קְיָם *fœdus*, קְיָמִי *fœdus meum*; פְּתוֹר *mensa*, פְּתוֹרִי *mensa mea*; אֱלָהּ *Deus*, אֱלָהֲכֹם *Deus vester*, &c. Vel emphasis addi potest, ac postea detrahi, sic אֱלָהּ, emphat. אֱלָהָא, demta emphasi א, אֱלָהָךְ *Deus tuus*.

Monosyllaba sequuntur etiam formam emphaticam, ut: שֵׁם *nomen*, emphat. שְׁמָא, affix. שְׁמִי *nomen meum*. לֵב *cor*, emphat. לִבָּא, affix. לִבִּי *cor meum*; יַד *manus*, emphat. יְדָא, affix. יְדָךְ *manus tua*, &c.

Feminina à forma emphatica solam terminationem א abjiciunt, nec sumunt (י) indicem pluralis numeri, ut מִנְחָא *sacrificium*, emphat. מִנְחֲתָא, cum affixis, מִנְחֲתֵהּ *sacrificium ejus*, &c. Plur. simplex מִנְחָן *sacrificia*, emphat. מִנְחָתָא, cum affix. מִנְחָתְהוֹן *sacrificia eorum*, &c. Horum & masculinorum nominum paradigma cum affixis hîc subjiciendum.

PARADIGMA

Nominum Chaldæorum cum affixis.

Nomina masculina.

Singul. { Simpl. סְפַר / Emphat. סִפְרָא } *Liber.*

AFFIXA

Feminina.	Communia.	Masculina.
סִפְרַהּ	*Illius.*	סִפְרֵהּ
סִפְרִךְ	*Tuus.*	סִפְרָךְ
	Meus. סִפְרִי	
סִפְרְהֵן	*Illarum. Illorum.*	סִפְרְהוֹן
סִפְרְכֵן	*Vester.*	סִפְרְכוֹן
	Noster. סִפְרָנָא	

Plural. { Simpl. סִפְרִין / Emphat. סִפְרַיָּא } *Libri.*

Feminina.	Communia.	Masculina.
סִפְרַהָא	*Illius.*	סִפְרוֹהִי
סִפְרַיְכִי vel סִפְרַיִךְ	*Tui.*	סִפְרָיךְ
	Mei. סִפְרַי	
סִפְרֵיהֵן	*Illarum. Illorum.*	סִפְרֵיהוֹן
סִפְרֵיכֵן	*Vestri.*	סִפְרֵיכוֹן
	Nostri. סִפְרֵינָא	

Nomina feminina.

Singul. { Simpl. חָכְמָא / Emphat. חָכְמְתָא } *Sapientia.*

AFFIXA

Feminina.	Communia.	Masculina.
חָכְמְתַהּ	*Illius.*	חָכְמְתֵהּ
חָכְמְתִךְ	*Tua.*	חָכְמְתָךְ
	Mea. חָכְמְתִי	
חָכְמַתְהֵן	*Illorum. Illarum.*	חָכְמַתְהוֹן
חָכְמַתְכֵן	*Vestra.*	חָכְמַתְכוֹן
	Nostra. חָכְמְתָנָא	

Plural. { Simpl. חָכְמָן / Emphat. חָכְמָתָא } *Sapientiæ.*

Feminina.	Communia.	Masculina.
חָכְמָתְהָא	*Illius.*	חָכְמָתוֹהִי
־יְכִי vel חָכְמָתַיִךְ	*Tuæ.*	חָכְמָתָךְ
	Meæ. חָכְמָתַי	
חָכְמָתְהֵן	*Illarum. Illorum.*	חָכְמָתְהוֹן
חָכְמָתְכֵן	*Vestræ.*	חָכְמָתְכוֹן
	Nostræ. חָכְמָתָנָא	

Pro סִפְרָךְ *liber tuus*, femin. dicitur etiam סִפְרְכִי, & חָכְמְתְכִי *sapientia tua*, pro חָכְמְתָךְ, Cetera in Notis sequentibus.

NOTÆ

In affixa cum nominibus masculinis conjuncta.

סִפְרֵהּ] Bis reperitur א pro ה, ut: פִּשְׁרֵא *interpretationem ejus*, Dan. 4. v. 15. & cap. 5. v. 8. Idem affixum singulare הּ ponitur pro affixo plur. וֹהִי, ut: חַרְצֵהּ *lumborum ejus*, Dan. 5. v. 6.

סִפְרַהּ] Cum (-) pro (-) ante ה, בְּפֻמַּהּ *in ore ejus*, Dan. 7. v. 5. עַל גַּבַּהּ *in dorso ejus*, ibid. c. 7. v. 6. Cum (י) superfluo, גַּפַּיהּ *alæ ejus*, Dan. 7. v. 4.

סִפְרָךְ] Anomalum est אֲבוּךְ *pater tuus*, Dan. 5. v. 11. quia tria illa nomina אַב *pater*, אַח *frater*, & חָם *socer*, in singulari numero ante affixa adsciscunt ו, cui illa nude, sive ad purum, junguntur. Attamen cum affixo primæ pers. sing. dicitur אָבִי *pater meus*, Dan. 5. v. 13. cum accentu in penultima; idque anomalus.

סִפְרְהוֹן] Cum (י) otioso ante affixum, גֶּשְׁמֵיהוֹן *corpus suum*, Dan. 3. v. 28. Istud (י) antiquitus denotabat vocalem *e*, quæ nunc per (·) exprimitur. Cum ם pro ן, אֱלָהֲהוֹם *Dei eorum*, vel *sui*, Esd. 7. v. 16. Sic cum affixo secundæ personæ אֱלָהֲכוֹם *Deus vester*, ibid. v. 17.

סִפְרוֹהִי] Affixum istud interdum singularem numerum exprimit in nominibus ex verbis quiescentibus in tertia rad. derivatis, ut: חֲדוֹהִי *pectus ejus*, Dan. 2. v. 32.

סִפְרָהָא] Cum affixo singulari pro plurali, בְּרַגְלַיהּ *in pedibus suis*, Dan. 7. v. 7. ubi (י) redundat, secundum Massorethas. Et cum (-) pro (-), שִׁנַּיהּ *dentes ejus*, וְטִפְרַיהּ & *ungues ejus*, בְּרַגְלַיהּ *pedibus suis*, Dan. 7. v. 19. in quibus exemplis (י) quoque abundat. In ultimo tamen exemplo codices optimi habent בְּרַגְלַיהּ cum (-) in fine.

סִפְרֵיהוֹן] Cum ם loco ן, & sine (י) indice plural. numeri, בְּרָאשֵׁהֹם *inter primores eorum*, Esd. 5. v. 10.

סִפְרָנָא] Debere esse (י) nota plur. numeri, ut in paradigmate illud scripsimus; sed à Massorethis & Targumistis omittitur; quare forma illa pluralis à sing. non differt.

Denique tertia rad. ה aut א, sæpe in (י) commutatur, ut à פְּתָא *latitudo*, fit פְּתָיֵהּ *latitudo ejus*; Esd. 6. v. 3. חֲטָא *peccatum*, חֲטָיָךְ *peccatum tuum*, Dan. 4. v. 24.

מָרֵא *Dominus*, abjicit א, ut מָרִי *Dominus meus*, Dan. 4. v. 16.

Forma בַּיִת cum affixis mutatur in בֵּית, aut בַּית, ut: בַּיְתֵהּ *domus ejus*, Esd. 6. v. 15. בֵּיתָךְ *domus tua*, Gen. 7. v. 1. in Targum.

NOTÆ

In affixa cum nominibus femininis & præpositionibus conjuncta.

חָכְמְתוֹהִי] Non raro affixum singulare הּ pro plurali וֹהִי usurpatur, ut: שֵׁגְלָתֵהּ וּלְחֵנָתֵהּ *uxores ejus, & concubinæ ejus*, Dan. 5. v. 2. Vide etiam v. 6. & cap. 4. v. 34.

חָכְמָתָךְ] Mutata tertia radic. ה aut א in (י), נְבִזְבְּיָתָךְ *munera tua*, Dan. 5. v. 17. à sing. נְבִזְבָּה *munus*.

חָכְמָתִי] Anomalum est אֲבָהָתִי *patrum meorum*, Dan. 2. v. 23. cum hhiriq qatón sub ת loco (-); quanvis Caninius, Ludovicus De Dieu, & alii quidam existiment in hoc plurali ת afficiendum esse hhiriq, non pathahh.

חָכְמָתְהוֹן] Cum ם in fine pro ן, שְׁמָהָתְהֹם *nomina eorum*, Esd. 5. v. 10. (ubi exemplaria quædam accuratiora habent שְׁמָהָתְהוֹם cum (-) sub priori ה loco (-), quasi à plural. femin. emphatico שְׁמָהָתָא, cujus singulare Hebræum est שֵׁם *nomen*, cum emphasi Chald. שְׁמָא, & inserto ה, שְׁמָהָא; unde plurale absol. emphat. שְׁמָהָתָא, const. שְׁמָהָת, vel, ut habent quidam codices, שְׁמָהָת, Esd. 5. v. 4. ut ab אַב *pater*, fit plur. absol. אֲבָהָתָא, unde אֲבָהָתַנָא *patres nostri*, Esd. 5. v. 12. Verum ה, quod in hoc ultimo nomine assumitur, est tertia rad. verbi אָבָה *voluit*, unde אַב *pater*. Forte etiam à radice inusitata שָׁמָה venit שֵׁם *nomen*; unde ה.

quod inseritur, erit quoque radicale.

Præpositiones cum affixis eandem fere punctorum mutationem subeunt, ac nomina, ut עַל super, affix. עֲלָךְ super te, mutato (-) in (:), ut fit in nominibus. Vide supra pag. 573. c. 1. 581. c. 1.

ARTICULUS IV.

De Verbo.

CHALDÆIS, ut & Hebræis, duplicis generis sunt verba; perfecta scilicet & imperfecta. Utraque per sex tantum flectuntur conjugationes, quarum I. est פעל Peal, activa, *fecit*. II. præcedentis passiva, אתפעל Ithpeal, *factus est*. III. פַּעֵל Paél, activa, *perfecit*. IV. præcedentis passiva, אתפעל Ithpaél, *perfectus est*. V. אַפְעֵל Aphél, activa, *fieri jussit*. VI. præcedentis passiva, אפעל Ophal, vel Danieli & Esdræ הָפְעַל hophal, *fieri* vel *facere jussus est*. Septimam Hebræorum conjugationem *Hithpaél* ignorant Chaldæi, quod pertinet ad ejus formam; sed quod spectat ad ejus potestatem, eam exprimunt per *Ithpeál*, aut *Ithpaél*, quæ etiam conjugationes reciproce significant. Imo conjugatio Ophal in Daniele & Esdra tantum reperitur, apud quos sola hæc duo exempla ad formam quidem Hebraicam, characterem quod attinet, ad Chaldaicam vero, quod spectat ad flexionem, efficta inveniuntur, הָתְקְנַת hothqenáth *confirmatus sum*, Dan. 4. v. 33. הָחָרְבַת hohhorvath *devastata est*, Esd. 4. v. 15. Conjugationis hujus loco Chaldæi aliam usurpant, quam vocant אתפעל Ittaphál, quamque in sequenti tantum paradigmate describemus, in aliis vero minime; cum ea locum non habeat in Scriptura sacra Chaldaica, ad cujus intelligentiam præsertim adornatum est istud compendium.

Eadem verbis Chaldaicis tempora sunt, vel modi, quæ Hebraicis; nempe Præteritum, Participium præsens, seu Bénoni; Participium passivum, quod Chaldæis est *Pesil*; Infinitivus, Imperativus, & Futurum.

Tertiæ personæ plurales præteritorum, quæ apud Hebræos communis sunt generis, apud Chaldæos distincto genere donantur. E contrario, secundæ personæ singulares præteritorum, quæ in Hebræa lingua genere distinguuntur, vulgo communes sunt in Chaldaica, maxime in verbis à quiescentibus Lam. א aut Lam. ה diversis.

Futurorum personæ desinentes in (ִי) & ו assumunt plerumque ן paragogic. Quod pertinet ad mutationem punctorum ob flexionem; ad incrementa, quibus constituuntur personæ, ad characteres, &c. hæc sunt in genere observanda.

Ultima motio mutatur in (:) in tertia feminina & prima communi singularibus præteritorum, ut & in secunda femin. singulari, & secunda ac tertia utriusque generis pluralibus futurorum. Alias remanet.

Tertia femin. sing. præteritorum fit addito ַת eidem personæ masculinæ, ut מְסַר, mutato (-) in (:), & priori (:) converso in (ִ) ob concursum, מִסְרַת *tradidit*, fem. eaque persona differt à prima singul. in qua illud ת prævium habet (:), sic: מִסְרֵת *tradidi*. Secunda sing. comm. formatur addito ת, ex אַתְּ *Tu*, ut: מְסַרְתְּ *tradidisti*. Tertia plur. masc. fit addito ו, tertia fem. addito א, secunda plur. masc. adjecto תּוּן, femin. תֵּן, prima comm. adscito נָא.

Participia flectuntur ut nomina; eaque, excepto Peal, assumunt מ characteristicum.

Infinitivus Peal habet מ præfixum sine א paragogico; vice versa, ceteri infinitivi non habent istud מ, sed his in fine adjungitur א præcedente duplici qamets.

Imperativi similes sunt imperativis Hebraicis, nisi quod secunda plural. femin. desinat in נָא pro נָה. Cetera in Notis observabuntur. In hoc articulo de verbis perfectis; in altero, de imperfectis agemus. Perfectorum paradigma sit מְסַר *tradidit*.

ITTAPHAL.			APHEL.			ITHPAEL.		
Personæ			Personæ			Personæ		
Femin.	Comm.	Mascul.	Femin.	Comm.	Mascul.	Femin.	Comm.	Mascul.
אתמסרת		אתמסר	אמסרת		אמסר	אתמסרת		אתמסר
	אתמסרת			אמסרת			אתמסרת	
	אתמסרת			אמסרת			אתמסרת	
אתמסרא		אתמסרו	אמסרא		אמסרו	אתמסרא		אתמסרו
אתמסרתן		אתמסרתון	אמסרתן		אמסרתון	אתמסרתן		אתמסרתון
	אתמסרנא			אמסרנא			אתמסרנא	
מתמסרא		מתמסר	ממסרא		ממסר	מתמסרא		מתמסר
מתמסרן		מתמסרין	ממסרן		ממסרין	מתמסרן		מתמסרין
	caret.		ממסרא		ממסר		caret.	
			ממסרן		ממסרין			
באתמסרא			באמסרא			באתמסרא		
כאתמסרא	אתמסרא		כאמסרא	אמסרא		כאתמסרא	אתמסרא	
לאתמסרא			לאמסרא			לאתמסרא		
מלאתמסרא			מלאמסרא			מלאתמסרא		
אתמסרי		אתמסר	אמסרי		אמסר	אתמסרי		אתמסר
אתמסרנא		אתמסרו	אמסרנא		אמסרו	אתמסרנא		אתמסרו
תתמסר		יתמסר	תמסר		ימסר	תתמסר		יתמסר
תתמסרין		תתמסר	תמסרין		תמסר	תתמסרין		תתמסר
	אתמסר			אמסר			אתמסר	
יתמסרן		יתמסרון	ימסרן		ימסרון	יתמסרן		יתמסרון
תתמסרן		תתמסרון	תמסרן		תמסרון	תתמסרן		תתמסרון
	נתמסר			נמסר			נתמסר	

PAEL. Personæ Fem.	Comm.	Masc.	ITHPEAL. Personæ Fem.	Comm.	Masc.	PEAL. Personæ Fem.	Comm.	Masc.			
מסרת		מסר	אתמסרת		אתמסר	מסרת		מסר *tradidit.*	3.	Sing.	PRÆTERITA.
	מסרת			אתמסרת			מסרת		2.		
	מסרית			אתמסרית			מסרית		1.		
מסרא		מסרו	אתמסרא		אתמסרו	מסרא		מסרו	3.	Plur.	
מסרתן		מסרתון	אתמסרתן		אתמסרתון	מסרתן		מסרתון	2.		
	מסרנא			אתמסרנא			מסרנא		1.		
ממסרא		ממסר	מתמסרא		מתמסר	מסרא		מסר		Sing.	BENONI.
ממסרן		ממסרין	מתמסרן		מתמסרין	מסרן		מסרין		Plur.	
ממסרא		ממסר		caret.		מסירא		מסיר		Sing.	PEIL.
ממסרן		ממסרין				מסירן		מסירין		Plur.	
במסרא כמסרא למסרא מלמסרא	מסרא		באתמסרא כאתמסרא לאתמסרא מלאתמסרא	אתמסרא		בממסר כממסר לממסר מלממסר	ממסר				INFINITIVI ET GERUNDIA.
מסרי		מסר	אתמסרי		אתמסר	מסרי		מסר		Sing.	IMPERATIVI.
מסרנא		מסרו	אתמסרנא		אתמסרו	מסרנא		מסרו		Plur.	
תמסר		ימסר	תתמסר		יתמסר	תמסר		ימסר	3.	Sing.	FUTURA.
תמסרין		תמסר	תתמסרין		תתמסר	תמסרין		תמסר	2.		
	אמסר			אתמסר			אמסר		1.		
ימסרן		ימסרון	יתמסרן		יתמסרון	ימסרן		ימסרון	3.	Plur.	
תמסרן		תמסרון	תתמסרן		תתמסרון	תמסרן		תמסרון	2.		
	נמסר			נתמסר			נמסר		1.		

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Præteritum.

מְסַר] Prima radic. afficitur (:) ſimplici ſub non gutturali, compoſito ſeu (-:) ſub gutturali. Interdum etiam (-) aſſumitur ex Hebraïſmo, ut: אֲמַר *dixit*, Dan. 2. v. 4. niſi ſit Bénoni in forma (-). Secunda vero rad. notatur vel cum (-), quæ eſt forma communis; vel cum (-), ut: קְרֵב *acceſſit*, Dan. 3. v. 26. vel cum hhiriq ſæpius parvo, ut: זְעִק *clamavit*, Dan. 6. v. 20. interdum magno, ut: עֲשִׁית *cogitavit*, Dan. 6. v. 4. vel denique cum hhólem, quæ ultima forma rarior eſt.

מִסְרַת] Cum (-) anomalo pro (-), סִלְקַת *aſcendit*, Dan. 7. v. 8. Si prima vel ſecunda rad. gutturalis ſit; pro hhiriq, prima afficitur (-), vel (-). Hæc ultima motio locum habet etiam ſine gutturali, ut; נִפְקַת *egreſſa eſt*, Dan. 2. v. 13.

In formis Hhólem, Tſeré, Hhiriq, rémanet Schevá ſive ſimplex, ſive compoſitum, ut: בְּטֵלַת *ceſſavit*, Eſd. 4. v. 24. Cum ultima rad. eſt ר, in fine eſt duplex ſeghól; cum vero gutturalis eſt, ibidem reponitur duplex pathahh, ut: אֲמַרַת *dixit*, Dan. 5. v. 10. שְׁמַעַת *audivit*, 3. Reg. 21. v. 15. in Targum.

מְסַרְתְּ] Eſdræ & Danieli hæc forma vulgo utriuſque generis eſt; formatur enim ex אַתְּ *tu*, communis generis. Interdum etiam invenitur Hebraïca terminatio, ut: יְכֵלְתָּ *potuiſti*, maſc. Dan. 2. v. 47. ex forma (-). Tertia gutturali, loco prioris (:) eſt (-) furtivum, ut: שְׂבַעַתְּ *ſatiatus es*, Habac. 2. v. 16. in Targum.

מִסְרֵת] Sic אַמְרֵת *dixi*, Dan. 5. v. 14. ſed cum (-) pro hhiriq ob gutturalem.

מְסַרוּ] Ex forma hhiriq, סְלִקוּ *aſcenderunt*, Eſd. 4. v. 12. Vide etiam Dan. 5. v. 21. & 6. v. 25.

מְסַרָא] Cum ו pro א, quod & ipſum eſt pro א, ut notarunt Maſſorethæ, נְפַלוּ *ceciderunt*, Dan. 7. v. 20. Vel eſt terminatio Hebraïca; vel denique eſt tertia perſ. maſc. pro femin. per enallagen generis. Sic נְפַקוּ *egreſſi ſunt*, (digiti), ibid. cap. 5. v. 5. ubi inſuper eſt (-) ſub ſecunda rad. pro (-).

מְסַרְנָא] Ex forma (-) שְׁאֵלְנָא *interrogavimus*, Eſd. 5. v. 9.

In Benoni.

מָסֵר] Sic עָבֵד *faciens*, Eſd. 7. v. 26. Ex forma hhiriq, יָכִל *potens*, Dan. 3. v. 17. Vide etiam cap. 4. v. 10. cap. 7. v. 9. Si litera ultima ſit ה, ח, ע aut ר, pro (-) vel hhiriq eſt (-), ut: יָדַע *noſcens*, Dan. 2. v. 8. פָּלַח *ſerviens*, Dan. 6. v. 17. אָמַר *dicens*, Dan. 4. v. 4. &c.

מָסְרָא] Sic בָּטְלָא *impeditum manſit*, Eſd. 4. v. 24. Cum ה in fine pro א, כָּתְבָה *ſcribens*, Dan. 5. v. 5. Vide etiam c. 7. v. 7. Cum (-) ab initio loco (-), אָזְלָא *proficiſcens*, Dan. 2. v. 8.

מָסְרִין] Sic פָּלְחִין, unde conſt. פָּלְחֵי Eſd. 7. v. 24. *ſervientes*, *miniſtri*, &c. שָׁפְטִין *judices*, ibid. 7. v. 25. Cum (-) anomalo loco (-) ſub prima rad. חָשְׁחִין *egentes*, Dan. 3. v. 16. פָּרְסִין *dividentes*, ibid. cap. 5. v. 25.

מָסְרָן] Cum (-) ſub prima rad. pro (-) חַשְׁחָן *egentes*, Eſd. 6. v. 9.

In Peil.

מְסִיר] Sic בְּרִיךְ *benedictus*, Dan. 3. v. 28. רְשִׁים *exaratum*, ibid. cap. 6. v. 12. כְּתִיב *ſcriptum*, Eſd. c. 5. v. 7. יְדִיעַ *notum*, ibid. cap. 4. v. 12. שְׁלִיחַ *miſſus*, ibid. c. 7. v. 14.

מְסִירָא] Cum ה pro א, תְּבִירָה *fractum*, Dan. 2. v. 4. שְׁחִיתָה *corruptum*, ibid. v. 9.

מְסִירִין] Cum (-:) loco (:) ob gutturalem, חֲשִׁיבִין *reputati*, Dan. 4. v. 32.

מְסִירָן] Sic פְּתִיחָן *aperta*, Dan. 6. v. 11.

In Infinitivum.

Chaldæi more Hebræorum gerundia exprimunt ope particularum ב, כ, ל, מ, cum infinitivo junctarum; sed post מ interserunt ל, ne, inquiunt grammatici, duo מ concurrant. Quando prima rad. gutturalis est, מ infinitivi character vulgo afficitur (ִ) pro hhiriq qatón, quanvis gutturalis illa plerumque simplex schevá habeat, ut: לְמֶעְבַּד *ad faciendum*, Esd. 4. v. 22. & cap. 7. v. 18.

In Imperativum.

מְסַר] Sic פְּרֻק *redime*, Dan. 4. v. 24.

מְסַרִי] Sic אֱכֻלִי *comede*, Dan. 7. v. 5.

מְסַרוּ] Sic שְׁבֻקוּ *finite*, Esd. 6. v. 7.

In Futurum.

Præter (ֻ) vulgarem hujus futuri terminationem, sæpissime etiam tempus istud desinit in (ַ), licet ultima rad. non sit gutturalis, ut: יִשְׁלַט *dominabitur*, Dan. 5. v. 7. Vide ibidem v. 25. & Esd. 5. v. 17. Unum terminatur in hhiriq præter morem, יִנְתִּן *dabit*, Dan. 2. v. 16. Pro hhiriq qatón sub characteristica, interdum ponitur (ַ) ob gutturalem sequentem, sub qua schevá fingitur dilatatum in (ֲ), תַּעַבְדוּן Esd. 6. v. 8. & תַּעַבְדוּן c. 7. v. 18. *facietis.*

APPENDIX

De præterito passivo Peïl.

Danieli & Esdræ peculiaris est forma præteriti passivi *Peïl*, sic dicti à forma primæ vocis פְּעִיל. Flectitur per genera & numeros ut præteritum. Differt à participio præterito, quod in participio sit proprie hhiriq breve, in hoc vero præterito hhiriq longum. Sic autem flectitur:

מְסִירַת		מְסִיר
מְסִירְתְּ		מְסִירְתָּ
	מְסִירֵת	
מְסִירָא		מְסִירוּ
מְסִירְתֵּן		מְסִירְתּוּן
	מְסִירְנָא	

Hæc præteriti hujus exempla apud Danielem & Esdram leguntur.

מְסִיר] Sic קְטִיל *interfectus est*, Dan. 5. v. 30.

מְסִירַת] Sic קְטִילַת *occisa est*, Dan. 7. v. 11. יְהִיבַת *datum est*, ibid. v. 12.

מְסִירְתָּ] Sic cum א, תְּקִילְתָּא *appensus es*, Dan. 5. v. 27.

מְסִירוּ] Sic יְהִיבוּ *data sunt*, Esd. 5. v. 14. מְרִיטוּ *avulsæ sunt*, Dan. 7. v. 4.

CONJUGATIO ITHPEAL.

NOTÆ

In Præteritum.

Passivæ hujus conjugationis forma desumitur ex Hithpaël Hebræorum. Unde in Daniele & Esdra ה loco א in syllaba אִת sæpe retinetur; sicuti ex forma Chaldaïca apud Hebræos interdum usurpatur א pro ה. Vide Grammatic. Hebraïcam, tom. 1. pag. 190. col. 1. Significatio ejus nunc passiva, nunc reciproca est. Præter (ְ), hæc conjugatio quandoque etiam desinit in (ֵ) & hhiriq.

Syllabæ characteristicæ אִת accidunt *syncopa* & *metathesis.*

Syncopa, cum א vel ת seorsim tolluntur.

Litera א tollitur, quando alia formativa ipsi præponitur, ut: מִתְמְסַר *traditus*, in participio, pro מְאִתְמְסַר; אֶתְמְסַר pro אֶאִתְמְסַר in fut. *tradar.*

Litera ת tollitur quando prima rad. affinis est pronuntiationis, nempe ת, ט, & ד; tunc enim euphoniæ gratia ת characteristicum per daghésch forte prædictis tribus

literis impressum contrahitur, ut: אִדְּבַר pro אִתְדְּבַר *captus est.* Sic in Infinitivo & Imperativo. At in participio & futuro, propter accedentes istorum temporum literas formativas, א & ת simul tolluntur, ut: מִדְּכַר pro מֵאִתְדְּכַר *memoratus.* יִדְּכַר pro יֵאִתְדְּכַר *memorabitur.* Ex usu tamen Syrorum literæ illæ interdum exprimuntur.

Metathesis est literæ ת & primæ radicalis ש, צ, ס, ז; ac insuper eadem litera ת post ז mutatur in ד, & post צ in ט, ut in Hebræo. Hujus metatheseos exempla mox afferentur.

אִתְמְסַר] Cum ה pro א, הִשְׁתְּכַח *inventum est*, Esd. 6. v. 2. ubi insuper est metathesis ת & ש. In Targum persona illa terminatur etiam in (ֵ) & (ִ).

אִתְמְסַרַת] Si tertia rad. fuerit ר, persona illa desinit in duplex (ַ); si gutturalis, in duplex (ֲ), ut: אִתְגְּזֶרֶת, Dan. 2. v. 45. vel הִתְגְּזֶרֶת ibid. v. 34. *excisus est* (lapis), הִשְׁתְּכַחַת *inventa est*, Dan. 6. v. 23.

אִתְמְסַרְתְּ] Quando ultima radic. gutturalis est, ea pro (ְ) afficitur (ַ) furtivo, ut: הִשְׁתְּכַחַתְּ *inventus es*, Dan. 5. v. 27. ubi insuper ת & ש trajiciuntur.

אִתְמְסִרוּ] Ex forma hhiriq, quæ in hac conjugatione etiam usitata est, ut diximus supra, הִתְרְחִצוּ *confisi sunt*, Dan. 3. v. 28.

אִתְמְסַרָא] Cum ו pro ה secundum Massorethas, aut potius pro א, אִתְעֲקַרָו, *eradicata sunt*, Dan. 7. v. 8. ubi insuper א afficitur (ִ) pro (ְ), quod interdum accidit. Vel enallage est mascul. generis pro feminino. Vide supra pag. 586. col. 2. init.

In Benoni.

מִתְמְסַר] Ex forma (ְ) מִתְעֲבֵד *factus*, vel *factum* (judicium), Esd. 7. v. 26. מִתְיְהֵב *datus*, Esd. 4. v. 20. & in plur. מִתְיַהֲבִין *data* (vasa) ibid. c. 7. v. 19. Sequente maqqaph (-) ultimæ corripitur in (ַ), ut: מִתְעֲבַד־ *facta*, ibid. c. 4. v. 19.

In Infinitivum.

אִתְמְסָרָא] Cum ה pro א, quod ibi paragogicum est, לְהִתְקְטָלָה *ad interficiendum*, *ut interficerentur*, Dan. 2. v. 13.

In Futurum.

יִתְמְסַר] Ex forma (ְ), יִתְעֲבֵד *fiat*, Esd. 6. v. 11. c. 7. v. 21. יִתְיְהֵב *detur*, Dan. 4. v. 13.

תִּתְמְסַר] Ex forma hhiriq, & cum metathesi, תִּשְׁתְּבִק *relinquetur*, Dan. 2. v. 44.

CONJUGATIO PAEL.

NOTÆ

In Præteritum.

Hæc conjugatio tertiæ Hebræorum dictæ *Piél* respondet. Daghésch forte in secunda radicali recipit, quod ex litera ר excidens per magnam motionem compensari solet; raro autem, cum ex gutturalibus ejicitur. Sæpissime etiam ex litera scheva notata exsulat. Pro daghésch in secunda interdum prima radicalis movetur per hhólem, ut apud Hebræos; quam conjugationem *quadratam* vocant quidam Grammatici, ut: סוֹבַר *cogitavit*, cum (ַ) in fine, in quod, sicuti & in hhiriq, conjugatio illa Paél quandoque desinit.

Ad hanc conjugationem pertinent verba, quæ constant quatuor aut quinque literis, iisque vel repetitis, vel diversis. Repetitis, ut: בַּלְבֵּל *confudit*, à בְּלַל; diversis, ut: קַטְרֵג *accusavit.* Interdum etiam aliunde adsciscitur litera, quæ sæpissime est ש, aliquando ס, ut: שַׁחְלֵף *immutavit*, ab חֲלַף. Sic סַגְרֵג *granificavit*, à גְּרַד. Denique loco daghésch in secunda radicali, prima afficitur (ַ) sequente (ִ), ut: שֵׁיזִיב *eripuit*, Dan. 3. vers. 24. Sic apud Hebræos הֵיתֵל *illusit.*

מַסֵּר] Ex terminatione hhiriq, קַטֵּל *interfecit*, Dan. 3. v. 22. שַׁכֵּן *habitavit*, Esd. 6. v. 12. Et compensato daghésch ejecto, בָּרֵךְ *benedixit*, Dan. 2. v. 19. Huc etiam pertinet שֵׁיזִיב *eripuit*, Dan. 3. v. 24. de quo supra.

מַסֶּרֶת] Ex terminatione (ֶ), & cum (ֶ)

ſub ה ex forma Hebraïca maſculina, שַׁבַּחְתָּ *laudaſti*, Dan. 5. v. 23.

מַפְּרֵת] Sic שַׁבְּחֵת וְהַדְּרֵת *laudavi & glorificavi*, Dan. 4. v. 31. בָּרְכֵת *benedixi*, ibid. cum (·) pro (-) ſub ב ob daghéſch ejectum.

מַפְּרוּ] Ex forma hhiriq, בַּטִּלוּ *ceſſarunt*, Eſd. 4. v. 23. שַׁכְלִלוּ *abſolverunt*, ibid. cap. 4. v. 12. à כְּלַל, & cum ש adſcito, שַׁכְלִיל. Ex terminatione (-) שַׁבַּחוּ *laudarunt*, Dan. 5. v. 4. Et cum (·) loco (-), בַּקַּרוּ *inquiſierunt*, Eſd. 4. v. 19.

In Benoni.

מְמַפַּר] Cum ultima radic. gutturalis eſt vel ר, penultima litera pro (··) afficitur (-), ut: מְפַשַּׁר *interpretans*, Dan. 5. v. 12. מְהַדַּר *glorificans*, ibidem v. 34. מְשַׁבַּח *laudans*, ibidem.

Ex terminatione hhiriq, מְמַלִּל *loquens*, Dan. c. 7. v. 20. Cum (··) & (י) quieſcente loco daghéſch, מְשֵׁיזִב *liberans*, ibid. c. 6. v. 27.

In Peil.

מְמַפַּר] Hac ſola voce differt participium iſtud à præcedente. Imo ſi in Benoni tertia rad. ſit gutturalis aut ר, nullum intercedit diſcrimen, ut exempla mox allata docent. Compenſato daghéſch ejecto, מְעָרַב *mixtum*, Dan. 2. v. 43. מְבָרַךְ *benedictum*, ibid. v. 20.

In Infinitivum.

מַפְּרָא] Sic לְבַטָּלָא *ad impediendum*, Eſd. 4. v. 21. Cum ה pro א, לְקַטָּלָה *ad interficiendum*, Dan. 2. v. 13. לְבַקָּרָה *ad quærendum*, Eſd. 7. v. 14. לְשַׁכְלָלָה *ad abſolvendum*, ibid. cap. 5. v. 3. ubi inſuper eſt ש adſcititium pro לְכַלָּלָה.

In Imperativum.

מַפְּרוּ] Ex terminatione (-), בַּדַּרוּ *ſpargite*, Dan. 4. v. 11. Ex terminatione hhiriq, קַצִּצוּ *amputate*, ibid.

In Futurum.

יְמַפַּר] Ex terminatione (-), יְמַגַּר *dejiciet*, Eſd. 6. v. 12. יְבַקַּר *inquiret*, ibid. cap. 4. v. 15.

תְּמַפַּר] Sic ותקרב *& offeres*, Eſd. 7. v. 17. cum (·) loco (-) ad compenſandum dagh. ejectum.

CONJUGATIO ITHPAEL.

NOTÆ

In Præteritum.

Syllaba formativa hujus conjugationis אִתְ ſyncopen & metatheſin patitur ut in Ithpeál. Vide ſupra p. 587. coll. 1. 2. Terminationes communes ſunt (··), (-), & (·.). Frequentior tamen eſt forma (-); unde quamplurimi conjugationem hanc vocant *Ithpaál*. In Daniele & Eſdra pro א priori litera characteriſtica, ſæpius eſt ה.

אִתְמַפַּר vel אִתְמַפֵּר] Ex forma (-), & cum ה pro א, הִתְחָרַךְ *combuſtus fuit*, Dan. 3. v. 27. ubi daghéſch ejectum compenſatur per (·) loco (-) ſub ה.

אִתְמַפַּרוּ] Sic הִתְנַדַּבוּ *ſponte obtulerunt*, Eſd. 7. v. 15. cum ה loco א.

אִתְמַפַּרְתּוּן] Cum ה pro א, ut ſupra, metatheſi ז & ת, quod ת inſuper mutatur in ד, vide ſupra p. 588. c. 1. & ex terminatione hhiriq, הִזְדַּמִּנְתּוּן *præparaſtis vos*, Dan. 2. v. 9. ut legendum docent Maſſorethæ, cum ſcriptum ſit הִזְמִנְתּוּן.

In Benoni.

מִתְמַפַּר vel מִתְמַפֵּר] Sic ex terminatione (-), מִתְנַדַּב *ſponte ſe offerens*, Eſd. 7. v. 13. מִתְנַצַּח *præfectus*, Dan. 6. v. 3. מִתְבְּהַל *conturbatus*, ibid. c. 5. v. 9. cum (·) ſub ב loco (-) ad compenſandum daghéſch ejectum; מִשְׁתַּדַּר *ſtudens, tentans*, Dan. 6. v. 15. cum metatheſi ש & ת.

מִתְמַפְּרִין] Sic מִתְנַדְּבִין *ſponte offerentes*, Eſd. 7. v. 16. מִתְקַטְּלִין *interfecti*, Dan. 2. v. 13. מִשְׁתַּבְּשִׁין *attoniti*, ibid. c. 5. v. 9. ubi etiam ש & ת trajiciuntur.

Cetera conjugationis hujus tempora, sive modi, analoga sunt. Sic in fut. יִתְבַּקַּר *requiretur*, Esd. 5. v. 17. יִצְטַבַּע *intingatur*, Dan. 4. v. 12. ubi צ & ת transponuntur, & præterea ת mutatur in ט. Vide supra pag. 588. c. 1.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

Litera characteristica א themati præposita sæpius ab Esdra & Daniele mutatur in ה. Pro (··) finali promiscue usurpatur hhiriq, imo & (-), si tertia radic. gutturalis sit aut ר.

אַמְסַר vel אַמְסֵר] Ex forma (-), & cum ה pro א, הַצְלַח *prospere egit*, Dan. 6. v. 28.

אַמְסַרְתְּ vel אַמְסֵרְתְּ] Ex forma (··), & cum ה pro א initio, הַשְׁפֵּלְתְּ *humiliasti*, Dan. 5. v. 22.

אַמְסְרֵת] Anomalum est הַשְׁכַּחַת *inveni*, Dan. 2. v. 25. cum duplici pathahh ob tertiam radicalem gutturalem, & cum ה ab initio pro א.

אַמְסְרוּ] Sic הַרְגִּשׁוּ *convenerunt*, Dan. 6. v. 16. הַרְגִּזוּ *irritaverunt*, Esd. 5. v. 12. Vide etiam cap. 6. v. 17. Ex terminatione (-) ob gutturalem, הַשְׁכַּחוּ *invenerunt*, Esd. 4. v. 19. In quibus exemplis est ה ab initio pro א.

אַמְסַרְנָא] Ex terminatione (-) ob gutturalem, & cum ה initio, הַשְׁכַּחְנָא *invenimus*, Dan. 6. v. 5.

In Benoni.

מַמְסֵר] Ex forma hhiriq, מַשְׁפִּל *humilians*, Dan. 5. v. 19.

מַמְסְרָא] Cum ה in fine pro א, מַחְצְפָה Dan. 3. v. 22. & servato ה characteristico, quod itidem est pro א, מְהַחְצְפָה Dan. 2. v. 15. *accelerans*. Sic מְהַנְזְקָא aut מְהַנְזְקָה *damnosa*; unde in const. מְהַנְזְקַת מַלְכִין *damnosa regibus*, Esd. 4. v. 15.

מַמְסְרִין] Cum ה characteristico servato, מְהַקְרְבִין *offerentes*, Esd. 6. v. 10.

Participium passivum Peil non differt ab hoc Benoni, nisi in terminatione primariæ vocis, quæ est in (-), ut: מַצְלַח *prosperans*, Esd. 5. v. 8.

In Infinitivum.

אַמְסָרָא] Cum ה pro א in fine & ab initio, לְהַשְׁפָּלָה *ad humiliandum*, Dan. 4. v. 34. לְהַשְׁכָּחָה *ad inveniendum*, ibid. cap. 6. v. 4. לְהַשְׁמָדָה *ad disperdendum*, ibid. cap. 7. v. 26. Sæpe infinitivus iste naturam nominis induit; tuncque formam nominis feminini constructi assumit, ut: לְהַנְזָקַת מַלְכִין *ad nocendum regibus*, vel *in damnum regum*, Esd. 4. v. 22.

In Imperativum.

אַמְסֵר] Sic הַשְׁלֵם cum ה pro א, *restitue*, Esd. 7. v. 19.

In Futurum.

יַמְסֵר] Ex forma hhiriq, & cum ה characteristico, יְהַשְׁפִּל *humiliabit*, Dan. 7. v. 24.

תַּמְסַר] Ex forma (-) ob tertiam rad. ח, & servato charactere ה pro א, תְּהַשְׁכַּח *invenies*, Dan. 7. v. 16.

נַמְסֵר] Ex forma (-), & servato ה characteristico, נְהַשְׁכַּח *inveniemus*, Dan. 6. v. 5.

Quod pertinet ad conjugationem Ophál soli Danieli & Esdræ usitatam, duo in ea solummodo exempla reperiuntur, quæ attulimus supra pag. 583. c. 1.

Conjugationem Ittaphal hîc prætermittimus, quod nulla ejus exempla suppeditet Scriptura sacra Chaldaïca.

Hæc pro verbis perfectis sufficiant. Attamen priusquam ad imperfecta transeamus, duo adhuc volumus observanda.

I. Licet participium passivum dictum *Paoul* in verbis passivis Hebraïcis collocaverimus, excepto Qal in quo repositum est ob literarum servilium absentiam: tamen *Peil* Chaldæorum, quod τῷ Paoul respondet, inter verba activa descripsimus, eo

quod istud participium, præterquam in Peal, idem sit ac Benoni, nisi quod vox ejus primaria in ultima sua motione ab hoc Benoni interdum discrepet.

II. In conjugatione Aphel, ante incrementa vocalia, motio ultima primariæ vocis mutatur modo in hhiriq ex forma hhiriq vel ex forma Hebraïca; modo in (·), ex forma (··); vel accelerandæ pronuntiationis gratia, ut fit interdum apud Hebræos. Vide Grammaticam Hebraicam, tom. I. p. 184. c. I. 2. 186. c. 2. Utraque illa observatio non solum in verbis perfectis, verum etiam in imperfectis locum habet.

ARTICULUS V.

De Verbis imperfectis.

CHALDÆIS, ut & Hebræis, verba imperfecta duplicis sunt generis, *Defectiva* & *Quiescentia*. Utraque tamen neque omnia, neque semper, neque ubique imperfecta sunt.

Defectiva sunt, in quibus litera aliqua thematis inter conjugandum deficit, ac deficiens per daghésch forte compensatur in litera sequenti, modo id vocis forma patiatur, h. e. modo litera illa sequens non sit prima aut ultima dictionis litera, cui daghésch forte non imprimitur.

Quiescentia verba sunt, quæ ex una aut altera litera quiescente componuntur; suntque trium generum pro numero trium radicalium literarum; unde vocantur quiescentia *Pé*, quiescentia *Aiin*, & quiescentia *Lámedh*, ut apud Hebræos.

§. I.

De Verbis defectivis.

VERBA defectiva ea sunt, quorum prima radicalis est נ, ut נְפַק *egressus est*; quibus adjunguntur verba quædam ab (י) inchoata, de quibus infra in verbis quiescentibus *Pé* (י). Duo illa verborum genera vocantur defectiva *Pé* נ, aut *Pé* (י).

Alterum verborum defectivorum genus eorum est, quorum secunda & tertia radicalis similes sunt, ut דְּקַק *comminuit*.

VERBA DEFECTIVA PE נ.

HÆc verba defectiva tantum sunt in infinitivo, imperativo, & futuro Peál, in toto Aphél, & in toto Ophál. Imo, hæc ultima conjugatio Ophál rara est; duo enim tantummodo exempla in Daniele reperiuntur ad Hebraïsmum conformata; nempe הֻנְפַק *eductus est*, Dan. 6. v. 23. al. 24. & הָנְחַת *descendere factus, depositus est*, Dan. 5. v. 20. In hoc utroque exemplo ה pro א usurpatur, quod Danieli familiare esse diximus. Posterius etiam exemplum analogum est.

Præteritum & utrumque participium Peál, integræ conjugationes Ithpeál, Paél, & Ithpaél, sequuntur analogiam perfectorum. Frustra igitur earum hic paradigmata describerentur. Quare sufficiat conjugationes Peal & Aphél hîc flectere. Imo satis esset tria ultima tempora, seu modos, conjugationis Peal exhibere, cum in iis solis ea imperfecta sit; verum ut melius flexionis analogia intelligatur, memoriæque infigatur: his quoque præteritum & participia operæpretium nobis visum est adjungere. Sit itaque paradigma נְפַק *exivit*.

APHEL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.	PEAL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.			
אפקת	*eduxit.*	אפק	נפקת	*exivit.*	נפק	3.	Singul.	PRÆTERITA.
	אפקת			נפקת		2.		
	אפקת			נפקת		1.		
אפקא		אפקו	נפקא		נפקו	3.	Plural.	
אפקתן		אפקתון	נפקתן		נפקתון	2.		
	אפקנא			נפקנא		1.		
מפקא		מפק	נפקא		נפק		Singul.	BENONI.
מפקן		מפקין	נפקן		נפקין		Plural.	
מפקא		מפק	נפיקא		נפיק		Singul.	PEIL.
מפקן		מפקין	נפיקן		נפיקין		Plural.	
באפקא	אפקא		במפק	מפק				INFINITIVI ET GERUNDIA.
כאפקא			כמפק					
לאפקא			למפק					
מלאפקא			מלמפק					
אפקי		אפק	פקי		פק		Singul.	IMPERATIVI.
אפקנא		אפקו	פקנא		פקו		Plural.	
תפק		יפק	תפק		יפק	3.	Singul.	FUTURA.
תפקין		תפק	תפקין		תפק	2.		
	אפק			אפק		1.		
יפקן		יפקון	יפקן		יפקון	3.	Plural.	
תפקן		תפקון	תפקן		תפקון	2.		
	נפק			נפק		1.		

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Infinitivum.

Infinitivus sæpe analogiam perfectorum sequitur, ut: לְמִנְתַּן *ad dandum*, Esd. 7. v. 20. Sæpe etiam in Targum desinit in (ָ) vel hhólem.

In Imperativum.

Imperativus præter (ֻ) terminatur etiam in (ו), (ִ) & (ַ). Exempla passim in Targum. Hîc deficit prima radicalis sine compensatione, quod secunda, in qua per daghésch forte compensanda erat, fit prima dictionis litera. Vide supra pag. 591. c. 1. 2. initio. Præter hujusce Imperativi terminationes commemoratas, desinit etiam in ו, ut: פּוּק *egredere*; unde in plurali פּוּקוּ *egredimini*, Dan. 3. v. 26. In aliis tamen exemplaribus legitur פֻּקוּ ex forma פֻּק.

In Futurum.

Futurum easdem terminationes habet atque Imperativus. Ex forma (ִ), יִפֵּל *procidet*, Dan. 3. v. 6. & sequente Maqqáph, יִפֶּל־ *continget*, Esd. 7. v. 20. Ex eadem forma (ַ) & perfecta, תִּנְתַּן *dabis*, Esd. 7. v. 20. Ex forma imperfecta, & in secunda pers. plur. masc. תִּפְּלוּן *procidetis*, Dan. 7. v. 5.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

הַנְפֵּק אַפֵּק] Analogum seu perfectum est הַנְפֵּק *eduxit*, Esd. 5. v. 14. cum ה pro א, quod in hac conjugatione apud Danielem & Esdram frequentissimum est.

אַסִּקוּ] Ex forma hhiríq, הַסִּקוּ *ascendere fecerunt*, Dan. 3. v. 22. Analogum est הַנְפִּקוּ *exportarunt*, Dan. 5. v. 3. cum ה utrobique ab initio pro א, ut in persona præcedenti.

In Benoni.

מַפֵּק] Ex forma hhiríq, מַצִּל *eripiens*, Dan. 6. v. 27. al. 28. Hinc מַפִּיק Mappíq *educens*, punctum grammaticum sic dictum, quod ex litera ה, cui imprimitur in fine dictionis, sonum educat, seu eam mobilem efficiat. Vide Grammaticam Hebraïcam, tom. 1. pag. 25. in medio, 30. c. 1. 2.

In Peil.

מַפְּקִין] Cum ה charact. expresso, מְהַחְתִין *repositæ*, Esd. 6. v. 1. pro מַחְתִין.

In Infinitivum.

אַפָּקָא] Cum duplici ה pro duplici א, לְהַצָּלָה *eripere*, Dan. 3. v. 29. Analogum est לְהַנְפָּקָה *educere*, Dan. 6. v. 24. Sic לְהַנְזָקָה *nocere*, unde in forma feminina constructa, לְהַנְזָקַת, vide supra in perfect. pag. 590. col. 2. Hic infinitivus ita constructus naturam & formam nominis induit. Vide tom. 1. pag. 351. c. 2. in fine, 352. c. 1. initio, ubi exempla duo infinitivorum cum affixis in hac forma conjunctorum afferuntur.

In Imperativum.

אַפֵּק] Anomalum est אָחֵת *deduc*, vel *pone, repone*, Esd. 5. v. 15. cum (ָ) sub א loco (ַ), aut (ֵ) ad compensandum dagh. deperditum. Quod factum putat D. Buxtorfius, ut imperativus à præterito differat.

אַפִּקוּ] Ex terminatione (ִ) ob tertiam rad. ר, אַפַּרוּ *dejicite*, Dan. 4. v. 11.

In Futurum.

תַּפֵּק *educes*, masc.] Sine daghésch compensato, וְתַחֵת & *repones*, Esd. 6. v. 5. Analogum est תְּהַנְזִק *dammum asseres*, Esd. 4. v. 13. ubi insuper exprimitur ה characteristicum, quod & ipsum est pro א.

Conjugatio Ophal duo tantum exempla suppeditat, quæ vide supra pag. 591. c. 1. 2.

Præteritum Passivum Peil, & conjugationes Ithpeal, Paél, & Ithpaél perfectæ sunt, ut: נְטִילַת tertia persona singularis feminina Peil, *efferebatur*, Dan. 7. v. 4. יִתְנְסַח tertia pers. sing. masc. fut. Ithpeal, *evelletur*, Esd. 6. v. 11. לְנַסָּכָה infinit. Paél, *ad libandum*, Dan. 2. v. 46. cum ה in fine pro א. Præterea vox illa notatur in Daniele cum accentu in penultima ob concursum. יִתְנַכַּח tertia pers. sing. masc. fut. Ithpaél, *evelletur*. Esd. 6. v. 11.

Defectiva Pé (י) in verbis ab hac litera inchoatis inferius adnotabuntur.

VERBA DEFECTIVA AIIN.

VERBA defectiva Aiín ea sunt, quæ habent secundam radicalem tertiæ similem; unde geminantia seu duplicantia secundam radicalem appellantur, ut: דְּקַק *comminuit*.

In his participium præsens & passivum, sive Peil, conjugationis Peal perfecta sunt. Tamen Dan. 4. v. 4. Massorethæ participium præsens sic punctarunt, ut formam imperfectam referat, sic: עָלִּין pro עָלְלִין *ingredientes*, masc. quasi à singulari עָל. Ita in plurali feminino עָלָּן, Ruth. 1. vv. 18. 22. At præterquam quod in עָלְלִין literæ formam perfectam exhibent, ut apud Hebræos; sæpius in Targum istud participium perfectum reperitur, ut: עָלֵיל cum (ֵ) antiqua vocali *e*, *ascendens*, *crescens*, Deut. 11. v. 10. Ose. 14. v. 8. גָּזֵיז *tondens*, 1. Reg. 25. v. 4. plur. גָּזְזִין *tondentes*, 2. Reg. 13. v. 23. כָּפֵיף *incurvans se*, Isai. 58. v. 4. חָגְגִין *tripudiantes*, 1. Reg. 30. v. 16. &c. Satius itaque duximus cum doctissimis viris Ludovico *de Dieu*, Altingo, &c. istud Benoni perfectum quam imperfectum in sequenti paradigmate exhibere. Vide infra pag. 596. col. 1. notas in hoc participium.

Conjugationes Ithpeal, Paél, & Ithpaél totæ etiam analogæ sunt. Peal igitur, excepto Benoni & participio passivo, Aphél & Ophal secundam radicalem inter flectendum amittunt, eamque per daghésch forte tertiæ radicali impressum (modo vox à fine crescat) compensant. Sæpius tamen daghésch istud ex litera Scheva notata sine compensatione excidit; quod & Hebræis familiare. Verum id Chaldæis peculiare est, quod deficientem secundam compensent per daghésch in prima, non in tertia, quoties præfigitur litera characteristica temporis. Alioqui, si nulla litera servilis præcedat, compensatio fit in tertia, ut apud Hebræos. Attamen si tertia illa radicalis sit ultima dictionis litera, nulla fit in ea secundæ excidentis per daghésch compensatio, ut: דַּק *comminuit*; quia hujuscemodi daghésch forte ultimæ vocis literæ nunquam imprimitur. Imo in secundis personis & prima plurali Præteriti Peal, necnon in secunda plur. femin. Imperativi ejusdem conjugationis nulla fit compensatio, quanvis accedant incrementa, quod in his personis tertia radicalis afficienda sit (ְ) muto.

Ceterum verba illa non raro formas suas confundunt cum quiescentibus in secunda, ut רוּם & רָמַם *exaltari*; quæ commutatio locum etiam habet in lingua Hebraica. Vide Grammaticam Hebraicam, tom. 1. pag. 210. num. V.

Jam schema seu paradigma duarum conjugationum Peal & Aphél describendum; duo enim tantummodo exempla ex Ophal in Daniele leguntur, nempe: הֻעַל *introductus est*, cap. 5. v. 13. & הֻעַלּוּ, vel, ut habent alia exemplaria, הֻעַלְוּ *introducti sunt*, v. 15. in quibus exemplis pro more Danielis ה pro א usurpatur. Sit igitur paradigma דְּקַק *comminuit*.

APHEL. Personæ Femin.	APHEL. Personæ Comm.	APHEL. Personæ Masc.	PEAL. Personæ Femin.	PEAL. Personæ Comm.	PEAL. Personæ Masc.			
אַדִּקַּת		אַדִּק	דַּקַּת	*comminuit.*	דַּק	3.	Singul.	PRÆTERITA.
	אַדֵּקְתְּ			דַּקְתְּ		2.		
	אַדֵּקֵת			דַּקֵּת		1.		
אַדִּקָּא		אַדִּקוּ	דַּקָּא		דַּקוּ	3.	Plural.	
אַדֵּקְתֵּין		אַדֵּקְתּוּן	דַּקְתֵּין		דַּקְתּוּן	2.		
	אַדֵּקְנָא			דַּקְנָא		1.		
מַדִּקָּא		מַדִּק	דָּקְקָא		דָּקֵק		Singul.	BENONI.
מַדְּקָן		מַדְּקִין	דָּקְקָן		דָּקְקִין		Plural.	
מַדְּקָא		מַדַּק	דְּקִיקָא		דְּקִיק		Singul.	PEIL.
מַדְּקָן		מַדְּקִין	דְּקִיקָן		דְּקִיקִין		Plural.	
בְּאַדָּקָא			בְּמִדַּק					INFINITIVI ET GERUNDIA.
כְּאַדָּקָא			כְּמִדַּק					
	אַדָּקָא			מִדַּק				
לְאַדָּקָא			לְמִדַּק					
כְּלַאֲדָּקָא			מִלְמִדַּק.					
אַדִּקִי		אַדִּק	דְּקִי		דְּק		Singul.	IMPERATIVI.
אַדִּקְנָא		אַדִּקוּ	דְּקְנָא		דְּקוּ		Plural.	
תַּדִּק		יַדִּק	תְּדוּק		יְדוּק	3.	Singul.	FUTURA.
תַּדְּקִין		תַּדִּק	תְּדְּקִין		תְּדוּק	2.		
	אַדִּק			אָדוּק		1.		
יַדְּקָן		יַדְּקוּן	יִדְּקָן		יִדְּקוּן	3.	Plural.	
תַּדְּקָן		תַּדְּקוּן	תִּדְּקָן		תִּדְּקוּן	2.		
	נַדִּק			נְדוּק		1.		

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Præteritum.

נַדַּת] Sic נַדַּת *fugit*, Dan. 6. v. 19. Anomalum est עַלַּלַת *ingressa est*, ibid. c. 5. v. 10. quod secundum consonas legendum esset more perfectorum עַלְלַת, formæ אֲזַלַת; sed Massorethæ alterum ל redundare notarunt, & legendum defective עַלַּת.

דָּקוּ] Ex forma quiescentium Aïn, דָּקוּ *comminuta sunt*, Dan. 2. v. 35. quasi à דּוּק.

In Benoni.

דָּקְקִין] Anomalum est עָלְלִין *ingredientes*, Dan. 4. v. 4. ubi literæ consonantes integram formam ostendunt, quasi עָלְלִין; sed vocales defectivam arguunt, nempe עָלִּין quasi à עַל. Hinc Massorethæ notarunt in עָלְלִין alterum ל redundare. Pro (ָ) sub ע melius reponeretur (ַ); nam (ָ) istud, sequente daghésch forti, nec interposito accentu, est qámets hhatoúph, non magnum qámets. Vel ל in עָל daghésch imprimi non debet.

In Infinitivum.

מִדַּק] Daghésch sine compensatione ejecto, בְּמִחַן *in gratiam faciendo*, Dan. 4. v. 24. pro בְּמִחַּן. מֶעָלֵי aut מֶעָל Dan. 6. v. 14. al. 15. quod huc reducunt nonnulli, est potius nomen plurale constructum *occasus*, quam Infinitivus. Hujus porro nominis singulare esset מֶעָל aut מֶעָל.

In Imperativum.

In Targum hic Imperativus sæpe etiam desinit in ו & in (ֻ) loco Hhólem.

דֹּקוּ] Sic גֹּדּוּ *succidite*, Dan. 4. v. 11. In Targum sæpe Hhólem plenum est.

In Futurum.

תִּדּוֹק] Sic תֵּרֹעַ *confringet*, Dan. 2. v. 40. cum (ֵ) loco (ִ) ad compensandum daghésch ejectum, & hhólem deficiente ob viciniam ר & ע.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

אַדִּק] Cum נ loco daghésch, vide supra pag. 571. c. 1. הַנְעֵל *introduxit*, Dan. 2. v. 25. ubi insuper est ה pro א.

אַדִּקַת] Anomalum est הַדֶּקֶת *& comminuit*, Dan. 2. v. 34. ubi ob accentum ab ultima ad penultimam præter analogiam retractum, reducta est motio primariæ vocis, nempe (ִ); & (ַ) ultimæ mutatum est in (ֶ); duæ enim illæ motiones sæpius invicem permutantur.

אַדִּקוּ] Cum ה ab initio pro א, הַדִּקוּ *comminuerunt*, Dan. 6. v. 25.

In Benoni.

מַדִּק] Servato charactere ה posito pro א, מְהַדֵּק *conterens*, Dan. 2. v. 40.

מַדְּקָא] Cum ה in fine loco א, מַדְּקָה *comminuens*, Dan. 7. v. 7.

In Infinitivum.

אַדָּקָא] Cum ה à fine & ab initio pro א, לְהֶעָלָה *ad adducendum*, Dan. 5. v. 7. ubi prius ה afficitur (ֶ) loco (ַ) ad compensandum daghésch ejectum, quod (ַ) mutatum fuit in (ֶ) ob sequentem gutturalem ע cum (ָ) notatam. Vide Grammat.

Heb. tom. 1. pag. 148. col. 2. Cum נ loco daghésch, לְהַנְעָלָה idem, Dan. 4. v. 3.

In Imperativum.

אַיְתִי] Sic daghésch non compensato, & cum ה loco א, הַעֵל, unde cum affixo, הַעֲלְנִי *introduc me*, Dan. 2. v. 24. ubi tamen alia exemplaria habent הַעֲלְנִי cum (·) daghésch ejectum compensante.

In Futurum.

יַדִּק] Ex forma hhiriq, quæ uti & forma (-), huic etiam conjugationi communis est, תַּדִּק *comminuet*, Dan. 2. v. 40. Perfecte, h. e. expressis tribus literis radicalibus, תַּטְלֵל *obumbrabit*, Dan. 4. v. 9. pro תַּטֵּל.

Exempla Ophal vide supra pag. 594. c. 2. in fine, ubi afferuntur.

§. II.

De Verbis Quiescentibus.

VERBA quiescentia Chaldæorum eadem sunt ac verba quiescentia Hebræorum. Illa siquidem eo nomine appellantur, I. Quæ incipiunt ab א vel (י); dicunturque verba quiescentia *Pé* א, aut *Pé* (י). II. Quæ pro secunda radicali habent ו, vel (י); & sunt quiescentia Aïn ו vel Aïn (י). III. Quæ desinunt in א, vel ה; & vocantur quiescentia Lamedh א, & Lamedh ה. Vide tom. 1. pag. 228. Art. II.

VERBA QUIESCENTIA PE א.

HORUMCE verborum anomalia sita est in א vel quiescente, vel mutato in ו aut (י).

Quiescit א 1°. in infinitivo Peál; quare מ characteristicum notatur cum (-) loco hhiriq qatón aut (·) ad hanc quietem compensandam, ut: מֵאכַל pro מֶאֱכַל aut מֵאכַל *comedere*. 2°. in futuro ejusdem conjugationis maxime apud Danielem. Vide notas.

Idem א mutatur in ו hhólem in conjugatione Aphél, ut: אוֹכֵל *cibavit*; in ו schouréq in conjugatione Ophál, sic: אוּכַל *cibatus est*, &c. Nisi duæ illæ conjugationes imitentur formam verborum quiescentium Pé (י), de quibus infra; nam ex facili permutatione literarum אהוי duo hæc verborum genera formas suas sæpius invicem commutant.

Denique א mutatur in (י) in Futuro Peál, ut: יֵיכֻל *comedet*, &c. nisi pariter futurum istud sequatur analogiam quiescentium Pé (י). Vide infra pag. 600. col. 1. in futuro Peal.

Quod pertinet ad conjugationes & tempora perfecta vel imperfecta horumce verborum quiescentium Pé א, Præteritum & utrumque Participium in Peal analoga sunt, sicuti & integræ conjugationes Ithpeál, Paél, & Ithpaél. Anomaliæ igitur subjacent tantummodo Infinitivus, Imperativus, & Futurum Peal, necnon conjugationes Aphél & Ophal. Imo conjugationis Ophal unicum exemplum ad formam Hebraicam quiesc. *Pé* (י) conformatum reperire est Dan. 7. v. 11. וְהוּבַד *& perditum est*. Paradigma itaque Infinitivi, Imperativi & Futuri Peal, necnon conjugationis Aphél, hîc describere sufficiat. Verum ut præteritum & participia Peal magis adhuc innotescant, ea quoque exhibenda sunt in sequenti paradigmate, quod est אֲכַל *comedit*. In hoc Præterito, necnon in Peil, & in Imperativo ejusdem conjugationis Peal, א notatur cum scheva composito loco simplicis, quod scheva simplex mobile nunquam subjiciatur gutturali. At quando sequitur aliud (·) ex analogia, scheva istud compositum mutatur in parvam motionem ex qua componitur, ut: אֲכַל *comedit*, masc. אַכְלַת non אֲכַלַת *comedit*, fem. אַכְלֵת non אֲכַלֵת *comedi*, comm.

APHEL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.	PEAL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.			
אוכלת	*cibavit.*	אוכל	אכלת	*comedit.*	אכל	3.	Singul.	PRÆTERITA.
	אוכלת			אכלת		2.		
	אוכלת			אכלת		1.		
אוכלא		אוכלו	אכלא		אכלו	3.	Plural.	
אוכלתן		אוכלתון	אכלתן		אכלתון	2.		
	אוכלנא			אכלנא		1.		
מוכלא		מוכל	אכלא		אכל		Singul.	BENONI.
מוכלן		מוכלין	אכלן		אכלין		Plural.	
מוכלא		מוכל	אכילא		אכיל		Singul.	PEIL.
מוכלן		מוכלין	אכילן		אכלין		Plural.	
באוכלא, כאוכלא, לאוכלא, מלאוכלא	אוכלא		במאכל, כמאכל, למאכל, מלמאכל	מאכל				INFINITIVI ET GERUNDIA.
אוכלי		אוכל	אכלי		אכל		Singul.	IMPERATIVI.
אוכלנא		אוכלו	אכלנא		אכלו		Plural.	
תוכל		יוכל	תיכל		ייכל	3.	Singul.	FUTURA.
תוכלין		תוכל	תיכלין		תיכל	2.		
	אוכל			איכל		1.		
יוכלן		יוכלון	ייכלן		ייכלון	3.	Plural.	
תוכלן		תוכלון	תיכלן		תיכלון	2.		
	נוכל			ניכל		1.		

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Infinitivum.

מאמר] Sic למאמר Dan. 2. v. 9. & abjecto א, לממר Esd. 5. v. 11. *ad loquendum.*

In Imperativum.

אכל] Ex forma (-), sive Hebraïca, אמר *dic*, Dan. 2. v. 4. Cum duplici (-) ex forma Syra אזל; & mutato ultimo (-) in (ִ) ob Maqqaph אזל־ *abi*, Esd. 5. v. 15.

אכלי] Cum (-) sub א pro (ֲ), אכלי *comede*, Dan. 7. v. 5.

אכלו] Ex forma (-), אמרו *dicite*, Dan. 2. v. 9.

In Futurum.

ייכל] Retento א, ut sæpe fit, יאמר *dicet*, Dan. 2. v. 7. Ex terminatione (ִ) יאכל *comedet*, Dan. 4. v. 30. Sic in eadem persona, sed feminina, תאכל *consumet*, Dan. 7. v. 23.

ייכלון] Servato א & fine ן paragogico, יאבדו *peribunt*, Jerem. 10. v. 11.

תיכלון] Retento eodem א, תאמרון *dicetis*, Jerem. 10. v. 11.

ניכל] Cum eodem א servato, נאמר *dicemus*, Dan. 2. v. 36.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

אוכל] In hac conjugatione prima radicalis א mutatur in ו hholem; nam א in אוכל est characteristicum. Verbum tamen אמן mutat illud in (י), & pro characteristica א assumit ה, ut: היימן *credidit*, Dan. 6. v. 24. ex terminatione hhiriq. Alias etiam ה usurpatur pro א, ut jam sæpe vidimus, & infra sæpe observabitur.

In Peil.

מוכל] Servato ה characteristico, quod & ipsum pro א ponitur, מהימן *fidelis*, Dan. 2. v. 45. ubi א, ut mox vidimus, mutatur in (י).

In Infinitivum.

אוכלא] א characteristico mutato in ה, להובדא, & cum ה in fine etiam pro א, להובדה *ad perdendum*, Dan. 2. vv. 12. 24.

In Futurum.

תוכל] Servato ה characteristico, תהובד *perdes*, Dan. 2. v. 24.

יוכלון] Servato eodem ה characteristico, יהובדון, *perdent*, Dan. 2. v. 18.

Quod spectat ad Ophal, vide supra pag. 597. col. 2.

VERBA QUIESCENTIA PE (י).

HORUM verborum, quatenus imperfecta sunt, prima rad. (י) vel abjicitur, vel quiescit, vel mutatur in ו. Sæpe defectivorum Pé נ formam imitantur. Præteritum & utrumque participium conjugationis Peal perfecta sunt. Integræ etiam conjugationes Ithpeal, Paél, & Ithpaél perfectorum analogiam sequuntur. Anomaliæ igitur subjacent solummodo tria ultima tempora seu modi Peal, & conjugationes Aphél & Ophal; cujus ultimæ conjugationis unicum legitur exemplum Dan. 4. v. 33. הוספת *addita sit*, cum (-) sub ס pro (ְ) simplici. Verborum illorum paradigma sit, יתב *sedit*, quod idem est ac ישב Hebræorum, cujus ש mutatur in ת.

APHEL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.	PEAL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.			
אותבת	*collocavit.*	אותב	יתבת	*sedit.*	יתב	3.	Singul.	PRÆTERITA.
	אותבת			יתבת		2.		
	אותבת			יתבת		1.		
אותבא		אותבו	יתבא		יתבו	3.	Plural.	
אותבתן		אותבתון	יתבתן		יתבתון	2.		
	אותבנא			יתבנא		1.		
מותבא		מותב	יתבא		יתב		Singul.	BENONI.
מותבן		מותבין	יתבן		יתבין		Plural.	
מותבא		מותב	יתיבא		יתיב		Singul.	PEIL.
מותבן		מותבין	יתיבן		יתיבין		Plural.	
באותבא, כאותבא, לאותבא, מלאותבא	אותבא		במיתב, כמיתב, למיתב, מלמיתב	מיתב vel מתב				INFINITIVI ET GERUNDIA.
אותבי		אותב	תבי		תב		Singul.	IMPERATIVI.
אותבנא		אותבו	תבנא		תבו		Plural.	
תותב		יותב	תיתב		ייתב vel יתב	3.	Singul.	FUTURA.
תותבין		תותב	תיתבין		תיתב	2.		
	אותב			איתב		1.		
יותבן		יותבון	ייתבן		ייתבון	3.	Plural.	
תותבן		תותבון	תיתבן		תיתבון	2.		
	נותב			ניתב		1.		

APPENDIX.

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Peïl.

יְהִיב] Sic יְדִיעַ *notum*, Esd. 4. v. 12.

In Imperativum.

הַב] Ex terminatione (-) ob ultimam aut penultimam gutturalem, דַּע *scito*, Dan. 6. v. 15. הַב *dato*, ibid. c. 5. v. 17. ubi prima radicalis (י), ut in Hebræo, excidit.

In Futurum.

יִיתַב] In hoc futuro (י) radicale vulgo exprimitur; unde literæ characteristicæ cum (-), vel hhiriq promiscue notantur; (י) enim antiquitus hanc utramque vocalem indicabat. Post hhiriq sæpe sequitur daghésch; tuncque verba illa cum defectivis *Pé* נ confunduntur. Ultima syllaba desinit vel in (-), vel in (-), vel in (·), vel in (ו), vel in (‑). Ex forma (-), יִיטַב *bonum videbitur*, Esd. 7. v. 18. Ex forma (·), יִתִּב *sedebit*, Dan. 7. v. 26. cum daghésch in ת vel ad compensandum (י) radicale deperditum, vel ex forma defectivorum *Pé* נ. Ex forma (‑), יִכֻּל *poterit*, Dan. 3. v. 29. cum daghésch in כ, ut mox in יִתִּב. At יוּכַל, Dan. 2. v. 10. formam Hebraïcam habet.

תִּיתַב] Ex terminatione (‑), תִּכֻּל *poteris*, Dan. 5. v. 16. Vide præced. personam. Scribitur תּוּכַל, quia secundum consonantes legendum est תּוּכַל ex forma Hebraïca.

אִיתַב] Ex terminatione (-) ob ultimam gutturalem, אִנְדַּע, & daghésch in נ resoluto, אִנְדַּע *cognoscam*, Dan. 2. v. 9.

Præteritum *Peïl*, יְהִיב *datum fuit*, Dan. 7. v. 4. וִיהִיבוּ & *data sunt*, Esd. 5. v. 14.

Ithpeál regulariter flectitur in Esdra; unde Bénoní ex forma (-), מִתְיְהֵב *datus*, Esd. 4. v. 20.

Paél & Ithpaél analoga sunt, nisi quod in Ithpaél (י) convertatur in ו, ut in verbis quibusd. Heb. Vide tom. 1. p. 242. in med.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

אוֹתַב] Ex terminatione (-) ob ultimam radic. gutturalem, & א characteristico mutato in ה, הוֹדַע *notum fecit*, Dan. 2. v. 15. Ex forma (-), servato (י) radicali, & litera characteristica א mutata in ה affectum (-), הֵיבֵל *adduxit*, Esd. 5. v. 14.

אוֹתַבְתְּ] Litera characteristica א mutata in ה, ut in præcedenti persona, הוֹדַעְתַּנִי *notum fecisti mihi*, Dan. 2. v. 23.

אוֹתַבְנָא] Cum ה pro א characteristico, הוֹדַעְנָא *notum fecimus*, Esd. 4. v. 14.

In Benoni.

מוֹתַב] Ex terminatione (-) ob ultimam gutturalem, & expressa litera characteristica, מְהוֹדַע *notum faciens*, unde in plurali, מְהוֹדְעִין *notum facientes*, Esd. 4. v. 16. & c. 7. v. 24. ubi ה est pro א.

In Infinitivum.

אוֹתָבָא] Cum duplici ה pro duplici א, לְהוֹדָעָה *ad indicandum*, Dan. 5. v. 8. Servato (י) radicali, & cum duplici ה pro duplici א, quorum prius anomalos notatur cum (-) loco (ו), לְהֵיבָלָה *ad deferendum*, Esd. 7. v. 15. pro לְאוֹבָלָא.

In Futurum.

יוֹתַב] Ex terminatione (-) ob ultimam gutturalem, & servata characteristica, quæ ibi est ה pro א, יְהוֹדַע *notam faciet*, Dan. 2. v. 25. Sic in secunda persona plur. masc. תְּהוֹדְעוּן *docebitis*, Esd. 7. v. 25.

Exemplum Ophál vide p. 599. c. 2. in fine.

VERBA QUIESCENTIA AIIN (ו) VEL (י).

HÆc verba, ſive (ו), ſive (י) pro ſecunda radicali habeant, ut בִּין vel בִּין *intelligere*, eodem modo flectuntur. Eorum anomalia ſita eſt in (ו) vel (י) quieſcente, aut excidente. Quo melius perſpiciatur iſthæc anomalia, ſingulæ verborum illorum conjugationes ſunt breviter expendendæ.

Conjugatio Peal.

In Præterito, quod terminatur in (ָ), excidit (ו) vel (י), ut: קָם *ſurrexit*. Qaméts iſtud in toto hoc præterito perſeverat, eique adjungitur accentus, præterquam in ſecundis perſonis pluralibus, ubi ad finem retrahitur.

In Bénoní (ו) mutatur in א, quod in motione maſculini in femininum genus, & ſingularis in pluralem numerum, tranſit in (י) mobile.

Peil, ſive participium paſſivum, terminatur in hhiriq longum. Præteritum vero inde formatum deſinit in (ִ), unde fem. שִׂמַת *poſita eſt*, vel *poſitus eſt* (lapis), &c. Dan. 6. v. 18.

Infinitivus deſinit in (ָ) apud Danielem & Eſdram; in ו etiam apud Paraphraſtas.

Imperativus & futurum exeunt in (ו) vel in (ִ), aliquando in (י.); unde שִׂימוּ *conſtituite*, Eſd. 4. v. 21.

Conjugatio Ithpeal.

In Ithpeál excidit quoque (ו) vel (י), ac tota illa conjugatio deſinit vulgo in (ָ), rarius in (ֵ), vel in (ִ). Imprimitur dagh. forte ת' ת ſyllabæ characteriſticæ, idque ad euphoniam, & commodioris pronuntiationis gratia. Idem ת ante literas homogeneas rariſſime ſyncopam; cum literis ש, ס, צ, ז, nunquam metatheſin patitur in Daniele & Eſdra; nam apud Paraphraſtas recentiores ea metatheſis locum habet, ut in Ithpaél videbimus.

Conjugationes Paél & Ithpaél.

In Paél & Ithpaél duplex eſt forma; altera analoga, anomala altera.

In forma analoga, media radicalis (ו) vel (י) per daghéſch conjugationis hujus characterem geminatur, ut: זַוֵּג *conjunxit*, אִזְדַּוַּג, aut cum characteriſtica Hebraïca הִזְדַּוַּג *conjunctus eſt*, ת & ז tranſpoſitis, ac mutato ת in ד, ob ז; קַיֵּם *confirmavit*, אִתְקַיַּם *confirmatus eſt*. Reliquæ perſonæ analogiam perfectorum ſequuntur, ut: קַיֵּמְתְּ, קַיֵּמַת, קַיֵּמְת, &c. Sic de Ithpaél.

In forma anomala verba illa Hebraïcam flectendi rationem imitantur. In ea ſiquidem ſecunda radicalis quieſcit in ו hhólem, & ultima geminatur, ſic: קוֹמֵם, אִתְקוֹמַם. A forma analoga, eſt לְקַיָּמָה *ad confirmandum*, Dan. 6. v. 8.

Interdum prima & tertia radicalis geminantur, ut: טַמְטֵם à טוּם *obſtruxit*; חַלְחֵל, à חוּל *profanavit*, quæ ad formam analogam Paél flectuntur.

Conjugatio Aphél.

In conjugatione Aphél ſecunda radicalis vel quieſcit, vel abjicitur. Characteriſtica א afficitur (ֲ), aliquando (ו), quod poſterioribus Paraphraſtis familiare eſt; tuncque illa conjugatio confunditur cum eadem conjugatione quieſcentium *Pé* (י). Denique litera illa characteriſtica interdum notatur cum (ָ) in Targum. Pro iſto א characteriſtico Daniel & Eſdras ſæpius retinent ה Hebraïcum. Tota illa conjugatio deſinit in (ֵ) vel in (ִ), quandoque etiam in (ַ), ob tertiam radicalem gutturalem aut ר.

Conjugationis Ophal non exſtant exempla in Daniele & Eſdra. Si eſſet in uſu, ſic formaretur: אוּקַם, אוּקְמַת, &c. Ad eam tamen pertinere videtur הֳקִימַת *ſtare facta eſt*, Dan. 7. v. 4. niſi ſit in Aphél cum (ֳ) ſub charact. loco (ֲ) aut (ו). Cum igitur conjugationes Paél & Ithpaél ſive analogæ, ſive anomalæ, more Paél & Ithpaél verborum perfectorum flectantur; hîc paradigma Peál, Ithpeál, & Aphel in verbo קוּם *ſurgere*, ſatis eſt exhibere.

APHEL. Personæ Fem.	Comm.	Masc.	ITHPEAL. Personæ Fem.	Comm.	Masc.	PEAL. Personæ Fem.	Comm.	Masc.			
אקימת		אקים	אתקמת		אתקם	קמת		קם *surrexit.*	3.	Sing.	PRÆTERITA.
	אקימת			אתקמת			קמת		2.		
	אקימת			אתקמת			קמת		1.		
אקימא		אקימו	אתקמא		אתקמו	קמא		קמו	3.	Plur.	
אקימתן		אקימתון	אתקמתן		אתקמתון	קמתן		קמתון	2.		
	אקימנא			אתקמנא			קמנא		1.		
מקימא		מקים	מתקמא		מתקם	קימא		קאם		Sing.	BENONI.
מקימן		מקימין	מתקמן		מתקמין	קימן		קימין		Plur.	
מקמא		מקם		caret.		קימא		קים		Sing.	PEIL.
מקמן		מקמין				קימן		קימין		Plur.	
באקמא	אקמא		באתקמא	אתקמא		במקם	מקם				INFINITIVI ET GERUNDIA.
כאקמא			כאתקמא			כמקם					
לאקמא			לאתקמא			למקם					
מלאקמא			מלאתקמא			מלמקם					
אקימי		אקים	אתקמי		אתקם	קומי		קום		Sing.	IMPERATIVI.
אקמנא		אקימו	אתקמנא		אתקמו	קומנא		קומו		Plur.	
תקים		יקים	תתקם		יתקם	תקום		יקום	3.	Sing.	FUTURA.
תקימין		תקים	תתקמין		תתקם	תקומין		תקום	2.		
	אקים			אתקם			אקום		1.		
יקימן		יקימון	יתקמן		יתקמון	יקומן		יקומון	3.	Plur.	
תקימן		תקימון	תתקמן		תתקמון	תקומן		תקומון	2.		
	נקים			נתקם			נקום		1.		

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Præteritum.

קָם] Sic בָּת *dormivit*, Dan. 6. v. 18. al. 19. Ex forma hhiriq, רִם *extulit*, Dan. 5. v. 20.

קָמַת] Sic סָפַת *completa eſt*, Dan. 4. v. 30.

קָמְתָּ] Cum א expreſſo in fine, ac præcedente (ְ) ſub ת ex forma Hebraïca, שָׂמְתָּא *propoſuiſti*, Dan. 3. v. 10.

קָמֵת] Sic שָׂמֵת *poſui*, Eſd. 6. v. 12. cum (ֵ) in fine loco (ֶ) ob accentum in penultima collocatum.

In Benoni.

קָיְמִין] א remanente ex forma ſingulari, ſed cum (ֲ), quia litera gutturalis eſt, קָאֲמַיָּא *ſtantes*, Dan. 7. v. 16. At cum א iſtud ſchevá ſimplici notatur, pro eo legitur (י), ut docent Maſſorethæ, ſic: וָאֲעִין Dan. 5. v. 19. lege זָיְעִין *trementes*. Sic דָאֲרִי conſt. lege דָּיְרֵי *habitantes*, Dan. 4. v. 32. דָאֲנִין lege דָּיְנִין *judicantes*, Eſd. 7. v. 25.

Ceterorum conjugationis hujus temporum aut modorum exempla vulgo analoga ſunt, ut: שִׂים *poſitum*, Eſd. 7. v. 13. in Peíl ſive participio præterito; לִמְהָךְ *ire, proficiſci*, ibid. in infinitivo. Anomalum eſt יְהָךְ *eat, proficiſcatur*, Eſd. 7. v. 13. in fut. pro יְהוּךְ. Sic וִיהָךְ *& proficiſcetur*, ibid. c. 6. v. 5. Anomalum quoque eſt יְדֻרָן *habitabunt*, Dan. 4. v. 9. cum ו redundante, uti notarunt Maſſorethæ. Vel metatheſis eſt pro יְדוּרָן. Vel denique eſt enallage maſculini generis pro feminino, nempe יְדֻרוּן cum ן parag. pro יְדֻרָן aut יְדוּרָן; quanvis etiam maſculinum genus hîc retineri poſſit; vox enim צִפְּרֵי *aves*, ad quam futurum iſtud refertur, communis eſt generis.

CONJUGATIONES ITHPEAL, PAEL ET ITHPAEL.

Conjugationum illarum exempla ſunt etiam analoga in Daniele & Eſdra, ut: ex Ithpeál, מִתְּשָׂם Bénoní *poſitus*, Eſd. 5. v. 8. יִתְּשָׂם fut. *ponetur*, Eſd. 4. v. 21. יִתְּשָׂמוּן *ponentur*, Dan. 2. v. 5. Ex Paél, לְקַיָּמָה *ad confirmandum*, Dan. 6. v. 8.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

אֲקִים vel אֲקֵים] In forma (ֵ) abundat (י), ut interdum apud Hebræos in conjug. Hiphíl, vide Gramm. Hebraïc. tom. 1. pag. 184. c. 1. circa finem. Sic cum affix. אֲקִימַהּ *erexit eam* (ſtatuam) Dan. 3. v. 1. Cum ה pro א charact. הֲתִיב *retulit*, Dan. 2. v. 14. הֲקִים *erexerat*, ibid. cap. 3. v. 2. Cum affix. הֲקִימַהּ *erexit eam* (ſtatuam), ibid. c. 5. v. 11.

הֲקֵימֵת] Sic Dan. 3. v. 14. ex forma (ֶ), cum ה pro א, & (ֵ) in fine loco (ֶ) ob accentum in penultima הֲקִימֶת *erexi*. Vide eandem perſ. in præt. Peál.

אֲקִימוּ] Sic cum affixo & ה pro א charact. הֲתִיבוּנָא *reſponderunt nobis*, Eſd. 5. v. 11.

In Benoni.

מְקִים vel מְקֵים] Servata characteriſtica conjugationis, quæ ibi eſt ה pro א, מְהָקִים *ſuſcitans*, Dan. 2. v. 21.

מְקִימָן] Sic מְגִיחָן *erumpentes*, Dan. 7. v. 2.

In Infinitivum.

אֲקָמָא] Cum duplici ה pro duplici א, לַהֲזָדָה *ad ſuperbiendum*, Dan. 5. v. 20.

Cum pronominibus affixis infinitivus ille deſinit in ות, ut לַהֲתָבוּתָךְ *reſpondere tibi*, Dan. 3. v. 16. לַהֲקָמוּתֵהּ *erigere eum*, ibid. c. 6. v. 4. In his duobus exemplis ה ponitur pro א characteriſtico.

In Futurum.

יְקִים vel יְקֵים] Ex forma (ֵ), & cum

(ַ) sub characteristica ex forma Hebraïca, תְּסֵף consumet, Dan. 2. v. 44.

יְקִימוּן] Sic יְהֵיבְוּן referent, Esd. 5. v. 5. Servata characteristica, quæ ibi est ה loco א, יְהַתִיבוּן restituent, Esd. 6. v. 5. Sine ן paragogico, יְחִיטוּ exstruunt, Esd. 4. v. 12. cum (ִ) sub (י) ex forma Heb. ut supra.

Hæc de verbis quiescentibus Aïin (ו) vel (י); quorum si tertia radicalis sit ה vel א; tunc ו vel (י) non quiescit, sed movetur, ac verba illa perfecta sunt, aut potius imperfecta, sed quiescentia Lámedh ה vel Lámedh א, de quibus mox, non vero quiescentia Aïin.

VERBA QUIESCENTIA LAMEDH א ET LAMEDH ה.

HÆc verba unicam flexionis normam constituunt; ideoque sub uno genere comprehenduntur. Eorum anomalia duplex est. I. In mutua literarum א & ה inter se, & frequentissime cum (י) permutatione. II. In earum literarum abjectione.

Præteritum Peál definit vel in א, vel ה; & præterea in Targum in (י) vel (י). Paél, & Ithpaél in (י). Tamen Ithpeál & Paél sæpe etiam in (י) terminantur. Denique Aphél in (י), rarius in (י) finitur.

Cum præteritum definit in א, vel ה, tertia perf. singul. femin. terminatur in ת vel ת, & tertia perf. plur. masc. in ו, pereunte utrobique א; at in tertia plur. fem. remanet א cum antecedente (ַ). In secundis & primis personis utriusque numeri, א mutatur in (י) quiescens in (ַ), vel (ִ); ac in Peál (י) istud interdum movetur in secunda persona singulari.

Cum præteritum definit in (י), ubique terminatio illa manet, ac in tertia persona plurali masc. ו adsciscitur. In tertia feminina utriusque numeri (י) per daghésch geminatur, & quandoque loco hujus daghésch adhibetur א, quod etiam interdum tertiæ plurali masculinæ accidit; tuncque ו fit וּ, ut: צְדִיאוּ destructa sunt.

Denique cum Præteritum terminatur in (י), tunc (י) mobile est in tertia singul. femin. antecedente (ִ); quiescit autem in hhiriq in tertia plurali, cui terminatio masculina nude, feminina vero mediante (ַ) jungitur. In reliquis personis (י) istud quiescit in (ִ).

Participia definunt in א vel ה vel (י); at Peil seu participium præteritum in Paél & Aphél terminatur in (י), vel, secundum alios, in (י). In singulari femin. & in plurali tam masculino, quam feminino, (י) movetur.

Infinitivus Peál exit in א vel in (י) deficiente interdum מ characteristico. Extra Peál, ante ה paragogicum est א, aut etiam ejus loco (י) mobile.

Imperativorum finis est (י); in Ithpeál autem & Aphél, (י); ac insuper in Peál א, vel ה. Ante incrementa, tertia radic. abjicitur, præterquam in Aphél, ubi mutatur in (י) quiescens in (ַ) ante נָא. In personis femininis ante eadem incrementa venit (ַ) in utroque numero, excepta secunda perf. plur. fem. Aphél, ubi præcedit (ַ) cum (י) quiescente, ut mox diximus.

Futurorum communis terminatio est א, vel ה vel (י). Accedentibus incrementis, perit tertia radic. in secunda perf. fem. sing. & in secunda & tertia masc. plurali; sed in secunda & tertia fem. plurali, transit in (י) mobile. Incrementum secundæ perf. fem. sing. est יִן vel ין; secundæ masc. plural. וּן & frequentius וֹן; secundæ & tertiæ plural. fem. ן, ut in aliis verbis. Horum omnium exempla vide in paradigmate mox subjiciendo, & in notis ipsi adjungendis.

Ad Præteritum Peil referuntur גְּלִי & גֱּלִי revelatum est, Dan. 2. vv. 19. 30. קְרִי lectum est, Esd. 4. v. 19. רְמִיו projecti sunt, Dan. 3. v. 21.

Conjugationis Ophál duo tantummodo exempla ex Daniele proferuntur, nempe הֵיתָיִת & adductus est (lapis), Dan. 6. v. 18. & הֵיתָיוּ adducti sunt, ibid. c. 3. v. 13. à verbo אֲתָא venit, mutato utroque א in (י), & assumto ה pro א characteristico.

Verborum illorum paradigma sit גְּלָא aut גְּלָה revelavit.

APHEL.			ITHPAEL.			PAEL.		
Personæ			Personæ			Personæ		
Femin.	Comm.	Mascul.	Femin.	Comm.	Mascul.	Femin.	Comm.	Mascul.
אַגְלִיַת		אַגְלִי , אַגְלִי	אִתְגַּלִּיַת		אִתְגַּלִּי	גַּלִּיַת		גַּלִּי , גַּלִּי
אַגְלִית		אַגְלִיתָ	אִתְגַּלִּית		אִתְגַּלִּיתָ	גַּלִּית		גַּלִּיתָ
	אַגְלִיתִי			אִתְגַּלִּיתִי			גַּלִּיתִי	
אַגְלִיאָה		אַגְלִיו	אִתְגַּלִּיאָה		אִתְגַּלִּיו	גַּלִּיאָה		גַּלִּיו
אַגְלִיתֵן		אַגְלִיתוּן	אִתְגַּלִּיתֵן		אִתְגַּלִּיתוּן	גַּלִּיתֵן		גַּלִּיתוּן
	אַגְלִינָא			אִתְגַּלִּינָא			גַּלִּינָא	
מַגְלְיָא		מַגְלֵי , מַגְלָא	מִתְגַּלְיָא		מִתְגַּלֵּי	מְגַלְיָא		מְגַלֵּי
מַגְלְיָן		מַגְלַיִן	מִתְגַּלְיָן		מִתְגַּלַּיִן	מְגַלְיָן		מְגַלַּיִן
מַגְלְיָא		מַגְלֵי , מַגְלֵי		caret.		מְגַלְיָא		מְגַלֵּי , מְגַלֵּי
מַגְלְיָן		מַגְלַיִן				מְגַלְיָן		מְגַלַּיִן
בְּאַגְלָאָה	אַגְלָאָה		בְּאִתְגַּלָּאָה	אִתְגַּלָּאָה		בְּגַלָּאָה	גַּלָּאָה	
כְּאַגְלָאָה			כְּאִתְגַּלָּאָה			כְּגַלָּאָה		
לְאַגְלָאָה			לְאִתְגַּלָּאָה			לְגַלָּאָה		
מִלְּאַגְלָאָה			מִלְּאִתְגַּלָּאָה			מִלְּגַלָּאָה		
אַגְלִי		אַגְלִי	אִתְגַּלִּי		אִתְגַּלִּי	גַּלִּי		גַּלִּי , גַּלִּי
אַגְלִינָא		אַגְלוֹ	אִתְגַּלִּינָא		אִתְגַּלּוֹ	גַּלִּין		גַּלּוֹ
תַּגְלֵי		יַגְלֵי	תִּתְגַּלָּא		יִתְגַּלָּא , יִתְגַּלֵּה , יִתְגַּלֵּי	תְּגַלָּא		יְגַלָּא , יְגַלֵּה , יְגַלֵּי
תַּגְלְיָן		תַּגְלֵי	תִּתְגַּלְיָן		תִּתְגַּלֵּי	תְּגַלְיָן		תְּגַלֵּי
	אַגְלֵי			אִתְגַּלֵּי			אֲגַלֵּי	
יַגְלְיָן		יַגְלוֹן	יִתְגַּלְיָן		יִתְגַּלּוֹן	יְגַלְיָן		יְגַלּוֹן
תַּגְלְיָן		תַּגְלוֹן	תִּתְגַּלְיָן		תִּתְגַּלּוֹן	תְּגַלְיָן		תְּגַלּוֹן
	נַגְלֵי			נִתְגַּלֵּי			נְגַלֵּי	

ITHPEAL. Personæ Femin.	Comm.	Masc.	PEAL. Personæ Femin.	Commun.	Mascul.			
אתגלית		אתגלי , אתגלי	גלית		*revelavit.* גלא , גלה , גלי , גלי	3.	Sing.	PRÆTERITA.
אתגלית		אתגלית			גלית , גליתא , גלית	2.		
	אתגליתי			גלית , גליתי		1.		
אתגליאה		אתגליו	גלאה		גלו , גליו	3.	Plur.	
אתגליתן		אתגליתון	גליתן		גליתון	2.		
	אתגלינא			גלינא		1.		
מתגליא		מתגלי	גליא		גלא , גלה , גלי		Sing.	BENONI.
מתגלין		מתגלין	גלין		גלין		Plur.	
	caret.		גליא		גלא , גלה , גלי		Sing.	PEIL.
			גלין		גלין		Plur.	
באתגלאה, כאתגלאת, לאתגלאת, מלאתגלאה	אתגלאה		במגלא, כמגלא, למגלא, מלמגלא	מגלא vel מגלי				INFINITIVI ET GERUNDIA.
אתגלי		אתגלי	גלי		גלי , גלי , גלא		Sing.	IMPERATIVI.
אתגלינא		אתגליו	גלין vel גלינא		גלו		Plur.	
תתגלא		יתגלא , יתגלה , יתגלי	תגלא		יגלא , יגלה , יגלי	3.	Sing.	FUTURA.
תתגלין		תתגלי	תגלין vel תגלין		תגלי	2.		
	אתגלי			אגלי		1.		
יתגלין		יתגלון	יגלין		יגלון , יגלון	3.	Plur.	
תתגלין		תתגלון	תגלין		תגלון , תגלון	2.		
	נתגלי			נגלי		1.		

APPENDIX.

CONJUGATIO PEAL.

NOTÆ

In Præteritum.

גְּלָה vel גְּלָא] Sic רְבָה *crevit*, Dan. 4. v. 8. בְּעָה & בְּעָא *quæsivit*, ibid. cap. 6. vv. 16. 49. בְּשָׂא *abstulit*, ibid. c. 2. v. 35. Terminationes in (ִי) & (ֵי) in Targum frequentes sunt.

גְּלַת vel גְּלָת] Sic רְבַת *crevit*, Dan. 4. v. 19. עֲדָת *transiit*, ibid. v. 28. עֲנָת *respondit*, ibid. cap. 5. v. 10. הֲוָת, Esd. 5. v. 5. & הֲוָת, Dan. 2. v. 35. *fuit*, וּמְטָת *& pervenit*, Dan. 4. v. 19.

גְּלַיְתָ & גְּלֵיתָ] Sic הֲוַיְתָ *fuisti*, Dan. 2. v. 31. Cum ה expresso, חֲזַיְתָה *vidisti*, ibidem v. 41. Vide Gram. Heb. tom. 1. p. 284. c. 2.

גְּלֵיתִי vel גְּלִית] Sic ex priori forma, הֲוֵית *fui*, Dan. 4. v. 1. חָזֵית *vidi*, ibid. v. 2. & cum hhiriq pro (ֵ), צְבִית *volui*, Dan. 7. v. 19.

גְּלוֹ] Sic שְׁנוֹ *mutatæ sunt*, Dan. 3. v. 27. רְמוֹ *projecerunt*, Dan. 6. v. 17. עֲנוֹ *responderunt*, Dan. 2. v. 7. אֲתוֹ *venerunt*, Esd. 4. v. 12. וּבְנוֹ *& ædificarunt*, ibid. c. 6. v. 14. הֲווֹ *fuerunt*, Dan. 6. v. 5. pro quo mendose in quibusdam exemplaribus legitur הֲוִי. Ex forma גְּלִיו in tertia pers. plur. masc. רְמִיו *projecerunt*, Dan. 3. v. 21. Est etiam tertia persona plur. masc. præt. Peil. Vide supra pag. 605. col. 2. אִשְׁתִּיו *biberant*, Dan. 5. v. 4. cum prosthesi literæ א, quæ huic verbo in hoc præterito familiaris est. Aliis est præteritum Aphél. Vide infra.

גְּלֵיתוּן vel גְּלִיתוּן] Sic ex priori forma, חֲזֵיתוּן *vidistis*, Dan. 2. v. 8.

גְּלֵינָא] Sic רְמֵינָא *projecimus*, Dan. 3. v. 24. בְּעֵינָא *postulavimus*, ibid. c. 2. v. 23.

In Benoni.

גָּלֵה vel גָּלֵא] Sic ex posteriori forma, דָּמֵה *similis*, חָזֵה *videns*, עָנֵה *respondens*, בָּעֵה & בָּעֵא *rogans*, צָבֵא *volens*, &c. quæ in Daniele occurrunt.

גָּלְיָא] Sic שָׁנְיָא *diversa*, Dan. 7. v. 19.

גָּלַיִן] Sic בָּנַיִן *ædificantes*, בָּעַיִן *quærentes*, שָׁנַיִן *mutati*, שָׁתַיִן *bibentes*, in Daniele & Esdra.

גָּלְיָן] Sic שָׁנְיָן *diversa*, Dan. 7. v. 3.

In Peil.

גְּלִי, גְּלִה, גְּלִא] Sic ex secunda forma, בְּנֵה *ædificata*, Esd. 5. v. 11. חֲזֵה *visum*, Dan. 3. v. 19. Ex prima, שְׁרֵא *habitata*, Dan. 2. v. 22. i. *habitans*; (ibi enim passivum est pro activo שָׁרֵא, ut apud Hebræos, שָׁכוּן *habitatus* pro שׁוֹכֵן *habitans*) נְקֵא *mundum*, Dan. 7. v. 9. Excipitur ex secunda forma, אֵזֵה *accensa*, Dan. 3. v. 22. cum (ֵ) sub א pro (ְ) aut (ֱ).

גְּלַיִן] Sic שְׁרַיִן *soluti*, Dan. 3. v. 25. עֲנַיִן *afflicti*, ibid. cap. 4. v. 24.

In Infinitivum.

מִגְלֵה] Hæc forma Danieli & Esdræ præcipue usitata est, ut: לְמִגְלָא *revelare*, Dan. 2. v. 47. לְמִבְנֵא *ædificare*, Esd. 5. v. 2. לְמִקְרֵא *legere*, לְמִשְׁרֵא *solvere*, Dan. 5. v. 16. לְמִרְמֵא *projicere, imponere*, Dan. 3. v. 20. Esd. 3. v. 20. Esd. 7. v. 24. לְמֶחֱזֵא *videre*, Esd. 4. v. 14. Sine מ characteristico, לִבְנֵא, vel cum daghésch ad compensandum מ istud deperditum, לִבְּנֵא *ædificare*, Esd. 5. v. 3. & 13. לֶהֱוֵא, & cum ה in fine, לֶהֱוֵה *esse*; sicque verbum istud Danieli & Esdræ semper usurpatur.

Cum ה paragogico, & א aut ה rad. in (י) mutato, לְמִבְנְיָה *ad ædificandum*, Esd. 5. v. 9. Per syncopen, לֶהֱוֺן *ut sint ipsi*, Dan. 2. v. 43. לֶהֶוְיָן *ut sint ipsæ*, vel *ipsa*, ibid. c. 5. v. 17. pro לֶהֱוְיוֹן, & לֶהֱוְיָן.

Ex quiescentibus prima א, לְמֵזֵא *ad accendendum*, Dan. 3. v. 19. & cum affixo, לְמֵזְיֵהּ *accendi eam*, ibidem; ubi prima radicalis abjecta est, & ultima in (י) conversa. Sic לְמֵתֵא *venire*, Dan. 3. v. 2. ab אֲתָא *venit*.

In

In Imperativum.

גְּלִי, גְּלִי, גְּלָא] Sic ex ultima forma, חֱיִי *vive*, Dan. 2. v. 4. Ex prima, שָׂא *tolle*, Esd. 5. v. 15. à נְשָׂא defect. Pé נ, & quiesc. Lám. א, cujus prima radic. נ in hoc imperativo resecatur, ut in Hebræo.

גְּלוֹ] Sic אֱתוֹ *venite*, Dan. 3. v. 26. הֱוֹו *estote*, Esd. 4. v. 22.

In Futurum.

יִגְלֵי, יִגְלֵה, יִגְלֵא] Sic ex prima forma, יִשְׂגֵּא *multiplicabitur*, Esd. 4. v. 22. Ex secunda, יִקְרֵה *leget*, Dan. 5. v. 7. יֶעְדֵּה *praeteribit*, Dan. 7. v. 14.

תִגְלֵי, תִגְלֵה, תִגְלֵא] Sic ex prima forma, תִשְׁתְּנֵא *mutabitur*, Dan. 6. v. 17. תֶעְדֵּא *transibit*, Dan. 6. v. 9. תֶהֱוֵא Esd. 6. v. 8. & ex secunda forma, תֶהֱוֵה *erit*, Dan. 4. v. 24.

תִגְלֵי, תִגְלֵה, תִגְלֵא] Sic ex prima forma, תִקְנֵא *emas*, Esd. 7. v. 17.

אֶגְלֵי, אֶגְלֵה, אֶגְלֵא] Sic cum א in fine, sive ex prima forma, אֶבְעֵא *quaeram*, Dan. 7. v. 16.

יִגְלוֹן, יִגְלוֹן] Sic ex prima forma, יִקְרוֹן *legent*, Dan. 5. v. 15. יִשְׁתּוֹן *bibent*, ibid. v. 2. יִבְנוֹן *aedificabunt*, Esd. 6. v. 7.

CONJUGATIO ITHPEAL.

NOTÆ

In Præteritum.

אִתְגְּלִי, אִתְגְּלִי] Cum ה ab initio loco א, & ex prima forma, הִתְמְלִי *repletus est*, Dan. 3. v. 19.

אִתְגְּלִיַת] Sic אִתְכְּרִיַּת *excisus est*, Dan. 7. v. 15.

In Benoni.

מִתְגְּלֵי, מִתְגְּלֵה, מִתְגְּלֵא] Ex prima forma, מִתְבְּנֵא *aedificatus*, vel *aedificata* (domus), Esd. 5. v. 8.

In Futurum.

יִתְגְּלֵי, יִתְגְּלֵה, יִתְגְּלֵא] Sic ex prima forma, יִתְרְמֵא *projicietur*, Dan. 3. v. 6. יִתְקְרֵא *vocabitur*, Dan. 5. v. 12. יִתְבְּנֵא *aedificabitur*, Esd. 5. v. 16.

תִתְגְּלֵי, תִתְגְּלֵה, תִתְגְּלֵא] Sic ex prima forma, תִתְבְּנֵא Esd. 4. v. 13. ex secunda, תִתְבְּנֵה ibid. v. 16. *aedificabitur.*

תִתְגְּלוֹן, & תִתְגְּלוֹן] Sic cum ן in fine, sive ex prima forma, תִתְרְמוֹן *projiciemini*, Dan. 3. v. 15.

CONJUGATIO PAEL.

NOTÆ

In Præteritum.

גַּלִּי, גַּלִּי] Sic ex prima forma, רַבִּי *magnificavit*, Dan. 2. v. 48. שַׁוִּי *posuit*, Dan. 5. v. 21.

גַּלִּית] Sic מַנִּיתָ *praefecisti*, Dan. 3. v. 12.

גַּלִּיו] Sic שַׁנִּיו *mutarunt*, Dan. 3. v. 27. וְשָׁרִיו cum (ִ) loco (ַ) ad compensandum daghésch ejectum, *& coeperunt*, Esd. 5. v. 2.

In Imperativum.

גַּלִּי] Sic מַנִּי *praefice*, Esd. 7. v. 25. cum (ִ) sub מ loco (ַ), (quia duæ illæ motiones sæpius invicem permutantur) & accentu in penultima præter regulas, cum deberet esse in ultima. Nam apud Chaldæos, ut apud Hebræos, voces horum verborum, etiamsi non præcedat (ִ), habent accentum in ultima ob contractionem; nam גַּלִּי, v. g. est pro גַּלִּיתִי. Vide supra pag. 308. c. 1. initio.

In Futurum.

אֲגַלֵּי, אֲגַלֵּה, אֲגַלֵּא] Sic ex prima forma, אֲחַוֵּא *indicabo*, Dan. 2. v. 24.

יְגַלּוֹן, יְגַלּוֹן] Sic ex prima forma, יְשַׁנּוֹן *mutent*, Dan. 4. v. 13. יְבַעוֹן *requirent*, ibid. v. 33. sine compensatione daghésch ejecti.

נְגַלֵּא] Sic נְחַוֵּא *indicabimus*, Dan. 2. v. 4.

CONJUGATIO ITHPAEL.

NOTÆ

In Præteritum.

אתגלי] Per metathesin literæ ת, אִשְׁתַּנִּי *mutatus est*, Dan. 3. v. 19. cum (ִ) pro hhiriq qatón sub א, ob facilem motionum illarum inter se permutationem.

In Benoni.

מתגליא] Hebraïcum est מִתְנַשְּׂאָה *efferens se*, Esd. 4. v. 19. ubi retinetur tertia radicalis א.

מִתְגַּלִּין] Sic מִשְׁתָּרַיִן *soluti*, Dan. 5. v. 6. cum metathesi literæ ת, cui subjicitur (ַ) pro (-) ad compensandum daghésch ejectum.

In Futurum.

יִתְגְּלֵא, יִתְגְּלֵה, יִתְגְּלֵי] Sic ex prima forma, יִשְׁתַּנֵּא *mutetur*, Dan. 2. v. 9. Ex secunda, יִשְׁתְּוֵה *ponetur*, Dan. 3. v. 9. quibus in exemplis est metathesis literæ ת.

יִתְגַּלּוֹן] Sic יִשְׁתַּנּוֹן, Dan. 7. v. 28. & sine ן paragogico, יִשְׁתַּנּוֹ ibid. c. 5. v. 10. *mutabuntur*; cum eadem metathesi, de qua supra.

CONJUGATIO APHEL.

NOTÆ

In Præteritum.

אַגְלִי, אַגְלִי] Ex secunda forma, & cum ה pro א, הַגְלִי *deportavit*, Esd. 4. v. 10. הַיְתִי *adduxit*, Dan. 5. v. 13. ab אֲתָא *venit*, cujus א mutatur in (י).

אַגְלִיו] Cum ה itidem loco א, הֶעְדִּיו *amoverunt*, Dan. 5. v. 20. ubi insuper est (ֶ) sub ה pro (-). Cum (·) pro eodem (-), אִשְׁתִּיו *biberunt*, Dan. 5. v. 4. Alias est præteritum Peál. Vide supra pag. 608. col. 1. Ex quiesc. prima & tertia א, הַיְתִיו *adduxerunt*, Dan. 5. v. 3. à verbo אֲתָא *venit*, mutato utroque א in (י), & assumto ה pro א characteristico.

In Benoni.

מַגְלֵא, מַגְלֵה, מַגְלֵי] Ex secunda forma, & expressa characteristica, quæ ibi est ה pro א, מְהַשְׁנֵא *mutans*, Dan. 2. v. 21. מְהַעְדֵּה *transferens*, ibidem.

Ab חֲיָה *vixit*, fit per apocopen מַחֵי *vivificans*, Dan. 5. v. 19. pro מַחְיָא, aut מַחְיֵה. Ex quiescentibus Pé (י) & Lámedh א, servataque characteristica, מְהוֹדֵא *gratias agens*, Dan. 2. v. 23.

In Infinitivum.

אַגְלָאָה] Mutata ultima radicali in (י), & usurpato ה pro א characteristico, לְהַשְׁנָיָה *immutare*, Dan. 6. v. 8. לְהַחֲוָיָה *indicare*, ibid. c. 2. v. 10.

Ex quiescentibus Pé א & Lám. א aut ה, לְהַיְתָיָה *ad adducendum*, Dan. 3. v. 13. ab אֲתָא vel אֲתָה, cujus duplex א mutatur in (י).

In Futurum.

יַגְלֵא, יַגְלֵה, יַגְלֵי] Ex prima forma, servataque characteristica, יְהַשְׁנֵא *mutabit*, Esd. 6. v. 11.

יַגְלוֹן, יַגְלוֹן] Servata characteristica, יְהַעְדּוֹן, & in alia forma, secundum exemplaria quædam, יְהַעְדּוֹן *transferent*, Dan. 7. v. 26.

תַּגְלוֹן] Servata characteristica, תְּהַחֲוֹן *indicabitis*, Dan. 2. v. 6.

נַגְלֵא, נַגְלֵה, נַגְלֵי] Servata characteristica, & ex secunda forma, נְהַחֲוֵה *indicabimus*, Dan. 2. v. 7.

Hæc de verbis quiescentibus Lámedh א aut Lám. ה, circa quæ lectorem monitum volumus formas, quæ sive in Paradigmate, sive in Notis reperiuntur, quæque in Daniele & Esdra non occurrunt, eas in Targum inveniri. Jam de verborum illorum & perfectorũ cum affix. conjunctione.

ARTICULUS VI.

De Verborum tam perfectorum, quam imperfectorum, cum pronominibus affixis conjunctione.

SOLÆ conjugationes activæ Peál, Paél, & Aphél proprie suscipiunt affixa, quæ partim alia sunt ab iis, quæ cum nominibus conjunguntur, partim aliter accedunt.

Affixa חוֹן & חֵן verbis non competunt; sed eorum loco usurpantur כוֹן & כֵן præcedente hhiríq qatón: quare נוּן horumce affixorum imprimitur daghésch forte, vel ad complendam syllabam, vel, ut aliis placet, ad compensandum aliud נ epentheticum deperditum, maxime in futuris. Si tamen affixa illa jungantur ad purum, hoc est, sine prævia motione, quam secum afferunt, daghésch & hhiríq qatón exsulant; tum quia completur syllaba, tum quia daghésch forte post magnas motiones vix sequitur. In tertiis tamen & secundis personis futurorum remanet istud daghésch vel ad compensandum aliud נ, quod, ut mox dicturi sumus, futuris epenthetice adjicitur; vel ad sarciendum ן paragogicum iisdem personis adjectum. In futuro ante omnia affixa intervenit נ epentheticum præcedente hhiríq qatón; unde isti נ imprimitur daghésch forte ad complendam syllabam. Attamen ante affixa כֵן, כִין, daghésch istud negligitur tum ob (ְ) illi נ suppositum, tum quia completur syllaba vi schevá istius quiescentis.

In tertiis & secundis personis pluralibus ן paragogicum tollitur, compensaturque per daghésch נוּן נ epenthetico impressum. Vel, ut mox diximus, נ istud paragogicum retinetur & abjicitur epentheticum, quod compensatur per daghésch in paragogico; interdum enim Chaldæi literam excidentem per daghésch in præcedenti compensant. Vide supra p. 594. c. 2.

Infinitivi, cum sint & nomina & verba; nominum quoque ac verborum affixa suscipiunt. Unde חוֹן & חֵן ab eis non excluduntur. Horum affixorum loco interdum etiam ponitur sola litera ן præcedente hhólem pro mascul. genere, (ֵ) pro femin. Insuper ante affixa, אָ in Paél & Aphél mutatur in ית.

Secundæ personæ plurales femininæ imperativorum in נָא, tertiæ & secundæ futurorum itidem plurales & femininæ in ןָ, vel ignorant affixa, vel ea personarum masculinarum instar suscipiunt.

Ad motiones affixa præcedentes quod attinet;

Personis verborum in (יִ), (וּ), (וֹ) terminatis affixa junguntur ad purum, i. nulla prævia motione; ac pro affixis tertiæ personæ sing. masc. הּ & fem. הָּ, adhibentur הִי & הָא.

Affixum primæ personæ singul. נִי præcedente (ַ), & primæ pers. plur. נָא præcedente (ָ) jungitur. Utrumque etiam pronomen Imperativis præcedente (ְ) affigitur.

Affixa secundæ personæ utriusque generis & numeri, necnon tertiæ personæ sing. ה utriusque generis, communi lege & verbis & nominibus annectuntur. Sæpe tamen ante ea, & ante נִי & נָא assumitur נ epentheticum.

Quod spectat ad punctorum mutationem ob affixa;

Ultima motio, etiam ubi incrementum est, ante affixa tollitur, ac in ejus locum substituitur (ְ); unde si aliud (ְ) mutabile præcedat, mutatur in (ַ), ut: מְסַר *tradidit*, מַסְרֵהּ *tradidit eum*; נַשְׁקַת *osculata est*, נַשְׁקַתֵּהּ *osculata est eum*, reposito (ְ) sub נ loco (ַ), quia non sequitur aliud (ְ).

Immutabilis tamen ante affixa remanet,

I. Vocalis secundæ radicalis in secundis personis tam singularibus, quam plurali-

Hhhh ij

bus, & in prima persona plurali præteritorum, ut: רְחֵמְתַּנִי *dilexisti me*, ex רְחֵמְתְּ; אַסֵּקְתּוּנָא *ascendere fecistis nos*, ex אַסֵּקְתּוּן; פַּקֵּדְנָהָא *præcepimus ei*, ex פַּקֵּדְנָא.

II. Vocalis substantialis verborum defectiv. & quiesc. Aïn, ut: דַּקְּתְכוֹן *comminuit vos*, ex דַּקַּת; לַטְּנוּן *maledixit illis*, ex לַט.

III. Ultima motio Imperativi Peal, si ea fuerit (ֻ), ut: קְטָרְנוּן *alliga eos*, ex קְטַר.

IV. In tertia singul. femin. præteriti Peál verborum quiescentium Lámedh א vel Lámedh ה, formæ גְּלָת, unde רְדָתֵהּ *erudivit eum*, ex רְדָת.

Omnia verba finita exeuntia in אָ sive radicale, ut in verbis quiesc. in tertia radicali; sive incrementum, ut in prima plurali præteritorum, ante affixa א istud amittunt, retento (ָ), cui affixa nudè seu ad purum copulantur.

Tertia litera א, ה, aut (י), ante affixa vulgo abjicitur, ut: בְּנָהִי *ædificavit illum*, ex בְּנָא. Vel in (י) mobile mutatur, ut: נַסְיֵהּ *tentavit eum*, ex נַסִּי. אַנְשְׁיַנִי *oblivisci fecit me*, ex אַנְשִׁי in Aphél.

Denique speciali anomalia tertia persona pluralis masc. præteriti Peál verborum quiesc. Lam. א aut ה, ante affixa pluralia tertiæ personæ assumit א epentheticum, ut גְּלוֹאִנּוּן *revelarunt eos.* His prænotatis, subjiciendum paradigma solius conjugationis Peal verbi מְסַר cum affixis; conjugationes enim Paél & Aphél faciles sunt; in iis siquidem mutatur duntaxat (ַ) in (ִ), quod sequente altero convertitur in (ְ).

PARADIGMA

Conjugationis Peál verbi מְסַר tradidit, *cum affixis.*

PRÆTERITUM.

AFFIXA

III. pers. singul. masc. מְסַר, cum plerisque affix. מְסַר *tradidit.*

Femin.	Commun.	Mascul.
מַסְרַהּ *Eam*)		(*Eum* מַסְרֵהּ
מַסְרֵךְ *Te*)		(*Te* מַסְרָךְ
	Me מַסְרַנִי	
מַסְרִנֵּן *Eas*)		(*Eos* מַסְרִנּוּן
מַסְרְכֵן *Vos*)		(*Vos* מַסְרְכוֹן
	Nos מַסְרַנָא	

III. pers. sing. femin. מִסְרַת, cum affix. מִסְרַת *tradidit.*

Femin.	Commun.	Mascul.
מִסְרַתַּהּ *Eam*)		(*Eum* מִסְרַתֵּהּ
מִסְרַתֵּךְ *Te*)		(*Te* מִסְרַתָּךְ
	Me מִסְרַתְנִי	
מִסְרַתִּנֵּן *Eos*)		(*Eas* מִסְרַתִּנּוּן
מִסְרַתְכֵן *Vos*)		(*Vos* מִסְרַתְכוֹן
	Nos מִסְרַתְנָא	

AFFIXA

II. pers. sing. masc. מְסַרְתְּ, cum affix. מְסַרְתְּ *tradidisti.*

Femin.	Commun.	Mascul.
מְסַרְתַּהּ *Eam*)		(*Eum* מְסַרְתֵּהּ
	Me מְסַרְתַּנִי	
מְסַרְתִּנֵּן *Eas*)		(*Eos* מְסַרְתִּנּוּן
	Nos מְסַרְתַּנָא	

II. pers. sing. femin. מְסַרְתְּ, cum affix. מְסַרְתִּי *tradidisti.*

Femin.	Commun.	Mascul.
מְסַרְתִּיהָא *Eam*)		(*Eum* מְסַרְתִּיהִי
	Me מְסַרְתִּינִי	
מְסַרְתִּינֵן *Eas*)		(*Eos* מְסַרְתִּינוּן
	Nos מְסַרְתִּינָא	

I. pers. sing. comm. מִסְרֵת, cum affix. מִסְרֵת *tradidi.*

Femin.	Commun.	Mascul.
מִסְרְתַהּ *Eam*)		(*Eum* מִסְרְתֵהּ
מִסְרְתֵךְ *Te*)		(*Te* מִסְרְתָךְ

AFFIXA

Femin.	Commun.	Mascul.
מסרתכן *Eas*)		(*Eos* מסרתכון
מסרתכן *Vos*)		(*Vos* מסרתכון

III. perſ. plur. maſc. מסרו, fem. מסרא, & utraque cum affix. מסרו *tradiderunt.*

Femin.	Commun.	Mascul.
מסרוהא *Eam*)		(*Eum* מסרוהי
מסרוך *Te*)		(*Te* מסרוך
	Me מסרוני	
מסרונן *Eas*)		(*Eos* מסרונון
מסרוכן *Vos.*)		(*Vos.* מסרוכון
	Nos מסרונא	

II. perſ. plur. maſc. מסרתון, fem. מסרתן, & utraque cum affixis מסרתון *tradidiſtis.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Mascul.
מסרתונה *Eam*)		(*Eum* מסרתונה
	Me מסרתוני	
מסרתונן *Eas*)		(*Eos* מסרתונון
	Nos מסרתונא	

I. perſ. plural. comm. מסרנא, cum affixis מסרנ; eique omnia affixa junguntur ad purum.

Femin.	Mascul.
מסרנהא *Eam*)	(*Eum* מסרנהי
מסרנך *Te*)	(*Te* מסרנך
מסרננן *Eas*)	(*Eos* מסרננון
מסרנכן *Vos*)	(*Vos* מסרנכון

BENONI.

Sing. maſc. מסר, cum affix. מסר, & ſequente altero (:) מסר *tradens.*

Femin.	Mascul.
מסרה *Eam*)	(*Eum* מסרה
מסרך *Te*)	(*Te* מסרך

&c. ut in nominibus cum affixis.

Sing. femin. מסרא, emphat. מסרתא, unde cum affix. מסרת *tradens.*

Femin.	Mascul.
מסרתה *Eam*)	(*Eum* מסרתה
מסרתך *Te*)	(*Te* מסרתך

&c, ut in nominibus cum affixis.

Plur. maſc. מסרין, cum affix. מסר ſublata terminatione ין. *tradentes.*

Femin.	Mascul.
מסרוהא *Eam*)	(*Eum* מסרוהי
מסריך *Te*)	(*Te* מסריך

&c. ut in nominibus cum affixis.

Plur. fem. מסרן, emphat. מסרתא, unde cum affixis מסרת *tradentes.*

Femin.	Mascul.
מסרתהא *Eam*)	(*Eum* מסרתוהי
מסרתיך *Te*)	(*Te* מסרתך

&c. ut in nominibus cum affixis,

INFINITIVUS.

Simplex ממסר, cum pleriſque affix. ממסר *tradere.*

Femin.	Mascul.
ממסרה, ממסרנה } *Eam*)	(*Eum* { ממסרה, ממסרוהי, ממסרנה
ממסרך, כי ,ִי ; ממסרנך } *Te*)	(*Te* { ממסרך, ממסרנך
	Me { ממסרי, ממסרני, ממסרנני
ממסרהן, ממסרנן } *Eas*)	(*Eos* { ממסרהון, ממסרנון
ממסרכן *Vos*)	(*Vos* ממסרכון
	Nos { ממסרנא, ממסרננא

AFFIXA — Femin. Commun. Maſcul. | AFFIXA — Femin. Commun. Maſcul.

IMPERATIVUS.

II. perſ. ſing. maſc. מְסַר *trade.*

מסרה / מסרנה *Eam*) — (*Eum* מסרה / מסרנה

Me מסרני / מסרנני

מסרנין *Eas*) — (*Eos* מסרנון

Nos מסרנא

II. perſ. ſing. femin. מְסַרִי *trade.*

מסריתא *Eam*) — (*Eum* מסריתי

Me מסריני

מסרנין *Eas*) — (*Eos* מסרנון

Nos מסרינא

II. perſ. plur. maſc. מסרו *tradite.*

מסרוהא *Eam*) — (*Eum* מסרוהי

Me מסרוני

מסרונין *Eas*) — (*Eos* מסרונון

Nos מסרונא

II. perſona plural. feminina מסרא *vel non ſuſcipit affixa; vel, ſi ſuſcipit, ſecundam pluralem maſculinam imitatur, ut apud Hebræos.*

FUTURUM.

III. perſ. ſing. maſc. ימסר, cum affix. ימסר *tradet.*

ימסרנה *Eam*) — (*Eum* ימסרנה

ימסרנך *Te*) — (*Te* ימסרנך

Me ימסרנני

ימסרנין *Eas*) — (*Eos* ימסרנון

ימסרנכן *Vos*) — (*Vos* ימסרנכון

Nos ימסרננא

III. perſ. ſing. femin. תמסר, cum affix. תמסר *tradet.*

תמסרנה *Eam*) — (*Eum* תמסרנה

תמסרנך *Te*) — (*Te* תמסרנך

Me תמסרנני

&c. ut in tertia ſingul. maſc. mutato (י) in ת.

II. perſ. ſing. maſc. תמסר, cum affix. תמסר *trades.*

תמסרנה *Eam*) — (*Eum* תמסרנה

Me תמסרנני

תמסרנין *Eas*) — (*Eos* תמסרנון

Nos תמסרננא

II. perſ. ſingul. femin. תמסרי, ſine mutatione, *trades.*

תמסריתא *Eam*) — (*Eum* תמסריתי

Me תמסריני

תמסרנין *Eas*) — (*Eos* תמסרנון

Nos תמסרינא

I. perſ. ſingul. comm. אמסר, cum affix. אמסר *tradam.*

אמסרנה *Eam*) — (*Eum* אמסרנה

אמסרנך *Te*) — (*Te* אמסרנך

אמסרנין *Eas*) — (*Eos* אמסרנון

אמסרנכן *Vos*) — (*Vos* אמסרנכון

III. perſ. plural. maſc. ימסרון, ſine mutatione, *tradent.*

ימסרונה *Eam*) — (*Eum* ימסרונה

ימסרונך *Te*) — (*Te* ימסרונך

Me ימסרונני

AFFIXA

Femin.	Commun.	Mascul.
יִמְסְרוּנַּן *Eas*)		(*Eos* יִמְסְרוּנּוּן
יִמְסְרוּנְכֵן *Vos*)		(*Vos* יִמְסְרוּנְכוֹן
	Nos יִמְסְרוּנַּנָא	

III. persona pluralis feminina vel non sumit affixa, vel eodem modo illa sumit ac tertia pluralis masculina.

II. perf. plural. mascul. תִּמְסְרוּן, sine mutatione, *tradetis.*

Femin.	Commun.	Mascul.
תִּמְסְרוּנַּהּ *Eam*)		(*Eum* תִּמְסְרוּנֵּהּ
	Me תִּמְסְרוּנַּנִי	

AFFIXA

Femin.	Commun.	Mascul.
תִּמְסְרוּנַּן *Eas*)		(*Eos* תִּמְסְרוּנּוּן
	Nos תִּמְסְרוּנַּנָא	

II. persona pluralis feminina vel non suscipit affixa, vel secundam pluralem masculinam imitatur.

I. perf. plur. comm. נִמְסַר, cum affix. נִמְסְר *trademus.*

Femin.	Commun.	Mascul.
נִמְסְרִנַּהּ *Eam*)		(*Eum* נִמְסְרִנֵּהּ
נִמְסְרִנָּךְ *Te*)		(*Te* נִמְסְרִנָּךְ
נִמְסְרִנַּן *Eas*)		(*Eos* נִמְסְרִנּוּן
נִמְסְרִנְכֵן *Vos*)		(*Vos* נִמְסְרִנְכוֹן

NOTÆ BREVIORES

In hoc Paradigma.

Pro affixo secundæ personæ singularis femininæ ךְ ִ sæpe usurpatur כִי ִ, ut: מַסְרְכִי *tradidit te.* Vide Infinitivum.

Affixum tertiæ personæ singularis masculinæ הּ ֵ hîc, ut in nominibus, assumit (י) otiosum ante se apud Targumistas, ut: מַסְרֵיהּ *tradidit eum.* In Daniele & Esdra illud (י) rarissime apparet; cum enim vocalem *e*, quæ nunc per (ֵ) exprimitur, repræsentaret, inscriptis punctis, (י) istud ut supervacaneum sublatum est. Quare illud in præcedenti paradigmate omisimus.

Ut apud Hebræos, sic apud Chaldæos, secundæ & primæ personæ affixa earumdem non suscipiunt, h. e. prima persona affixa primæ personæ, & secunda persona affixa secundæ personæ respuit.

In Paél & Aphél, (ַ) vocum primariarum mutatur in (ְ), quod altero concurrente transit in (ִ), ut: מַסְּרְכוֹן *tradidit vos*, masc. אַמְסַרְכֵן *tradidit vos*, fem.

NOTÆ PROLIXIORES

In idem Paradigma.

NOTÆ IN PRÆTERITUM.

מַסְרֵהּ *tradidit eum.*] In hac persona fit punctorum trajectio cum affixis, exceptis כוֹן & כֵן, cum quibus nulla fit metathesis, ut: סַתְרֵהּ *destruxit eam*, Esd. 5. v. 12.

In Paél & Aphél mutatur (ֵ) in (ְ). Sic in Paél וְשַׁכְלְלֵהּ *& perfecit eam* (domum) seu templum, Esd. 5. v. 11. à כלל cum ש prosthethico, de quo supra pag. 588. c. 2.

In Aphél, וְהַשְׁלְמֵהּ *& complevit illud*, Dan. 5. v. 26. cum ה pro א charact. Sic in Aphél quiesc. Pé (י), הוֹדְעָךְ *notum fecit tibi*, pro אוֹדְעָךְ.

Quiescentia Lám. א vel ה literam illam abjiciunt, vel mutant in (י), ut diximus supra; rarius א exprimunt, sicque formam communiter retinent, ut: בְּנָהִי *ædificavit illam* (domum), Esd. 5. v. 11.

מְסַרְתֵּהּ *tradidisti eum.*] Ex quiesc. Pé (י)

in Aphél, הוֹדַעְתַּנִי *notum fecisti mihi*, Dan. 2. v. 23. cum ה pro א, sic: אוֹדַעְתַּנִי.

Secunda perſ. ſing. fem. ſumit affixa ad formam Hebraïcam, vide Paradigma.

מַסַּרְתֵּהּ *tradidi eum.*] Hæc perſona cum ſecunda ſing. maſc. recidit. Ex quieſcentibus Lám. א vel Lám. ה, eaque litera in (י) mobile mutata, ut diximus ſupra pag. 612. c. 2. בְּנַיְתַהּ *ædificavi eam*, Dan. 4. v. 27.

מַסַּרוּהִי *tradiderunt eum.*] Ex Aphél, הַקְרְבוּהִי *obtulerunt eum*, Dan. 7. v. 13. cum (·) ſub ר loco hhiriq, ut interdum fit etiam in Hebræo.

Ex quieſcentibus Aiin, הֲתִיבוּנָא *reſponderunt nobis*, Eſd. 5. v. 11. cum ה pro א, ut in exemplo præcedenti.

Ex quieſcentibus Lám. א aut Lám. ה, שְׁנוֹהִי *immutati ſunt ei*, vel *in eo*, Dan. 5. v. 6. contractio enim eſt more Hebræorum, pro שְׁנוֹ עֲלוֹהִי.

NOTÆ IN BENONI.

Participia ſumunt affixa inſtar nominum, vide Paradigma. Inſuper affixa primæ & ſecundæ perſonæ cum participiis maſc. in utroque numero, artificioſa compoſitione apud Targumiſtas junguntur, hoc modo:

מְסַרְנָא *trado ego*, pro מְסַר אֲנָא.
מְסַרְתְּ *tradis tu*, pro מְסַר אַתְּ.
מְסַרִינַן *tradimus nos*, pro מְסַרִין אֲנַן.
מְסַרִיתוּן *traditis vos*, pro מְסַרִין אַתּוּן.

Huc referunt quidam illa Hebræorum, Ezech. 8. v. 16. מִשְׁתַּחֲוִיתֶם *adoratis*, pro מִשְׁתַּחֲוִים אַתֶּם *adorantes vos* (eſtis), מְקֻנַּנְתִּי Jerem. 22. v. 23. pro מְקֻנֶּנֶת אַתְּי *nidificans*, יוֹלַדְתְּ Gen. 16. v. 11. pro יוֹלֶדֶת אַתְּ *pariens*, יוֹשַׁבְתִּי Jerem. 22. v. 23. pro יוֹשֶׁבֶת אַתְּי *habitans*, שֹׁכַנְתִּי Jerem. 51. v. 13. pro שֹׁכֶנֶת אַתְּי *commorata*. Litera (י), quæ in fine participiorum quorumdam ac pronominis אַתְּי *tu* cernitur, erat antiqua vocalis *e*, quæ nunc exprimitur per (:) ſub præced. litera.

NOTÆ IN INFINITIVUM.

מְמַסְרֵהּ *tradere eum.*] In Paél & Aphél cum affixis infinitivi mutantur in ות, ut diximus ſup. p. 611. c. 2. Sic in Paél, לְשֵׁיזָבוּתֵהּ *ad liberandum eum*, Dan. 6. v. 15. לְשֵׁיזָבוּתָךְ *ad liberandum te*, ibid. v. 21. ubi eſt (..), quod antiquitus indicabat (י), pro dagh. forti in ſecunda radicali.

Ex defectivis Pé נ in Aphél, לְהַצָּלוּתֵהּ *ad eripiendum eum*, Dan. 6. v. 14.

Ex quieſcentibus Pé (י) in Aphél, לְהוֹדָעֻתַנִי *notum facere mihi*, Dan. 2. v. 26.

Ex quieſcentibus Aiin in Aphél, לַהֲתָבוּתָךְ *reſpondere tibi*, Dan. 3. v. 16. לַהֲקָמוּתֵהּ *præficere eum*, Dan. 6. v. 3. In quibus omnibus exemplis eſt ה pro א characteriſtico.

Anomala ſunt לֶהֱוֹן *ut ſint ipſi*, Dan. 2. v. 43. Eſd. 7. v. 25. quaſi per contradictionem pro לֶהֱוְיוֹן. Sic לֶהֶוְיָן *ut ſint ipſæ*, Dan. 5. v. 17. pro לֶהֱוְיָן.

Ex quieſc. Pé & Lám. א in Peál, לְמֵזְיַהּ *ad accendendam illam* (fornacem), Dan. 3. v. 19. ab אֲזָא, abjecto priori א, & poſteriori mutato in (י), ut interdum accidit, vide ſupra pag. 612. c. 2. pro לְמֵאזְיַהּ aut לְמֵאזָיַהּ.

NOTÆ IN IMPERATIVUM.

מַסַּרֵהּ *trade eum.*] Ex defectivis Aiin in Aphél, הַעֵלְנִי, vel, ut habent alia exemplaria, הַעֲלֵנִי, cum (..) ad compenſandum daghéſch ejectum, *introduc me*, Dan. 2. v. 24. ubi inſuper eſt ה pro א charact.

מַסַּרוּהִי *tradite eum.*] Ex Paél, חַבְּלוּהִי *perdite eam* (arborem), Dan. 4. v. 20.

Ex quieſcentibus Lám. א aut Lám. ה in Aphél, הַחֲווּנִי, cum ה pro א, *indicate mihi*, Dan. 2. v. 6.

NOTÆ IN FUTURUM.

יְמַסְרִנֵּהּ *tradet eum.*] Cum (..) pro hhiriq qatón ante נ epentheticum, יִשְׁאֲלִנְּכוֹן *rogaverit vos*, *petierit à vobis*, Eſd. 7. v. 21.

Ex Paél, יְשֵׁיזְבִנָּךְ *liberabit te*, Dan. 6. v. 16. cum

cum (ֻ), ut supra in Infinitivo, pro daghésch; יְבַהֲלָךְ *turbabit te*, Dan. 4. v. 16. sine compensatione daghésch ejecti.

Ex defectivis Aïn in Peal, תַּדְקִנַּהּ *comminuet eam*, Dan. 7. v. 23. Quædam exemplaria pro (ִ) sub נ habent (ַ), ut fit interdum. Vide supra pag. 582. c. 1.

Ex quiescentibus Lamedh א aut Lamedh ה in Paël, יְחַוִּנַּנִי *indicabit mihi*, Dan. 5. v. 7.

יְמַסְּרוּנֵּהּ *tradent eum.*] In Paël, יְבַהֲלֻנֵּהּ *perturbabunt eum*, Dan. 4. v. 16. cum (ֻ) euphonico pro ו. Sic יְבַהֲלֻנַּנִי *perturbabunt me*, ibid. v. 2. Cum ו, יְטַעֲמוּנֵּהּ *gustandum dabunt ei*, Dan. 5. v. 21.

Ex quiescentibus *Pé* (י) in Aphél, & servata characteristica, quæ est ה pro א, יְהוֹדְעֻנַּנִי *indicabunt mihi*, Dan. 4. v. 3.

תְּמַסְּרוּנֵּהּ *tradetis eum.*] Ex quiescentibus Pé (י) in Aphél, & servata characteristica, ut in persona præcedenti, תְּהוֹדְעֻנַּנִי *indicabitis mihi*, Dan. 2. v. 9.

Ex quiescentibus Lámedh א aut Lámedh ה in Aphél, & servato charactere ה pro א, תְּהַחֲוֻנַּנִי *indicabitis mihi*, Dan. 2. v. 9.

Hæc sufficiant ad intelligendas S. Scripturæ partes Chaldæo idiomate conscriptas. Quod spectat ad Syntaxim, eadem est ac syntaxis Hebræorum, nisi quod 1°. ו copulet tantum, non vero convertat præterita in futura, & vicissim. 2°. Infinitivus, præsertim cum ל, sæpe pro tempore finito usurpetur, ut interdum apud Hebræos, vide Gramm. Heb. tom. 1. pag. 539. can. I.

Denique ut in hac quoque lingua regulas hic illic traditas periclitari possint SS. Literarum studiosi, Grammaticam analysin Diplomatis Artaxerxis hic operæpretium duximus exhibere.

ARTICULUS VII.

Analysis Grammatica diplomatis Artaxerxis, Esd. cap. VII. à vers. XII. ad XXVI.

Latina interpretatio de verbo ad verbum.

VERSUS XII.

Artahhschaschte rex regum: Esra Sacerdoti, Scribæ legis Dei cælorum, integritatem & salutem.

XIII.

A me positum (est) *decretum, quod omnis volens in regno meo, de populo Israël, & Sacerdotibus ejus, & Levitis, ire in Jerusalem, tecum eat.*

XIV.

Propterea quod à facie regis, & septem consiliariorum ejus, missus (es) *ad perquirendum super Judæam & Jerusalem, in lege Dei tui, quæ est in manu tua.*

Textus Chaldaïcus.

VERSUS XII.

אַרְתַּחְשַׁסְתְּא מֶלֶךְ מַלְכַיָּא לְעֶזְרָא כָהֲנָא
סָפַר דָּתָא דִּי־אֱלָהּ שְׁמַיָּא גְּמִיר וּכְעֶנֶת׃

XIII.

מִנִּי שִׂים טְעֵם דִּי כָל־מִתְנַדַּב בְּמַלְכוּתִי
מִן־עַמָּא יִשְׂרָאֵל וְכָהֲנוֹהִי וְלֵוָיֵא לִמְהָךְ
לִירוּשְׁלֶם עִמָּךְ יְהָךְ׃

XIV.

כָּל־קֳבֵל דִּי מִן־קֳדָם מַלְכָּא וְשִׁבְעַת
יָעֲטֹהִי שְׁלִיחַ לְבַקָּרָא עַל־יְהוּד וְלִירוּשְׁלֶם
בְּדָת אֱלָהָךְ דִּי בִידָךְ׃

XV.

Et ad ferendum argentum & aurum, quod rex & consiliarii ejus sponte obtulerunt Deo Israël, cujus in Jerusalem (est) *tabernaculum ejus.*

ולהיבלה כסף ודהב די־מלכא ויעטוהי התנדבו לאלה ישראל די בירושלם משכנה׃

XVI.

Et omne argentum & aurum, quod inveneris in omni provincia Babylonis; cum spontanea oblatione populi & Sacerdotum sponte offerentium domui Dei sui, quæ (est) *in Jerusalem.*

וכל כסף ודהב די תהשכח בכל מדינת בבל עם התנדבות עמא וכהניא מתנדבין לבית אלההם די בירושלם׃

XVII.

Ut cito emas cum argento illo tauros, arietes, agnos, & sacrificia eorum, & libamina eorum: & offeras ea super altare domus Dei vestri, quæ (est) *in Jerusalem.*

כל־קבל דנה אספרנא תקנא בכספא דנה תורין דכרין אמרין ומנחתהון ונסכיהון ותקרב המו על־מדבחה די בית אלהכם די בירושלם׃

XVIII.

Illud autem, quod tibi & fratribus tuis bonum visum fuerit de residuo argento & auro facere: secundum voluntatem Dei vestri facietis.

ומה די עליך ועל־אחיך ייטב בשאר כספא ודהבה למעבד כרעות אלהכם תעבדון׃

XIX.

Vasa autem, quæ data (sunt) *tibi in ministerium domûs Dei tui, restitue coram Deo Jerusalem.*

ומאניא די־מתיהבין לך לפלחן בית אלהך השלם קדם אלה ירושלם׃

XX.

Reliquum vero necessarium domus Dei tui, quod contigerit tibi ut des: dabis (acceptum) *è domo thesaurorum regis.*

ושאר חשחות בית אלהך די יפל־לך למנתן תנתן מן־בית גנזי מלכא׃

XXI.

Et à me, Ego Artahhschast rex, positum est decretum omnibus thesaurariis, qui (sunt) *trans flumen, ut omne, quod petierit* (à) *vobis Esra Sacerdos, Scriba legis Dei cœli, cito fiat.*

ומני אנה ארתחשסתא מלכא שים טעם לכל גזבריא די בעבר נהרה די כל־די ישאלנכון עזרא כהנא ספר דתא די־אלה שמיא אספרנא יתעבד׃

XXII.

Usque ad argenti talenta centum, & usque ad triticorum coros centum, & usque ad vini bathos centum, & usque ad bathos olei centum, & salis cujus non (sit) *scriptura.*

עד־כסף ככרין מאה ועד־חנטין כורין מאה ועד־חמר בתין מאה ועד־בתין משח מאה ומלח די־לא כתב׃

XXIII.

Omne, quod ex decreto Dei cœli (est), *fiat diligenter in domo* (vel) *domui Dei cœli: cujus ad quid esset ira super regnum regis & filiorum ejus?*

XXIII.

כל־די מן־טעם אלה שמיא יתעבד אדרזדא
לבית אלה שמיא די־למה להוא קצף על־
מלכות מלכא ובנוהי ׃

XXIV.

Vobis quoque notum facientes (sumus), *quod omnes Sacerdotes, & Levitas, cantores, janitores, nethineos, & ministros domus Dei hujus, tributum, vectigal, & censum, non potens sit* (quisquam ex vobis) *imponere super eos.*

XXIV.

ולכם מהודעין די כל־כהניא ולויא זמריא
תרעיא נתיניא ופלחי בית אלהא דנה מנדה
בלו והלך לא שליט למרמא עליהם ׃

XXV.

Tu autem, Esra, secundum sapientiam Dei tui, quæ (est) *in manu tua, constitue judices & causidicos, qui judicantes* (sint) *omnem populum, qui* (est) *trans fluvium; omnes* (scilicet) *scientes leges Dei tui: &* (eum) *qui non sciens* (est), *scire facietis*, seu docebitis.

XXV.

ואנת עזרא כחכמת אלהך די־בידך מני
שפטין ודינין די־להון דאנין לכל־עמה די
בעבר נהרה לכל־ידעי דתי אלהך ודי לא
ידע תהודעון ׃

XXVI.

Omnis vero, qui non erit faciens legem Dei tui, & legem regis; cito judicium sit factum de eo; sive ad mortem, sive ad exsilium, sive ad mulctam opum, sive ad vincula.

XXVI.

וכל־די־לא להוא עבד דתא די־אלהך
ודתא די מלכא אספרנא דינה להוא מתעבד
מנה הן למות הן לשרשו הן־לענש נכסין
ולאסורין ׃

GRAMMATICA ANALYSIS.

VERSUS XII.

1. ארתחששתא *Artahhschast*, Vulg. *Artaxerxes.*] Regum Persarum commune nomen, Gramm. Heb. tom. 1. pag. 449. coll. 1. 2. ubi etiam nominis hujus etymon affertur. In Esdra & Nehemia nomen istud perpetuo scribitur cum (ׄ) sub ultimo ת, excepto unico Esdræ 4. v. 7. loco, ubi idem ת afficitur (ׅ), quanvis in eodem versu notetur etiam cum (ׄ). Apud LXX. semper legitur Ἀρθασασθά. Accentus Zaqéph qatón, qui hîc subdistinguit. Cum accentuum natura & consequutio in analysi Grammatica in Canticum Mosis satis superque explicatæ fuerint, ab iis deinceps commemorandis abstinebimus.

2. מלך *rex.*] Nomen subst. singul. masc. formæ Hebraicæ, quæ in Dan. & Esd. interdum adhibetur, p. 571. c. 2. pro Chald. מלך, unde emphat. מלכא *rex*, plur. simpl. מלכין, emphat. מלכיא *reges*, pag. 572. c. 2. 573. c. 2. Rad. מלך Chald. מלך Heb. *regnavit.*

3. מלכיא *regum.*] Vide vocem præced.

4. לעזרא *Esræ.*] Vox composita ex ל dandi casus articulo, pag. 574. c. 1. & nomine proprio emphat. עזרא *Esra.* LXX. ubi-

que ſcribunt Ἔσδρας, inſerto δ, quam ſcriptionem retinuit S. Hieronymus, qui eoſdem interpretes in aliis etiam nominibus propriis ſequitur ut plurimum. Rad. Heb. עָזַר *adjuvit;* unde *Eſra* vertitur *auxilium, adjutorium:* Chald. autem *atrium*, ab עֲזָרָא idem.

5. לְכָהֲנַיָּא *Sacerdoti.*] Subſtant. ſing. maſc. emphat. à ſimpl. inuſit. כָּהֵן, emphat. כָּהֲנָא *Sacerdos*, plur. ſimpl. כָּהֲנִין, emphat. כָּהֲנַיָּא *Sacerdotes*, pag. 573. c. 2. Exemplaria quædam, etiam accuratiſſima, habent כָּהֲנָא, כָּהֲנָיָא, cum (ֽ) ſub כ, à forma כָּהֵן. Rad. כָּהַן Heb. *Sacerdotio fungi.*

6. סָפַר *Scribæ.*] Subſt. ſing. maſc. conſt. à rad. סְפַר Chald. סָפַר Heb. *numerare, enumerare, recenſere*, &c. unde סָפַר idem quod Heb. סֹפֵר, *ſcriba*, ac inſuper *doctor, legiſperitus, vir literatus*, &c. Remanent puncta in regim. quia in nominibus ſingularibus conſtructis nulla vulgo fit eorum mutatio, pag. 545. c. 1.

7. דָּתָא *legis.*] Subſt. ſing. maſc. emphat. à ſimplici & rad. דָּת *lex.* Servantur puncta quanvis in regimine, vide vocem præcedentem. Hîc eleganter adhibetur forma emphatica ob ſequentem articulum דִּי, pag. 575. c. 1.

8. דִּי־] Articulus genitivi caſus, pag. 574. c. 1.

9. אֱלָהּ *Dei.*] Unum ex Dei nominibus idem ac Heb. אֱלוֹהַּ. Vide Lexicon.

10. שְׁמַיָּא *cæli*, vel *cælorum.*] Subſtant. duale maſcul. & emphat. à ſimpl. inuſit. שְׁמַיִן, pag. 537. c. 2. Idem eſt quod Heb. שָׁמַיִם. Caret ſingulari & plur. numero, ibid.

11. גְּמִיר *integritatem.*] Nomen ſubſt. ſing. maſcul. ſimpl. à rad. גְּמַר Chald. גָּמַר Heb. *perficere*, &c. Aliis גְּמִיר adjectivum eſt; *perfectus*, &c. quod S. Hieron. retulit ad Eſdram, ac *doctiſſimo* tranſtulit.

12. וּכְעֶנֶת : *& ſalutem.*] Vox compoſ. ex conjunctione וְ facta וּ ob ſequens (ִ), vide Grammat. Heb. tom. 1. pag. 385. col. 1. num. III. & כְּעֶנֶת, quam vocem S. Hieronymus hîc, & cap. 4. v. 11. *ſalutem* interpretatur. At vv. 10. & 17. ejuſd. cap. 4. *pacem* eodem ſenſu tranſtulit. LXX. ſibi non conſtant; hîc enim eam reddunt καὶ ἡ ἀπόκρισις *& reſponſio*, à verbo עֲנָה, Hebraice עָנָה *reſpondit;* & cap. 4. v. 17. καὶ φησὶν *& dicit:* at vv. 10. & 11. ejuſdem capitis eam plane omittunt.

Aliis כְּעֶנֶת eſt *ſecundum tempus*, id eſt, tali die, menſe, & anno; quæ formula literis præfigi ſolet. Hi vocabulum iſtud componunt ex כְּ *ſecundum*, & עֵת *tempus*, cui inſeritur נ, ſic: כְּעֶנֶת; unde Eſd. 4. v. 17. legitur כְּעֶת ſine נ in medio.

Cocceius in Lexico ſuo Chald. exiſtimat וּכְעֶנֶת loquutionem eſſe, qua ſignificatur quædam omiſſa eſſe huic loco conſentanea, quæ opus non fuerit deſcribi, q. d. καὶ τὰ λοιπά, vel τὰ χαίρειν, *& cetera loco & tempori apta.*

VERSUS XIII.

1. מִנִּי *à me.*] Ablat. ſingul. pronominis primitivi primæ perſ. communis, compoſ. ex præpoſit. מ pro מִן, & affixo ejuſd. primæ perſonæ, pag. 578. c. 1. in fine.

2. שִׂים *poſitum* (eſt)] Participium Peîl ſingul. maſcul. conjug. Peál verbi rad. & quieſc. Aïn ו vel (י) שׂוּם aut שִׂים Chald. & Heb. *ponere*, pag. 604. c. 2.

3. טְעֵם *decretum.*] Subſt. ſing. maſc. ſimplex, idem quod Heb. טַעַם. Rad. Heb. טָעַם *guſtare*, unde Heb. טַעַם, & Chald. טְעֵם *guſtus, ſapor*, & metaphorice *ſententia, judicium, edictum*, &c. Vide Lexicon. Porro hoc edictum, ſecundum Uſſerium, reſpondet anno 467. ante vulgarem æram Chriſtianam.

4. דִּי *quod*, vel *quo*, vel *ut.*] Pronomen relativum cujuſvis generis, numeri, & caſus, reſpondens Heb. אֲשֶׁר *qui, quæ, quod, cujus*, &c. pag. 577. §. III. Eo etiam ſæpe exprimitur conjunctio cauſalis *ut.* Vide Lexicon.

5. כָּל־ chol- *omnis.*] Adjectivum Chald. & Heb. כֹּל, & ſequente Maqqáph כָּל־. Rad. כְּלַל Chald. כָּלַל Heb. *perfecit, abſolvit*, &c. proprie totaliter & univerſaliter.

6. מִתְנַדַּב *volens.*] Benoni singul. masc. conjugat. Ithpaël verbi radic. נְדַב Heb. *sponte moveri*, אִתְנַדַּב Chald. *velle*, *sponte se offerre*, *voluntarie offerre*, &c. pag. 589. c. 2.

7. בְּמַלְכוּתִי *in regno meo.*] Ex præpos. Heb. & Chald. בְּ *in*, subst. singul. femin. ob ת servile מַלְכוּת *regnum*, pag. 571. c. 2. & affixo primæ pers. sing. comm. (י), ut in Hebræo. Rad. מְלַךְ Chald. מָלַךְ Heb. *regnavit*.

8. מִן־ *de, ex*, &c.] Præpositio Heb. & Chald. integra. Vide Lexicon.

9. עַמָּא al. עַמָּה *populo.*] Substant. singul. comm. sed sæpius masc. emphat. à simplici Heb. & Chald. עַם *populus*, pag. 573. c. 1. Rad. עָמַם Heb. *texit, operuit multitudine*; unde עַם *populus*, quod terram operiat.

10. יִשְׂרָאֵל *Israël.*] Alterum Jacobi nomen, cujus etymologiam vide tom. 1. pag. 446. c. 1. 2. tom. 2. p. 569. c. 1.

11. וְכָהֲנוֹהִי *& Sacerdotibus ejus.*] Ex conjunct. וְ *&*, ac subst. plur. mascul. cum affix. tertiæ pers. singul. masc. וֹהִי, à sing. inusit. כָּהֵן *Sacerdos*, quod vide supra vers. XII. num. 5. unde emphat. כָּהֲנָא, ex qua forma fit plur. simplex כָּהֲנִין *Sacerdotes*, emphat. כָּהֲנַיָּא, pag. 573. c. 2. unde detracto יָּא, & affixo addito, כָּהֲנוֹהִי *Sacerdotes ejus*, pag. 580. c. 2.

12. וְלֵוָיֵא *& Levitis.*] Ex copula וְ *&*, ac plurali masc. emphat. sed in altera forma, לֵוָיֵא *Levitæ*, p. 573. c. 2. rad. לְוָה Chald. לָוָה Heb. *adhæsit*, unde לֵוִי, tertius Jacobi filius, Gen. 29. v. 34. qui à matre sua Lia sic vocatus est, quod, eo nato, maritum suum sibi *adhæsurum* dixerit, ibid. Porro *Levi* hujus posteri ex ejus nomine dicti sunt *Levitæ*, ut ab *Israël* Judæi omnes nuncupati sunt *Israëlitæ*.

13. לִמְהָךְ *ire, proficisci*, &c.] Infinitivus Peal verbi rad. & quiesc. Aïin (ו) vel (י) הוּךְ *ire*, &c. pag. 604. c. 2. cum ל gerundii, quod ibi abundare videtur, ut quandoque in Hebræo πλεονάζει. Vide Grammat. Heb. tom. 1. pag. 149. coll. 1. 2.

14. לִירוּשְׁלֶם *in Jerusalem.*] Ex præposit. לְ *in, ad*, &c. quæ hîc afficitur (ִ) loco (ְ) ob aliud (ְ) sequens sub (י), vide tom. 1. pag. 70. col. 1. initio, & יְרוּשְׁלֶם pro Heb. יְרוּשָׁלַם *Jerusalem*, cujus etymologiam vide in eodem tom. 1. p. 448. col. 2.

15. עִמָּךְ *tecum.*] Præpos. Heb. & Chald. עִם *cum*, & affix. secundæ personæ singul. masc. ךְ.

16. יְהָךְ *eat.*] Tertia pers. singul. masc. fut. Peal verbi rad. & quiesc. Aïin (ו) vel (י) הוּךְ *ire*, cum (ְ) anomalo in fine loco ךְ, sic: יְהָךְ, pag. 604. c. 2.

VERSUS XIV.

1. כָּל־קֳבֵל דִּי *propterea quod.*] Ex כֹּל *omne*, קֳבֵל *coram*, & דִּי *quod*; sed voces illæ simul junctæ nihil aliud apud Chald. significant præter conjunctionem causalem *propterea quod, quapropter*, &c. Vide Lexicon.

2. מִן־ *a, ab*, &c.] Vide vers. XIII. num. 8.

3. קֳדָם *ante, coram.*] Adverbium respondens Hebræo קֶדֶם *ante* vel פָּנִים *facies*, quæ voces, præsertim ultima, interdum abundant, vide Gramm. Heb. tom. 1. pag. 492. §. X. col. 1. num. I. Itaque hîc *ab ante, à coram, à facie regis*, nihil aliud est quam *à rege*. Rad. קָדַם Heb. in Piël, קְדַם Chald. in Paël, *antevertit, præivit, obviam ivit*, &c.

4. מַלְכָּא *regis.*] Vide vers. XII. num. 2.

5. וְשִׁבְעַת *& septem.*] Ex conjunctione וְ *&*, ac subst. sing. masc. const. שִׁבְעַת, cujus absol. est שִׁבְעָה Heb. & Chald. *septem*. Formam const. pro absoluta in nominibus numeralibus quandoque usurpatam vide supra pag. 378. art. II. §. I. & pag. 384. col. 1. num. I. Rad. שָׁבַע Heb. שְׁבַע Chald. *septem*.

6. יָעֲטוֹהִי *consiliariorum ejus.*] Subst. plur. mascul. cum affix. tertiæ pers. sing. masc. à sing. inusit. יָעֵט, emphat. יָעֲטָא *consiliarius*, plur. simpl. יָעֲטִין, emphat. יָעֲטַיָּא *consiliarii*; cum affix. יָעֲטוֹהִי *consiliarii ejus*. Consule sup. וְכָהֲנוֹהִי v. XIII. num. 11. Rad. יְעַט *consuluit*, idem quod Heb. יָעַץ, mutata sibilante צ in lingualem ט, quod sæpe fit, p. 571. c. 1.

7. שְׁלִיחַ *missus* (es)] Particip. Peïl sing. mascul. verbi rad. שְׁלַח Chald. שָׁלַח Heb.

misit, pag. 586. c. 2. in fine. Ut apud Hebræos, sic apud Chaldæos, verbum substantivum *Sum* sæpe subintelligitur. Vide tom. I. pag. 553. col. I.

8. לְבַקָּרָה *ad perquirendum.*] Infinit. Paël verbi rad. בָּקַר Heb. בַּקַּר Chald. *perquisivit*, &c. cum ל gerundii, & ה in fine pro א, pag. 589. c. 2.

9. עַל־ *super.*] Præpositio Hebræorum & Chaldæorum communis.

10. יְהוּד *Judæam.*] Nomen regionis sic dictæ à Judæis, qui eam incoluerunt, quique ipsi sic vocati sunt à יְהוּדָה. Porro in יְהוּד est apocope Chaldæis familiaris pro יְהוּדָא aut יְהוּדָה. Rad. יָדָה in hiph. *confessus est, laudavit, celebravit*, unde *Judas* sic vocatus est, quod mater ejus, postquam natus est, Deum celebrarit, Gen. 29. v. 35. quodque eum celebraturi essent fratres ejus, ibid. c. 49. v. 8.

11. וְלִירוּשְׁלֶם *& vel maxime super Jerusalem.*] Vox composita 1°. ex conjunct. ו *&, maxime*, quam ultimam significationem vide in tom. I. pag. 616. can. V. 2°. ex præposit. ל *ad, super*, &c. & יְרוּשְׁלֶם, vide sup. vers. XIII. num. 14.

12. בְּדָת *in lege.*] Ex præposit. בְּ *in*; & nomine subst. sing. masc. const. דָּת, cujus absol. simpl. est דָּת, Hebræis & Chald. *lex*; vide vers. XII. num. 7. Exemplaria quædam hîc habent דָּת, quia singularia masculina in regimine vulgo non mutantur, pag. 575. c. I.

13. אֱלָהָךְ *Dei tui.*] Ex nomine Dei אֱלָה, quod vide vers. XII. num. 9. & affixo secundæ pers. singul. masc. ei juncto vel in forma simplici, vel in forma emphatica, sed prius detracta, pag. 581. c. I.

14. דִּי *quæ* (est)] Vide v. XIII. num. 4. & sup. num. 7.

15. בִּידָךְ׃ *in manu tua.*] Ex præposit. בְּ *in*, & nomine subst. singul. comm. & radic. יַד Chald. יָד Heb. *manus*, cum affixo secundæ pers. singul. masc. quo accedente (-) יַד *in* יְ mutatur in (:), ut in forma emphatica, pag. 581. c. I. ex quo (:) & altero præcedente sub ב fit hhiriq gadhól sub eodem ב, vide tom. I. pag. 379. col. 2. in fine, & pag. 380. col. I. initio.

VERSUS XV.

1. וּלְהֵיבָלָה *& ad ferendum.*] Vox composita 1°. ex conjunctione וּ facta ו ob (:) sequens, vide vers. XII. num. 12. 2°. ex infinitivo Aphél verbi rad. & quiescent. Pé (י) יבל in Hiph. Heb. הוֹבִיל, in Aphél Chald. אוֹבֵל *tulit, attulit*, &c. cum ל gerundii. Præterea in hoc infinitivo pro duplici א, duplex ה ponitur, quorum prius afficitur (-) anomalo pro י, ob servatam primam literam radic. (י) contra analogiam. Posterius ה pro א frequens est apud Dan. & Esd. pag. 601. c. 2.

2. כְּסַף *argentum.*] Subst. singul. mascul. simpl. cujus emphat. est כַּסְפָּא pro כַּסְפָּא, pag. 572. c. 2. idem quod Heb. כֶּסֶף. Rad. Heb. כָּסַף *appetivit, desideravit.*

3. וּדְהַב *& aurum.*] Ex conjunct. וּ facta ו ob (:) sequens, & ex subst. sing. masc. simpl. דְּהַב, idem quod Heb. זָהָב mutata sibilante ז in lingualem ד, pag. 571. c. 2. Hic exemplaria quædam habent וּדְהַב, & melius quidem, ut indicat forma emphatica דַּהֲבָא aut דַּהֲבָא; nam à דְּהַב esset דְּהָבָא aut דְּהָבָה, ut à כְּתָב *scriptura*, fit כְּתָבָא. Neque hîc Athnâhh mutavit (-) in (·); id enim juris in lingua Chald. non habent accentus majores, ut diximus ibid. c. I.

4. דִּי־ *quod*] Vide vers. XIII. num. 4.

5. מַלְכָּא *rex.*] Vide vers. XII. num. 2.

6. וְיָעֲטוֹהִי *& consiliarii ejus.*] Ex conjunct. וְ *&*, ac יָעֲטוֹהִי, quod vide vers. XIV. num. 6.

7. הִתְנַדַּבוּ *sponte obtulerunt.*] Tertia pers. plur. mascul. præt. Ithpaël cum ה pro א, verbi rad. & defect. Pé נ, נְדַב quod vide vers. XIII. num. 6. Vide etiam sup. p. 589. c. I. in fine.

8. לֶאֱלָהּ *Deo.*] Ex ל dandi casus articulo hîc affecto (ֶ) loco (:) ob sequens (ֱ), vide tom. I. pag. 70. col. I. & אֱלָה, quod vide vers. XII. num. 9.

9. יִשְׂרָאֵל *Israëlis.*] Vide v. XIII. num. 10.

10. דִּי *cujus* (est)] Vide vers. XIII. num. 4.

11. בִּירוּשְׁלֶם *in Jerusalem.*] Ex præposit. בְּ *in*, & יְרוּשְׁלֶם, quam vocem vide vers. XIII. num. 14. Hic בּ afficitur (ִ) loco (ְ) ob aliud (ְ) sequens sub (י) in יְרוּשְׁלֶם, vide vers. XIV. num. 15.

12. מִשְׁכְּנֵהּ׃ *habitaculum, tabernaculum ejus.*] Subst. singul. masc. simpl. מַשְׁכַּן cum affix. tertiæ pers. sing. masc. quod mutavit (ַ) ultimæ in (ְ); nomina enim affixa vulgo recipiunt in forma emphat. qua accedente, (ַ) ultimæ convertitur in (ְ), p. 572. c. 2. 580. c. 1. num. IV. sic: מַשְׁכַּן, emphat. מַשְׁכְּנָא, cum affix. מִשְׁכְּנֵהּ *habitaculum ejus.* Rad. Heb. שָׁכַן, *habitavit, mansit*, unde מִשְׁכָּן Heb. & מַשְׁכַּן Chald. *habitaculum.* Porro in hac phrasi, *cujus* (est) *in Jerusalem habitaculum ejus*, abundat affixum *ejus*, quod in lingua etiam Hebraïca non raro accidit, vide tom. 1. pag. 514. can. III. col. 2. num. III. Communis itaque loquutio est: *cujus* (est) *in Jerusalem habitaculum* sive *tabernaculum.*

VERSUS XVI.

1. וְכֹל *& omne.*] Ex conjunct. וְ *&*, ac כֹּל *omne*, quod vide vers. XIII. num. 5.

2. כְּסַף *argentum.*] Vide vers. XV. num. 2.

3. וּדְהַב *& aurum.*] Ex conjunctione וְ facta וּ ob (ְ) sequens, & nomine subst. דְּהַב, quod vide in vers. XV. num. 3.

4. דִּי *quod.*] Vide vers. XIII. num. 4.

5. תְהַשְׁכַּח *inveneris.*] Secunda pers. sing. mascul. fut. Aphél verbi שְׁכַח *invenit*, servato charactere communi, qui hic est ה pro א, pag. 590. c. 2.

6. בְּכֹל *in omni.*] Ex בְּ *in*, & adjectivo כֹּל *omnis.* Vide vers. XIII. num. 5.

7. מְדִינַת *provincia.*] Nomen subst. sing. femin. construct. cujus absol. est מְדִינָה vel מְדִינָא femin. *provincia.* In regimine autem sing. ה vel א mutatur in ת, pag. 575. c. 1. 2.

8. בָּבֶל *Babylonis.*] Provincia quæ sic dicta est ab ejus metropoli *Babylone*, quæ & ipsa sic vocata fuit à *confusione* linguarum, quæ in ea contigit; בָּלַל enim, unde בָּבֶל *Babel* sive *Babylon*, *confundere* significat.

9. עִם *cum.*] Præpositio Hebraïca & Chaldaïca.

10. הִתְנַדָּבוּת *spontanea oblatione.*] Subst. singul. femin. ob ת servile, pag. 571. c. 2. num. IV. Rad. נדב in Ithpaél *sponte obtulit.* Vide vers. XIII. num. 6.

11. עַמָּא *populi.*] Vide vers. XIII. num. 9.

12. וְכָהֲנַיָּא *& Sacerdotum.*] Ex copula וְ & plur. emphat. כָּהֲנַיָּא, quod vide vers. XII. num. 5.

13. מִתְנַדְּבִין *sponte offerentium.*] Bénoní plur. masc. & simpl. conjug. Ithpaél verbi נדב, à sing. מִתְנַדַּב, vide v. XIII. num. 6. & pag. 589. c. 2. in fine.

14. לְבֵית *domui.*] Ex לְ dativi casus articulo, & subst. singul. masc. simpl. בַּיִת *domus*, & in regim. בֵּית, ut in Heb. p. 575. c. 1.

15. אֱלָהֲהֹם *Dei sui.*] Ex אֱלָהּ *Deus*, & affixo tertiæ pers. plur. masc. הוֹם pro הוֹן, pag. 582. c. 1.

16. דִּי *quæ* (domus).] Vide vers. XIII. num. 4.

17. בִּירוּשְׁלֶם׃ *in Jerusalem.*] Vide vers. XV. num. 11.

VERSUS XVII.

1. כָּל־קֳבֵל דְּנָה *ut.*] Vide v. XIV. num. 1. ubi similis loquutio reperitur præter ultimam vocem, quæ hic est דְּנָה pronomen demonstrativum sing. femin. pag. 577. §. II. pro relativo דִּי.

2. אָסְפַּרְנָא ospárna *cito.*] Adverbium temporis. Vide Lexicon.

3. תִּקְנֵא *emas.*] Secunda pers. sing. masc. fut. Peál verbi quiesc. Lámedh א vel Lámedh ה, קְנָא Chald. קָנָה Heb. *emit*, pag. 609. c. 2.

4. בְּכַסְפָּא *cum argento.*] Ex בְּ *cum*, & subst. sing. masc. emphat. כַּסְפָּא *argentum*, à simpl. כְּסַף, cujus (ְ) ob emphasin mutatur in (ְ), & prius ob concursum transit in (ַ) loco (ְ), quia nomen istud exci-

pitur, pag. 572. c. 2. Vide etiam verf. XV. num. 2.

5. דְנָה *isto.*] Pronomen demonst. sing. femin. sæpe etiam masc. ut hîc, pag. 577. §. II. in Notis.

6. תוֹרִין *tauros.*] Plur. masc. simpl. à sing. תוֹר *taurus*, ex Heb. שׁוֹר, mutata sibilante ש in lingualem ת, pag. 571. c. 2.

7. דִּכְרִין *arietes.*] Plur. mascul. simplex à sing. דְּכַר, pag. 574. c. 1. Rad. דְּכַר *recordatus est*, ex Heb. זָכַר mutata sibilante ז in lingualem ד. Ut autem ex Heb. זָכַר *recordatus est*, fit זָכָר *masculus*, quod præstantiore memoria, ingenio, & robore sit, quam femina: sic ex Chald. דְּכַר *meminit*, fit דְּכַר *aries*, animal gregis robustissimum.

8. אִמְּרִין *agnos.*] Plur. masc. simpl. à sing. אִמַּר, pag. 574. c. 1. initio. Rad. אמר inusit.

9. וּמִנְחָתְהוֹן *& sacrificia eorum.*] Ex copula וְ facta וּ ob sequentem labialem, vide tom. 1. pag. 385. col. 1. num. III. & ex plur. femin. cum affix. tertiæ perf. plur. masc. à singul. מִנְחָה aut מִנְחָא *sacrificium*, emphat. מִנְחָתָא plur. simpl. מִנְחָן, emphat. מִנְחָתָא unde cum affixis, מִנְחָתְהוֹן *sacrificia eorum*, pag. 581. c. 2. Rad. מנח Hebræis & Chald. inusit. sed Arabibus *donavit, munus dedit.*

10. וְנִסְכֵּיהוֹן *& libamina eorum.*] Plurale masc. cum וְ copula, & affix. tertiæ perf. plur. mascul. à sing. נְסַךְ *libamen*, emphat. נִסְכָּא, plur. simpl. נִסְכִּין, emphat. נִסְכַיָּא *libamina*, cum affix. נִסְכֵּיהוֹן *libamina eorum*, ut כְּפַר, pag. 581. c. 1. Rad. נְסַךְ Chald. נָסַךְ Heb. *fundere, libare*, &c.

11. וּתְקָרֵב *& offeras.*] Secunda perf. sing. masc. fut. Paël verbi rad. קְרֵב *appropinquare*, in Paël *offerre*, cum copula וְ facta וּ ob (:) sequens, pag. 589. c. 2.

12. הִמּוֹ *ea.*] Pronomen primitivum plur. masc. cum apocopa נ, pro הִמּוֹן, pag. 578. c. 2.

13. עַל־מַדְבְּחָא *super altare.*] Ex præposit. עַל Heb. & Chald. *super*, & subst. singul. mascul. emphatico מַדְבְּחָא *altare*, à simpl. מַדְבַּח, quod venit ab Hebræo מִזְבֵּחַ, mutata sibilante ז in lingualem ד, pag. 571. c. 2. Rad. דְּבַח *sacrificavit*, ab Heb. זָבַח, facta eadem literarum mutatione.

14. דִּי] Articulus genitivi casus. Vide verf. XII. num. 8.

15. בֵּית *domus.*] Vide verf. XVI. num. 14.

16. אֱלָהֲכֹם *Dei vestri.*] Ex nomine Dei אֱלָהּ in forma simplici, cui adjunctum est affixum secundæ perf. plur. mascul. Vel, quod eodem recedit, ex eodem nomine emphatico אֱלָהָא detracta est emphasis א, & ipsi postea adjectum est affixum כם pro כֹן, pag. 582. c. 1.

17. דִּי *qua* (domus)] Vide verf. XIII. num. 4.

18. בִּירוּשְׁלֶם׃ *in Jerusalem.*] Vide verf. XV. num. 11.

VERSUS XVIII.

1. וּמָה *illud autem.*] Ex copula וְ *&*, *autem*, facta וּ ob labialem, vide v. XVII. num. 9. & ex pronomine interrogativo rei מָה *quid?* quod sequente דִּי exponitur *id*, *illud*, pag. 577. §. III.

2. דִּי *quod.*] Vide verf. XIII. num. 4.

3. עֲלָיךְ] *super te, tibi.*] Ex עַל *super*, & affixo secundæ perf. singul. masc. Pathahh עַל mutatur in (:) & quidem dilatatum ob gutturalem, cui subjicitur, quia in præpositionibus cum affixis puncta eodem fere modo mutantur atque in nominibus, pag. 583. c. 1. initio. Tò (י), quod supervacaneum notant Massorethæ, argumento est hanc præpositionem olim apud Chald. ut apud Hebræos, affixa recepisse in forma nominum pluralium.

4. וְעַל־אֶחָיךְ *& super fratres tuos*, vel *& fratribus tuis.*] Ex copula וְ *&*, præpositione עַל *super*, & nomine substant. plur. mascul. אחין *fratres*, cum affixo secundæ perf. sing. masc. Verum forma Hebraïca hîc usurpatur; vide tom. 1. p. 118. §. XXXIII. nam secundum analogiam Chaldaïcam esset אַחִיךְ; in monosyllabis enim sive in motione singularis in pluralem numerum, sive cum affixis, (-) mutatur in (:), pag. 573. c. 1. 581. c. 1. 2. Tò (י) affixum inter & ח interjectum, & à Massorethis ut abundans notatum, ostendit illud à Chaldæis,

ut ab Hebræis, olim usurpatum fuisse ad numerum pluralem indicandum.

5. יִיטַב *bonum videbitur*, aut *visum fuerit.*] Tertia perſ. ſing. maſc. fut. Peal verbi rad. & quieſc. *Pé* (י), יְטַב *bonum eſſe*, vel *videri*, pag. 601. c. 1.

6. בִּשְׁאָר *de reſiduo.*] Ex בְּ *in*, *de*, &c. & שְׁאָר, unde in conſt. שְׁאָר *reſiduum*, licet etiam in regimine (·) retineri poſſit, pag. 575. c. 1. Rad. שאר in Ithpaél *reſiduum*, *reliquum eſſe*, ut שְׁאָר apud Hebræos.

7. בְּכַסְפָּא *argento.*] Vide v. XVII. num. 4.

8. וְדַהֲבָה *& auro.*] Nomen emphat. à ſimplici דְּהַב, quod vide v. XV. num. 3.

9. לְמֶעְבַּד *facere.*] Infinitivus Peál verbi rad. עֲבַד *fecit*, cum ל gerundii, quod ibi πλεονάζει, ut interdum apud Hebræos, vide Gramm. Heb. tom. 1. pag. 149. coll. 1. 2. & ſup. v. XIII. num. 13. מ afficitur (·) loco (·) ob ſequentem gutturalem, ſupra pag. pag. 587. c. 1.

10. כִּרְעוּת *ſecundum voluntatem.*] Ex præpoſitione כְּ *ſecundum*, cujus (:) mutatur in (·) ob ſequens aliud (:), & ex ſubſt. ſingul. femin. ob ת ſervile, רְעוּת *voluntas*, *beneplacitum*, &c. Rad. רְעָה *bene velle*, ab Hebræo רָצָה, mutato צ in ע; quod in vocibus Chaldaicis ab Hebræo idiomate derivatis frequens. Vide tom. 1. p. 13. c. 2.

11. אֱלָהֲכֹם *Dei veſtri.*] Vide verſ. XVII. num. 16.

12. תַּעַבְדוּן׃ *facietis.*] Secunda perſ. plur. maſc. fut. Peál verbi radic. עֲבַד *fecit*, *operatus eſt*, pag. 587. c. 2.

VERSUS XIX.

1. וּמָאנַיָּא *vaſa autem.*] Vox compoſita ex conjunctione וְ facta וּ ob ſeq. labialem, & ex plur. emphat. מָאנַיָּא, à ſing. מָאן, aut ſine א, quomodo interdum ſcribitur in Paraphraſtis, מָן *vas.* א itaque eſt antiqua vocalis *a*, quæ nunc per (·) exprimitur ſub מ.

2. דִּי־ *quæ.*] Vide v. XIII. num. 4.

3. מִתְיַהֲבִין *data ſunt.*] Bénoni plur. maſc. conjugat. Ithpeál verbi rad. & quieſc. *Pé* (י) יְהַב *dedit*, pag. 588. c. 2.

4. לָךְ *tibi.*] Dativ. ſing. maſc. pronominis primitivi ſecundæ perſ. ſingul. maſc. pag. 578. c. 2.

5. לְפָלְחָן lepholhhán *in miniſterium.*] Ex præpoſit. לְ *in*, & ſubſt. ſing. maſc. conſt. פָּלְחָן polhhán *miniſterium*, cujus abſol. eſt פָּלְחָן cum (·), quod mutatum eſt in (·) ob regimen, quanvis ibidem remanere potuiſſet, pag. 575. c. 1. Hinc exemplaria quædam illud habent. Rad. פְּלַח *ſervivit*, *miniſtravit.*

6. בֵּית *domus.*] Vide v. XVI. num. 14.

7. אֱלָהָךְ *Dei tui.*] Vide v. XIV. num. 13.

8. הַשְׁלֵם *reſtitue.*] Secunda perſ. ſingul. maſc. cum ה pro א Imperat. Aphél verbi rad. שְׁלֵם in Aphél *reddere*, *reſtituere*, pag. 590. c. 2.

9. קֳדָם *coram.* Vide v. XIV. num. 3.

10. אֱלָהּ *Deo.*] Vide v. XII. num. 9.

11. יְרוּשְׁלֶם׃ *Jeruſalem.*] Vide verſ. XIII. num 14.

VERSUS XX.

1. וּשְׁאָר *reliquum vero.*] Ex conjunctione adverſativa וְ facta וּ ob (:) ſequens; & ex ſubſtant. ſing. maſc. conſt. שְׁאָר, quod vide verſ. XVIII. num. 6.

2. חַשְׁחוּת *neceſſitatis.*] Subſt. ſing. femin. ob ת ſervile à rad. חֲשַׁח *opus*, *neceſſe habuit.* Hîc ſubſtantivum illud eſt loco adjectivi, *reliquum neceſſitatis*, h. e. *reliquum neceſſarium.* Vide Grammat. Heb. tom. 1. pag. 462. col. 1. num. II.

3. בֵּית *domus.*] Vide v. XVI. num. 14.

4. אֱלָהָךְ *Dei tui.*] Vide v. XIV. num. 13.

5. דִּי *quod.*] Vide v. XIII. num. 4.

6. יִפֶּל־ *contigerit.*] Tertia perſ. ſingul. maſc. futuri Peál verbi radic. & defect. *Pé* נ, נְפַל *cadere*, *accidere*, *contingere*, ex terminatione (·) mutati in (·) ob Maqqaph, pag. 593. c. 2.

7. לָךְ *tibi.*] Vide verſ. XIX. num. 4.

8. לְמִנְתַּן *ad dandum*, *ut des.*] Infinit. Peál verbi rad. & defect. *Pé* נ, נְתַן *dedit*, in forma perfect. & cum ל gerundii, p. 593. c. 1.

9. תִּנְתִּן *dabis.*] Secunda perſ. ſing. maſc. fut. Peal ejuſdem verbi & formæ, ibid. c. 2.

10. מִן־ *è, de*, &c.] Vide verſ. XIII. num. 8.

11. בֵּית *domo.*] Vide v. XVI. num. 14.

12. גִּנְזֵי *theſaurorum.*] Plural. maſc. conſt. à ſingul. גִּנְז *theſaurus*, emphat. גִּנְזָא, plur. ſimpl. גִּנְזִין, conſt. גִּנְזֵי, &c. pag. 572. c. 2. 573. c. 2. 575. c. 1. Rad. גְּנַז *recondere, theſaurizare.*

13. מַלְכָּא׃ *regis.*] Vide v. XIV. num. 4.

VERSUS XXI.

1. וּמִנִּי *& à me.*] Ex copula וְ facta וּ ob ſequentem labialem, & מִנִּי, quod vide verſ. XIII. num. 1.

2. אֲנָה *ego.*] Pronomen primitivum primæ perſonæ comm. pag. 576. c. 2.

3. אַרְתַּחְשַׁשְׂתְּא *Artaxerxes.*] Vide v. XII. num. 1. Hæ voces: *Ego Artaxerxes rex*, membrum integrum efficiunt, ut nonnullis placet, q. d. ad me Artaxerxem regem quod attinet, vide Grammat. Heb. tom. 1. pag. 479. §. VIII. can. I. Hæ includi etiam poſſunt parentheſi, & ſubintellecta conjunctione *enim* ſic exponi: *A me* (*Ego* enim *ſum rex Artaxerxes*) *poſitum eſt decretum*, &c.

4. מַלְכָּא *rex.*] Vide v. XIV. num. 4.

5. שִׂים *poſitum* (eſt)] Vide verſ. XIII. num. 2.

6. טְעֵם *decretum.*] Vide ibid. num. 3.

7. לְכֹל *omnibus.*] Ex לְ dativi caſus articulo, & כֹּל *omnis*, &c. ut in Heb.

8. גִּזַּבְרַיָּא *theſaurariis.*] Plur. maſc. emphat. à ſingul. ſimpl. inuſit. גִּזְבַּר, emphat. גִּזְבְּרָא, aut ejecto dagheſch ex בּ ob (ְ) ipſi ſubjectum, גִּזַּבְרָא *theſaurarius, quæſtor*, plur. ſimpl. גִּזְבְּרִין aut גִּזַּבְרִין, & emphat. גִּזַּבְרַיָּא *quæſtores.* Forma uſit. hujus nominis eſt גִּזְבָּר Eſd. 1. v. 8. Rad. גזבר inuſit.

9. דִּי *qui* (ſunt)] Vide verſ. XIII. num. 4.

10. בַּעֲבַר *in tranſitu*, vel *trans.*] Ex בּ *in* affecto (ַ) ob ſequens (ֲ), & עֲבַר *tranſitus*. Rad. עֲבַר *tranſire*, idem quod Heb. עָבַר.

11. נַהֲרָה *fluminis*, vel *flumen.*] Nomen ſingul. maſc. emphat. à ſimpl. נְהַר *flumen*, emphat. נַהֲרָא, aut cum ה in fine loco א, quod Danieli & Eſdræ familiare, נַהֲרָה. Rad. Heb. נָהַר *fluxit, confluxit*, &c. Porro hoc flumen eſt Euphrates, qui ſic dicitur κατ' ἐξοχὴν.

12. דִּי *ut.*] Hæc vocula interdum etiam, ut eo loci, conjunctio cauſalis eſt, vide verſ. XIII. num. 4.

13. כָּל־דִּי *omne quod, quidquid.*] Ex כֹּל, & ſequente Maqqaph כָּל־ *omne*, & דִּי *quod.* Vide v. XIII. num. 4. 5.

14. יִשְׁאֲלֶנְכוֹן *petierit* (à) *vobis.*] Tertia perſ. ſing. maſc. fut. Peal verbi perfect. & rad. שְׁאֵל *petiit*, idem quod Heb. שָׁאַל. Pro (ְ) ante נ epentheticum ſubjicitur (ֶ) לֶ pro לְ, quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur, pag. 616. c. 1. Hic Artaxerxes ad quæſtores ſuos ſermonem convertit.

15. עֶזְרָא *Eſra*, ſive *Eſdras.*] Vide verſ. XII. num. 4.

16. כָהֲנָא *Sacerdos.*
17. סָפַר *Scriba.*
18. דָּתָא *legis.*
19. דִּי־אֱלָהּ *Dei.*
20. שְׁמַיָּא *cælorum.*
} ibid. num. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

21. אָסְפַּרְנָא oſpárna *cito.*] Vide v. XVII. num. 2.

22. יִתְעֲבֵד׃ *fiat.*] Tertia perſ. ſing. maſc. fut. Ithpeal verbi עֲבַד *fecit*, pag. 588. c. 1.

VERSUS XXII.

1. עַד־כְּסַף *uſque ad argenti.*] Ex præpoſit. Heb. & Chald. עַד *uſque, uſque ad*, & כְּסַף *argentum*, quod vide v. XV. num. 2.

2. כַּכְּרִין *talenta.*] Plur. maſc. ſimpl. à ſing. כַּכַּר, idem quod Heb. כִּכָּר. Eſt formæ אִמַּר, pag. 574. c. 1.

3. מְאָה *centum.*] pro Heb. מֵאָה. Vide Lexicon.

4. וְעַד־חִנְטִין *& uſque ad triticorum.*] Ex conjunctione וְ *&*, præpoſit. עַד *uſque*, & plurali femin. ſed ex terminatione maſc. חִנְטִין *tritica*, à ſingul. חִנְטָה, & ſublato נ,

eoque per daghésch in ט compensato, חִטִּין *triticum*, pag. 574. c. 2. Rad. חָנַט Heb. *protrusit*, unde חִנְטָה *triticum*, sic dictum, quod è folliculis suis protrusum emineat. Hîc pluralis numerus pro singulari ponitur, vel emphatice; q. d. *optimi tritici*, vide Grammat. Heb. tom. 1. p. 476. §. VII. can. II. vel forte quia nomen istud caret singulari apud Chaldæos, ut conjicere licet ex Paraphrastis, apud quos in solo numero multitudinis occurrit.

5. כּוֹרִין *coros.*] Plur. mascul. simplex à sing. simpl. Heb. & Chald. כּוֹר *corus* aridorum & liquidorum mensura, cujus capacitatem vide supra pag. 525. 526. Rad. כור inusit.

6. מְאָה *centum.*] Vide supra num. 3.

7. וְעַד־חֲמַר *& usque ad vini.*] Ex וְעַד־, de qua voce supra num. 4. & subst. sing. mascul. simpl. חֲמַר *vinum*, sic dictum, secundum quosdam grammaticos, quod caput & cerebrum turbet, à rad. חָמַר Heb. חֲמַר Chald. *turbari.*

8. בַּתִּין *bathos.*] Nomen substant. plur. femin. in forma mascul. à simpl. Heb. & Chald. בַּת *bathus*, mensura liquidorum, quam vide supra pag. 525. 526. Vel est radix, & daghésch תִּ ת in plurali imprimitur ad complendam syllabam. Vel deducitur ex inusit. בנת, cujus נ ejectum compensatur per idem dagh. in eadem litera.

9. מְאָה *centum.*] Vide sup. num. 3.

10. וְעַד־בַּתִּין *& usque ad bathos.*] Vide sup. num. 4. & 8. Hîc est enallage status absoluti pro constructo, scilicet בַּתִּין pro בַּתֵּי; quæ figura in Hebræo etiam locum habet, vide tom. 1. pag. 121. in fine. Vel est vocum metathesis sive trajectio, quæ sic præcedentium instar ordinandæ sunt: וְעַד־מְשַׁח בַּתִּין מְאָה *& usque ad olei bathos centum.*

11. מְשַׁח *olei.*] Nomen substant. singul. simpl. masc. à rad. מְשַׁח Chald. מָשַׁח Heb. *unxit.*

12. מְאָה *centum.*] Vide supra num. 3.

13. וּמְלַח *& sal.*] Ex conjunct. וְ facta וּ tum ob seq. labialem, tum ob (ְ) sequens; & ex subst. sing. masc. ac simpl. & rad. מְלַח, Heb. מֶלַח *sal.*

14. דִּי־לָא *cujus non* (sit)] Ex דִּי *qui, quæ, quod*, &c. Vide v. XIII. num. 4. & לָא Chald. *non*, pro Heb. לֹא. Vide Lexicon.

15. כְתָב׃ *scriptura*, h. e. mensura.] Nom. subst. sing. simpl. masc. à rad. כְּתַב Chald. כָּתַב Heb. *scripsit, præscripsit, definivit.* Has voces: *cujus non sit scriptura*, Vulg. eleganter transtulit, *absque mensura.*

VERSUS XXIII.

1. כָּל־דִּי *omne quod, quidquid.*] Ex כֹּל, & sequente Maqqaph, כָּל־ *omnis, omne*, vide v. XIII. num. 5. & דִּי, ibid. num. 4.

2. מִן־טַעַם *ex decreto, sententia, judicio.*] Ex מִן *de, ex*, vide vers. XIII. num. 8. & טַעַם idem quod טְעֵם, ibid. num. 3. sed in alia forma.

3. אֱלָהּ *Dei.*] Vide vers. XII. num. 9.

4. שְׁמַיָּא *cælorum* (est)] Vide vers. XII. num. 10.

5. יִתְעֲבֵד *fiat.*] Vide vers. XXI. num. 22.

6. אַדְרַזְדָּא *diligenter.*] Adverbium, quod ex parte venire potest ex אֲדַר aut דְּרָא Thalmudistis *assilire.*

7. לְבֵית *domui.*] Vide v. XVI. num. 14.

8. אֱלָהּ *Dei.*
9. שְׁמַיָּא *cælorum.* } Vide v. XII. num. 9. 10.

10. דִּי־לְמָה *cujus ad quid? cur?*] Ex דִּי, quod vide num. XIII. v. 4. & לְמָה *ad quid? cur?* quod & ipsum componitur ex לְ *ad*, & מָה pronomine interrogativo rei, pag. 577. §. III. pro Heb. לָמָּה aut לָמֶה.

11. לֶהֱוֵא *erit*, vel *esset*; ad verbum *esse.*] Infinitivus Peál verbi quiesc. Lám. א aut Lám. ה, חֲוָא vel חֲוָה *fuit*, sine מ characteristico, pro לְמֶהֱוֵא, pag. 608. c. 2. Is infinitivus hîc ponitur pro futuro, nec male; sic enim vocatur iste modus, quod definita non sit ejus significatio; unde pro præsenti, præterito, & futuro interdum usurpatur. Vide Grammat. Heb. tom. 1. pag. 539. §. I. can. I. Abundat ל gerundii, vide v. XIII. num. 13. & vers. XVIII. num. 9.

12. קְצַף *ira.*] Nomen subst. sing. masc.

ſimpl. à rad. קְצַף idem, quod Heb. קָצַף *efferbuit ira*, &c.

13. עַל־מַלְכוּת *ſuper regnum.*] Ex præpoſit. עַל *ſuper* & מַלְכוּת *regnum*, quod vide verſ. XIII. num. 7.

14. מַלְכָּא *regis.*] Vide verſum XIV. num. 4.

15. וּבְנוֹהִי *& filiorum ejus.*] Plur. maſc. cum affix. tertiæ perſ. ſing. maſcul. à ſing. בֵּן *filius*, quod in Targum non invenitur, ſed בַּר idem. At in plurali uſitatum eſt hîc & in Targum, ut abſol. ſimpl. בְּנִין *filii*, emphat. בְּנַיָּא, conſt. בְּנֵי, cum affix. בְּנוֹהִי *filii ejus.*

VERSUS XXIV.

1. וּלְכֹם *vobis quoque.*] Ex conjunctione וְ *&, quoque*, &c. facta וּ ob (ְ) ſequens; & ex dativo plur. maſc. pronominis primitivi ſecundæ perſ. אַנְתְּ vel אַתְּ *tu*, cum ם in fine pro ן, videlicet לְכֹם pro לְכֹן, pag. 578. c. 1. in Notis.

2. מְהוֹדְעִין *notum facientes* (ſumus), *notum facimus.*] Bénoni plur. maſc. conjugationis Aphél verbi rad. & quieſc. *Pé* (י), יְדַע Chald. יָדַע Heb. *ſcivit*, ſervata characteriſtica communi conjugationis, quæ hîc eſt ה pro א, pag. 601. c. 1.

3. דִּי *quod.*] Vide verſ. XIII. num. 4.

4. כָּל־כָּהֲנַיָּא *omnes Sacerdotes.*] Vide v. XIII. num. 5. & 11.

5. לֵוָיֵא *& Levitæ.*] Ibid. num. 12.

6. זַמָּרַיָּא *cantores.*] Plur. maſc. emphat. à ſingul. ſimpl. זַמָּר, emphat. זַמָּרָא *cantor*, plur. ſimpl. זַמָּרִין, emphat. זַמָּרַיָּא *cantores.* Rad. זַמַּר in Paél, *pſallere*, idem atque Hebræum זִמֵּר.

7. תָרָעַיָּא *janitores.*] Plur. itidem maſcul. emphat. à ſing. ſimpl. תָּרָע *janitor*, formæ nominis præced. זַמָּר; nam (ָ), quod τῷ ת ſupponitur, ad compenſandum dagh. ejectum adhibetur. Venit ab Heb. שַׁעַר *porta*, *oſtium*, mutata ſibilante ש in lingualem ת, & trajectis ע & ר literis.

8. נְתִינַיָּא *Nethinæos*, vel *Nathinæos.*] Plur. maſc. emphat. à ſimpl. נְתִינִין *dati*, in participio præterito ſive paſſivo verbi נְתַן *dedit*, in Peal; idem quod Heb. נָתַן. Hi Nethinæi, ſive Nathinæi, poſteri erant Gabaonitarum, quibuſcum Joſue, eorum ſimulatione deceptus, neque interrogato Domino, fœdus iniit; quoſque altaris Iſraëlitarumque miniſterio ad cædenda ligna & aquas comportandas addixit, vide Joſ. 9. Nepotes eorum miniſtros Levitarum conſtituit David, Eſd. 8. v. 20. De iiſdem Nathinæis conſule etiam c. 2. v. 58. & Nehem. 3. v. 26.

9. וּפָלְחֵי *& miniſtros.*] Ex conjunctione וְ facta וּ ob ſequentem labialem פ; & ex Bénoni plur. maſc. conſt. conjugat. Peál verbi rad. פְּלַח *ſervivit*, *miniſtravit*, &c. pag. 586. c. 2.

10. בֵּית *domus.*] Vide verſ. XVI. num. 14.

11. אֱלָהָא *Dei.*] Emphaticum Dei nomen à ſimpl. אֱלָהּ, pag. 572. c. 1.

12. דְנָה *hujus.*] Pronomen demonſtrativum femin. ſed ſæpe etiam maſcul. Vide verſ. XVII. num. 5.

13. מִנְדָּה *tributum.*] Subſt. ſing. femin. cum נ epenthetico ad compenſandum daghéſch ejectum; eſt enim pro מִדָּה, pag. 571. c. 1. Rad. מְדַד, Hebraice מָדַד *menſus eſt*; unde מִדָּה & מִנְדָּה *tributum*, quaſi *demenſum.*

14. בְלוֹ *vectigal.*] Nomen ſubſtant. ſing. femin. cum apocopa ultimæ literæ ת pro בְּלוֹת, pag. 571. c. 2. Proprie ſignificat vectigal jam à longo tempore impoſitum; venit enim à rad. בְּלָא aut בְּלָה *vetuſtum eſſe*, *vetuſtate atteri*, &c.

15. וַהֲלָךְ *& cenſum.*] Ex conjunctione וְ affecta (ַ) ob (ֲ) ſequens, vide tom. 1. pag. 384. col. 2. in fine, & nomine ſubſtant. ſing. maſc. & ſimpl. הֲלָךְ *cenſus*, iſque, ut nonnullis placet, *annuus.* Rad. הֲלַךְ Chald. הָלַךְ Heb. *ire*, &c.

16. לָא *non.*] Particula negativa, quæ Hebrææ לֹא reſpondet. Vide Lexicon.

17. שַׁלִּיט *potens* (ſit)] Adjectivum ſing. maſc. ſimplex à rad. שְׁלֵט Chald. שָׁלַט Heb. *dominium*, *poteſtatem habuit*, &c.

18. לְמִרְמֵא *imponere* vel *ad imponendum.*] Infinitivus Peál verbi quieſc. Lam. א aut

Lám. א aut Lám. ה, רְמָא vel רְמָה *imponere*, p. 608. c. 2.

19. עֲלֵיהֹם *super eos.*] Ex præposit. עַל *super*, quæ hîc affixum recipit in forma Hebraica, id est, nominum pluralium instar; & ex affix. tertiæ personæ plur. masc. הוֹם pro הוֹן, pag. 578. c. 1. in Notis. Affixum istud hîc redundat; hujus enim versiculi vocum is est ordo & sensus: *Notum autem vobis facimus nemini vestrûm licere imponere tributum, vectigal, & censum omnibus Sacerdotibus, & Levitis, cantoribus, janitoribus, Nathinæis, & ministris domûs Dei hujus.* Vide similes pleonasmos in Gramm. Heb. tom. 1. pag. 513. §. IV. can. II.

VERSUS XXV.

1. וְאַנְתְּ *Tu autem.*] Ex conjunctione וְ *&, autem, vero*, &c. & pronomine primitivo secundæ perf. sing. comm. pag. 576. c. 1.

2. עֶזְרָא *Esra.*] Vide vers. XII. num. 4.

3. כְּחָכְמַת *secundum sapientiam.*] Ex כְּ *secundum*, ut in Heb. & חָכְמַת substant. sing. femin. const. ab absol. חָכְמָא *sapientia*, pag. 575. c. 2. in paradigmate. Rad. חֲכַם Chald. חָכַם Heb. *sapere, sapientem esse.*

4. אֱלָהָךְ *Dei tui.*] Vide v. XIV. num. 13.

5. דִּי־בִידָךְ *quæ* (est) *in manu tua.*] Ex pronom. relat. דִּי vers. XIII. num. 4. & בִידָךְ, quod vide vers. XIV. num. 15. Phrasis autem, *quæ est in manu tua*, eadem est ac ista, *quæ est in te*, adeo ut vox *manus* hîc abundet. Vide Gramm. Heb. tom. 1. pag. 493. col. 1. num. V.

6. מַנִּי *constitue.*] Secunda persona sing. mascul. Imperat. Paël verbi rad. & quiesc. Lám. א aut Lám. ה, מְנָא vel מְנָה *numerare*, in Peál; *constituere, præficere*, in Paël, pag. 609. c. 1. in fine.

7. שָׁפְטִין *judices.*] Bénoni plur. mascul. simpl. conjug. Peál verbi perfecti & rad. שְׁפַט Chald. שָׁפַט Heb. *judicavit*, p. 586. c. 2.

8. וְדַיָּנִין *& causidicos*, Vulg. *præsides.*] Ex conjunct. וְ *&*, ac nomine subst. plur. masc. simpl. דַּיָּנִין, cujus singul. est דַּיָּן *causidicus.* Rad. דּוּן vel דִּין Chald. & Heb. *judicare.*

9. דִּי־לֶהֱוֺן *qui*, vel *ut sint ipsi.*] Ex pronomine relativo vel conjunctione דִּי *qui, ut*, & infinitivo Peál verbi rad. & quiesc. Lám. א aut Lám. ה, הֲוָא aut הֲוָה Chald. הָיָה Heb. *fuit*, cum לְ gerund. & affixo tertiæ perf. plur. masc. ן pro הוֹן, ita ut לֶהֱוֺן sit pro לְהֶוְיָהוֹן, pag. 608. c. 2. Præterea in לֶהֱוֺן aut לְהֶוְיָהוֹן est contractio pro לְהֲוָא הוֹן. Vide in Grammat. Heb. tom. 1. pag. 372. Mantis. I. similem affixorum conjunctionem cum verbo subst. Heb. יֵשׁ *est, sunt.*

10. דָּאְנִין *judicantes* vel *judices.*] Bénoni plur. masc. simpl. verbi rad. & quiescent. Aïn (ו) vel (י), דּוּן aut דִּין *judicare*, à sing. דָּאִן mutato (ו) vel (י) in א, quod in plur. vel servatur, afficiturque (ֵ); vel abjicitur, & loco ejus sumitur (י), cui (ִ) supponitur. Hinc idem (ִ) דָּאנִין hîc subjectum argumento est legendum esse דַּיָּנִין, ut docent Massorethæ. Vide pag. 604. c. 2. initio.

11. לְכָל־עַמָּא *omni populo.*] Ex לְכָל־, quæ vox composita est ex לְ dandi casus articulo, כָּל ac sequente Maqqáph, כָּל־ *omnis*, vide v. XIII. num. 5. & ex עַמָּא *quod*, vide vers. XIII. num. 9.

12. דִּי *qui* (est)] Vide ibid. num. 4.

13. בַּעֲבַר *trans.* } Vide vers. XXI.
14. נַהֲרָה *flumen* } num. 10. 11.

15. לְכָל־ *omnes.*] Vide sup. num. 11.

16. יָדְעֵי *scientes.*] Bénoni plur. mascul. const. conjug. Peál verbi rad. & quiesc. Pé (י), יְדַע Chald. יָדַע Heb. *scivit*, ut פָּלְחֵי sup. vers. XXIV. num. 9. S. Hieron. interpretatus est: *his, qui sciunt legem Dei tui*, adeo ut Artaxerxes Esdræ imperaverit, aut permiserit, ut judices constitueret, qui judicarent eos, qui legem Dei sciebant; cum potius eos, qui hanc legem noverant, judices creandi potestatem ei fecisse videatur.

17. דָּתֵי *leges.*] Subst. plur. masc. const. à singul. דָּת *lex*, quod vide sup. vers. XII. num. 7.

18. אֱלָהָךְ *Dei tui.*] Vide vers. XIV. num. 13.

19. וְדִי *& qui.*] Ex conjunct. וְ *&*, ac pronom. relat. דִּי *qui*, vide sup. vers. XIII. num. 4.

20. לָא *non.*] Vide verſ. XXIV. num. 16.

21. יָדַע *ſciens* (eſt)] Bénoní ſing. maſc. conjug. Peál verbi rad. & quieſcent. *Pé* (י), יְדַע Chald. יָדַע Heb. *ſcivit*, pag. 586. c. 2.

22. תְּהוֹדְעוּן׃ *docebitis* (eum)] Secunda perſ. plur. maſc. fut. Aphél ejuſd. verbi, ſervata characteriſtica communi, quæ hîc eſt ה pro א; unde ה characteriſtica litera hujus temporis afficitur (׃), pag. 601. c. 2.

VERSUS XXVI.

1. וְכָל־דִּי־לָא *& omnis, qui non*, vel *quiſquis vero non.*] Ex וְ *&*, כָּל־ *omnis*, verſ. XIII. num. 5. דִּי *qui*, ibid. num. 4. & לָא *non*, verſ. XXIV. num. 16.

2. לֶהֱוֵא *erit.*] Infinitivus Peál verbi הֲוָה aut הֲוָא *fuit*, cum ל gerundii. Is infinitivus hîc eſt pro futuro, vide verſ. XXIII. num. 11.

3. עָבֵד *faciens.*] Bénoní ſingul. maſcul. conjug. Peál verbi perf. & rad. עֲבַד *fecit*, pag. 586. c. 2.

4. דָּתָא *legem.*] Vide verſ. XII. num. 7.

5. דִּי־אֱלָהָךְ *Dei tui.*] Ex דִּי gignendi caſus articulo, ibid. num. 8. & אֱלָהָךְ, quod vide verſ. XIV. num. 13.

6. וְדָתָא *& legem.*] Ex conjunct. וְ *&*, ac דָּתָא, verſ. XII. num. 7.

7. דִּי] Articulus genitivi caſus, verſ. XII. num. 8.

8. מַלְכָּא *regis.*] Vide verſ. XIV. num. 4.

9. אָסְפַּרְנָא oſpárna *cito.*] Vide verſ. XVII. num. 2.

10. דִּינָה *judicium, ſupplicium.*] Nomen ſubſt. ſing. maſc. emphat. à ſimpl. דִּין, unde emphat. דִּינָא aut דִּינָה *judicium.* Rad. דּוּן vel דִּין *judicare.*

11. לֶהֱוֵא *fit.*] Infinitivus verbi הֲוָא aut הֲוָה *fuit*, pro præſenti ſubjunctivi. Vide verſ. XXIII. num. 11.

12. מִתְעֲבֵד *factum.*] Bénoní ſing. maſcul. conjug. Ithpeál verbi perfect. & rad. עֲבַד *fecit*, ut מִתְפְּסַר, pag. 589. c. 2.

13. מִנֵּהּ *de eo.*] Ablativus caſus pronominis primitivi tertiæ perſ. ſing. maſc. pag. 578. c. 3. in fine.

14. הֵן *ſive.*] Conjunctio disjunctiva reſpondens Hebrææ אִי *aut, ſive.* Vide Lexicon.

15. לְמוֹת *ad mortem.*] Ex præpoſit. ל cum nativa ſua motione (׃); & ſubſt. ſingul. maſcul. ſimpl. מוֹת *mors.* Rad. מוּת Heb. & Chald. *mori.*

16. הֵן *ſive.*] Vide num. 14.

17. לִשְׁרֹשׁוּ *ad exſilium.*] Ex præpoſ. ל affecta (׃) loco (׃) ob aliud (׃) ſequens; & ſubſt. ſing. femin. שְׁרֹשִׁי, cum apocopa ה pro שְׁרֹשִׁית, pag. 571. c. 2. Rad. שְׁרַשׁ *radicavit*, & per antiphraſin, de qua ſupra pag. 61. *eradicavit.* Hinc שְׁרֹשִׁית *eradicatio*, & metaphorice *exſilium*, quod eſt veluti è nativo ſolo eradicatio, & in aliud tranſplantatio. In textu ſcribitur לִשְׁרֹשׁוּ, at recte Maſſorethæ monent legendum eſſe לִשְׁרֹשִׁי.

18. הֵן־לַעֲנָשׁ *ſive ad mulctam.*] Ex הֵן, quod vide ſupra num. 14. & לַעֲנָשׁ compoſit. ex ל notato cum (-) loco (׃) ob (-׃) ſequens, & nomine ſubſtant. ſing. maſc. conſt. עֲנָשׁ *mulcta.* Rad. עֲנַשׁ Chald. עָנַשׁ Heb. *mulctavit.*

19. נִכְסִין *opum.*] Nomen ſubſt. plur. maſc. ſimpl. à ſing. itidem ſimplici נְכַס *opes, ſubſtantia*, formæ דְּכַר, pag. 574. c. 1. Rad. נכס Heb. inuſit. ſed Chald. נְכַס *jugulavit, mactavit*, & forte etiam antiquitus his & Hebræis, *divitias comparavit, congeſſit*, &c.

20. וְלֶאֱסוּרִין׃ *&*, aut *vel ad vincula.*] Ex וְ *&, vel*, quam poſtremum ſignificationem vide in Gramm. Heb. tom. 1. pag. 612. col. 1. num. III. ל ad affecto (-׃) pro (׃) ob ſequens (׃׃), & אֱסוּרִין plur. maſc. ſimpl. à ſingul. itidem ſimpl. אֱסוּר *vinculum.* Rad. אֲסַר Chald. אָסַר Heb. *ligavit.*

Analyſis grammatica diplomatis Artaxerxis, & tomi II. finis.

INDEX PRIMUS

Locorum SS. Scripturæ, qui hoc in opere explicantur.

Litera t. 1. *tomum primum;* t. 2. *tomum secundum;* p. *paginam;* c. *columnam; numeri Romani, præfationes; Arabici sive vulgares, paginas indicant.*

GENESIS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT XLVIII.

CAPUT XLIX.

CAPUT L.

EXODUS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

LEVITICUS.

NUMERI.

DEUTERONOMIUM.

JOSUE'.

JUDICES.

RUTH.

I. REGUM.

II. REGUM.

5

III. REGUM.

IV. REGUM.

I. PARALIPOMENON.

II. PARALIPOMENON.

I. ESDRÆ.

II. ESDRÆ *sive* NEHEMIAS.

TOBIAS.

ESTHER.

JOBUS.

PSALMI.

7. t. 1. p. 463. c. 2.
9. t. 2. p. 188. c. 1.
10. t. 2. p. 103. c. 2.
12. t. 2. p. 33. c. 2. 115. c. 1.
13. p. 33. c. 2.
14. [illegible]
16. t. 2. p. 237. c. 1.
19. t. 2. p. 226. c. 1. 254. c. 2.

PSAL. LII. HEB. LIII.

Verſ. 3. t. 2. p. 271. c. 2.

PSAL. LIII. HEB. LIV.

Verſ. 6. t. 1. p. 538. c. 1.

PSAL. LIV. HEB. LV.

Verſ. 9. t. 1. p. 462. c. 1. t. 2. p. 127. c. 2.
10. t. 2. p. 259. c. 1.
14. t. 1. p. 484. c. 2.
15. t. 2. p. 189. c. 1.
19. t. 1. p. 517. c. 1.
22. t. 2. p. 164. c. 2. 210. c. 1.
24. t. 2. p. 133. c. 2.

PSAL. LV. HEB. LVI.

Verſ. 5. t. 2. p. 163. c. 2.
9. t. 2. p. 76. c. 2. 81. c. 2.
14. t. 2. p. 184. c. 1.

PSAL. LVI. HEB. LVII.

Verſ. 4. t. 1. p. 559. c. 2.
8. t. 2. p. 277. c. 1.
9. t. 1. p. 42. c. 2.

PSAL. LVII. HEB. LVIII.

Verſ. 5. t. 1. p. 123. c. 2. t. 2. p. 186. c. 2.
10. t. 2. p. 105. c. 2.
12. t. 2. p. 148. c. 2.

PSAL. LIX. HEB. LX.

Verſ. 1. t. 1. p. 464. c. 1.
4. t. 2. p. 137. c. 1.
5. t. 1. p. 526. c. 2. t. 2. p. 163. c. 1.
6. t. 2. p. 94. c. 2.
10. t. 2. p. 214. c. 2.
13. t. 1. p. 125. c. 1.

PSAL. LX. HEB. LXI.

Verſ. 4. t. 2. p. 102. c. 1.

PSAL. LXI. HEB. LXII.

Verſ. 12. t. 2. p. 237. c. 2.

PSAL. LXII. HEB. LXIII.

Verſ. 8. t. 1. p. 471. c. 1.
11. t. 1. p. 125. c. 1.

PSAL. LXIII. HEB. LXIV.

Verſ. 4. t. 2. p. 210. c. 2.
8. t. 2. p. 81. c. 1.

PSAL. LXIV. HEB. LXV.

Verſ. 4. t. 1. p. 494. c. 1.
9. t. 2. p. 7. c. 1. 52. c. 1.
10. t. 1. p. 472. c. 2.
12. t. 1. p. 482. c. 2. t. 2. p. 92. c. 2.
13. t. 2. p. 107. c. 2.
14. *ibid.*

PSAL. LXV. HEB. LXVI.

Verſ. 10. t. 1. p. 532. c. 2. t. 2. p. 127. c. 1.
12. t. 2. p. 6. c. 2. 123. c. 2.
15. t. 2. p. 233. c. 2.
20. t. 2. p. 7. c. 2.

PSAL. LXVI. HEB. LXVII.

Verſ. 1. t. 1. p. 485. c. 2.
2. t. 2. p. 99. c. 1.
3. *ibid.*

PSAL. LXVII. HEB. LXVIII.

Verſ. 15. t. 2. p. 130. c. 1.
16. t. 2. p. 272. c. 1.
17. *ibid.*
18. t. 2. p. 92. c. 1.
19. t. 1. p. 517. c. 1. 591. c. 1. t. 2. p. 52. c. 1. 300. c. 1.
21. t. 2. p. 411. c. 1.
27. t. 2. p. 131. c. 1.
31. t. 1. p. 462. c. 2. t. 2. p. 40. c. 1. 170. c. 1. 2.
32. t. 2. p. 35. c. 2. 103. c. 2.

PSAL. LXVIII. HEB. LXIX.

Verſ. 3. t. 2. p. 141. c. 1.
15. *ibid.*
24. t. 2. p. 179. c. 2.
29. t. 2. p. 78. c. 2.

PSAL. LXIX. HEB. LXX.

Verſ. 1. t. 1. p. 464. c. 1.
5. t. 2. p. 44. c. 1.

PSAL. LXX. HEB. LXXI.

Verſ. 5. t. 2. p. 56. c. 1.
15. t. 1. p. 507. c. 2.

PSAL. LXXI. HEB. LXXII.

Verſ. 5. t. 1. p. 587. c. 2.
7. t. 1. p. 566. c. 2.
9. t. 2. p. 55. c. 2.
16. t. 1. p. 601. c. 1. t. 2. p. 155. c. 2.
17. t. 1. p. 253. c. 2.
25. t. 2. p. 236. c. 1.

PSAL. LXXII. HEB. LXXIII.

Verſ. 2. t. 2. p. 135. c. 2.
6. t. 2. p. 218. c. 2.
9. t. 2. p. 48. c. 2. 104. c. 1.
10. t. 1. p. 466. c. 1.
14. t. 2. p. 247. c. 2.
19. t. 2. p. 9. c. 2.
21. t. 2. p. 158. c. 1. 2.
22. t. 2. p. 164. c. 2. 165. c. 1.

PSAL. LXXIII. HEB. LXXIV.

Verſ. 1. t. 2. p. 100. c. 2.
5. t. 1. p. 461. c. 2.
11. t. 2. p. 70. c. 2.
13. t. 2. p. 176. c. 2.
14. *ibid.*
15. t. 2. p. 44. c. 1.
19. t. 1. p. 496. c. 2. t. 2. p. 175. c. 2.
20. t. 2. p. 83. c. 2.

PSAL. LXXIV. HEB. LXXV.

Verſ. 3. t. 1. p. 559. c. 2.
6. t. 2. p. 160. c. 2.
9. t. 2. p. 92. c. 1. 153. c. 2.

PSAL. LXXV. HEB. LXXVI.

Verſ. 3. t. 1. p. 432. c. 2.
4. t. 2. p. 125. c. 1.
5. t. 2. p. 137. c. 2.
7. t. 1. p. 616. c. 1. 2.
13. t. 2. p. 82. c. 2.

PSAL. LXXVI. HEB. LXXVII.

Verſ. 5. t. 1. p. 461. c. 2.
11. t. 2. p. 70. c. 1. 185. c. 2. 186. c. 1.
17. t. 2. p. 108. c. 2.

PSAL. LXXVII. HEB. LXXVIII.

Verſ. 2. t. 2. p. 296. c. 1.
4. t. 1. p. 556. c. 1.
15. t. 1. p. 467. c. 1.
22. t. 2. p. 206. c. 2.
23. t. 2. p. 77. c. 2. 206. c. 2.
24. t. 2. p. 155. c. 2.
32. t. 2. p. 48. c. 1.
38. t. 1. p. 536. c. 1.
40. t. 2. p. 72. c. 1.
41. t. 1. p. 535. c. 1.
48. t. 2. p. 125. c. 1.
49. t. 1. p. 122. c. 2.
50. t. 1. p. 528. c. 1. t. 2. p. 80. c. 1.

PSAL. LXXVIII. HEB. LXXIX.

Verſ. 6. t. 1. p. 542. c. 2. t. 2. p. 36. c. 1. 79. c. 1.
7. t. 2. p. 49. c. 1.
8. t. 2. p. 74. c. 2.
12. t. 2. p. 183. c. 2.
67. t. 2. p. 48. c. 1.

PSAL. LXXIX. HEB. LXXX.

Verſ. 2. t. 2. p. 89. c. 2.
11. t. 1. p. 472. c. 2.
14. t. 1. p. 464. c. 2. t. 2. p. 164. c. 1. 167. c. 2.
18. t. 1. p. 488. c. 2.

PSAL. LXXX. HEB. LXXXI.

Verſ. 6. t. 1. p. 124. c. 2.
8. t. 2. p. 129. c. 1.
11. t. 2. p. 204. c. 2.
14. t. 1. p. 543. c. 1.

PSAL.

PROVERBIA.

PROVERBIA.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVII.

CAPUT XXVIII.

CAPUT XXIX.

CAPUT XXX.

ECCLESIASTES.

CANTICUM CANTICORUM.

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICUS.

ISAIAS.

JEREMIAS.

CAPUT

THRENI.

EZECHIEL.

DANIEL.

AGGÆUS.

ZACHARIAS.

MALACHIAS.

I. MACHABÆORUM.

MATTHÆUS.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVII.

CAPUT XXVIII.

MARCUS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

LUC.

CAPUT

JOANNES.

AD ROMANOS.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

I. AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I. AD THESSALONICENSES.

II. AD THESSALONICENSES.

I. AD TIMOTHEUM.

II. AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD PHILEMONEM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI EPISTOLA.


I. PETRI.

II. PETRI.

I. JOANNIS.

JUDÆ EPISTOLA.

APOCALYPSIS.



INDEX SECUNDUS

Vocum Hebræarum anomalarum aut paulo difficiliorum, quæ in tomo primo explicantur.

א

ב

ג

ד

ה

ו

ז

ח

ט

י

יכמו

כ

ל

מ

נ

ס

ע

פ


צ

ק

ר

ש

ת



INDEX TERTIUS

Vocum Chaldæarum anomalarum aut difficilium, quæ in Grammaticæ Chaldaïcæ compendio tom. 2. explicantur.

N O T Æ

In præcedentes duos Indices.

Si quæ voces anomalæ aut paulo difficiliores, prout sunt in Bibliis Hebräicis descriptæ, in his Indicibus forte non inveniantur: de vocum illarum initio una aut pluribus literis servilibus cum earum motionibus, detractis; hæ nullo negotio in prædictis Indicibus reperientur. Illæ autem literæ detrahendæ plerumque sunt: בְּ , בַּ , בֵּ , בָּ , בִּ , בּ , בִּתְ , בְּהַ , בְּהָ , הָ , הֶ , הֵ , הַ , הָ , וְ , וַ , וֵ , וָ , וִ , וּ , וּבּ , וּבְ , וּבַ , וּבֵ , וּבָ , וּבִ , וּהַ , וְהָ , וְהַ , וּהַ , וְכְ , וְכָ , וְכֵ , וְכִ , וְכּ , וּכ , וְכֵ , וְלִ , וְלַ , וְלֵ , וְלִ , וּלְ , וּל , וּל , וּמֵ , וּמּ , כְּ , כַּ , כֵּ , כָּ , כִּ , כּ , לְ , לַ , לֵ , לָ , לִ , לּ , מֵ , מִ , &c.

Præterea, cum Hhólem *modo plenum, modo deficiens scribatur, neque semper Biblicis exemplaribus de hac scriptura iisdem in locis conveniat: quæ voces per Hhólem plenum quæsitæ non inveniuntur, eæ sunt per Hhólem deficiens investigandæ, & vice versa.*

Idem dicendum faciendumque circa Hhiriq magnum, *quod modo cum* (י), *modo sine* (י), *quod tamen rarius, scribitur; & circa* Schouréq, *cujus loco sæpe adhibetur* Qibbúts.

Denique in priori Indice omissa est vox anomala וְצָמַת, *tom. 1. p. 270. c. 2.*



INDEX QUARTUS

Literarum & vocum aliquot Hebraïcarum, quarum vel potestas, vel constructio, vel sensus, vel emphasis, &c. explicantur.

א

ב

ו

ז

ח

ט

י

כ

ל

מ

פ

צ

ק

ר

ש

ת



INDEX QUINTUS

Troporum, figurarum, & vocum aliquot Græcarum, quæ in Lxx. versione, ac Novo Test. sensu aut à vulgari diverso, aut in profanis scriptoribus minus usitato, accipiuntur.

A

INDEX SEXTUS

RERUM ET VERBORUM.

A

nam,

B

C

D

E

G

H

I

K

L

M

N



O

P

Verbi

S

Somnus

T

V

X

Z

Indicum, & totius operis hujus grammatici finis.



PARISIIS,
Excudebat JACOBUS COLLOMBAT,
Regis Christianissimi Typographus.

M. DCC. XXVIII.




Digitized by Google

